



IHS






NAZIONALE
BIBLIOTECA
VITT. EMANUELE
14
7 M
8

R. P.
IOANNIS
LORINI AVENIO-
NENSIS SOCIETATIS IESV,
IN VNIVERSAM ARISTO-TELIS LOGICAM.
COMMENTARII CVM ANNEXIS DISPVTATIONIBVS

Romæ ab eodem olim prælecti,

ET NVNC PRIMVM AD INSTANTIAM CELEBRIVM VIRORVM IN LVCEM EDITI.







COLONIAE,
Sumptibus PETRI CHOLINI,
ANNO MDCXX.



REVERENDISSIMO,

NOB. ET AMPLISSIMO DOMINO.

D. IOANNI CHOLINO,

S. TH. D. PRÆPOSITO BONnensi, Archidiacono S. Ecclesiæ Coloniens. Eiusdemque & Cathedralis Leodiens. Canonico: Ser.mo ac R.mo Principi FERDINANDO, Archiepiscopo & Electori Colon. à Secretis Consilijs, &c. Domino patruo suo, vti Patri, amantissimo Colendissimoque.

PETRVS CHOLINVS NEPOS.
salutem precatur, ac fœlicitatem perpet.





Eneficij inter duos Legem eiusmodi esse decet, arbitrio L. Annæi Senecæ, vt alter datum studiosa obliuione negligat; alter Accepti memoriam quotidianâ in se recordatione resuscitet. Huic

* 2 verò



REVERENDISSIMO,

NOB. ET AMPLISSIMO DOMINO.

D. IOANNI CHOLINO,

S. TH. D. PRÆPOSITO BONnensi, Archidiacono S. Ecclesiæ Coloniens. Eiusdemque & Cathedralis Leodiens. Canonico: Ser.mo ac R.mo Principi FERDINANDO, Archiepiscopo & Electori Colon. à Secretis Consilijs, &c. Domino patruo suo, vti Patri, amantissimo Colendissimoque.

PETRVS CHOLINVS NEPOS. salutem precatur, ac fælicitatem perpet.





Eneficij inter duos Legem eiusmodi esse decet, arbitrio L. Annæi Senecæ, vt alter datum studiosa obliuione negligat; alter Accepti memoriam quotidianâ in se recordatione resuscitet. Huic

verò quiſquis tunc alius de Cæſarei Præceptoris ſchola reſponderit, R.^{ma} D. veſtra vſque adeò magnificè obſecuta eſt: vt ne ipſe quidem abſolutiſſimus morum Doctor, amplius poſſe videretur ad humanæ gratitudinis complementum exigere. Triginta enim ecce, anni, & vltra, elapſi ſunt, ex quo R.^{ma} D. veſtra ſecundis auſpicijs Romam ad R. P. IOANNIS LORINI, viri per doctorum hominum ora celebratiſſimi, publicum Lycæum appulit, vt Philoſophiam, non illam Ethnicorum erroribus deformatam, ſed Chriſtianæ Fidei illuſtratam certitudine, perdiſceret: Cuius quidem conſilij optabili euentu fraudari non potuit, cum talia ſecum attuliſſet ſiue ingenij talenta, ſiue induſtriæ adiumenta, quibus facillimè cæteris in eiuſdem ſtudij ſtadio agonizantibus, palmam præriperet. Et totidem propè annos ſupputo; quod hanc ipſam ex ore LORINI deſcriptam Philoſophiã, Typis exornari, & in lucem prodire deſiderabat; Ea potiſſimum mente, quantum apparet, vt Editionis huius beneficio, optimi Præceptoris fama diffunderetur, & inclareſceret: fieretque cum Ipſi, tum alijs manifeſtum, non minus benè *Joannem Lorinum* de *Joanne Cholino*;

quam

quam de Alexandro aliquando Aristotelem meruisse. Et sanè sine nęuo ac macula prodijsset Illa eiusmodimet, qualis in vrbe Romana, cum gloria, & communi audientium applausu eo tempore docebatur, omnibus numeris absolutissima: Sed reluctata fuit partim pertinax, vt ita loqui liceat, Authoris modestia, qui scripta sua nunquam nisi inuitus permisit in oculos & manus vulgi incurrere, ne prophanæ gloriolæ vicem à lectoribus quærere videretur; Partim locupletissimę ipsius commentationes in Scripturam sacram, quę eundem iam dudum à Philosophicis Lucubrationibus abstractum in præsens vsque, sic totum occupant, vt ad veteris istius laboris reuolutionem, recognitionemque, horæ, vires, & ipsa ferè ætas deficiat. Interea igitur, cum pari nihilominus auiditate nec pauci nec contemnēdi viri à Typographis Philosophicum hoc opus postulare non desisterent: iniquum scilicet iudicantes, inter cætera LORINI volumina, solum istud, quasi abortiuum & laudis lucisque fruitione indignum supprimi: Vnde tamen præuidebatur in Magistros pariter ac discipulos Philosophiæ, pręclara ad sublimiores disciplinas subsidia redūdare

 posse.

posse. Tandē Reuerend. D. vestra me suscitare, me hortari ac stimulare cœpit, donec Typos, curas, operas, ac facultates meas ad excusionem dictorum Commentariorum conuerterem. Et nunquid ad consilium impulsumque tanti Patrui ac Benefactoris, cuius alioquin nutibus omnem vitæ ac negotiorum meorum rationem attemperare cōsueui, tergiuersarer? Nunquid tam excellentis obsequij & honoris occasionem, quem LORINO impendendum præuidebam, alijs à me neglectam relinquerem? Ego verò Reuerend.^me & Amplis. Domine, ansam hanc promptus arripui: audiui lubens, titulo IOANNIS LORINI, meam quoque officinam, si velim, cohonestatum iri, ideoque quàm cordato animo, tam alacri studio paucis ante mensibus Impressionem M.S. Exemplaris auspicatus sum. Et Logicæ imprimis (quæ Physicam ac Metaphysicam paucis post mensibus pari industria euulgandas, doctrinæ lege præcurrit) propitio Deo, faustum spero, finem imposui. An verò, voto & expectationi Reuerend.^me D. vestræ responderim, æstiment ij, quorum Iudicia nec odij nec amoris affectibus adulterantur. Cæterorum veluti nec blandimenta expecto:

cto: ita nec cauillationes respicio. Pręclarè cum Logica actum putabo, si Author fœtum hunc suum ordine temporis nouissimè quidem editum, sed tamen prius conceptum formatumq; recognoscere, fouere, & in classem germanorũ Operum suorum admittere dignabitur: Reuerend^ma^ verò etiam D. vestra eundem sub tutela amplissimi Nominis sui quasi sub Aiacis cuiusdã clypeo à maleuolorum telis seruauerit. Porrò vbi totum exemplar hoc, prout suis singulatim vsibus præparatum offertur, euoluerit, aut satis iussui suo factum testari velit: aut nouis iterum mandatis Nepotis ac Clientis sui promptitudinem experiri. Seruire non desinam, donec perspectum mihi sit, incomparabili suo Petrum Cholinum Patruo placuisse. Valeat.



INTRO-

INTRODVCTIO IN ARISTOTELIS LOGICAM.



NTE QVAM ad vniuersa huius facultatis explicationem veniamus, veterem atque laudabilem consuetudinem secutus, à breui quadam atque compendiaria eiusdem Isagoge atque Introductione mihi incipiendum esse duxi. Sic enim ex veteribus obseruaui. Auerr. in Epit. Logic. D. Thom. in comp. Dial. Porphyrius in sua Isagoge, & Boëtius pluribus huius argumenti voluminibus. Caeterum quoniam Dialecticae munus est, tres cognoscentes Intellectus nostri operationes dirigere, sicut & caeterarum omnium artium aliquem naturae defectum corrigere, vt tradit Aristoteles 7. Polit. cap. 17. Ideò hanc totam Tractationem nostram ita partiemur, vt seorsim expendantur quae singulis operationibus propria sunt, quaeq; ijsdem communia, si tamen prius aliquid de ijs praefati fuerimus, quae vel ad aliquam saltem huius scientiae notionem faciunt, & propterea à Graecis Prolegomena appellantur, quo fiet, vt quinque partibus tota res absoluatur.

PRIMA PARS.

De ijs quae spectant ad Prolegomena.

CAPVT I.

De nominibus huius artis.



RIMVM, quod de re quapiā ante omnia sciri dicitur, vt docet Aristoteles 1. Post. text. 2. & 25. est nominis praenotio rei enim nomine ignorato, res ipsa vt intelligatur, fieri non potest. Duo autē celeberrima huius artis nomina circumferuntur, Logica & Dialectica, vtrumq; à Graecis mutuatum. Logica dicitur ἀπὸ τοῦ λόγου quod vertere potes, Rationalem, siue per λόγον intelligas, Rationem ipsam, siue Argumentationem, vt alias omittam huius vocabuli acceptiones, & quidem à Ratione Logica nomen accepit, quanquam eiusdem cognoscentes dirigit operationes; ab Argumentatione verò, tanquam à notissima & potissima totius artis parte. Dialectica verò ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι deriuatur, quod vertere potes, disputationē, nimirum propter argumentationem quę disputationi seruit. Alia nomina quae multa à multis congeruntur, quaedam huius facultatis attributa explicant, de quibus suo loco fusius.

Logica vnde dicta.

CAPVT II.

An sit Logica, seu an sit necessaria?

SEquitur vt videamus an sit Logica, tū verò expendemus quid sit, qualis sit, & propter quid sit Quae quatuor de re omni quae in quaestionem veniat, quaeri vult Aristoteles locis suprà citatis. Cùm autem quaerimus, an sit Logica? idem est, quod quaerere, an sit necessaria? Sciendum est, duplicem esse Logicam, Naturalem & Artificiosam. Naturalis nihil aliud est, quam lumen Intellectus ad res benè cognoscen-

A das

das cuique à natura inditum. De qua Arist. 1. Rhet. ad Theod. ca. 1. & de hac nulla est quæstio. Artificiosã autẽ esse, & necessariã esse, vel ex eo probatur: quod sine ea nemo scire dicendus est, quoniam is scientiam tenere non dicitur, qui se non scire sciat, quod sine sciendi instrumentis, quæ traduntur à Logica, cõsequi nemo potest. Obijcies: Ergo nec Logicam sine Logica discere quis potuit. Siquidem nihil sine sciendi modo, qui Logica est, teste Aristotele 2. Meta. text. 15. sciri potest. Respondeo, Satis esse ad artem Dialecticæ comparandam eam, quæ a natura cuique indita est. Quod verò attinet ad Authorem ac repertorem Dialecticæ, non eadem omnium est sententia. Certum est multa illi Aristotelem incrementa & ornamenta addidisse. De qua re alio loco pluribus.

CAPVT III.

Quid sit, qualis sit, & propter quid sit Logica.

Est habitus Intellectiuus, instrumentalis, directiuus cognoscentium Intellectus nostri operationum. Dixi, habitus intellectiuus, quoniam fiti sunt, & in voluntate saltem habitus. Instrumentalis, ad distinctionem à quinque habitibus Intellectus, quos enumerat Aristoteles 6. Ethic. cap. 3. Intellectu, arte, scientia, prudentia, & sapiẽtia, & his partib. definitionis Dialecticæ genus cõtinetur. Dixi etiã directiuus, &c. ad constituendã differentiam. Hic autem non disputamus, an sit philosophia practica vel speculatiua, quæ etiã ad genus Dialecticæ pertinent. De his enim alibi commodius. Quod attinet ad quæstionem Qualis sit, ea partim ex iam dictis dissoluta est, vbi videlicet Dialecticã necessariam esse, atque adeò vtilem probatum est: Partim verò aliàs dissoluetur, vbi docebimus vnum esse habitum. Quod attinet ad quæstionẽ Propter quid sit; Dialectica, vt ex differentia in definitione tradita patet, refertur ad dirigendas Intellectus cognoscentis operationes.

SECVNDA PARS.

De his quæ spectant ad primam Intellectus operationem

Operationes Intellectus cognoscentis tres sunt, Simplicium apprehensio, iudicium & discursus. Prima est, cùm rem aliquã simplici cognitione actiua affirmatiua & negatiua, apprehendimus, & dicitur simplex operatio; non quod sit tantum rerum simplicium, potest enim & compositarum esse, sed ob eam quam diximus causam. Secunda est, cùm duos conceptus ita copulamus, vt alterum de altero affirmemus, quod componi dicitur: aut negemus, quod diuidere appellatur. Nec vocatur hæc operatio compositio, quod sit de rebus tantum compositis, potest enim & de simplicibus esse, sed ob eam quam diximus causam; & quoniam compositionis modo efficitur. Tertia operatio est, cùm ex vno iudicio alterum vi illationis & cõsequẽtiæ inferimus. Primæ operationi seruit definitio & diuisio Secundæ propositio seu enunciatio. Tertiæ argumentatio, & omnibus simul quoddam aliud sciendi instrumentum, quod methodus appellatur. Cæterum quia definitio & diuisio, ac multo etiam magis reliqua instrumenta ex simplicibus constant terminis, ideò de ijs primò dicendum est.

CAPVT I.

Quid sit terminus & quotuplex.

Non agimus de Termino quem Aristoteles 1. Prior. in ordine ad propositionẽ definit, qui est vel subiectum, vel prædicatũ, sed de eo qui reliquis instrumẽtis eum definitione & diuisione communis sit. *Est ergo Terminus signum* ad placitum orationis simplicis constitutiuum. Signum ad placitum ponitur loco generis; orationis simplicis, loco differentiæ. Est autem notandum, *Signum in genere esse duplex.* Formale & Instrumentale. Formale est species siue sensibilis, siue intelligibilis, qua potentia cognoscitiua informatur ac veluti figuratur. Instrumentale est, quod præter sui cognitionem, vt plerisq; in locis definit Augustin. potissimùm verò de principio Dialecticæ, in alterius cognitionem ducit. & propriè signi nomen habet. Differunt autem hæc duo, quod primum formale, non sit necesse cognoscere, vt signi munere fungatur: secundũ verò cognosci debet. *Secundò*, signum aliud est naturale, aliud ex impositione. Naturale, vt vesti-

vestigium, fumus. Ex impositione, vt hedera, signū vini vendibilis. Signū formale est tantum naturale; Instrumētale verò, tū naturale, tum ex impositione esse potest.
III. *Tertiò*, signum instrumētale ex impositione vel rebus conuenit, vt hedera; vel vocibus. & de hoc vltimo signo nobis est sermo, estq; genus in hac definitione. Quod attinet ad differētiam huius definitionis, diximus, orationis, vt comprehenderemus omnes partes orationis, vt præpositionis, coniunctionis, verbi, &c. Hæc enim etsi non propositionem per se componunt, tamen orationis partes sunt. Diximus, simplicis, ad excludendas propositiones siue simplices, ex quibus vna componi potest hypothetica, siue etiam hypotheticas, ex quibus alia etiam hypothetica, seu magis composita componi potest. Obiectio. In hac propositione blitri est duarum syllabarum, blitri componit orationem tanquam terminus, & tamen nihil significat. Ergo malè dictum fuit Terminum esse signum. Respondeo. Huius propositionis subiectum non esse blitri, sed quandam aliam particulam, qua istud blitri ostenditur, sicut si diceremus: O est circulus, istius propositionis non esset subiectum O, sed hæc particula, (hæc figura) eodem modo istius propositionis subiectum est, hæc vox. Et hinc est quod Dialectici vulgò dicunt, orationis totius significationē, ex partium pendere significatione, quod falsum esset, si singulæ partes aliquid non significarent. Simile est in his dicendi formis: scribo est verbum tertiæ coniugationis. Ibi enim non sumitur verbum pro sua significatione, sed quatenus vox quædam est.

Diuisiones Terminorum.

Tripliciter diuidi potest termin⁹, vel ex parte materialis siue subiecti, vel ex parte formalis siue significationis, vel ex parte pluriū terminorū inter se collatorū. *Ex parte subiecti* fit prima diuisio. Termin⁹ alius est mētalis, vocalis, & script⁹. Mētalis qui mente concipitur. Vocalis qui voce exprimitur. Scriptus, qui scripto. Mētalis bipartito diuiditur. Primo in vltimatum & non vltimatum. Secundo in directum & reflexū. Vltimatus est cōceptus rei; & vocatur *vltimatus*, quia in eo mens conquiescit. *Non vltimatus*, est conceptus vocis, qui vocem quidem naturaliter significat; ipse tamen sicut & vox ordinatur ad rem significandā ex hominum impositione, & propterea dicitur non vltimatus. *Directus* dicitur, vel qui est de re ipsa secundū se vel quē primò & directè formamus. *Reflexus*: qui est de re prout illi aliquid aduenit ex præcedēte intellectus operatione, vel certè qui fertur circa præcedentē operationem, quo nimirum cognoscimus nos cognoscere. Ex parte formæ seu significationis duo attendi possunt. Res significata, & modus significandi. Ratione modi significandi fit secunda diuisio. *Terminus alius* est Categorematicus, alius Syncategorematicus. 2. *Diuisio.*
Categorematicus est is, qui rē per se significat, vt homo, vnde Marc. Tull. 4. Tusc. Categorematica ea dicit esse, quę de quodā aut quibusdam dicuntur. *Syncategorematicus* per se propriè nihil significat, sed cum altero termino coniunctus, vt omnis, nullus. Obijcies. Audita hac voce, omnis, non solum formo conceptum vocis, sed alicuius etiam rei, nimirū vniuersalitatis, ergo est terminus Categorematicus. Respondeo. Præter conceptum vocis sine dubio concipi etiam quendam modum realem, qui tamen, quia non exercet significationē suam nisi vt applicatus est rebus, propterea non dicitur Categorematicus, sed Syncategorematicus. Addunt alij terminū mixtum, qui nimirū nec sit propriè Categorematicus nec Syncategorematicus, sed vtriusque rationem participat, qualia sunt omnia aduerbia, vt malè, iustè, &c. sed hic terminus reduci potest ad Categorematicum. *Categorematicus iterum subdiuiditur*; in abstractum & concretum, absolutum & connotatiuum, denominantem & denominatiuum; adiectiuum & substantiuum, personalem & materialem, complexum & incomplexum. *Abstractus* est, qui significat rem per modū simplicis, & à quo alius denominatur, vt Albedo. *Concretus significat* per modum compositi, & ab alio denominatur vt albus, iustus, homo, &c. Obijcies. Deus est simplicissimus,

cissimus, & tamen est nomen concretum, ergo. Respondeo, Propterea dixi, significare per modum compositi, non verò significare rem compositam. Vnde humanitas, etsi sit quid compositum, non tamen dicitur terminus concretus, quia significat rem per modum simplicis formæ. *Absolutus* est, qui significat per modum per se existentis, siue verè ita sit à parte rei, siue nō ita sit. Exemplum primi, vt homo. Secundi, vt albedo. *Connotatiuus* est is qui significat per modū adiacentis vel inhærentis, idque aut propriè, vt albus, aut impropriè vt corporeus, &c. Primus vocatur intrinsecus, secundus extrinsecus. Obijcies. Prout res se habet in esse, ita & in significati. Ergo quod reuera non adiacet à parte rei, nō potest significari per modum adiacentis; & quod à parte rei nō est simplex, non potest significari per modum simplicis, & vice versa quod est compositum, nō potest significari per modum simplicis. Respondeo, Satis esse, si significatio nihil dicat contrarium naturæ rei, vnde isti termini nō dicunt rem esse simplicem vel cōpositam, quemadmodum etiam docet Aristoteles 1. Post. text 39. posse esse demōstrationem de accidentibus secundùm se, etsi accidens à parte rei non sit abstractum à substantia. *Notādum* verò, terminum abstractum esse etiam absolutum; nam significat per modum per se existentis, non tamen omnis absolutus est abstractus; nam homo, verbi gratia, est terminus absolutus, non tamē abstractus. Item omnis connotatiuus est concretus, significat enim per modum cōpositionis, non tamen omnis concretus est connotatiuus, nam homo est terminus concretus, non tamen connotatiuus. *Denominans* est is à quo formaliter & vt sic alter denominatur, & potest esse vel abstractus vel concretus, nā & à cādore dicitur quis candidus, & à candido candidatus. *Denominatiuus* est, qui ab aliquo vocabulo voce & significatione denominatur, vt: iustus à iustitia, quæ Rhetores σύζυγα, hoc est coniugata appellant, quamuis non idem planè sint. Dixi voce & significatione, quia alterum ex his non sufficit, vnde virtus & studiosus non dicuntur denominatiua; etsi enim studiosus dicatur à virtute secundùm significationem, non tamen secundùm vocem. Potest autem esse denominatiuus terminus concretus & cōnotatiuus. *Substantiuus* quid sit notum est, tamen non omnis substantiuus terminus est absolutus vel abstractus, nam pater, verbi gratia, est substantiuus terminus, nec tamē abstractus vel absolutus. Eodē modo nota est termini adiectiui significatio, nō est tamen omnis terminus connotatiuus etiam adiectiuus, vt patet in eodem exemplo. *Personalis* est, qui significat rem cui per se significandæ impositus est, vt homo est substantia. *Materialis* est, qui sumitur tantum pro voce, vt: homo est nomē. *Complexus* est, qui ex pluribus componitur non solū voce, vt Marcus Tull. Cic. nec tātum re; id est, vt æquiualeat pluribus cōceptibus, vt nemo, quod idem significat ac nullus homo; sed ex pluribus re & voce, vt homo albus. *Incomplexus* est simplex & vnum quid significans. Et hæc de secunda diuisione.

Ex parte rei significatæ fit tertia diuisio. *Terminus est vniuersalis vel particularis*. Collectiuus seu diuisiuus, Transcendens seu supertranscendens, positiuus seu negatiuus; vniuocus, æquiuocus vel analogus: primæ aut secundæ intentionis. *Vniuersalis* est, qui de pluribus seorsim dicitur secundùm eandem rationem, vt homo de Petro, Paulo, &c. *Particularis*, qui vnum tantum significat. Et hic termin⁹ vel significat vnū determinatè & vocatur singularis, vt Petrus; vel demōstratiuè, vt hic homo; vel vagè, vt quidā homo: vel ex suppositione, vt Nicomachi filius. Sic patri Aristotelis alius non fuit filius. *Collectiuus* est, qui plura significat per modum vnius, vt populus, vrbs. *Diuisiuus*, qui de pluribus dicitur, diuisiuè & non totaliter, vt Petrus & Paulus trahunt nauem. Obijcies: Hoc nomen Deus ex modo significandi non dicitur de vno tantum Ergo est terminus vniuersalis. Sed hoc repugnat, alioquin enim diceretur Deus de multis dijs. Respondeo Etiam ex modo significandi vnum termnū Deus significare aliquid singulare, nam repugnat concipi Deum esse communicabilem pluri- 3. Diuisio.

pluribus dijs. *Transcendens* significat res omnes, veras, illimitatam habentes significationem, nimirum rem, ens, vnum, bonum, aliquid, & verum, vt autor est D. Thom quæst. 1. de verit. art. 1. & opusc. de natura Generis, quæst. 3. quæ omnia à dictione continentur *Renbau*. *Supertranscendens* significat res etiam non veras, vt imaginabile, opinabile, cognoscibile, &c *Terminus positiuus* significat rem aliquam verè habentē esse. *Negatiuus* significat negationem, vel in subiecto determinato, vt cæcus, surdus, claudus, &c. & vocatur priuatiuus, de quo in postprædicamentis fusius, vel in quocunq; subiecto, vt non videns, non audiens, &c. de quo in libris perihermenias. *Aequiuocus* est, qui habet nomen commune, rationem verò diuersam, vt canis. *Vniuocus* est, qui habet nomen commune, & rationem eandem. *Analogus* est, qui habet nomen commune, rationem verò per nomen significatam, partim eandem, partim diuersam. Eandem verò aut secundùm attributionem vnius ad alterum, vt sanum, aut secundùm proportionem & similitudinem, vt principium respectu puncti, fontis, cordis, &c. Analoga secundùm proportionem apud Aristotelem hoc sibi nomen peculiariter retinent, nunc tamen apud Philosophos, Analoga secundùm attributionem simpliciter analoga dicuntur. Notandum verò, hoc esse commune Æquiuocis & Analogis, quod vtrumq; conceptū non vltimatum habet eundem, vltimatos verò plures; id est, conceptus vocis in Analogo vnus est, idem & in Æquiuocis conceptus tamen rei importatæ per nomen in vtroque multiplex est. Terminus primæ intentionis est is, qui significat res ipsas vt sunt in se, verbi gratia, homo. Terminus secundæ intentionis, qui significat res prout obiectiuè sunt in Intellectu, seu prout illis aduenit aliquid ex operatione Intellectus, vt esse Genus, esse Speciem, &c.

4. Diuisio. Ex parte plurium terminorum inter se collatorum fit quarta diuisio. Termini alij sunt pertinentes, alij impertinentes. Pertinentes sunt, cùm vnus ex alio infertur, vel vterq; mutuò; vel synonymi sunt, vel se habet vnus vt superior respectu alterius. Impertinētes verò sunt aut disparati, aut cōtrarij, aut priuatiui, aut relatiui, aut contradictorij. Priuatiui, vt cæcus & videns. Contrarij vt calor & frigus. Contradictorij, vt homo non homo Relatiui, vt pater, filius. Disparati, vt homo & equus, qui disparati dicūtur, quoniam nec simul, nec vicissim eidem conuenire possunt. Primi illi termini vocantur pertinentes sequela, secundi pertinentes repugnantia. Impertinentes sunt, qui nec mutuò se inferunt, & eidem inesse possunt, vt rubrū & dulce.

CAPVT II.

De Prædicabilibus seu Vniuersalibus.

Qvoniam definitio, vt suo loco videbitur, genere constat & differentia, & id quod definitur species est, de qua etiam prædicari possunt tum propria tum communia accidentia, quia etiam diuisio fit per species aut differentias, aut propria aut communia accidentia: ideò viam ad hæc instrumenta paranti, de his prius dicendū est: etsi non formaliter, vt prædicabilia sunt, hoc est, vt habent rationem prædicati. Quòd verò ad cætera etiam instrumenta sciēdi, vtilis maximè sit prædicabilium cognitio, adeò clarū est, vt probatione non indigeat. Supponi autem debet in initio dari vniuersale in prædicādo, quoniam est propriū Intellectus obiectum, & propterea ab Aristotele dicitur 1. Post. t. 39. sub fin. simpliciter intelligibile, & est necessaria conditio obiecti scientiæ, teste Aristotele 1. Post. text. 22. & denique est genus saltem Analogum ad hæc quinque prædicabilia. Loquimur autem de vniuersali in prædicando, quoniam & alijs quoque modis vniuersale dicitur, nempè in causando, in essendo, in significando, & in repræsentando. In causando, quod multorum causa est, vt Deus, sol, &c. In essendo, quod multas perfectiones cōtinet, vel naturā dicit cōmunē. In repræsentādo, quod multa repræsentat, vt species intelligibilis, & idea artificis In significando, vt terminus quem Grammatici vocant appellatiuum, vt homo, substantia, &c. Supponimus ergò hoc vniuersale dari, quod fit

tiam rei, quo modo non modo proprium, sed etiam substantia potest interdum appellari accidens, quia nimirum aliqua est extra rationem alterius, & proprium non dicit quidditatem rei. *Secundò*, Accidens prout constituit quartum prædicabile, est quod potest adesse & abesse præter subiecti interitum, vel quod potest concipi esse in subiecto, vel abesse à subiecto sine subiecti corruptione, hoc est, sine detrimento essentiæ; immò verò concipi potest subiectum cum opposito illius, vt coruus cum albedine, cygnus cũ nigredine. Est autẽ duplex accidens, Separabile, & Inseparabile, hoc est quod à subiecto tolli potest, vel auferri. Exemplum secundi, vt albedo in cygno.

CAPVT III.

De Prædicamentis.

Species & genera inuicem ordinata sub aliquo supremo genere seriem quandã constituunt, quæ prædicamentum seu Categoria dicitur. Prædicamenta numero sũt omninò decẽ, iuxta varios simplices, reales & cõpleros essendi, vel prædicãdi modos. Dixi simplices: ad excludẽda entia per accidẽs, qualia sunt omnia cõcreta, quę substãtia constant & accidẽte, vt albũ. Realis, ad excludenda entia Rationis, vt genus, species, &c. Cõpletos, ad excludenda entia imperfecta, quæ aut reductiuè, aut ad latus in prædicamẽto solũ ponũtur, quales sunt differentiæ, & principia rerũ, & partes, vt rationale, punctũ, materia seu forma, &c. Comprehenduntur autẽ memoriæ causa hæc decem prædicamenta hoc versu:

Arbor, sex pueros, ardore, refrigerat, vstos
Rure, cras stabo, nec tunicatus ero.

DE SVBSTANTIA.

Substantia alia est prima, alia secunda. Orsus autem sum à diuisione, quoniam supremæ genera cùm nullum supra se genus habeant, ac proinde contrahente etiã differentia careant, propriè per definitionem explicari non possunt, sed vel per diuisionem, vel scriptionem. *Prima substantia* est, quæ nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur. *Secunda*, quæ non est in subiecto, de subiecto tamen dicitur. *Prima* sunt indiuidua omnia substantialia. Ad *Secundam* pertinent omnia genera & species substantiales, vt homo, leo, &c. Describi autem potest, *Substantia* ens per se existens, quod quia primariò conuenit primæ, ideò dicitur substantia propriè & maximè. Vtrique substantiæ communis est hæc proprietas, non esse in subiecto. Præterea nihil illis esse contrarium. *Tertiò*. Non suscipere magis vel minus. *Secunda* proprium est, dici de subiecto. *Prima*, esse susceptiuam contrariorum successiuè. Deniq; significare hoc aliquid, vel substantiam determinatam, quamque vel digito demonstrare possis. In hoc prædicamento ponitur omnis substantia finita, completa, corporea & incorporea, corruptibilis, & incorruptibilis. Finita, ad excludendum Deũ infinitum, qui nullis Categoriæ terminis circumscribitur. Corporea & incorporea, ad comprehendendos Angelos, quicquid Aristoteles rãdem de hac re senserit. Corruptibilis & incorruptibilis, ad comprehẽdendos cælos, quæcunque etiam Aristot. de hac re fuerit sententia. Completa, propter eam quam dixi causam, dum de prædicamentis in genere loquerer.

DE QVANTITATE.

Quantitas alia est Continua, alia discreta. *Continua* est, cuius partes communi termino copulantur, vt linea. *Discreta*, cuius partes diuisæ sunt, & nullo termino connexæ, vt numerus. Rursum Quantitas aut est permanens, aut fluens. *Permanens*, vt linea, corpus. *Fluens*, vt tempus. *Continuæ quantitatis* species sunt, linea, superficies, corpus, & vt quidam volunt, locus, motus, & pondus. Linea est longitudo sine latitudine. Superficies est longitudo & latitudo sine profunditate. Corpus est longitudo, latitudo & profunditas. Locus est superficies ambiens corpus. Tempus est duratio motus. Pondus est mensura grauium & leuium. Motus est res in fieri successiuè. Ex his speciebus linea, superficies, corpus, locus, pondus, sunt quãtitates permanentes, reliquæ fluentes. *Discretæ quantitatis* species sunt, numerus, & vt alijs placet, Oratio. Numerus est collectio plutiũ vnitatũ ex continua diuisione resultantiũ. Oratio est collectio plurium syllabarum, quæ longa aut breui temporis mora mensuratur.

furatur. Ex his numerus est permanens, Oratio fluens. Proprium Quantitatis est, *Primò*, Nihil illi esse contrarium. *Secundò*. Non suscipere magis & minus. *Tertiò*. Vt secundùm eã dicantur res æquales, aut inæquales. *Quartò*. Vt substantiæ tribuat extensionem, in quo videtur propria quantitatis ratio & formalis consistere. *Quintò*. Vt eidem quantitati det esse diuisibile. *Vltimò*. Vt sit mensura.

DE AD ALIQVID,
seu de Relatione.

MElius explicatur Relatio per relatiua, vn te relatiua dicuntur esse, quorum esse est ad aliud. In relatiuis quatuor sunt consideranda: Subiectum, fundamentum, terminus, ordo, vt in similitudine inter duo alba, subiectum erit paries, fundamentum est albedo. Termini sunt duo parietes, ordo est habitudo vnius ad alterum. Diuiditur relatio in realẽ & rationis. Realis est quæ à parte rei reperitur, sine vlla intellectus operatione, qualis est inter patrẽ & filium. Rationis quæ non est nisi accedente aliqua intellectus operatione, qualis est relatio subiecti & prædicati, generis & speciei, &c. Iterum realis alia est secundùm esse, alia secundùm dici. Relatio secundùm *esse* est, quæ planè accidit subiecto, & cuius totum esse est ad aliud, & hæc pertinet ad hoc prædicamentum. Relatio secundum *dici*, quam alij cũ transcendentali confundunt, est, quæ est quodammodo de subiecti essentia, ita vt sine ea perfectè intelligi non possit, & hæc vagatur per omnia prædicamenta. Relatiuorum proprium est: *Primò*. Dici reciprocè seu ad conuertentiã, vt pater est filij pater, filius est patris filius. *Secundò*. Vt sint simul natura, vt pater & filius. *Tertiò*. Vt vnum ponatur in definitione alterius, vt si definias patrem, necessariò definias filium.

DE QVALITATE.

QValitatis à qua formaliter denominamur quales, species sunt quatuor: Habitus & dispositio: Potentia naturalis & impotentia: Passibilis qualitas, & passio: Forma & figura. Habitus est qualitas benè vel malè afficiens subiectum, & difficile ab eodem mobilis, vt scientia: Dispositio hoc differt ab habitu, quod facile à subiecto remoueri possit, vt ægritudo, sanitas, &c. Potentia naturalis est qualitas, qua subiectum facile redditur ad agendum, vel resistendum naturaliter, vt fortitudo naturalis, intellectus, voluntas. Impotentia, qua naturaliter subiectũ difficile operatur, aut facile cedit, vt mollities, qualitas adamãtis, vt sanguine hircino frangi possit. Passibilis qualitas est, quę afficit subiectum modo sensibili & permanenter, quales sunt sensitiuæ qualitates, vt sapores, odores, &c. Passio est qualitas etiam sensum afficiens, sed non permanens, ac per modum transeuntis, vt rubor qui ex verecundia contrahitur. Forma & figura aut idem significant, nempè extrinseca delineamenta rerum, siue naturalium siue artificialium & mathematicarũ, vel certè forma de naturalibus, figura de artificialibus & mathematicis. Proprium est qualitati, *Primò*, Vt illi aliquid sit contrarium, vt calor & frigus. *Secundò* Vt recipiat magis & minus, vt frigus remissum & intensum. *Denique* proprium est qualitati, vt ab ea dicantur res similes vel dissimiles, vt duo alba dicuntur similia.

DE ACTIONE.

ACtio est actus ab agente profectus, à quo tanquã à forma extrinseca dicitur agere, seu quod idem est, denominatur agens; vnde agere non est aliquid recipere in se formaliter loquendo, sed efficere in alio. Actio duplex est. Immanens & transiens. *Immanens* dicitur, ea quæ in eodẽ principio recipitur, vnde fluit, vt intellectio. *Transiens*, quæ in aliud extrinsecum subiectum, vt scriptio. Actionis proprium est, vt illi aliquid sit contrarium, quales sunt calefactio & frigefactio, nimirum quia res quæ fiunt inuicem sunt contrariæ. Item proprium est ob eandem causam actionis, vt suscipiat magis & minus.

DE PASSIONE.

IDem est realiter quod actio, vnde & easdem proprietates habet, formaliter autem est actus in patiente receptus; & potest dici duplex esse, sicut & actio, immanens aut transiens. *Immanens*, cùm actus recipi-

recipitur in principio, vnde fluxit actio. *Transiens*, quando fluit in alio.

DE VBI.

VBi est esse in loco, seu quidā modus locari ad locū. Locus autem, vt diximus, est superficies ambiēs. Differentiæ vbi sunt sursum, deorsum, antè, retrò, dextrum & sinistrum, quæ vulgò positiones dicuntur.

DE QVANDO.

QVando est esse in tempore, seu ordo rei temporariæ ad tempus. Huius differentiæ sunt eædem quæ temporis. Præteritum, præsens, futurum, atque eiusdem species, vt hora, dies, mensis, annus, &c.

DE SITV.

SItus supra Vbi addit ordinem partium locati ad partes loci. Huius differentiæ sunt stare, sedere, cubare, &c.

DE HABERE.

HAbere significat adiacentiam vestium ad vestitum, aut id quod induitur vestibus, vt esse calceatum, armatum, &c. Alio autem modo æquiuocè dicitur Habere de rebus omnium Prædicamentorum, quo modo dicimus habere qualitatem, vel quantitatem, domum, amicos, &c. Atque hæc de Prædicamentis, nam quæ ab Aristotele dicuntur de Antepræ-dicamentis, explicata sunt dum ageremus de Terminis, quæ opportuna huic loco videbantur, vt quid sit Æquiuocum, vel Analogum, &c. Quod autē attinet ad Postprædicamenta, etiam explicata sunt quæ de oppositis ab eodem dicuntur. Quæ verò ibidem de motu dicuntur non sunt necessaria. *Solum ergò notandum est*, Posse aliquid altero prius dici his ferè modis. *Primò*, Tempore, quomodo prior fuit Adam Christo. *Secundo* Ad quod non sequitur subsistendi consequentia, vel posito vno non sequitur poni alterum, quomodo se habent superius & inferius, vt animal & homo. *Tertiò*. Perfectione, vt Substantia prior est Accidente. *Quartò*. Ordine, vt elementa geometrica demonstrationibus. *Vltimò*. Natura, cùm duo quidem simul sunt tempore, vnum tamen est causa alterius, vt rationale & risibile. Simul verò esse dicūtur aut tēpore, aut natura. *Primò*, vt quæ simul orta sunt. *Secundò*, & relatiua, quia simul sunt natura. *Deniq;* simul sunt, quæ ex æquo diuidūt gen⁹, vt rationale & brutum.

Prius quot modis dicatur.

Simul esse quæ dicantur.

CAPVT IV.

De Diuisione.

EX Terminis simplicibus componuntur vt diximus, sciendi instrumenta, ex quibus primum locū tenet diuisio, tum quia ad primam operationem Intellectus pertinet, tum quia inuestigandæ definitioni seruit, nec verum est quod quidam dicunt spectare ad secundam operationem Intellectus, quod affirmando aut negando in diuisione progrediamur; nam siue affirmatiuè aut negatiuè simplici Intellectus operatione totum aliquod partiri possumus. De diuisione Aristoteles nullibi ex professo differit, sed sparsim tantum & obiter, sicut & de definitione. Cuius causam Albertus reddit initio prædicabilium; quod facilia essent quæ de illis tradenda videntur. Alij verò, quod diuisionis autor putetur esse Plato, qui sæpè de ea docet, & eadem vtitur præsertim in Sophista, in Phædro, Ciuili & alijs Dialogis. Vnde Alexand. Aphrod. 1. Prior. sept. 2. ca. 1. Platonem refert ita Diuisionem magnificasse, vt solam Dialecticæ & Philosophiæ triumphum appellarit, & vt alij referunt, propterea a Prometheo mortalibus data dicitur, simul cum splendidissimo igne. Quod sicut ignis separat quæ eiusdem generis ab ijs quę diuersi, sic & diuisio. Tamen ex Arist. colligi de Diuisione præcepta possunt ex 1. Pr. c. 32. 2. Post. c. 5. 1. de part. animaliū c. 2. & 3. & 4. & Top. 6. Ipse verò & Philosophos reprehēdit, quod Diuisione aptè nō vterentur, in 1. Phyl. passim & Diuisione inter definiendū vtitur 2. de anima, in 1. & 3 Phys. agens de motu. De definitione autem ideò forrassis non egit ex professo, quod ea Socratis inuentum fuerit, vt testatur Aristoteles 5. de hist. animalium cap. 1. 1. Met. cap. 6. & lib. 13. ca. 4. & alijs locis; nolebat autem Aristoteles actum quod dicitur agere. Vnde 2. Elench. cap. vlt. Syllogismi se inuentorem prædicat, de quo multis & ex professo differuit, quoniā de eo nulla vel pauca ab alijs tradita reperisset. Quamuis Laert. testis est scripsisse Aristotelem librum de definien-

do & diuidendo, qui tamen ad nos non peruenit. De diuisione legite Boet. lib. de diuisionibus, & interpretes Aristotelis 1. Prior sept. 2 cap. 3. De qua aliqua fusius hoc loco dicentur, quoniam alia nulla de ea disputandi sese alibi offeret occasio. De definitione autem agemus cum Aristotele in lib. de Demonstratione. *Supponendum est* Orationem, quæ genus est, ad diuisionē & reliqua instrumenta esse quid compositum ex terminis simplicibus, vel quod idem est, esse signum ad placitū, cuius partes per se aliquid significant. *Notandum est primò*, Diuisionem esse sciendi instrumentum colligi ex Aristotele 2. Post. cap. 5. Ex Porphyrio in procem. prædicabilium. Ex D. Augustin. lib. 2 de ordine. Ex Cic. lib. 1 de fin. Ex Boetio in Top. Ciceronis; nam quod Aristoteles 7. Met. text. 48 sola enumeret sciendi instrumenta, Demonstrationem & Definitionem, & 1. Prior cap. 22. in Diuisionem inuehi videatur, nō facit, quo minus ex illius sententia sit diuisio instrumentum sciendi, siquidem 7 Met. perfectissima sciendi numerat instrumenta, nullum tamen excludendo. Lib. autem 1. Prior. eos reprehendit, qui ad medij inuentionem, diuisionē ineptè adhibebant. *Notandum secundò*. Diuisionis munus esse partes in toto confusè contentas, & veluti latentes, in medium proferre atque distinguere, vt rei natura sic magis elucescat, sicuti fracta nuce nucleus. Est ergo Diuisio Oratio, qua quæ in toto continentur, distinguuntur ac separantur. *Notandum tertiò*. Sicuti partium componentium & totius variæ sunt rationes & modi, sic etiam & diuisionis. *Duplex autem in genere* potissimum diuisio est, Vocis & Rei. De priore videndus est Aristoteles 1 Top. cap. 13. & præter ea quæ dicta sunt de Termino Analogo & Æquiuoco, & suo etiam loco fusius dicentur, nihil præterea dicendum video. *Diuisio rei* adhuc potest esse duplex. Aut enim est partium quæ in toto velut per se continentur, aut partium & rerum quæ extrinsecus toti cuidam conueniunt. *Diuisio totius in partes per se contentas*, est quadruplex, Physica, Integralis seu Quantitatiua, Metaphysica, & Logica seu Vniuersalis. *Physica*, est diuisio in partes naturæ rei reales & physicas, vt cùm diuiditur homo in corpus & animam, corpus in materiam & formam. *Integralis*, cùm secatur res in partes integrantes, quantitatiuas, vt cùm secatur homo in caput, brachia, &c. *Metaphysica* est in partes metaphysicas & essentiales, vt si diuidatur homo in animal & rationale, seu in gradum genericum & differentiam propriam. *Logica* est diuisio totius vniuersalis & superioris in sua singularia, vt si diuidatur homo in Petrum, Paulum, &c. Ad hanc diuisionem reuocatur ea, qua genus per differentias diuiditur, & transcendentes in sua inferiora, & analogi in analogata. Denique omnis diuisio superioris in sua inferiora. *Adducunt* alij diuisionem causæ in suos effectus, qualis est ea quæ est 2. de anima: Anima est, qua viuimus, sentimus, & intelligimus. & diuisionem effectus in causas; vt si diceremus, Accidentia quædam ex semine, quædam ex putrida materia, quædam vtroque modo procreantur. *Diuisio partium extrinsecarum*, seu accidentalium est, vel subiecti in accidentia, vel accidentis in subiecta, vel accidentis in accidentia. Exemplum *primæ diuisionis*, vt hominum alius doctus, alius ignarus. *Secundæ*, Albi aliud paries, aliud cygnus, &c. *Tertiæ*, Rubri aliud amarum, aliud dulce. Objicies: In hac diuisione colorati aliud est album, aliud nigrum, partes sunt per se contentæ sub toto, & tamen est diuisio accidentis in accidentia. Respondeo, Non esse diuisionem accidentis in accidentia, nisi quatenus omnia sunt accidentia, sed est diuisio Logica totius seu vniuersalis in suas species. Obseruandum autem est circa istas diuisiones, in sola diuisione Logica posse totum de quauis parte prædicari, vt Petrus est homo. nō verò dicimus animam est homo, vel corpus est homo, &c. nec homo est genus, siue species est genus; nec homo est pes, vel caput.

Notandum quartò. Bonæ & legitimæ diuisionis has esse leges & regulas. *Prima est*. Vt in quàm paucissima membra fiat diuisio. Sic Aristot. 1. de part. animalium cap.

Oratio quid.

Diuisio quid.

Diuisio duplex.

Leges bonæ diuisionis.

cap. 3. & Boët. lib. de diuisionibus. Fit enim Diuisio intelligentiæ & memoriæ causa, non tamen displicet Auerrois consilium, qui primi Coll. cap. 1. monet, vitãdum esse pluribus diuisionibus propter debilitatem, vt ipse loquitur, discentiũ Scholarium. In eadem sententia, quod nimirum per paucissima membra fieri debeat diuisio, fuit Plato teste Simplicio cap. de qual. is enim diuisionem omnem à binario proficisci volebat. *Secunda est* Diuisio debet fieri in membra opposita & ratione saltem distincta, vt testantur Aristoteles & Boët. in ijsdem locis; quod ita esse patet Inductione in quatuor primis diuisionib⁹, in quibus nec vna pars de altera, nec omnes de toto dicuntur. Quod verò attinet ad diuisiones accidentales, cùm assignatur diuisio subiecti in accidentia, ita vt per eam indicentur esse subiecta distincta, debet esse inter membra diuisionis distinctio realis, vnde non placet Aristoteli & Boet. hæc diuisio, animalium aliud est sentiens, aliud rationale, aliud album; quoniam vtrumq; membrum eidem subiecto conuenire potest. Cùm enim affertur diuisio ad significanda distincta prædicata formalia, sufficit, vt vnum ex membris non sit formaliter aliud, etiamsi omnia eidem realiter conueniant, vt boni aliud honestum, aliud vtile, aliud delectabile. Et apud Cic. 1. Tusc. quæst. 4. qui ad ludos venerunt, alij spe victoriæ, alij quæstus faciendi cupiditate, alij visendi studio ducuntur. Quibus in diuisionibus & membra per se formaliter distinguuntur, & plura tamen eidem conuenire possunt. *Tertia est*. Vt vnum membrum sub alio non cõtineatur. Quoniam mala esset hæc diuisio: Animalium aliud sentit, aliud est rationale. *Quarta*. Vt vnum membrum diuisionis non conuertatur cum diuiso, sicut mala est hæc diuisio: Hominum alius est rationalis, alius est grãmaticus. *Quinta*: Diuisio debet fieri in quàmproxima membra; hæc traditur ab Aristotele 2. Post. cap. 5. & 14. & à Boëtio supra. Sicut malè diuideret, qui corporis diceret aliud esse hominem, aliud leonem. Vbi autem totius membra plurima & penè infinita sunt, iuuerit positiuum terminum accipere cum illius cõtradictorio, vt hominum alius est Petrus, alius non est Petrus; quod idem obseruandum erit, vbi nos positiuæ differentiæ latebunt, vt substantia alia est corporea, alia incorporea. Alioquin diuisio per contradictorium damnatur ab Aristot. 6. Top. cap. 3. 1. de part. animalium cap. 3. & à Boët. loco citato. Et hæ quidem leges si obseruentur, dicetur diuisio bona, sin minus, mala, non autem vera aut falsa. Ex quo etiã colligitur, quod initio diximus, non pertinere diuisionem ad secundam operationem Intellectus.

Octo modi argumentandi per diuisionẽ.

Notandum quintò, de modis argumentandi per Diuisionem: Proprium locum in Topic. esse, tamen hæc pauca breuiter accipi possũt. *Prima regula*, seu *primò*. A diuiso affirmato licet argumentari ad membrum aliquod sub disiunctione, ad nullum verò determinatè, vt est animal, ergo est homo, vel brutum; non autem ergo est homo, vel ergo est brutum. *Secundò*. A membro aliquo negato non licet argumentari ad negationem diuisi seu totius, vt non est homo, ergo non est animal. *Tertiò*. Ab affirmatione membri licet argumentari ad affirmationem totius; vt est homo, ergo est animal. *Quartò*. A negatione diuisi licet argumentari ad negationem omniũ membrorum; vt non est animal, ergo nec homo, nec brutum. *Quintò*. Ab affirmatione omnium membrorum licet argumentari ad affirmationem totius; vt est honestum, vtile, delectabile, ergo est bonum. *Sextò*. A negatione omnium membrorum licet argumentari ad negationem totius; vt nõ est par nec impar, ergo non est numerus. *Septimò* Si affirmetur totum & negetur aliquod membrum, potest affirmari aliud, si sint tantum duo, vel aliquod aliud proportionaliter, si plura fuerint membra; vt est animal & non est homo, ergo est brutũ: vel est bonum, & non est honestum, nec vtile, ergo delectabile; vel est bonum, & non est delectabile, ergo vel vtile, vel honestum. *Vltimò*. Ab affirmato membro vno, valet ad negationem oppositi, vt est homo, ergo non est brutum. Oppositi inquam, ad modũ supra explicatum, id est,

Qua ra- tio tan- tum def- niantur.

supremum illius genus, & diuiditur in sua membra & species vsq; ad eam speciem, quæ definienda proponitur, vt si definiendus sit homo, sumenda erit substãtia, quæ si diuidatur; hoc modo cõstruetur definitio: Substantia alia est corporea alia incorporea. Corporea alia est viuens, alia non viuens. Viuens alia est sentiens, alia sensus expers. Sentiens alia rationalis, alia ratione carens. Ex his omnibus diuisionibus si seligantur quæ homini conueniunt, reiectis ijs quæ eidem non competunt, consurget hominis definitio, hoc modo: Homo est substantia non incorporea, ergo corporea. Rursum, Est corpus & non vita carens, ergo viuens. Est viuens & non sensus expers, ergo sentiens. Est sentiens, & non ratione carens, ergo rationalis: Igitur homo est substantia corporea viuens, sentiens & rationalis; qui modus vocatur diuisionis, quod à supremo vt diximus genere ad rem quæ definienda est per diuisionem descendimus. & hic definiendi modus tunc maximè obseruari debet, cùm ignoramus proximum rei genus & differentiam, alioqui quo definitio breuior sit, à proximo genere incipienda est, addita generi differentia. Vel etiam hoc modo vtimur, cùm rem per suas omnes causas & media nosse volumus, quod etiam traditur ab Aristotele 1. Post. text. 35. & deinceps. *Secundus modus*, qui vocari potest cõpositionis, hac ratione fit. Sit definiendus homo, accipiantur quæ sub homine sunt singularia, Petrus, Paulus, &c. & inspiciatur propter quid Petrus, Paulus & cætera indiuidua sint homines, & quibus in rebus illis cum alijs indiuiduis aliarum specierum animalis, tũc id per quod sint homines, & id in quo conueniant cum alijs indiuiduis aliarum specierum, constituet hominis definitionem. nam verbi gratia, comperiemus Petrum & Paulum, &c. esse homines, quia rationales, cum alijs indiuiduis aliorum animaliũ conuenire quod sentiant, quod sint substãtia, quod sint corpora, &c. sicq; hominẽ definiemus substantiã sentientẽ, viuentem, & rationalem. Ex his duobus modis prior quidẽ accuratior est & certior, ideoque Aristoteli magis familiaris, vt patet ex definitione animæ in lib. 2. & ex definitione motus in 3. Physic. Posterior, qui compositionis dicitur, quod ab inferioribus, ad superiora ascendentes, rem magis ac magis veluti componamus, nobis notior est, & à Socrate apud Platonem identidem vsurpatur.

Leges bonæ Definitionis.

Duplex modus inueniendæ Definitionis.

Notandum vltimò. Argumenta quæ à definitione petantur pauca & facilia esse, nam ab affirmatione definitionis valet ad affirmationem definiti, & vice versa ab affirmatione definiti, ad affirmationem definitionis, vt est animal rationale, ergo est homo, & contra. Sic etiam à negatione vnius valet ad negationem alterius. Reliqua quæ de Definitione tradi possunt, in libros de Demõstratione reijcienda sunt.

TERTIA PARS.

De his quæ spectant ad secundam operationem Intellectus.

Secunda operatio Intellectus est, in qua aliquid iudicando de aliquo aut affirmatur aut negatur; quod fit per propositionem. De qua antequam dicamus, agendũ erit de Terminis ex quibus conficitur, qui alterius sint rationis ab his de quibus hactenus egimus. Supponendum autem est, propositionem esse Orationem, in qua verum aut falsum significatur. Oratio est genus; quid verò illa sit, patet ex dictis præsertim, de Termino complexo, à quo parum aut nihil differt. Verum & falsum, prout significatur in Definitione, tenet locum differentiæ. *Est autem verum*, aliud transcẽdentale, hoc est, rebus omnibus conueniens, quod consistit in conformitate rei ad suas causas & principia, siue ad Ideas diuinas, & de hoc non loquimur. *Aliud verum* est in cognitione & indiuiduo, cùm videlicet, vt testatur Aristoteles in Antepræedicamentis & 4. Met. text. 27. Ita res intelligitur & tale de re iudicium fertur, prout se habet à parte rei, vt propositio hæc est vera, homo est animal, quia à parte rei ita est. vnde *solet definiri conformitas Intellectus ad rem intellectam.* Porrò vt propositio significet verũ aut falsum, debet in ea accipi modus verbi indicatiuus, nam cæteri nihil veritatis aut falsitatis continent, sed quasdam tantum animi affectiones exprimũt.

Propositio quid?

Verum duplex.

Quid verum?

significet inesse prædicatum rei, ratione cuius se habet vt copula, & terminus Syncategorematicus. Cùm ergo dicimus, & est eorū quæ de altero dicuntur nota, hoc secundum in definitione significari volumus. Et vocatur etiam forma propositionis. Quia verò potest ratio & mens nostra, a verbo præscindere rationem Copulæ a ratione rei significatæ, hinc est quod aliquando verbum dicatur absolui a tempore. Verbi gratia, homo est animal, hæc enim propositio vocari solet sempiternæ veritatis, quoniam Verbum, est, abstrahit in hac propositione ab omni tempore, & tantum significat copulam & nexum, quo prædicatum animal coniungitur cum subiecto homo, nec habet suam propriam significationem realem, vt videlicet sumatur pro existentia. Vnde siue homines sint in rerum natura, siue nullus, hæc propositio adhuc erit vera, & antequam vllus homo esset, adhuc dicebatur esse vera, & proptereà dicitur esse sempiternæ veritatis. Et ex his patet tertia pars propositionis quam diximus esse copulam.

CAPVT II.

De affectionibus Terminorum.

QVemadmodū in præcedente parte Cōpendij huius nostri, de simplicib. terminis atque eorundem affectionibus diximus, antequam de instrumentis quæ ex his componuntur ageremus: Sic etiam hoc loco faciendum est, vt postquam quid sint propositionis termini, ex quibus ipsa cōponitur, vidimus, de eorundem affectionibus aliquid dicamus. Sunt autem Terminorum propositionis affectiones; Suppositio, Status, Ampliatio, Restrictio, Diminutio, Appellatio, & Alienatio.

DE SVPPOSITIONE.

Suppositio quid & quotuplex:

S*uppositio est usus* vocis pro eo quod significat. *Et est in genere duplex.* Materialis & Formalis. *Materialis est*, cum sumitur vox pro seipsa, cum etiam vocibus vtamur, ipsæ etiam sibi ipsis mutuo seruiunt, vt melius earum vis & significatio intelligatur. Verbi gratia, vt homo est vox. *Et hæc materialis iterum duplex est.* Intrinseca & Extrinseca. *Illa est*, cum vox exprimitur, & sumitur pro se, vt naturaliter per aliam vocem significatur, vt in dicto exemplo, homo est vox. *Ista vero est*, cùm sumitur vox pro seipsa, vt significatur per vocem aliam non naturaliter, sed ob aliquid, quod per mentis operationem voci aduenit, vt: homo est subiectum, species, &c. *Formalis est*, cùm sumitur vox seu terminus pro re significata, & non pro se. Cùm enim, vt inquit Aristoteles 1. Elench. cap. 1. Res ad scholas adducere non possumus, vocibus vtimur inter explicandas res pro rebus ipsis. *Secundò.* Omissa materiali, formalis est duplex. Impropria & Propria. *Impropria* cùm significatur res metaphoricè & figuratè, vt: vicit leo de tribu Iuda. *Propria*, cùm supponitur vox pro re, cui primario & per se significandæ imposita est, vt: leo est fortissimus. *Tertiò. Formalis propria*, omissa impropria, quæ ad Grāmaticos & Rhetores pertinet, *est duplex*, Simplex & Personalis. *Simplex*, cùm sumitur pro suo tantum immediato significato, vt homo est species; nec enim homo potest pro suis inferioribus supponere: Alioquin diceremus, Petrus est species, &c. quod falsum est. *Personalis*, cùm vox supponitur pro quocunque significato, & contento sub immediato, vt: homo est animal, nam dicitur & de Petro, & de Paulo, &c. immediatè & propriè tantum. *Additur ad hanc Diuisionem* Suppositio absoluta, cùm nomē supponit pro immediato significato & mediatis simul, vt homo est animal. hic enim homo supponit pro natura communi, & pro hoc & illo homine & reliquis indiuiduis. *Notandum autem*, quod simplex, personalis & absoluta suppositio habent se vt extremū & medium. Simplex enim & personalis opponuntur, quia simplex pro immediato tantum significato, Personalis pro mediato tantum, Absoluta pro vtroque supponitur. *Quartò.* Suppositio alia est naturalis, alia accidentalis. *Naturalis est*, cùm vox sumitur pro omnibus suis significatis, vt homo est animal. Supponit enim homo pro hominibus singularibus, qui sunt, fuerunt, vel erunt, aut esse possunt. *Accidentalis*, cùm vox supponit pro aliquibus tantum, vt: omnis homo hac hora occupat locum, vel omnes homines qui hac hora

actu

actu sunt. *Quintò.* Alia est confusa, alia distributiua, alia determinata. Alia est copulata: Ad intelligentiam horum sciendum est, quid sit Descensus, quoniam hæ suppositiones per illum explicantur: *Est ergo Descensus explicatio termini* pro suis significatis, pro quibus actu sumitur. *Est autem quadruplex.* Copulatiuus, Copulatus, Disiunctiuus, & Disiunctus. *Copulatiuus est*, cùm particula, (&) connectit propositiones, seu propositionum significata quæ sub toto aliquo continentur. Hæc propositio, omnis homo est animal, per descensum copulatiuum sic explicabitur, hic homo est animal, & ille homo est animal, &c. *Copulatus* fit etiam per particulam (&) non copulatiuè, sed copulatim sumptam & connectentem, nō propositiones, sed partes propositionis. vt ista propositio: Duodecim sunt Apostoli, ita explicabitur: Petrus est Apostol⁹, Andreas est Apostolus, &c. vbi particula, &, non connectit propositiones integras contentas sub præcedente, quæ explicatur, sed illius terminum. *Disiunctiuus*, fit per particulam (vel) quæ nectit propositiones integras, vt homo est doctus, ita explicatur, hic homo est doctus, vel hic homo est doctus, vel ille, &c. *Disiunctus*, fit eodem modo per particulam (vel) nectētem tātum partem propositionis, vt ad videndum necessarius est oculus sic explicatur: Ad videndum necessarius est vel hic oculus, vel ille oculus, vel dexter, vel sinister. Falsum enim esset dicere, ad videndum necessarius est hic oculus, nam per alterum videre possumus. *His positis, Confusa Suppositio*, fit per descensum disiunctum, Determinata per disiunctiuum, Distributiua per copulatiuū, Copulata per copulatum. *Sextò. Distributiua alia dicitur esse* pro singulis generum, *alia* pro generibus singulorum, vbi per genera intelligimus species, per singularia indiuidua. *Posterior verò est*, cùm supponit vox pro omnibus speciebus immediatè, vt omne animal definitum à Physico, est vniuersale, id est, hoc animal vniuersale, & hoc animal vniuersale sunt. *Prior est*, cùm sumitur pro omnibus indiuiduis, vt: omne animal moritur, id est hoc particulare, & illud particulare, & sic de cæteris. *Vltimò. Distributiua Suppositio alia dicitur esse* simpliciter distributiua, & est quæ sumitur pro suis significatis sine vlla exceptione, vt: omnis homo est animal, & cum exceptione; cùm nimirum aliqua exceptio subintelligitur, quæ etiam propterea vocatur accommodata, vt: omne animal fuit in arca Noë, intelligitur enim excipiendo Aquatilia, & quæ ex putrefactione fiunt.

Descensus quid? & quotuplex.

DE STATV.

Reliqua quæ sequuntur, sunt veluti quędam accidentia suppositionis, de quibus vidēdus est Aristoteles 1. Elench. cap. 3. *Status*, est acceptio termini pro omnibus significatis, quæ secundùm exigentiam temporis sunt. *Vnde est triplex*, sicut & tempus, præteritus, præsens, & futurus, vt homo ambulat, homo ambulauit, homo ambulabit. Aduertendum verò, tunc terminum habere statum, cùm nec ampliatur, nec restringitur; nec alienatur, nec diminuitur, quod melius ex singularum harum affectione, significatione & explicatione patebit. Item cùm terminus est de præsenti, & non absoluitur à tempore, dicitur esse status.

Status quid? & quotuplex?

DE AMPLIATIONE.

Ampliatio est extensio termini ad plures differentias termini, quā importetur per copulam principalem, vt diligens fiet doctus, id est, non modo qui est, sed etiam qui erit. *Duplex est Ampliatio.* Prima Temporum. Secunda Suppositorum. Exemplum primæ, vt Ioannes fuit bonus; qui est, vel fuit. Conuenit autem tantum singularibus. Secunda est temporum & suppositorum, & conuenit communibus. Additur & tertia Ampliatio, quæ vocatur Temporum & Formarum, & reperitur in Connotatiuis terminis, vt dulce fuit amarum, hoc est, id quod est dulce, vel fuit. *Rursus Ampliatio* Temporum est quintuplex. Sicut & quinque à Logicis inducuntur rationes temporis, Præteritum, Præsens, Futurum, Possibile & Imaginabile; vnde prima erit ampliatio ratione temporis præteriti, secūda, ratione futuri, &c.

Ampliatio quid?

DE RESTRICTIONE.

Restrictio est terminus per quem amplior

rei

rei significatio magis ac magis restringitur: vt cùm ei quod ex se aliquid indeterminatè significat, apponit aliquid aliud, per quod iam non in indeterminata significatione, sed in restricta & magis limitata accipiatur, vt: homo iustus. ibi enim homo, qui ex se pro multis indeterminatè sumebatur, per hoc prædicatum, iustus restringitur, vt pro determinato homine accipiatur nimirum pro iusto. Vnde est coarctatio ab ampliori ad minorem Suppositionem. *Fit autem Restrictio his modis. Primò.* Addito nomine substãtiuo vt Deus pater, vbi pater restringit terminum præcedentem, & ponitur in recto. *Secundò.* Addito substantiuo in obliquo, vt: homines deuoti B. Virgini facilè saluabũtur, vbi B. Virg. restringit præcedentem terminum, sic etiã equus hominis currit. *Tertiò.* Addito adiectiuo, vt vir sapiens amat scientiam. vbi sapiens restringit præcedentem terminũ. *Obseruandum est autem*, cùm terminus restrictus sit inferior respectu termini ampli, vt ex vno in alium argumẽtemur, obseruandas esse leges argumentandi à superiori ad inferiora & contrà, nam ab amplo ad restrictum non valet; sed à restricto ad amplum, vt: homo potest disputare, ergo disputat non valet, sed disputat, ergo potest disputare, benè sequitur.

DE ALIENATIONE.

Alienatio est distractio à propria ad impropriã suppositionẽ, vt homo est pictus: duo leones sunt in bello, intelligendo homines duos fortes. *Fit autem secundò*, cùm terminus ad aliam differentiam temporis distrahitur, quam quæ per copulam principalem significabatur, vt homo qui fuit doctus, currit, vbi doctus distrahitur ad eum qui fuit, cùm tamen principalis copula currit, sit de præsenti. Eodem modo homo est mortuus, siquidem illud mortuus sumatur participialiter, vt sit sensus, homo qui fuit obijt. hîc enim cùm copula est, sit de præsenti, fit tamen distractio ad præteritũ. Quod si sumatur mortuus, vt nomen est, sic erit alienatio primo modo, similis illi homo est pictus. *Tertiò fit Alienatio* per copulam de præsenti, cum termini sunt repugnantes, vt: cæci vident, claudi ambulant, id est, qui fuerant cæci vident; cùm tamen copula sit de præsenti: Quia tamen modus magis verus est, ratione subiectæ materiæ, quam simpliciter. Vnde in hoc sicut etiam & in alijs, consulendæ sunt aures, & habenda ratio communis modi loquendi.

DE DIMINVTIONE.

Diminutio est, cùm particula aliqua integram & absolutam Termini suppositionem diminuit; vt: homo est albus secundùm dentes. vbi illud secundùm dentes diminuit absolutam significationem albi. & propterea *à diminuto ad absolutũ*, nõ licet argumentari, quæ appellatur fallacia à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter, vt: homo est albus secundùm dentes, ergo est albus; non sequitur.

DE APPELLATIONE.

Lege Aristotelem 2. Periherm. cap. 1. & 2. Elench. cap. 4. *Est autem Appellatio applicatio* significati formalis vnius termini, ad immediatum significatum alterius. Vnde reperiri tantum potest in his terminis, quorum vnus se habet ad alterũ vt denominans & denominatum. Itaque terminus appellans semper est connotatiuus, vt homo est albus, albus dicitur appellare super hominem. Potest tamen terminus appellatus esse etiam connotatiuus, absolutus & substantiuus. Absolutus & substantiuus, vt homo albus. Connotatiuus, vt album, coloratum. Tunc tamen terminus appellatus respectu appellantis se habet per modum absoluti termini & substantiui, quia nimirum appellantem veluti sustentat. *Duplex est Appellatio. Realis & Rationis*; seu primæ & secundæ intentionis, prout nimirum termini appellantes sunt primæ vel secundæ intentionis, vel significant aliquid reale vel rationis. *Porrò Appellatio fit. Primò*, Cùm ponitur terminus ex parte eiusdem extremi cum alio termino, tunc enim fit applicatio super significatum formale alterius termini, vt: Petrus est Logicus magnus. hîc magnus applicatur super Logicum, & ideircò applicat significatum suum nempè magnitudinem super Logicum, non autem super Petrum, cui non additur, aut applica-

Appellatio quid?

Quot modis Appellatio?

tur. *Sextò* Si non fiat applicatio super terminum qui est alterum extremum propositionis, nempè ad prædicatum, tunc applicatio fit super materiale, vt hic Logic° est magnus, vbi magnus appellat super materiale, id est, super suppositum. Si tamen formale significatum vnius sit de intrinseca ratione alterius, tunc appellatio fiet super formale, vt: album est coloratum, quia coloratum est de ratione albi. *Tertiò*, Cùm terminus in abstracto subijcitur prædicato, terminus albus qui additur, applicat super formale significatum; vt albedo intenditur, id est, albedo quatenus albedo est, seu quatenus forma quædam accidentalis, & hoc ex eo nascitur, quia terminus abstractus ex modo suæ significationis habet quod significet formam, & pro formali sumatur. *Quartò* Numeri primitiui additi termino substantiuo multiplicant formas & supposita, vt tres homines, id est, tres naturæ, & tria indiuidua, quomodo si diceremus, tres dij, significaremus tres naturas distinctas & tria distincta supposita. *Quintò* Numeri primitiui additi terminis adiectiuis, multiplicant tantum supposita, vt tres albi, id est, tres habētes albedinē, siue in singulis singulæ sint albedines distinctæ, siue vna tantum. Qua etiam ratione in diuinis dici possunt tres sapientes, tres boni, &c. hoc est, tres personæ habentes eandem sapientiam & bonitatem. *Addunt alij*, cùm terminus significat interiores actus animæ nostræ, appellare super formale significatum, vt video currentem, id est, quatenus currens est, quæ tamen regula interdum fallit, vt amo regem, nō significat in quantum rex est, sed hominem illum qui rex est. *Addunt etiam alij*, appellare terminum super formale significatum, cùm significatum terminum appellantis tribui tantum potest immediato significato termini appellati, vt homo est species, sed hoc iam pertinet ad suppositionem.

DE QVIBVSDAM ALIIS *affectionibus.*

SVpersunt nonnullæ aliæ affectiones, quæ magis iam ad propositionem accedere videntur, magisq; eam ingredi. *Sunt* autem, *materia extrinseca*, quātitas & qualitas. *Materia extrinseca*, quia extrinseca est, à nobis ponitur inter affectiones. *Estque triplex*. Necessaria, Contingens & Remota. *Remota*, est inter terminos disparatos, vt inter hominem & equum. *Contingens*, quæ dicit posse esse & non esse, & alio nomine possibilis vocatur, sumpta possibilis significatione propriè & in rigore. alioqui enim possibile se habet, vt superius quid ad necessarium & contingens. vt homo albus. *Necessaria est*, cùm prædicatum per se & necessariò inest subiecto, vt homo est animal; ad quam materiam, quoniam oppositorum eadem est ratio, reuocari potest ea in qua prædicatum quod per se rei conuenit, de re negetur, vt: homo non est animal. *Quantitas est*, cùm propositio dicitur vniuersalis, aut particularis, siue singularis, vel indefinita. *Vniuersalis*, quæ habet notam vniuersalitatis; vt omnis homo est animal, vel nullus homo est animal. *Singularis*, cuius subiectum est singulare; vt Petrus est homo. *Particularis*, quę habet notam particularitatis, vt quidam homo. *Indefinita* denique, quæ caret signo, vt homo currit, homo est animal. Et quidem si propositio sit in materia necessaria, æquiualebit propositioni vniuersali, vt homo est animal, id est, omnis homo. Si autem sit de contingenti, æquiualebit particulari, vt homo currit, id est, quidam homo. *Qualitas est duplex*. Affirmatio vel negatio, veritas vel falsitas. *Affirmatio est*, cùm verbum principale in propositione affirmatur, vt homo est animal. Vnde hæc propositio, hominem non esse animal, est impossibile, etiam affirmatiua est, quamuis in ea sit negatio, quoniam verbum principale est affirmatum. *Negatiua est*, cùm adhibetur negatio, aut cùm præponitur signum negatiuum subiecto, vt nullus homo est animal, ex terminis enim & signis quantitatiuis, quidam infert & significat qualitatem affirmatiuam, vt omnis, quidam. Alius verò negatiuam, vt nullus, & quidam non. Quid autem sit propositio vera vel falsa, patet ex definitione propositionis.

CAPVT

Diuisio propositionis.

CAPVT III.

Quotuplex sit Propositio?

I. PRopositio ex parte quantitatis alia est vniuersalis, alia particularis, alia indefinita.
II. *Secundò* ex parte qualitatis, alia est affirmatiua, alia negatiua.
III. *Tertiò*. Ex parte eiusdem qualitatis alia est vera, alia falsa.
IV. *Quartò*. Ex parte significati alia dicitur æquiuoca & propositio pluris, alia vniuoca seu vna. Illa plura significat, hæc autem vnum quid.
V. *Quintò*. Omissa æquiuoca, *vniuoca alia* est de inesse; cùm nimirum simpliciter dicitur aliquid rei inesse aut non inesse; vt homo est albus, animal, &c. *Alia est de modo*, seu modalis, quando exprimitur modus quo res insit, vel non insit, vt homo necessariò est animal.
VI. *Sextò*. Alia est simplex & categorica, cùm vnum de vno prædicatur; quãuis Arist. Categoricã interdũ vsurpet pro ea, quæ est tantũ affirmatiua, vt 1. Post. t. 40. & 41. in initio. *Alia dicitur* cõiunctione vna, seu hypothetica, in qua multa de aliquo prædicãtur, vel plures propositiones in vnã coniungũtur, quæ dicitur Hypothetica.
VII. *Septimò*. Ex parte terminorũ, alia dicitur esse de secũdo adiacẽte, alia de tertio. *Prior est*, cũ ad subiectum additur solũ verbum substãtiuum, vt homo est. *Posterior est*, cũ tria ista distinctè ponuntur, subiectum, prædicatum, & copula, vel cùm ad subiectum apponitur verbum adiectiuum, vt homo est animal, vel homo legit, vel homo scribit. Illam vocat Auerr. propositionem de binario seu binariam. Ammon. de prædicato. Istam Auerr. de ternario, seu ternariam. Ammon. propositionẽ à prædicato. Obijcies. Adiacere dicit respectum ad aliud, ergo propositio de secundo adiacente erit, quæ secundo adiacet. Quare primum aliquid dari dicitur, quod adiaceat, & aliud, respectu cuius fieri dicatur adiacentia. Ergo tria necessariò erunt in propositione de secundo adiacente, quod tamen negamus. Respondeo. *Primò* Hunc esse loquendi modum, qui satis est, vt vsurpetur, prout vulgo intelligitur. *Secundò*. Adiacere hoc loco idem significat, quod iacere & poni in propositione, & propterea dicetur
VIII. propositio de secundo adiacente, in qua duo veluti iacent & ponuntur. *Octauò*. Alia est directa, alia indirecta. *Directa*, quæ & naturalis dicitur est, cùm inter prædicatum & subiectum naturalis ordo prædicationis & subiectionis seruatur, vt id nimirum prædicetur quod prædicari; subijciatur, quod subijci debet. Debet autem prædicatio naturalis esse superioris de inferiore, accidentis de subiecto, causæ de effectu, denique omnis eius quod se habet per modum formæ & constitutiui, de eo quod informatur & constituitur, vt homo est animal, homo est albus, risibile est rationale. *Indirecta*, cùm hic ordo non seruatur, vt animal est homo, album est homo, rationale est risibile. *Vbi obseruandum*, quod quamuis in materia necessaria, propositio directa, indefinita, æquiualeat vniuersali vt dictum est, non tamen indirecta, vt homo est animal, æquiualet isti omnis homo est animal, non tamen animal est homo, illi propositioni, omne animal est homo, sed quoddam animal est homo. IX.
Nonò. Ex parte materiæ diuiditur propositio in necessariã, cõtingentem & remotã, quæ quid significent, patet ex dictis. *Addunt alij* propositionem finitam & infinitã, sed quoniã infinita inutilis est, sicut & de nomine & verbo infinitis diximus, ideò mittatur hæc diuisio. Atq; ex dictis explicatæ manet omnes ferè species proppositionis. Peculiarem verò difficultatem habent propositiones de inesse, modalis, & hypothetica, de quib⁹ seorsim dicendũ est.

CAPVT IV.

De propositione de Inesse.

HOc solùm in propositione de Inesse considerandum est, quod vna ad aliã, & plures inter se certam quandam habitudinem habent. Sicut enim de terminis dicebamus, alios esse pertinentes, alios impertinentes, ita ex propositionibus quędam dicuntur impertinentes, quædã pertinentes. *Impertinentes sunt*, quæ nec inuicem repugnant, nec inuicem se inferunt. *Pertinentes*, in quibus vtrumque reperitur, & proptereà dicuntur pertinentes sequela & repugnantia. *Pertinentes sequela*, aut sunt conuertibiles, aut non. Conuertibiles, aut sunt identicæ in quibus idem de eodem

prædicatur; vt homo est homo, vel sunt synonymæ, vt Cicero est magnus Orator, Tullius est magnus Orator. *Aut sunt conuertibiles* ex parte vtriusq; extremi, vt homo est risibilis, rationale est admiratiuum. *Aut quando ex parte subiecti*, vtriusq; propositionis est conuertentia, vt: homo est substantia, rationale est animal. *Vel cùm ex parte prædicati*, vt: Petrus est homo, Martinus & Ioannes est risibilis. *Aut quando* inter eas est æquipollentia. *Denique*, cùm vna conuertitur in alteram, quæ vulgò appellatur conuersio. *Pertinentes repugnantia sunt*, quæ aliquam inter se oppositionem habent. Atque de his primo loco dicendum est.

DE OPPOSITIONE

Oppositio quid? quotuplex?

Oppositio est duarum propositionum absoluratum, seu de inesse, eodem subiecto & prædicato constantium, secundùm quantitatem vel qualitatem repugnantia. Dixi *eodem prædicato & subiecto* Quia oppositio debet esse respectu eiusdem. *Secundò notandum est Oppositionis species* quatuor esse, prout varijs modis inter se habere se possunt, secundùm quantitatem, vel qualitatem propositionis. *Prima species est contrarietas*, cùm eadem est in duabus propositionibus vniuersalis quantitas; id est, cū vtraque est vniuersalis, sed diuersa qualitas, id est, cùm vna affirmat altera negat, vt omnis homo est albus, nullus homo est albus. *Secunda species est contradictoria*, cùm diuersa est quantitas; diuersa item & qualitas, id est, cùm vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, vt: omnis homo est albus, quidam homo non est albus. *Tertia subcontraria* quando quantitas eadem est, sed particularis, & qualitas diuersa, id est, cùm vtraque est propositio particularis, sed vna affirmatiua altera negatiua, vt: quidam homo est albus, quidam homo non est albus. *Quarta*, cùm dispar tantum est quantitas, eadem verò qualitas, id est, cùm vna est vniuersalis, altera particularis, sed vtraque aut affirmat, aut negat. *Notandum tertiò*. Has species oppositionis, quod ad veritatem vel falsitatem attinet, sic se habere. *Primò*, *Contrariæ propositiones* ex modo & forma

Prima regula de Contrarijs.

prædicandi possunt simul esse falsæ, non autem veræ, vt: omnis homo est albus, nullus homo est albus. Simul falsæ esse possunt, nam falsa est prior, si quidam non sit albus; posterior, si quidam sit albus. *Quod si materia sit necessaria*, per accidens, vt dicunt Dialectici, altera necessariò erit vera, altera falsa, vt: omnis homo est animal, nullus homo est animal. Si tamen directæ sint propositiones, nam si sint indirectæ, poterunt simul esse falsæ, vt: nullum animal est rationale, omne animal est rationale. *Sic etiam in materia remota*, altera erit vel falsa vel vera, vt: omnis homo est lapis, nullus homo est lapis Et quidem cū materia est necessaria, affirmatiua vera est, negatiua falsa. Cùm autem est remota, falsa est affirmatiua, vera autem negatiua, vt patet in exemplo. *Obijcies*. Cùm propositiones contrariæ in materia necessaria nunquam sint simul falsæ, sed vna vera, altera falsa. In materia contingenti simul dicantur esse falsæ; cur non simpliciter dicimus, non posse esse simul falsas; Ex accidenti autē esse, quod interdum esse possint. *Respondeo*, Si rem ipsam spectemus, huius rei discrimen vix vllum assignari posse, nisi fortè in gratiam Dialecticorum dicamus, ideò dici simpliciter, posse esse falsas, quod in materia tantum contingenti verum est, quoniam latius hæc materia patet; & plures in ea formari possunt propositiones. *Secundò*. Propositiones contradictoriæ nunquam possunt esse simul veræ vel falsæ, sed vna est vera, altera falsa *Ad has propositiones* reuocari debent propositiones de subiecto singulari, quarum vna affirmat, altera negat, vt: Petrus est albus, Petrus non est albus. *Item propositiones de subiecto collectiuo*, quod æquiualet singulari, vt: omnes Apostoli sunt duodecim, omnes Apostoli non sunt duodecim. *Tertiò*, Subcontrariæ possunt simul esse veræ sed non falsæ; nisi ratione materiæ necessariæ & remotæ, vt: quidam homo est albus, quidam homo non est albus, potest vtraque simul esse vera; prior quidem etiamsi vnus detur tantum homo qui sit albus; posterior, si vnus detur qui non sit albus. *Quartò*. Propositiones subalternæ possunt

Secunda regula de Contradictorijs.

Tertia de Subcontrarijs.

Quarta de Subal.

possunt esse simul veræ, vel simul falsæ, id est, si propositio vniuersalis sit vera; erit etiam particularis; si falsa, etiam particularis, licet non è contrà. *Notandum quartò. Ex dictis sequitur primò.* Ex veritate vnius propositionis contrariæ, colligi potest falsitas alterius, non tamen ex falsitate falsitas; vt: omnis homo est albus; si est vera propositio benè sequitur: ergò falsa est, nullus homo est albus. non tamen, si hæc omnis homo est albus, falsa est, falsa item erit illa, nullus homo est albus. Nam potest esse falsum, omnem hominem esse album, & simul verum, quendam hominem esse album; quod tamen negat illa propositio, nullus homo est albus. *Secundò.* Ex veritate vnius contradictoriæ, sequitur falsitas alterius, & ex falsitate vnius, veritas alterius, quia vtraque non potest esse simul vera vel falsa. *Tertiò.* Ex falsitate Subcontrariæ, alterius veritas colligi potest, vt quidam homo non est albus, si est falsa propositio, benè sequitur, ergo quidã homo est albus, est vera propositio; nõ tamen ex veritate sequitur falsitas, vt quidam homo est albus, vera est propositio, ergo quidam homo non est albus, est falsa, non sequitur: Ratio est. Quoniam diximus, posse Subcontrarias esse simul veras. *Quartò.* Ex veritate vnius Subalternæ sequitur veritas alterius, & ex falsitate falsitas; nimirum ex veritate vniuersalis, vel falsitate, veritas aut falsitas particularis. *Notandum quintò.* Inter has species Oppositionis: Cõtrariæ & Contradictoriæ sunt maximè oppositæ: Vtra tamen maior sit in lib. Perihermenias videbimus. Subcontrariæ & Subalternæ vix videntur habere rationem oppositionis. nam de Subcontrariis inquit Aristoteles 2. Prior. cap. 15. esse potius voce quam re oppositam. Subalterna verò non habet oppositionem in qualitate, quæ tamen præcipua est; & sola propriè oppositio dici potest. Vnde 1. Periherm. cap. 5. tres tantum primas species Aristoteles enumerat.

Secunda regula de Contradictorijs.


Tertia de Subcontrarijs.

DE ÆQVIPOLLENTIA.

Aequipollentia quid sit?

SEquitur modo vt agamus de propositionibus pertinẽtibus sequela, quarum videlicet vna aliã infert. *Est autem Aequipollentia*, cùm duæ propositiones sibi æquiualent propter variam signi affirmatiui, vel negatiui mutationem, cùm videlicet, hoc signum, non, aut ponitur post signum affirmatiuum, aut præponitur; fit enim ratione istius variæ collocationis, vt propositio vniuersalis, habens signum istud appositum, æquiualeat interdum alteri vniuersali, vel particularis particulari, vel affirmatiua affirmatiuæ, vel deniq; negatiua negatiuæ, quę vocari potest æquipollentia ratione quãtitatis, vel qualitatis seu ratione vtriusq; *Et primò.* Si particula Nõ, ponatur post signum affirmatiuum, & post subiectum, vt (omnis homo est animal.) Si particula Non ponatur post omnis homo, vt dicamus, omnis homo non est animal, æquipollebit hæc propositio ratione solius quantitatis propositioni contrariæ, primæ illius, omnis homo est animal, nam idem est dicere, omnis homo non est animal, & dicere, nullus homo est animal; vbi est æquipollentia ratione quantitatis. nam vtraque est vniuersalis, sed vtraque est negatiua. Si autem particula Non præponatur signo affirmatiuo, vt in hac propositione, omnis homo est animal; si ponatur Non, antè omnis; Si autem secundò ponatur negatio post subiectum signatũ, tollit quantitatem & qualitatem, vt omnis homo est animal, si ponatur negatio post subiectum negatum, id est, post omnis homo, vt dicamus omnis homo non est animal, tunc idem valebit hæc propositio, quod prima, & præcedentis contradictoria, vt quidam homo non est animal, nam omnis homo erat signum vniuersale & affirmatiuum, quidam verò non, est particulare & negatiuum: Item si ponatur (Non) ante terminum quidam, vt: non quidam homo est bonus; tollit propositionis illi⁹, cui addita est particula Non, id est, quidam homo est bonus, quantitatem & qualitatem, facitque propositionem vniuersali negatiuæ æquipollentem, id est, nullus homo est bon⁹. Præterea si ponatur Non, antè quidam non, signum particulare negatiuum tollit quantitatẽ & qualitatẽ, facitque propositionem ex negatiua particulari affirmatiuam vniuersalem, nam

...sarta ... Subalt...



non quidam homo non est bonus, æquiualet isti, omnis homo est bonus. Præterea si ponatur Non, ante subiectum signatum signo vniuersali negatiuo, tollit propositionis vniuersalis negatiuæ quantitatem vniuersalem & negationē, vt: nullus homo est bonus; si præponatur Non, vt dicamus non nullus est bonus, idē valet, quod quidam homo est bonus. *Ratio istorū omnium est*. Quoniā negatio vt vulgò dicitur est naturæ malignantis, id est, id omne tollit & negat quod post se reperit, vnde quia quando præponitur, inuenit post se quantitatem & qualitatem, ideò vtrumq; tollit: & quia cùm postponitur solam reperit qualitatem, ideò solam illam etiam negat. Accedit etiam quod dicit Ammon. 1. Perihetm. cap. 5. Signum in propositione esse potissimam partem, quo fit, vt, cùm præponitur negatio signo, hoc vtrūque quod diximus faciat; non autem cùm postponitur. *Obseruandum etiam est*, apud Latinos, duas negationes magis affirmare; quamuis apud Græcos magis negent. Nihilominus non negauerim apud Rhetores præsertim Latinos plures negationes ornatus interdum causa magis negare, vt nullus homo, nullo tempore, nullo loco, nullo momento quiescit, id est, aliquo tempore, &c. *Notandum est secundò*. Has esse Regulas Æquipollentiæ. *Prima*.

Regula æquipollentiæ.

I. Propositiones Contrariæ & Subcontrariæ inuicem sibi æquipollent, si negatio postponatur. Exemplū in Contrarijs. Hæ sunt cōtrariæ, omnis homo est albus, nullus homo est albus, prior æquipollebit secundæ, si negatio signato subiecto postposita fuerit, nempè si dicamus, omnis homo nō est albus, idem enim est quod nullus homo est albus, & vice versa secunda æquiualebit primæ, si eodem modo negatio postposita fuerit, vt nullus homo non est albus, idē enim est quod omnis homo est albus. Subcontrariarum esto hoc exemplum. Istæ sunt subcontrariæ, omnis homo est albus, quidam homo non est albus. Prima æquipollebit secundæ postposita negatione, hoc modo, omnis homo non est albus; idem enim est quod quidam homo non est albus; & contrà, secunda æquipollet primæ, postposita etiam negatione, vt: quidam homo non est non albus, id est, omnis homo est albus. *Secundò*. II.

Contradictoriæ æquipollent, si negatio præponatur; Verbi gratia, hæ sunt Contradictoriæ, omnis homo est albus, quidam homo non est albus. Prima æquipollebit secundæ, si negatio præponatur, vt non omnis homo est albus, idem enim est, quod quidam homo non est albus. & cōtrà, secunda æquiualet primæ præposita negatione, nam non quidam homo non est albus, idem est quod omnis homo est albus. *Tertiò*. III.

Subalternæ sibi æquipollent, si negatio tum præponatur, tum postponatur; Verbi gratia, hæ sunt subalternæ, omnis homo est albus, quidā homo est albus, prima æquipollet secundæ, posita negatione ante & post subiectum negatum, vt non omnis homo non est albus, id est, quidam homo est albus, & contrà secunda æquipollet primæ, seruata eadem lege, vt non quidam homo non est albus, id est, omnis homo est albus. Has omnes regulas memoriæ causa hoc versu Dialectici comprehenderunt:

Præ contradic, post, cōtrà, præ, postq; subalter.

Cuius sensus hic est. Cùm negatio præponitur fit æquipollentia, in Contradictorijs; cùm postponitur, in Contrarijs, cum & postponitur & præponitur, in Subalternis. *Addunt alij* hos duos alios æquipollentiæ modos. *Primò*, vt propositio vniuersalis æquipolleat congregationi omnium singularium, vt: omnis homo est albus, id est, hic homo & ille, & ille, &c. *Secundò*. Propositionem particularem æquipollere disiunctioni omnium suorum inferiorum, vt: quidam homo est albus, id est, vel hic homo vel ille, vel ille, &c.

DE CONVERSIONE.

Conuersio quid.

Conuersio est alia propositionum pertinentium sequela affectio, & potest definiri, *Illatio vnius propositionis ex altera*, proueniens ex transmutatione terminorū, vt id fit in altera subiectum, quod erat in altera prædicatum, & contrà seruata eadem qualitate, id est, affirmatiua vel negatiua, vt vtraque sit vel affirmatiua, vel negatiua, vt nullus homo est lapis, nullus lapis

lapis est homo, & debet in eiusmodi conuersione necessaria esse consequentia vnius ex altera.

Notandū Secundò, Triplex est conuersio Simplex vel Simpliciter per accidens, seu in parte: Per contrapositionem siue infinita. *Prima est simplex*, cùm præter conditiones dictas seruatur eadem quantitas, id est, vt vtraque sit vniuersalis vel particularis, vt nullus lapis est homo, nullus homo est lapis. Quoddā animal est substantia, quædam substantia est animal. *Secunda est*, cùm non seruatur eadem quantitas, sed vniuersalis conuertitur in particularem, vt nullus homo est lapis, quidam lapis non est homo, & propterea vocatur conuersio in parte. *Tertia est* per contrapositionem, cùm seruatur eadem quantitas, & qualitas terminis finitis transmutatur in infinitos, & propterea dicitur conuersio infinita; vt nullus homo est lapis, nullus non lapis est non homo. *Notandum Tertiò.* Quomodo fiat, & in quibus propositionibus conuersio hoc versu comprehenditur:

Simpliciter feci, conuertitur Eua per Acci
Asto per contra sic fit conuersio tota.

Quibus versibus addūtur alij duo nempè
Asserit A, negat E, sunt vniuersaliter ambæ,
Asserit I, negat O, sunt particulariter ambæ.

Quibus vltimis versibus designantur vocales quatuor A, E, I, O. A, est nota propositionis vniuersalis affirmatiuæ. E. est nota vniuersalis negatiuæ. I, particularis affirmatiuæ O, particularis negatiuæ. Præcedentium verò versuum hæc est sententia, quæ his tribus regulis comprehenditur. *Prima.* Propositio vniuersalis negatiua conuertitur simplici conuersione, in vniuersalem negatiuam. & particularis affirmatiua in particularem affirmatiuam simpliciter, & hoc significant prima illa verba, *Simpliciter feci*, *Secunda*. Propositio vniuersalis negatiua conuertitur in particularem negatiuā per accidens, & vniuersalis affirmatiua, in particularem affirmatiuā per accidēs, & hoc significāt illa verba *Eua per Acci* *Tertia*. Vniuersalis affirmatiua in vniuersalem affirmatiuam conuertitur per contrapositionem, & particularis negatiua in particularem negatiuam per contrapositionem, & hoc significatur illis verbis, *Asto per contrà*. Exemplum primæ, vt nullus lapis est homo, ergo nullus homo est lapis, vbi vniuersalis negatiua in vniuersalem negatiuam conuertitur simpliciter, seruatur enim eadem quantitas. Sic etiam quidam lapis est magnes, ergo quidam magnes est lapis, vbi eadem quoque quantitas seruatur. Exemplum secundæ, nullum animal est incorporeum, ergo quoddam incorporeum non est animal, vbi mutatur quantitas. Item omne animal est substantia, ergo quædā substantia est animal; vbi etiā mutatur quātitas. Exemplum tertiæ, omnis homo est animal; omne non animal est non homo, vbi seruata eadem quantitate, fit transmutatio à terminis finitis ad infinitos. Item quidam homo est animal, ergo quoddam non animal est non homo. Hinc sequitur propositionem vniuersalem nagatiuam, duobus modis conuerti posse, *Primò*, simpliciter. *Secundò*, Per accidens. *Secundò sequitur*, Particularem affirmatiuam vno tantum modo conuerti, nimirum simpliciter. *Tertiò*, vniuersalem affirmatiuam, duobus modis conuerti, per accidens & per contrapositionem. *Quartò*. Particularem negatiuam per contrapositionem conuerti, *& quidem quod ad particularem propositionem attinet*, nō potest conuerti in vniuersalem, alioqui sępè in ea falsitas inesset, vt quidam homo est albus: ergo omne album est homo, falsum est, Item quidam homo non est Dialecticus, ergo nullus homo est Dialecticus. Nihilominus nihil obstare videtur, quo minus particularis propositio affirmatiua possit conuerti per contrapositionem, vt aliquis homo est substantia; ergo aliqua non substantia est non homo, nam accidens est non substantia, & est non homo. Item aliquis homo est albus, ergo aliquod non album est non homo, videlicet coruus. Quod attinet ad propositionem vniuersalem negatiuam, notandum est, non posse conuerti per contrapositionem, vt nullus homo est lapis, ergo nullus non lapis est non homo, nam leo est non lapis, & tamen est non homo. *Vltimò circa conuersionem* per contrapositionem obseruandū est, vt

est, vt subiectum propositionis conuertendæ, supponat pro re existenti. Idem videndum est an subiectum propositionis, quæ fieri debet ex conuertente supponat pro re existenti, alioqui non poterit fieri bona conuersio. Vnde non valet, chimera non est bona, ergo aliquod non bonum, non est non chimera; nullum enim datur bonum existens, quod sit non chimera. Item non valet omnis leo est ens, ergo omne non ens est non leo; nam non ens non existit, ac proinde non est non leo. Hæc vulgò Dialectici. Dici tamen posset, huiusmodi Conuersiones veras esse & bonas, si habeatur tantum ratio verbi prout est copula, quemodo dicere licet, chimera est non leo, vbi non significatur quod chimera existat. Et hæc omnia ex Aristotele eliciuntur. Nihilominus addi possunt aliæ quædam Regulæ propositionum de aliquo termino singulari, nam præcedentes sunt de propositionibus habentibus terminos communes, videlicet, vt nomen commune distinguitur contra determinatum aliquod & certum singulare, seu vt opponitur singulari. *Primò ergo.* Si propositio constet vtroque termino singulari, tam affirmatiua quam negatiua simpliciter conuertitur, vt Ioannes est hic Dialecticus, ergo hic Dialecticus est Ioannes. Item Petrus non est Paulus, ergo Paulus non est Petrus. *Secundò.* Si prædicatum sit commune, subiectum verò singulare, Conuersio fiet per accidens; affirmatiuæ propositionis in particularem, vt Ioannes est Dialecticus, ergo quidam Dialecticus est Ioannes, negatiuæ verò tum in particularem, tum in vniuersalem, vt Ioannes non est lapis, ergo aliquis lapis non est Ioannes. & ergo nullus lapis est Ioannes. *Tertiò.* Si subiectum sit commune, prædicatum verò singulare; propositio vniuersalis tum affirmatiua, tum negatiua conuertetur per accidens, seu in particularem, vt omnis Philosophus est Socrates, ergo Socrates est Philosophus. Item, nullus sutor est Socrates, ergo Socrates non est Scarpinellus. *Quartò.* Negatiua particularis, id est, cuius subiectum sit particulare, & prædicatum singulare, non

Regula propositionum de termino singulari.

conuertitur, vt aliquis Physicus non est Socrates, ergo Socrates non est Physicus, non valet.

CAPVT V.

De Propositionibus Modalibus.

PRopositio modalis est, vt diximus, qua modus exprimitur, qua res alicui insit, vel non insit, de qua Aristoteles 2. Perihetm. cap. 3. *Modus autem est vox limitans* significatum secundùm habitudinē prædicati ad subiectum. Nam limitatio potest fieri, vel *ratione subiecti tantum*, vt homo velox currit, vbi velox limitat subiectum tantum homo. *Aut ratione prædicati tantum*, vt Petrus est homo iustus, vbi prædicatum homo limitatur per hoc nomen iustus. *Aut ratione temporis consignificati* per copulam, vt Petrus hodie scribit, vbi hodie limitat tempus consignificatum per terminū, scribit. *Aut integram propositionem ratione conformitatis*, vel difformitatis, quæ in veritate aut falsitate consistit, vt verum est hominem esse animal; vbi verum limitat totam hanc propositionem, homo est animal. Et de his limitationibus ac modis hoc loco non agimus, sed ex supra dictis quid vnusquisque sit, facilè patet. *Secundò notandum. Modus est triplex*, iuxta triplicem propositionis materiam Remotus qui dicitur impossibilis, Necessarius & Contingens, qui etiam possibilis appellatur: Quibus addi possunt possibilis non, & impossibilis non. *Obijcies*, Hominem esse album est contingens, est propositio necessaria, ergo nulla datur propositio contingens: Huius obiectionis solutio ex his quæ mox subijcientur, petenda erit. *Notandum tertiò.* In propositione modali duo sunt, Propositio simplex, & modus. Illa appellatur dictum. Itē modus dupliciter adhiberi potest, vel aduerbialiter, vt necessariò, vel nominaliter, vt necessarium est: Melius tamen explicari possunt propositiones modales sumendo modum nominaliter. *Notandum quartò.* Qualitatem propositionum attendi penes modum, vt nimirum propositio modalis sit affirmatiua, cuius modus est affirmatiuus, negatiua cuius modus est negatiuus, etiamsi dictum sit affirmatiuum, vel ne-

Propositio modalis quid? Modus quid?

Modus triplex.

vel negatiuum, vt necesse est hominem non esse lapidem, propositio est affirmatiua, quia modus est affirmatiuus; quamuis dictum sit negatiuum. *Ex modis* verò dictis necesse, est affirmatiuus, & possibile. Negatiuus, impossibile, & possibile non. *Præterea*, Veritas & falsitas ex modo etiam petitur, vt videlicet dicatur propositio vera, cùm modus illi dicto apponitur, cui apponi debet, vel contrà, vt hominem esse lapidem est impossibile, est propositio vera, quamuis dictum sit falsum, & hominem esse lapidem necesse est, est falsa; quia modus apponitur dicto, cui apponi non deberet. Hinc sequitur propositionem de necessario, in materia necessaria esse veram, in materia remota falsam. *Secundò*. Propositionem de possibili in materia necessaria & contingenti esse veram; si possibile lato modo sumatur, in remota verò falsam. *Tertiò* Propositionem de possibili sumpta possibilis significatione propriè, vt est id, quod potest esse & non esse, in necessaria & remota materia esse falsam, in contingenti veram. *Notandū quintò*. Quantitas propositionis ex modo etiam sumitur, vnde vniuersalis affirmatiua est, quæ habet modum necesse; negatiua vniuersalis, quæ habet modum impossibilem Particularis affirmatiua, quæ habet possibilē, particularis denique negatiua, quæ habet possibilem non. *Notandum sextò*. Hinc patet quænam oppositio reperiatur in propositionibus modalibus, nam contrarietas est inter propositionē de necessario & impossibili; æquiualent enim vniuersali affirmatiuæ, & vniuersali negatiuæ, seu his terminis, omnis & nullus, *Subcontraria* oppositio est inter propositionem de possibili & possibili non, nam istæ respondent propositioni particulari affirmatiuæ & particulari negatiuæ, siue his terminis, quidam & quidam non. *Contradictoria* est inter propositionem de necessario & possibili non, æquiualent enim propositioni vniuersali, & particulari negatiuæ. Sic etiā contradictio reperitur inter propositionem de impossibili & de possibili, nam æquiualent propositioni vniuersali negatiuæ & particulari affirmatiuæ, *Denique Subalternæ* sunt propositiones de necessario & possibili; idem enim sunt, quod vniuersalis propositio affirmatiua & particularis affirmatiua. Item subalternæ sunt propositiones de impossibili & de possibili non. Nā similes sunt propositioni vniuersali negatiuæ, & particulari negatiuæ.

Propositionis modalis quid? Modus quid?

Modus triplex.

Oppositio propositionū modalium.

Notandum septimò, Æquipollētiā in propositionibus modalibus tam ratione dicti, quam ratione modi reperiri, & eædem leges obseruandæ sunt, quæ de simplicium æquipollentia traditæ sunt, si hoc vnum tamen obseruetur, vt negatio quæ præponenda est, ponatur ante copulam modi, vt possibile est hominem esse album, hoc modo præponenda erit negatio, non est possibile hominem esse album, non autem sic; possibile est hominem non esse album. Quæ autem postponenda est, ponenda erit ante copulam dicti, ita vt cum illo coniungatur; alioquin potius censebitur præponi quam postponi, vt possibile est hominem esse album. Sic constituenda est negatio: possibile est hominem non esse album, non autem: possibile non est, hominem esse album; perinde enim esset, ac si dicerem, non possibile est hominem esse album, vbi aptè præponitur negatio, idem autem valent hæ duæ propositiones: possibile non est hominem esse album, & non possibile est hominem esse album.

Notandum octauò. Æquipollentia potest considerari tripliciter. *Primò*. *Indifferenter* in modalibus, id est, in quibus dictū est simplex, non habens notam vniuersalitatis, vel particularitatis. *Secundò*. *In modalibus*, quarum dicta sunt de subiecto singulari, & in hoc duplici genere eadem planè est ratio, quæ de simplicium æquipollentia, sicut & de earundem oppositione. *Tertiò* *In modalibus*, quæ sunt de dictis vniuersalibus seu particularibus; & in his sola hæc differentia est, quod duplicis quantitatis habenda est ratio, id est, quantitatis quæ est in modo, & quātitatis quæ est in dicto. Solum subijciam exemplum Contradictoriarum. Hæ sunt contradictoriæ: Necesse est hominem esse album, possibile est hominem non esse album. Prima secundæ æquipollebit, si negatio præponatur

natur modo, vt: non necesse est hominem esse album, id est, possibile est hominem non esse album, quæ est contradictoria primæ, quia negatio cadens super modum vniuersalem affirmatiuum, necesse, facit modum particularem negatiuum, id est, possibile non. Item contradictoriæ sunt: Impossibile est hominem esse album, possibile est hominem esse album. Prima secundæ æquipollet, si præponatur negatio modo, vt: non impossibile est hominem esse album, id est, possibile est hominem esse album, quæ erat contradictoria primæ, quia negatio præposita tollit quantitatem vniuersalem & negationem modi impossibile, ideoque affert quantitatem particularem & qualitatem affirmatiuam, id est, modum possibile.

Vltimo notandum. De conuersione propositionum modalium, idem ferè sentiendum esse, quod de simplicium conuersione. Quia verò quædam sunt difficultates præsertim circa propositiones de contingenti & de possibili, & de necessario inter se, & vt conferuntur cum propositionibus de inesse, de quibus Aristoteles 1. Prior. cap. 3. Ideò cùm commodè hîc solui non possint, in eum locum reijciendæ videntur. Atque hæc de modalibus.

CAPVT VI.

De propositione Hypothetica.

Propositio Hypothetica quid?

PRopositio Hypothetica est, quæ ex pluribus componitur, & dicitur coniunctione vna, vt Petrus attendit, & Paulus dormit. Vnde requirit copulam, quæ connectat propositiones simplices, aut etiã plures hypotheticas, ex quibus vna composita, vel magis composita resultet.

Notandum secundò Sicuti copula multiplex est, ita & propositiones hypotheticæ. Est autem præsertim quintuplex. *Prima dicitur Copulatiua*, nimirum particula &, aut alia æquiualens illi. Vnde consurgit prima species hypotheticæ, quæ copulatiua appellatur, vt homo orat, & homo plorat. *Secunda dicitur Copula disiunctiua*, nimirum particula Vel; ex qua fit secunda species, quæ disiunctiua dicitur, vt: omne animal vel est rationis capax, vel est rationis expers. *Tertia dicitur Copula illatiua*, id est, ergo vel igitur; ex qua constituitur tertia species, quæ vocatur illatiua, vt: dies est, ergo lux est. *Quarta Conditionalis*, nimirum particula si; vnde fit quarta species, vt si palpitat cor in animali, viuit. *Quinta Causalis*, per particulã quia, vt: quia animal est, sentit. Hæ vulgò hypotheticæ propositiones appellantur, reuera tamẽ tres vltimæ potius sunt argumentationes quã propositiones. In quibus quæ præcedit, vocatur Antecedens, quæ sequitur Consequens.

Notandum Tertiò. Quantitas in propositionibus Hypotheticis pendet ex quantitate simplicium: Siquidem non aliud habet Hypothetica subiectum & prædicatum, quam quod est in singulis simplicibus. Desumitur porro qualitas ex ordine quem habet prædicatum ad subiectum, si nimirum illi insit vniuersalis aut particularis. *Secundò.* Qualitas affirmationis & negationis ex copula sumitur, vt si homo non est rationalis, non est risibilis. Quæ propositio est affirmatiua, quia copula connectens propositiones est affirmatiua, etiamsi propositiones simplices sint negatiuæ, contra verò, non si homo est coloratus, est albus; propositio est negatiua, quia copula nectens simplices propositiones est negatiua, licet simplices propositiones sint affirmatiuæ. *Vbi etiam notandum est*, quod vis huius vltimæ propositionis negatiuæ non est quod neget simplices esse veras, sed quod non possint inter se eo modo coniungi quo accipiuntur, nam non ideò homo est albus, quia coloratus est, etsi verum sit hominẽ esse coloratum, & hominem esse album. *Tertiò.* Qualitas veritatis & falsitatis petitur à copula, si enim signum copulatiuum verum significet, erit propositio vera, si falsum, falsa. *Accipiendæ tamen sunt explicationis causa* hæ regulæ. *Prima.* Copulatiua est vera, si omnes simplices veræ fuerint, falsa, si vel vna fuerit falsa, vt hic homo est animal, & ille, & ille, &c. falsa verò, hic homo est albus, &c. *Secundò.* Disiunctiua est vera, si vna tantum sit vera, vt omne animal vel est rationale, vel irrationale, si enim detur tantũ vnum animal, ꝙ sit rationale, vera erit propositio. *Tertiò.*

Vtilla-

Vt illatiua sit vera, requiritur bonitas in illatione, & vt simplices propositiones sint veræ, vt dies est, ergo lux est. *Quartò.* Conditionalis, quia nihil ponit in esse, non debet habere simplices veras, sed sufficit quod illatio sit bona, vt si volat, habet pennas. *Obijcies.* Illationem esse bonam, non est esse veram; Similiter esse malã, non est esse falsam. Respondeo. Propositionem illatiuam simpliciter affirmare illationem esse bonam, vnde si bona est, erit vera, si mala, falsa, ipsa tamen illatio, vt sit formaliter loquendo non dicitur vera, vel falsa, sed bona vel mala, siquidem ex falso potest sequi verum, vt infra videbimus. *Quintò* in causali propositione debet illatio esse bona, & simplices debent esse veræ, & præcedens debet esse causa subsequentis, vt quia homo est animal sentit, vera est propositio, quia verum est, hominem esse animal, & verum est hominẽ sentire, & benè sequitur ex eo quod est animal sentiẽs, denique animal est causa homini, cur sentiat, falsa autem erit hæc propositio causalis, quia homo risibilis est, est rationalis, quia etsi cætera adsint, hoc vnum tamen desideratur, quod esse risibilem non est causa homini, vt sit rationalis.

Notandum Quartò. Materia in Hypotheticis eadem est, quæ fuit in pluribus, aliqua tamen est differentia, quæ vt intelligatur, *hæ regulæ accipiendæ sunt. Primò.* Copulatiua est necessaria, cuius omnes propositiones sunt necessariæ, falsa, si vel vna non sit necessaria, vt homo est substantia & est animal, & est irrationalis, falsa est propositio, quia vna simplex falsa est, cuius loco si ponas hanc, & est rationalis, erit vera. *Secundò.* Copulatiua est cõtingens, cuius omnes simplices, vel aliqua contingens est, vt Petrus est bonus & doctus, vel homo est animal & doct⁹. *Tertiò.* Copulatiua est impossibilis, cuius vel omnes vel vna simplex est impossibilis, vt Petrus sensu & ratione caret, vel Petrus est animal rationis expers. *Primò.* Disiunctiua propositio est necessaria, cuius propositiones simplices eidem conuenire non possunt, vt animal aut est rationale, aut irrationale. *Secundò.* Cõtingens est, cuius propositiones simplices aut eidem non conueniunt, aut rarò, vt Christo seruiendum est vel mundo, & aut scientiæ ignorandæ sunt, aut scholæ adeundæ. *Tertiò.* Impossibilis est, cuius nulla pars eidem conuenire potest, vt homo aut est lapis aut brutum. *Tertiò.* Ad illatiuam impertinens est quæuis materia, quoniam non consistit in falsitate aut veritate simplicium. *Quartò.* Conditionalis necessaria est, si illatio fuerit necessaria, quamuis partes sint contingentes, vt si currit, mouetur. *Secundò.* Erit contingens, si illatio fuerit contingens, vt si studet, erit doctus. *Tertiò.* Est impossibilis, si illatio fuerit impossibilis, vt si homo est, est rationis expers. *Quintò* Causalis est necessaria, cũ vna pars est necessariò causa alterius, vt quia homo est animal, sentit. *Secundò.* Est contingens cum vna pars est contingenter causa alterius, vt quia ingenio valet, euadet doctus. *Tertiò.* Est impossibilis, cum vna non potest esse causa alterius, vt quia ignis calidus est, frigefacit. Atque hæc de hypotheticis, omnibusque propositionum formis, nam quæ de exponibilibus dici solent, & quæ sub his continentur, exceptiuis, exclusiuis, reduplicatiuis, comparatiuis, & superlatiuis, quæ etiam omnes vocantur probationes terminorum, minus vtilia sunt, & de his legi possunt, quæ breuiter habentur apud Tolet. lib. 3. a cap. 7. vsque in finem, & sic absoluta sunt quæ ad secũdam Intellectus operationem pertinent.

QVARTA PARS.

De his quæ spectant ad tertiam operationem intellectus.

HActenus de prima & secunda operatione intellectus, sequitur vt ea consideremus, quæ tertiæ operationi dirigendæ inseruiunt, id autem potissimum est Argumentatio seu discursus; quod homo in esse hominis potissimum constituitur, cum cæteras operationes rationis communes etiam habeat cum Angelis. Primum igitur de Argumentatione in genere, cũ verò ad singulas illius species descendemus, idq; eo breuius, quod longior Aristoteles ac prolixior in præceptis de Syllogismo tradendis fuit. Quæ causa fuit

nonnullis, vt Dialecticæ saltem Aristotelicæ subiectum esse dicerent Argumentationem aut Syllogismum, de qua in alio loco.

CAPVT I.

Quid sit Argumentatio, atque de legibus bonæ Consequentiæ.

Argumentatio quid. Argumentatio est oratio, in qua ex eo quod est magis notum, id quod est minus notum infertur. *Oratio* est genus, nec enim loquimur de materiali tantum vel scripta, nam scripta impertinens est ad institutum nostrum. Mentalis autem est ea, quæ voce exprimitur. Cætera locum tenent differentiæ, quibus indicantur tria ad argumentationem esse necessaria. *Propositionem* ex qua fiat illatio: *Propositionem* quæ infertur ex alia: & *Iudicium* quo vnũ iudicetur inferri ex alio. *Primum* appellatur Antecedens, siue vna sit tantum propositio, siue plures. *Secundum* dicitur Consequens. *Tertium* autem significatum per particulam illatiuam, ergo. Et sicut secunda operatio erat, cum inuenta aliqua connexione inter simplices terminos apprehensa, vel disconuenientia inter eosdem, vnum affirmabamus de altero & negabamus; ita tertia operatio est cum reperta in secunda operatione conuenientia, vel disconuenientia vnius propositionis cum altera vnam ex alia iudicando inferimus, vt quia experientia video id quod est risibile, esse etiam admiratiuum, hanc argumẽtationem conficio: homo est risibilis, ergo admiratiuus.

Illatio duplex. *Notandum secundò. Illatio duplex esse potest*, Materialis & formalis. *Formalis est*, quæ mente & ratione perficitur, per aptam terminorum dispositionem, quod in certa figura & modo fit, de qua posteà. *Materialis est*, quæ in re ipsa reperitur, & cui deinde formalis applicari potest, siue bona sit, siue mala: Quo fit, vt possit esse illatio formalis bona, materialis tamen mala. Quare tradendæ nobis sunt certæ aliquot regulæ quibus dignoscamus, quandonam illatio materialis bona sit, vel mala.

Regulæ bonæ consequentiæ. *Prima regula.* Ex antecedente vero, verũ tantum sequi potest, ex falso tamen verum interdum inferri, Sic Aristoteles, 2. *Prior. cap.* 2. 1. *Poster. cap.* 6 & 8. *Top cap.* 4. & 5. Huius ratio est petita ex Metaphys. nam verum habet rationem Entis, falsum non Entis, ex Ente autem, vt sit, non potest sequi non Ens, tamen admisso aliquo, quod verè non sit, perinde tamẽ ac si verum sit, potest inferri ex eo aliquid, quod verè sit; & eadem ratio est de Antecedenti, Contingenti, vel Impossibili. Nam ex Contingenti potest sequi necessarium; vt, *Equus est albus, ergo est corpus*. Item ex Impossibili sequi potest necessarium, vt *homo est leo, ergo animal*. Simile quid habet Aristoteles 1. *de Cælo, cap.* 12. & 9. *Met. cap.* 4. De Antecedente aut contingenti, quod ex eo sequi possit necessarium, aut etiam de Antecedente impossibili, tradit Aristoteles 1. *Prior. cap.* 12. 8. *Phys. cap.* 5. & 9. *Met c.* 4. An autem ex Impossibili quiduis sequi possit, Summulistæ; Nyphus affirmat. 1. *Prior. cap.* 2. Negat Sot. *lib.* 3. *sum. cap.* 8. *lect.* 2. & quidem benè. Alioquin tolleretur de medio Syllogismus ab Impossibili. Item duo contradictoria aptè & verè inferrentur, aliaque sequerentur inconuenientia, de quibus Sot. ibid. Aliam rationem affert Card. *lib.* 14 *de Subt*. quia, inquit, in falso inest aliquid veri, vnde nihil mirum; si ex eo verum inferri possit, verbi gratia, in hac propositione, homo est asinus, verum est, quod sentiat, quod in hac proposione virtute includitur. Quantum valeat hæc ratio, non laboro in præsentia.

Secunda Regula. Falsum ex falso tantum sequi potest. Sic Aristoteles 8. *Top. cap.* 4. & 5. & *locis supra citatis*. Ratio ex dictis etiam facilè colligitur. Adde quod commune axioma est: Ex Antecedente vero non posse consequi falsum: Quare ex falso Antecedente tantum falsum sequitur. II.

Tertia. Quod repugnat Consequenti, etiam antecedenti repugnat. Ratio: Quia quod tollit veritatem consequentis, tollit etiam veritatem Antecedentis. Alioquin consequens posset esse falsum, & Antecedens verum: quod est contra dictas duas Regulas. Nam nec ex vero sequi potest falsum, & falsum tantum ex falso sequitur. III.

Quarta. Quod repugnat Antecedenti, non etiam Consequenti repugnat. Ratio: IV.

Quia

Quia non quod tollit veritatem Antecedentis, tollit etiam veritatem Consequentis; nam ex falso sequi potest verum. Exemplum, vt: omne animal est rationale, ergo homo est animal; nam hæc propositio: Aliquis equus non est rationalis, repugnat Antecedenti, non autem Consequenti; siquidem, quod homo sit rationalis, non facit, vt illi repugnet, quod equus nō sit rationalis. Lege Aristot. 1. *Prior. c.* 28.

Quinta. Ex quo sequitur Antecedens, sequitur etiam Consequens; non contrà: ex quo sequitur Consequens, sequitur etiā Antecedens. *Ratio primæ partis*: Quia Cōsequens in virtute continetur sub Antecedente. quare ex quo Antecedens sequitur, id etiam quod sub eo est sequitur, vt: omne animal currit, ergo homo currit, omne animal est viuens, ergo homo est viuens. *Ratio tertiæ partis*: Quia Antecedens non semper adæquatè comprehendit consequens, sed latius interdum patet, vt omne animal currit; ergo homo currit, homo est rationalis, ergo est admiratiuus; non tamen sequitur: animal est viuens, ergo viuens est rationale. Lege Aristotelem 1. *Prior. cap.* 33. & 38. vbi etiam addit, quod sequitur ex Consequenti, etiam ex Antecedenti sequi: sed non contra, quod sequitur ex Antecedenti, sequi ex Consequenti. Ratio est: quia quod continetur sub Consequente, continetur etiam sub Antecedente, sicut ipsummet Consequens sub Antecedente continetur, vt: homo est animal, ergo est viuens. Est viuens, ergo est corpus. Est corpus, ergo substantia. Quem argumentationis modum testatur Cic. 2. *de diuinat.* vocari coaceruationem, à Græcis enim dicitur σωρίτης, & 2. Acad. quæst. vitiosum esse modum, non quod si aptè coordinentur plures illationes, non benè vltima concludat; sed quia ob multitudinem propositionum fieri aliquando potest, vt falsæ nonnullæ intermisceantur. Quo modo Stoici argumentari solebant.

Sorites quid?

Hoc loco solet à quibusdam agi de eo argumentationis genere, quod aduersarium vtrinque concludit, siue vnū affirmet, siue alterum, & propterea *Dilemma* appellatur.

Dilemma.

Quo reuocātur argumētationes, quæ ex propositionibus fiunt, quas *seipsas falsificantes* appellant, vt: ego mentior: aut etiam *seipsas impossibilitantes*; ex quibus concludunt nonnulli posse contradictoria benè inferri, quod tamen nullo modo admittendum est; & de his videatur Sot. loco citato, & præterea lib. de propositionibus insolubilibus, vbi malè affirmat, posse per huiusmodi argumentationes ritè inferri contradictoria. Dilemmatum autem exempla lege apud Laertium lib. 9. apud Aristotelem 9. *Ethic. c.* 1. 2. *Rhet. cap.* 23. 2. *Elench. cap.* 5. Cic. 1 *de Inuent.* & 4. *Acad.* Gell. *lib.* 5. *cap.* 10. *lib.* 8. *cap.* 2. *lib.* 9. *cap.* 16. Lactant. *lib.* 3 *de falsa sap. c.* 6. Eras. *lib. de generibus argumentationum Rhet.* Politianum. *in Miscellaneis.* Inter quæ celeberrimum illud Euagoræ & Protagoræ.

CAPVT II.

De speciebus Argumentationis, & de imperfectis.

Omissa Argumentationis diuisione, *in mentalem, scriptam & vocalem*, quæ ex dictis de simplicibus terminis patēt; omissa item argumentatione *materiali & formali*, de qua cap. superiori dictum est, cùm de consequentia materiali & formali ageremus, (nec enim arbitror, quod nonnullis videtur, latius patere consequentiam argumentationis. Siquidem non video qui aliud sit consequentia, quam argumentatio.) Argumentatio in quatuor species diuiditur, *Syllogismum, Enthymema, Inductionem & Exemplum.* Quæ diuisio saltem est generis analogi in suas analogas species: quicquid contrarium sentiat ex recentioribus quidam, Nunesius *in sua Introductione*, & quidā alii apud Rodolph. Agric. nam variæ sunt in singulis his formis vnum ex alio inferendi rationes; nam Inductio à toto ad partem: Exemplum à parte ad partem progreditur; vt docet Aristoteles 2. *Prior. cap.* 24. & 1. *Rhet. ad Theodect. cap.* 2. Aliquando tamen duas solas species enumerat Aristoteles, vt 1. *Rhet. cap.* 2. & 1. *Top. cap.* 2. Syllogismum scilicet & Inductionem; quia Enthymema est imperfectus quidam Syllogismus; Exemplum verò inchoata quæ-

dam Inductio. Antequam autem de Syllogismo dicamus, cuius præcipua ad nos cõsideratio spectat; de tribus alijs speciebus breuiter nos expediemus.

DE ENTHYMEMATE.

Enthymema, vt nomen sonat est animi conceptio, dicitur n. ἀπὸ τοῦ ἐνθυμεῖσθαι, quod mente & cogitatione aliquid versare significat, vt etiã obseruauit Boët. *lib.* 5. Immò Aristoteles ipse. *Sect.* 18. *problem. quæ.* 3. Vnde Quintil. *lib.* 5. *cap.* 3. Enthymema. *Commentum* vertit. Est autem Enthymema ex duabus tantum propositionibus constans oratio, quarũ Antecedens est vniuersalis, & quia tertia deest, vt Syllogismus efficiatur, ac veluti in mente inclusa manet, propterea Enthymema dictum est, & ab Aristotele truncatus Syllogismus 2. *Prior. c.* 27. & Boët. 2. *lib. de differẽtijs Top.* Enthymema, inquit, est oratio in qua non omnibus anteà propositionibus constitutis infertur festinata cõclusio. Hinc etiã est quod omnem sententiam Enthymema appellat Cic. *in Top.* Cuius ratio esse potest, quia vt est apud Aristotelem 2. *Rhet. cap.* Sententia dicitur esse Enunciatio de re vniuersali, amplectenda vel fugienda, quæ vel pars integrans Enthymematis est, vel eiusdem pars subiecta, id est, species. Et quia inter sententias quæ simul rationem eius quod in ea dicitur includit, maximè laudatur, vtpotè quæ plurimum habeat acuminis, quæ est potissima laus sententiæ, ideò absolutè loquendo, Cic. Enthymema sententiam appellat; & vice versa sententiam, Enthymema. Quomodo dum oratorem absolutè dicimus, nobilissimum intelligi volumus, puta Demosthenem, &c. Exemplum sententiæ quæ Enthymematis pars integralis esse dicitur sit hoc: *Hominibus inimicitiæ immortales fouendæ non sunt.* Exemplũ autem sententiæ, quæ simul Enthymema est sit hoc: *Hominibus immortalibus inimicitiæ immortales fouendæ non sunt*, vbi dictio illa (mortalibus) rationem inuoluit præcedentis sententiæ, nam ideò immortales hominibus inimicitiæ fouendæ non sunt, quia mortales.

Enthymema quid?

Sententia quid?

Notandum secundò. Enthymema non est consequentia formalis per se, sed materialis tantũ. Vt autem formalis sit, in formam Syllogisticam redigendũ est, quod quemadmodũ fieri debeat, vbi de ipsa Syllogismi forma dictũ fuerit, explicabitur: vbi etiam de reductione cæterarum specierum. Atque hæc de Entyhmemate satis sint dicta, & pari etiam breuitate de sequentibus dicemus, quoniam ex Aristotele 1. *Poster. cap.* 1 *&* 2. *Prior. cap.* 29. potius sunt, Enthymema, Inductio & Exemplum Rhetoricæ, quam Physicæ rationes.

DE INDVCTIONE.

Socrates primus Inductionis inuentor fuisse dicitur, ab Aristotele 1. *Met cap.* 6. *& lib.* 13. *cap.* 4 *&* 1. *Top. cap.* 10. Primus enim Socrates vniuersalia quæsisse fertur, & definiuisse, vniuersalia verò ex singularium Inductione colliguntur, qui appellatur, *ascensus*. Contra verò *descensus*, quod ad rem præsentem attinet appellatur, cum ab vniuersali ad singularia descendimus & per eum ad probandam propositionis vniuersalis falsitatem, instantiam, vt dicitur, damus, quæ est, eum in aliquo particulari non ita rem habere ostendimus, sicut per vniuersalem propositionem prædicatur. Quare immeritò Laurentius Valla *lib.* 3. *de Dialect. cap.* 28. Inductionem respuit tanquam inutilem argumẽtationem, nam esse vtilem docet Aristoteles 2. *Prior cap.* 29. 2. *Poster. tex.* 4. 1. *Ethic. cap.* 7. *& in proœmio Met.* 2. *Phys. in initio. & lib.* 5. *cap.* 2. *&* 2. *de gen. animal.* & passim alibi Inductione vtitur. Cuius vtilitates duas præcipuè esse tradit, tum ad principiorum leuem aliquam probationem, aut certè explicationem, tum ad definitiones inueniendas, quæ causa Socrati fuit, vt diximus, vt Inductionem maximè familiarem haberet, & Aristoteles *in lib.* 3. *de gen. animalium. &* 8. *Phys. cap.* 3. monet, sensui interdum magis esse credendum, quo Inductio vtitur, quam Intellectui. Adhibuit præterea Plato non raras Inductiones præsertim in Phædone. Cic. etiam in Maniliana. Poëtis denique frequentissima est, & imprimis Ouid. 4. *trist. Eleg.* 3.

Ascensus & Descensus quid?

Instantiam dare quid?

Inductionis vtilitas.

Notandum secundò. Inductio est oratio qua à singularibus ad vniuersalia progredimur, Ita Aristoteles 1. *Top. cap.* 10. Ad quam

Inductio quid?

quam definitionem sapienter alij addidetunt: *à singularibus sufficienter enumeratis.* Quanquam nec id Aristoteles omisit.nam 2. *Prior. cap.* 29. & 30. cauet Inductionem fieri nõ recensitis omnibus singularibus. Id autem intelligendum est, vel actu vel potentia, hoc est, vt vel omnia planè enumerentur, aut certè aliquibus veritatẽ adiungamus,& sic de cæteris. Quo loquendi modo vtitur Aristoteles 1. *Post. text.* 1. *cap.* 5. & 6. *Prædicam.* 2. *Top. c.* 2. & Plato *in Gorgia.* Galenus etiam id faciendum docet. 2. *lib. de simplici medicamentorum facultate. cap.* 40. Exemplum Inductionis, vt: *Nec Crœso aurum, nec Achilli vires nec eloquentia Demosthenì, nec Alexandro gloria fœlicitatem afferre potuerunt, & sic de cæteris, ergo nulli homini vlla res caduca beatitudinem parere potest.*

Illatio in Inductione fieri debet distributiuè.

Notandum tertiò. Vt rectè fiat per Inductionem illatio, debet distributiuè & non collectiuè ueri. Quam ob causam mala est hæc illatio: Hæc gutta nõ cauat lapidem, neque hæc, neque illa, & sic de cæteris, ergo nulla, dicendum enim fuit, ergo nulla seorsum, omnes enim simul cauant lapidem. Item mala est hæc illatio: homo naturæ viribus potest deuitare hoc peccatũ veniale, & hoc & illud,& sic de cæteris,ergo omnia: dicẽdum enim fuit,ergo quodlibet seorsum.

Notandum quartò. Inductio non est consequentia formalis, nisi ad Syllogismum reuocetur, de qua re posteà. Vt autem sit bona illatio, secundo loco obseruandum id est; vt singularia quæ enumerantur, si per se nota non sunt, ita vt insit in singulis per se aliquod principium, ratione cuius aliquid de illis prædicamus, quæ ex singulorum enumeratione consciitur, necessaria non sit Argumentatio, sed interdum erit probabilis; interdum etiam sophistica & falsa, vt: hic ignis calefacit, & ille ignis calefacit, & sic de cæteris: Ergo omnis ignis calefacit, valet consequentia, quoniam deprehendimus esse in igne aliquod principium, quod per se fit causa in hoc & illo calefactionis, & propterea rectè colligimus vniuersalem propositionem, ergo omnis ignis calefacit. Quam Argumentationem malè negat, inquit Aristoteles 8. *Top. cap.* 2. qui aliquam instantiam non dat.

DE EXEMPLO.

Exemplum quid?

*E*Xemplum ex Aristotele 2. *Rhet. cap* 11. Est illatio à singulari ad singulare, & 2. *Prior. cap.* 30. Exemplum, inquit, est,cũ ex vna propositione aliam inferimus propter similitudinem, vnde vocat Argumẽtationem à parte ad partem, & Alpharabius in sua Dialectica dicit Exemplũ esse à particulari ad particulare. Et Boët. Exemplum vocat, cùm per particulare propositum, particulare quoddam intendimus ostendere. Ex quo sequitur rectè ab Aristotele 1. *Rhet. c.* 1. Inductionem imperfectam appellari. De hac re lege Quintil. *lib.* 5. *cap.* 11.

Exemplum duplex.

Notandum secundò Duplex Exemplũ esse dicitur. *Primum* Ex rei gestæ autoritate, quod Rhetores ab historia vocant. *Secundum,* Ex re conficta, quod iterum duplex est. Aut *parabola* aut *apologus.* Exemplum ab historia est: *Dionysio custodiæ non sunt concedendæ, quia his acceptis Pisistratus tyrannidem occupauit.* Exemplum parabolæ. *Quẽadmodum agricola maximo cum labore terram excolit, ac terræ semina mandat & magna deinde cum voluptate fructus colligit: ita qui studiis addiscendis operam nauat, magna deinde cum lætitia, gloriam quæ inde venit reportabit.* Exemplum apologi est tritum illud apud Aristotelem 2. *Rhet. cap.* 20. de Thesicor. qui vt Imereis persuaderet, ne Phalaridi creato Imperatori custodias darent, vsus exemplo est equi, cuius cùm pascua Ceruus quondam depopularetur; hominemque adiisset, vt se contra ceruum vlcisceretur, conuenit cum vtroque de sella & freno, vt homo equo conscẽso & insignato incutiens in ceruum, hasta eum confoderet, quo factum fuit, vt loco capiendæ de ceruo vindictæ in seruitutem equus redigeretur.

Notandum Tertiò. Exemplum tribus constat, duobus singularibus vt minimum,& termino quodã communi in quo vtrumque conueniat, quale est illud Aristotelis, *Thebanos contra Phocenses bellum gerere non conuenit, ergo neque Athenienses debet, bellum* Theba-

Thebanis inferre. Vt autem Exemplum vim habeat, addi debet quartus quidam alius terminus extrinsecus, qui semper saltè includitur vel supprimitur, vt in eodem exẽplo, iste terminus, quia confines sunt, tum ptimi tum secundi.

Notandum Quartò. Exemplum non est consequentia formalis, nisi ad Syllogismum reducatur, de quo postea.

CAPVT III.

De Syllogismo.

Syllogismus quid? *Syllogismus* (qui est teste Boët. 2. *de differentijs Top.* Omnis probationis caput) *est oratio illatiua, in qua quibusdam positis, aliud quid ex necessitate accidit, ab ijs quæ posita sunt, eo quod hæc sint.* Sic Aristoteles *1. Prior. cap. 1.* Huius definitionis genus est *oratio illatiua.* Quanquam enim Aristoteles solam orationẽ in definitione posuit, tamẽ quia oratio remotum tantum genus est, hanc particulam addendam censuimus, præterquam quod nonnulli, quod apud Aristotelem Græci est λόγος, *argumentationem* reddunt, de qua re ibid. agemus. Cætera sunt loco differẽtiæ: *Quibusdam,* &c. debent enim in Syllogismo ante conclusionem plures esse propositiones, hoc enim differt Syllogismus inter cætera ab aliis argumentationum formis. *Positis,* id est, aut concessis, vt quidã volũt, aut dispositis secundùm certam quandam formam. Per hanc tamen particulam Alex. & Doctores Louanienses reijci putant ab hac Syllogismi definitione Hypotheticos Syllogismos, nam per *Positis* idem esse volunt, quod *non Suppositis.* Sed de hac re cum eo peruentum fuerit ex instituto dicemus. Interim tamen nobis videtur posse Hypotheticos Syllogismos sub hac definitione rectè comprehendi, quod inter alia docet Boët. *lib. 2. de differentijs Top.* Et vt plurimum si per *positis* intelligere velimus *suppositis,* quæ ex torta tamen videtur esse expositio, excluderentur duntaxat Syllogismi conditionales. *Aliud quid.* hoc est Conclusio, seu quod per præmissas probatum est; nam semper est quid distinctum ab illis. *Ex necessitate.* Dicitur hoc ad denotandam consequentiæ bonitatem, seu quod consequentia formalis esse debeat. *Eo quod hæc sint,* id est, vi præmissarum, propter aptam earum collocationem.

Notandum secundò. In Syllogismo duo sunt: *Materia & forma.* Materia duplex: *Proxima & Remota.* Proxima, sunt propositiones quæ sunt vel necessariæ, vel contingentes, vel remotæ. Remota sunt tres termini, *Medius, Maior & Minor.* *Partes Syllogismi.* *Quorum omnium hæc potest esse ratio.* Per Syllogismum debet quæstio aliqua probari; quæstio duobus constat terminis, *prædicato & subiecto.* Vt igitur quæstio probetur, assumi debet alius terminus, qui cum duobus præcedentibus vel coniungatur, vel separetur, & hic vocatur *medius terminus.* Et quia cum vtroque termino in vna propositione aptè coniungi nequit, duæ debent esse propositiones, quæ quæstioni probandæ inseruiant, quæ quæstio integra tantum manet in Conclusione, ac proinde tertia quædam alia propositio est necessaria.

Notandum tertiò. Terminus qui bis ponitur in præmissis, vt ex dictis colligi potest appellatur *medius* siue *medium,* nec ponitur vnquam in conclusione, ille autem qui in maiore propositione ponitur, & etiã in cõclusione, vocatur *maior extremitas,* vel *maior terminus.* Denique qui ponitur in minore propositione, & in conclusione, vocatur minor, & quidem maior extremitas semper in conclusione si directa sit, prædicatur; minor autem subijcitur. Vnde malè quidam maiorem extremitatem esse dixerunt, quæ de medio prædicatur. Ideoque maiorem appellari, quod prædicari nobilius quid sit, quam subijci. Est enim id verum sit in prima figura, non tamen in cæteris, in quibus aut mediũ semper prædicatur, aut semper subijcitur.

Notandum quartò. Forma Syllogismi est apta dispositio præmissarum in figura & modo. Figura est apta collocatio terminorum secundùm subiectionem & prædicationem. Modus apta dispositio præmissarum secundùm quantitatem & qualitatem. *Forma Syllogismi.*

Notandum quintò. Quoniam triplex esse potest Medij cum terminis habitudo secundùm prædicationem vel subiectionẽ;

triplex

triplex etiam figura consurgit. Aut enim primo Medium partim subijcitur in prima propositione, partim prædicatur in minori, & est *prima figura*. vt: *omnis virtus est laudanda, Iustitia est virtus, ergo Iustitia est laudanda*. Quæstio probanda erat, *Iustitia est laudanda*, quæ subiecto & prædicato constat; medium est *virtus*, quod medium in maiori subijcitur maiori extremitati, id est, laudãda, in minore autem idem medium prædicatur de minore extremitate, nempè de Iustitia. *Secundò*. Potest medium in vtraque propositione prædicari, & est secunda figura, vt: *nullus lapis est sensibilis, omnis homo est sensibilis, ergo nullus homo est lapis*. Quæstio probanda fuit, *nullus homo est lapis*, cuius subiectum est *homo*, prædicatum *lapis*. medium est *sensibilis*, quod interdum in maiore prædicatur de maiori extremitate, scilicet, de lapide, in minore autem de minore extremitate, nempè de homine. *Tertiò* potest medium in vtraque propositione subijci, vt: *omnis homo est risibilis, omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale est risibile*. Huius Syllogismi quæstio probanda fuit, *aliquod rationale est risibile*, cuius subiectum est *rationale*, prædicatum *risibile*, medium est *homo*, qui in maiore subijcitur maiori extremo, hoc est, prædicato quæstionis, in minore autem subijcitur minori extremo, id est, subiecto eiusdem quæstionis.

Modi figurarum. *Notandum sextò*. Modi omnes omnium figurarum his versibus comprehenduntur; quos mox subijciemus; ad quorum intelligentiam notandum est quod antè diximus, vocalem A esse notam propositionis vniuersalis affirmatiuæ, E vniuersalis negatiuæ, I particularis affirmatiuæ, O particularis negatiuæ. Item in singulis horũ ipsorum vocabulis habenda est ratio triũ tantum primarum syllabarum, quarum prima designat maiorem, secunda minorem, tertia conclusionem. Ex his etiam versibus quidam pertinent ad primam figuram, nempè duo primi, alij ad secundã, nempè quatuor primæ dictiones tertij versus. Reliquæ dictiones ad tertiam Obseruãdum etiam est, quosdam vocari modos *directos*, alios *indirectos*. *Directi* sunt in quibus maior extremitas prædicatur in Conclusione de minore, *Indirecti* autem in quibus minor de maiori. Nec idem esse modum indirectum & inutilem, vt paulò post. Et colligi potest ex Aristotele 1. *Prior. cap. 7.* De triplici autem figura meminit Aristoteles *eodem lib. cap. 22.* Deniq; quod maius extremum sit id quod prædicatur in Conclusione directa, refert Alex. ex quorundam sententia. 1. *Prior. cap. 5.* Vbi tamen ipse & Auerroes malunt maius extremum dici, quod situ & positione primum locum obtinet. Quæ sententia non videtur esse vera. nam sæpè apud Aristotelem eiusque interpretes obseruare est, non semper maiorem propositionem, in qua maius extremum sedem habet, priore loco collocari, sed eam quæ secundum rei materiam minor est, in qua nimirum minor extremitas ponitur. Quare maior propositio ea semper dicatur esse, in qua maius extremum cum medio coniungitur, minor in qua minus cum medio. Porrò versus quibus dictarum figurarum modi contineantur, hi sunt:

Barbara, Celarent, Darij, Ferio, Baralipton,
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison.

CAPVT IV.

De sufficientia modorum, & de Regulis tum proprijs tum communibus cuique figuræ.

MOdus, vt diximus, est dispositio præmissarum secundùm quantitatem & qualitatem. *Modi Syllogismorũ quot?* Sexdecim autem potissimum modis potest quantitatis & qualitatis fieri combinatio. *Primò*. Vt vtraque propositio sit vniuersalis affirmatiua. *Secundò*. Vtraque vniuersalis negatiua. *Tertiò*. Vna vniuersalis affirmatiua, altera vniuersalis negatiua. *Quartò*. Vna vniuersalis negatiua, altera affirmatiua. *Quintò*. Prima vniuersalis affirmatiua, altera particularis affirmatiua. *Sextò*. Prima vniuersalis affirmatiua, secunda particularis negatiua. *Septimò*. Prima vniuersalis negatiua, secunda particularis affirmatiua. *Octauò*. Prima vniuersalis negatiua, secunda particularis negatiua. *Nonò*. Vtraque particularis affir-

matiua *Decimò* Vtraque particularis negatiua. *Vndecimò*. Vna particularis affirmatiua, alia particularis negatiua. *Duodecimò*. Vna particularis negatiua, secunda particularis affirmatiua. *Decimotertiò*. Prima particularis affirmatiua, secunda vniuersalis affirmatiua. *Decimoquartò*. Prima particularis affirmatiua, secunda vniuersalis negatiua. *Decimoquintò*. Prima particularis negatiua, altera vniuersalis affirmatiua. *Decimosextiò*. Prima particularis negatiua, secũda vniuersalis negatiua. Quas omnes combinationes harum literarum notis præ oculis habere possumus.

A A,	E E,	A E,	E A,	A I,	A O,	E I,	E O,
1	2	3	4	5	6	7	8
I I,	O O,	I O,	O I,	I A,	I E,	O A,	O E,
9	10	11	12	13	14	15	16

aa	*ae*	*ai*	*ao*
ee	*ea*	*ei*	*eo*
ii	*ia*	*ie*	*io*
oo	*oa*	*oe*	*oi*

Ex his combinationibus, quibus plures fingi non possunt, nisi, quod aliqui alij faciunt, conferamus propositionem indefinitam cum vniuersali ratione affirmationis, vel negationis, tum enim essent triginta sex, vel nisi etiam conferamus propositiones singulares cum vniuersalibus, quo pacto combinationum numerus extra sexagenarium excresceret; nam indefinitæ propositiones ratione materiæ contingentis, aut necessariæ, sunt vel vniuersales, vel particulares, singulares verò propositiones in solis *Syllogismis Expositorijs* quos vocant, reperiuntur, de quibus non agemus. Ex his, inquam, combinationibus nouem solæ vtiles sunt, vt ex sequentibus regulis patebit.

Regulæ communes omnibus figuris.

I.

Prima Regula. *Ex puris particularibus nihil in vlla figura vi formæ seu formalis consequẽtia sequitur. Colligitur ex Aristot. 1. Prior. cap. 7.* Ratio est: Quoniam ex vi vnionis duorum extremorum cum medio, non sequitur vnio extremorum inter se. Exemplum, vt aliquod viuẽs est animal, aliquod viuens est planta, ergo aliqua planta est animal, non sequitur. Propter hanc regulam inutiles censentur, quatuor combinationes II, OO, IO, OI.

II.

Secunda Regula. *Ex puris negatiuis*, id est, quæ vim tantum negandi habent, *nihil sequitur in omni figura*. Ratio: Quia cum duæ negatiuæ dicant disconuenientiam non possunt affirmatiuam Conclusionem inferre, nec etiam negatiuam. Ex eo enim quod duo distinguãtur à tertio, non sequitur inter se distingui. Hæc ratio est D. Tho. *opusc.* 47. Exemplum, vt: nullus homo est equus, nullum brutum est homo, ergo nullum brutum est equus, non sequitur. *Obijcies*. Bona est huius Syllogismi illatio: *Omne quod non est animal non est homo, lapis non est animal, ergo non est homo* Respondeo, Quod maior propositio æquiualet huic affirmatiuæ, *omnis homo est animal* Sub qua propositione si præcedentis Syllogismi minor subsumatur, fiet Syllogismus in secunda figura in modo *Camestres* Propter hanc Regulam nihil valent hæ combinationes. EE, EO, OE, OO, quam vltimam combinationem OO, alia de causa in præcedente etiam regula reiecimus. Sic ergo 7. ablatæ sunt, restant ergo tantum nouem.

III.

Tertia Regula. *Conclusio sequitur debiliorem partem, tũ ratione quantitatis, tum ratione qualitatis*: hoc est, si qua ex præmissis fuerit particularis, & conclusio particularis erit. Si qua negatiua, etiam & conclusio. An autem id verum sit in Syllogismis ratione modorum, quia multæ difficultates examinandæ sunt, *in lib. Prior.* nihil hoc loco dicemus, Ratio est. Quia Conclusio ex præmissis quodammodo efficitur, siue sit tantum effectus, siue etiam pars Syllogismi. Hæc est autem effectus Conditio, vt causæ debilitatem & imperfectionem sequatur.

IV.

Quarta Regula. Medium in altera præmissarum saltem completè distribuendum est, id est, vniuersè sumendũ pro omni eo, pro quo sumi potest. Item: *Medium quod non fuit distributũ in Antecedente, nec in Consequente distribui debet*. Defectu primæ non valet hic Syllogismus: *omne animal fuit in arca Noë, Bucephalus est animal, ergo Buceph. fuit in arca Noë*, nam in minore propositione, animal, quod est medium, non fuit distributũ, in maiore aũt non fuit cõpletè & perfectè distributũ, id est, pro singulis speciebus & indiuiduis animalium, seu quod dicebamus pro singulis generũ, sed tantum pro generibus singulorum. Defectu secundæ nõ valet: *omne animal sentit; omne animal*

est

est substantia, ergo omnis substantia sentit, nã *substantia* quę in minore nō distribuitur, in conclusione distribuitur. Et hæc de regulis pertinẽtibus ad omnes figuras in cõmuni.

Figura Syllogismorum. Quod verò ad singulas attinet, singulæ singulos habent modos suos, vt ante diximus. Prima nouẽ, qui comprehendũtur duobus primis versibus, quorum primi quatuor sunt directi, cæteri indirecti. Secunda habet quatuor, comprehensos quatuor dictionibus tertij versus. Tertia habet sex reliquos. An autem in secunda & tertia figura præter directos sint modi indirecti, controuersia est inter Dialecticos. Nyphus & Burleus affirmant, cæteri communiter negant, & quidẽ merito, nã quos illi alios modos indirectos inuehunt, non differunt a directis earundem figurarum modis, nisi sola duntaxat vel præmissarum trãspositione, vt videlicet maior fiat, quæ ante erat minor, & contrà vel cõclusionũ conuersione. *Quamuis ergo* non sint modi indirecti in secunda & tertia figura, omnes tamen si cum modis primis, quatuor primæ figuræ conferãtur, imperfecti dicuntur, & propterea omnes vnà cũ quinque indirectis primæ figuræ, vt perfectam habeant inferendi vim, ad quatuor illos primæ figuræ modos reducuntur; de qua re paulò post.

I. *Proprietas primæ figuræ.* Quod verò attinet ad primam figuram: Primo, hoc est peculiare primæ figuræ: vt maxime nitatur omnis eius probandi vis duplici huic principio, *Dici de omni* & *Dici de nullo*. *Quid sit Dici de omni, & Dici de nullo?* Est autem duplicis rationis hoc principium duplex. Nam alterum vocatur *Posterioristicum*, pertinens ad libros Poster. & ad Syllogismum demonstratiuum. Alterum dicitur *Prioristicum* spectans ad lib. Priorum, & proprium Syllogismo in communi seu ratione formæ, qui ad hos libros spectat, scilicet, Priorũ. Discrimen verò inter vtrumque ponere, non est huius loci. Sensus autem huius principij est, quod quicquid affirmatur de subiecto aut negatur; etiam affirmetur vel negetur de eius subiecto, vt quia substantia dicitur vniuersaliter de animali, & homo continetur sub animali, dicitur etiã substantia de homine hoc modo, *omne animal est substantia: omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia.* Item, quia esse viuẽs negatur vniuersaliter de lapide, & Smaragdus continetur sub lapide, etiã de Smaragdo negabitur, hoc modo, *nullus lapis est viuens, omnis Smaragdus est lapis, ergo nullus Smaragdus est viuens.* Huius principij prima pars refertur ad primũ primæ figuræ Barbara, & ad tertium Darij. Secunda pars ad secundum, Celarent, & ad quartũ Ferio: vocatur etiam hoc principium regulatiuum omnium figurarum, quia ratione illius indirecti modi primæ figuræ, & omnes indirecti cęterarum ad quatuor primos primæ figuræ reuocantur.

Secunda proprietas primæ figuræ. *Secundò*, proprium est primæ figuræ, vt in ea omnes inferri Conclusiones possint, id est, affirmatiua vniuersalis, affirmatiua particularis, vniuersalis negatiua, & particularis negatiua. **III.** *Tertiò* ex Aristotele 1. *Prior. cap.* 4. Ex maiore particulari in prima figura nihil sequitur, vt *quædam substantia est viuens, omnis lapis est substantia, ergo quidam lapis est viuens.* Item, *quoddam animal est rationale, omnis leo est animal, ergo quidam leo est rationalis.* **IV.** *Quartò.* Ex eodem Aristotele *ibid.* Et hoc etiam primæ cum tertia conuenit, sicut præcedens cum secunda; *Ex minori negatiua nihil sequitur,* vt: *omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo nullus equus est animal.* Item *omnis homo est viuens, nulla planta est homo, ergo nulla plãta est viuẽs.* Et hę duæ vltimę regulæ intelligendæ sunt in modis directis, nã in indirectis ex minore negatiua infertur Conclusio, & vitatur illud incommodum falsæ illationis, quia fit particularis Conclusio per conuersionem, vt: *quædam substantia non est corporea, omnis lapis est substantia, ergo quoddam corporeum non est lapis.*

Proprietas secundæ figuræ. Quod attinet ad secundã figuram. *Primò* Proprium est illi, vt nitatur illi principio: *Quod repugnat Consequenti repugnat etiam Antecedenti*, vel quod idem est: *Ex opposito Consequentis, licet inferre oppositum Antecedentis,* vt: *omne animal mouetur, ergo omnis homo mouetur.* Si hæc propositio, *aliquis homo non mouetur*, tollit veritatẽ illius Consequentis, *omnis homo mouetur*, tollet etiam veritatem Antecedentis, *omne animal*

II. mal monetur. Secundò Ex Aristotele 1. Prior. cap. 5. Ex particulari maiore nihil sequitur, vt: quoddam animal est rationale, omnis homo est rationalis, ergo quidam homo non est animal. Tertiò ibid. Ex puris affirmatiuis ni-
III. hil sequitur, vt: omnis liberalitas est habitus, omnis Intemperantia est habitus, ergo omnis
IV. liberalitas est Intemperantia. Quartò. In secunda figura solum inferri potest Conclusio negatiua, tum vniuersalis tum particularis.

Proprietates tertiæ figuræ. Tertiæ figuræ proprium est: Primò, vt nitatur illi principio: Quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se. Quod est axioma Mathematicorum, & apud Eucl. lib. 1. Secundò. Ex Aristotele 1. Prior. cap. 6. Vt Conclusio semper sit particularis, aut affirmatiua, aut negatiua; vnde non valet, omnis virtus est habitus, omnis virtus est qualitas, ergo omnis qualitas est habitus. Tertiò. Ex minore negatiua nihil sequitur, vt: omnis homo est substantia, nullus homo est irrationalis, ergo quoddam irrationale non est substantia.

Notandum primò. Addi ad has figuras à Galeno aliam quartam, cùm medium in maiore prædicatur & in minore subijcitur; sed inutilis est hæc figura, vt aliàs pluribus. Nam differt tantum à prima præmissarum transpositione.

Notandum secundò. Quod ex his figuris prima est perfectissima, & maximè idonea Syllogismo Demonstratiuo. Ex Aristotele 1. Post. cap. 11. Nam vt diximus, omnem Conclusionem, & omne problema infert, sola etiam modos perfectos continet. Denique in ea sola medium habet verã medij rationem, tum in situ, tum in officio. Secunda autem figura secundum locum tenet, quia medium in vtraque præmissarum prædicatur: Nobilius autem est prædicari quam subijci, vnde infimum locum habet tertia, in qua medium semper subijcitur.

Notandum tertiò. Cùm Syllogismus non solum in recto, sed etiam ex obliquo fieri possit; ne decipiamur hæc esse præ oculis habenda. Primò. In modis negatiuis, si tantum affirmatiua sit de obliquo, nulla erit consequentia, vt: nulla causa prima est animal, formica est causa prima, ergo formica non est animal. Secundò. Si etiam modus sit negatiuus, & negatiua præmissa sit ex obliquo, poterit bona esse illatio; vt bruto non inest ratio; equus est brutum; ergo equo non inest ratio. Tertiò. Si modus sit affirmatiuus, & vtrisque ex præmissis, ex medio vel extremo obliquo, nihil sequitur, vt: omni homini inest memoria, omni homini inest color, ergo cuidam colori inest memoria. Item. Cuique regis est distribuere magistratus, Parasitus est regis, ergo Parasiti est distribuere magistratus.

CAPVT V.

De Reductione modorum indirectorum primæ figuræ & imperfectorum aliarum figurarum, ad quatuor primos primæ figuræ & quomodo possit ostendi recta illatio imperfectorum modorum.

Diximus capite præcedenti in prima figura quatuor esse directos, qui etsi ostendi possint, & explicari per principia illa duo, Dici de omni, & Dici de nullo, quibus innitũtur, non tamen illis eget, vt eorum probatio vim maiorem habeat, id enim faciunt in actu, vt dicunt, exercito, quod per illa principia in actu signato seu explicitè significatur. Alij autem omnes modi non solum expositione, sed etiã probatione egent; quam desumere possunt ex quatuor primis modis si ad eos reducantur.

Notandum secundò. Tripliciter ostendi potest modos omnes à primis quatuor rectè inferri. Primò. Ex iisdem propositionibus & terminis conuersa Conclusione aut vna vel vtraque præmissarum; aut solum transpositis præmissis illos reducendo ad quatuor modos primæ figuræ. Secundò. Ad Impossibile. Tertiò. Per Syllogismum Expositorium siue Ostensiuum. Quod ad primam attinet, Obseruandum est, quod omnes modi præter Baroco & Bocardo, ad primos quatuor dicta prima ratione reuocantur. Præterea sciendum est, quod omnes modi, qui incipiunt à litera B, reuocantur ad primum modum Barbara, qui verò inchoantur à C, ad Celarent, qui à D, ad Darij, qui à F, ad Ferio. Deinde in quibus est litera S, debent redu- *Syllogismi quomodo ad primam figuram reducẽdi*

ci per

ci per ſimplicem conuerſionem eius propoſitionis, in qua litera S locum habet. In quibus verò eſt litera P, debent reduci per Conuerſionem in parte, illius propoſitionis in qua dicta litera eſt. Denique in quibus eſt litera M; debet fieri reductio per tranſpoſitionem præmiſſarū, vt ſubeat maior in locū minoris, & minor ponatur loco maioris. Hinc ſequitur ad *Barbara* reuocari *Baralipton, Bocardo* & *Baroco*. Ad *Celarēt, Celantes & Caſare & Cameſtres*. Ad *Darij*; *Dabitis, Darapti, Diſamis, & Datiſi*. Ad *Ferio, Friſeſomorum, Feſtino, Felapton & Feriſon*. Item ſecundò ſequitur, Per ſimplicem Conuerſionem debere reduci *Ceſare*, conuerſa maiore vniuerſali negatiua ſimpliciter. *Cameſtres*, vniuerſali minore negatiua. *Diſamis*, conuerſa particulari affirmatiua in particularem affirmatiuam. *Friſeſomorum*, conuerſa etiam particulari affirmatiua maiore. Tertiò ſequitur, Reduci ad primam figuram *Darapti*, conuerſa minore propoſitione vniuerſali in parte; *Felapton*, conuerſa etiam minore vniuerſali in parte.

Modi indirecti primæ figuræ.

Modi indirecti primæ figuræ ad quatuor primos ſic reduci poſſunt. Primò *Baralipton* ad *Barbara*, ſi cōuertatur Cōcluſio particularis affirmatiuæ, in parte, id eſt, in vniuerſalem affirmatiuam) vt *omne animal eſt ſubſtantia: omnis homo eſt animal, ergo aliqua ſubſtantia eſt homo* ſic fiet reductio, ſi dicamus, *omnis homo eſt ſubſtantia*. Secundò *Celantes* ad *Celarent* reducitur, ſi Concluſio ſimpliciter conuertatur hoc modo: *nullum animal eſt lapis, omnis homo eſt animal, ergo nullus lapis eſt homo*, ſic fiet reductio ſi dicamus, *ergo nullus homo eſt lapis*. Tertiò. *Dabitis ad Darij*, conuerſa Concluſione ſimpliciter, vt: *omne corpus eſt ſubſtantia, quoddam animal eſt corpus, ergo quædam ſubſtantia eſt animal*, fiet reductio, dicendo, *ergo quoddam animal eſt ſubſtantia*. Quartò. *Fabeſmo* ad *Ferio*; ſi maior propoſitio cōuertatur in parte, minor ſimpliciter, & tranſponantur propoſitiones, id eſt, vt ex minore fiat maior, & contra, vt: *omne corpus eſt ſubſtantia, nullum accidens eſt corpus, ergo quædam ſubſtātia non eſt accidens*, ſic fiet reductio: *nullum corpus eſt accidens, quædam ſubſtantia eſt corpus, ergo quædam ſubſtantia non eſt accidens*. Quintò. *Friſeſomorum* ad *Ferio*, ſi conuertatur maior particularis affirmatiua ſimpliciter, & tranſponantur propoſitiones, vt: *quoddam corpus eſt ſubſtantia, nullum accidens eſt corpus, ergo quædam ſubſtantia non eſt accidens*, ſic fiet reductio; *nullum corpus eſt accidens, quædam ſubſtantia eſt corpus, ergo quædam ſubſtantia non eſt accidens*.

Syllogiſmi quomodo ad primam figuram redu.

Modi ſecundæ figuræ.

Secundò, Modi ſecundæ figuræ, ſic reducuntur ad quatuor primæ. *Primò Ceſare* ad *Celarent*, ſi conuertatur maior vniuerſalis negatiua ſimpliciter, vt: *nullus lapis eſt viuens, omnis equus eſt viuens, ergo nullus equus eſt lapis*. Sic fiet reductio: *nullum viuēs eſt lapis, omnis equus eſt viuens, ergo nullus equus eſt lapis. Secundò Cameſtres* ad *Celarent*, ſi fiat tranſpoſitio præmiſſarum, & minor vniuerſalis negatiua, atque Concluſio vniuerſalis etiam negatiua ſimpliciter conuertantur, vt: *omnis equus eſt viuens, nullus lapis eſt viuens, ergo nullus lapis eſt equus*, ſic fiet reductio; *nullum viuens eſt lapis, omnis equus eſt viuens, ergo nullus equus eſt lapis*. *Tertiò. Feſtino* ad *Ferio*, cōuerſa maiore vniuerſali negatiua ſimpliciter, vt: *nullus lapis eſt viuens, quidā equus eſt viuēs, ergo quidam equus non eſt lapis*, ſic fiet reductio: *nullum viuens eſt lapis, quidam equus eſt viuens, ergo quidam equus non eſt lapis. Quartò. Baroco*, hoc modo reduci non poteſt, vt infrà dicam.

Modi tertiæ figuræ.

Tertiò. Modi tertiæ figuræ ita reducuntur. *Primò. Darapti*, ad *Darij*, minor propoſitio vniuerſalis affirmatiua conuertatur in parte, vt: *omnis homo eſt animal, omnis homo eſt ſubſtantia, ergo quædam ſubſtantia eſt animal*, ſic fiet reductio: *Omnis homo eſt animal, quædam ſubſtantia eſt homo, ergo quædam ſubſtantia eſt animal. Secundò Felapton* ad *Ferio*, conuerſa item minore vniuerſali affirmatiua in parte, vt: *nullus homo eſt irrationalis, omnis homo eſt riſibilis, ergo quoddam riſibile non eſt irrationale*, ſic fiet reductio: *nullus homo eſt irrationalis, quoddam riſibile eſt homo, ergo quoddam riſibile non eſt irrationale. Tertiò Diſamis* ad *Darij*, conuerſa maiore particulari affirmatiua & Concluſione particulari item affirmatiua, & tranſpoſitis præmiſſis, vt: *quædam ſubſtan-*

tia est corporea, omnis substantia est ens, ergo quoddam ens est corporeum, sic fiet reductio: *omnis substantia est ens: quoddam corporeum est substantia, ergo quoddã corporeum est ens.* *Quartò, Darisi* ad *Darij*, conuersa minore particulari affirmatiua simpliciter, vt: *omne corpus est substantia quoddã corpus est ens, ergo quoddam ens est substantia*, sic fiet reductio: *omne corpus est substantia, quoddam ens est corpus, ergo quoddam ens est substantia.* *Quintò, Bocardo* non reducitur hoc modo, propter causam quam infrà dicemus. *Sextò. Ferison*, reuocatur ad *Ferio*, conuersa minore particulari affirmatiua simpliciter, vt: *nullus homo est irrationalis, quidam homo est risibilis, ergo quoddam risibile non est irrationale*, sic fiet reductio, *nullus homo est irrationalis, quoddam risibile est homo, ergo quoddam risibile non est irrationale.*

Ratio horum omnium. Ratio horum omnium est illa Regula, de qua supra diximus: *Quicquid sequitur ex Consequenti bona Consequentia, sequitur etiam ex Antecedenti.* Et: *Ex quocunque sequitur Antecedens, sequitur etiã Consequens.* Vnde fit, vt quicquid sequitur ex propositione conuertente, etiam sequatur ex cõuersa, quoniam conuertens se habet ad conuersam, vt Antecedens ad Consequens, & hinc etiam fit, vt ex quo sequitur conuersa, sequatur etiam & conuertens: Atque simul & semel hac ratione data sunt à nobis omnium modorum cuiusuis figuræ exempla.

SECVNDVS MODVS *ostendenda & probanda recta Syllogismorum illationis,*

Reductio ad Impossibile in prima figura. Et *ad Impossibile*, qui etsi propter *Baroco* & *Bocardo* potissimũ inuentus sit, quoniam modi illi non possunt præcedenti ratione ostendi, tamen in omnibus etiam modis indirectis primæ figuræ & cæteris aliarum figurarum locum habere potest. In prima ergo figura fiet hæc reductio ad Impossibile: si nimirum negata fuerit consequentia, nam hæc reductio tum tantum fit nõ solum in hac figura, sed etiam in cæteris. Fiet inquam Reductio in prima figura, si concessis præmissis sumatur contradictorium Conclusionis negatæ, & construatur alius Syllogismus, in quo dictum contradictorium habeat locum maioris propositionis retenta eadem maiore præcedentis Syllogismi, sic enim inferetur contradictoriũ minoris propositionis quę in Syllogismo præcedente concessa fuerat, vt si negetur Conclusio huius modi *Baralipton*; omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo quædam substantia est homo. Accipiatur contradictorium huius conclusionis, nulla substantia est homo, sic fiet Syllogismus ducens ad Impossibile in *Celarent*; nulla substantia est homo, omne animal est substantia, ergo aliquis homo non est animal. At hoc est cõtradictorium minoris propositionis concessæ in Syllogismo, omnis homo est animal, &c. Et hæc eadem ratio seruari debet in alijs modis, nisi quod in *Celantes*, contradictoria Conclusionis debet sumi pro minori, & minor Syllogismi illius pro maiori, vt: nullus homo est lapis, omne rationale est homo; ergo nullus lapis est rationalis. Sumatur contradictoriũ Conclusionis, aliquis lapis est rationalis, fiatq; minor propositio in hoc Syllogismo, omne rationale est homo, aliquis lapis est rationalis, ergo aliquis lapis est ho o. Et per conuersionem huius propositionis sequetur, ergo aliquis homo est lapis, quod est contradictorium maioris concessæ in præcedente Syllogismo, nullus homo est lapis.

In secunda figura. *Secundò. In secunda figura* debet sumi contradictorium Conclusionis pro minore cũ eadẽ maiore, ex quibus inferetur Contradictoriũ minoris in præcedente Syllogismo cõcessæ, vt nullũ irrationale est risibile, omnis homo est risibilis, ergo nullus homo est irrationalis. Si negetur Conclusio, sumatur contradictorium eius, aliquis homo est irrationalis, sic fiet Syllogismus, nullum irrationale est risibile, aliquis homo est irrationalis, ergo aliquis homo non est risibilis, quod est contradictorium minoris concessæ, omnis homo est risibilis. Eadem ratio in cæteris obseruanda est.

In tertia figura. *Tertiò. In tertia figura* sumi debet contradictorium Conclusionis pro maiore propositione cum eadem minore, sicque inferetur contradictorium maioris concessæ, vt in *Bo-*

in *Bocardo:* aliquis lapis non est animal, omnis lapis est corpus, ergo aliq; corpus non est animal. Si negetur Conclusio, sumatur contradictorium eius, id est, omne corpus est animal, & facta ex illo maiore propositione, sic construatur Syllogismus, omne corpus est animal omnis lapis est corp⁹, ergo omnis lapis est animal, quod est contradictorium maioris concessæ, aliquis lapis non est animal. *Ex his patet,* quomodo duo illi modi *Baroco & Bocardo,* per Impossibile reuocandi sint ad *Barbara,* nec enim vt diximus reuocari possunt prima illa reductione, nam vterque habet propositionem negatiuam particularem, alteram autem vniuersalem affirmatiuam, negatiua verò particularis non potest conuerti, nec simpliciter, nec in parte. At verò vniuersalis affirmatiua cōuertenda esset in particularem affirmatiuam, quia in affirmatiuam si conuerteretur, essent propositiones omnes vniuersales, si autem conuertatur in particularem, Syllogismus esset ex duabus particularibus, quod fieri non potest.

In tertia figura.

Quinq; autem modi Indirecti ad quos modos primæ figuræ reduci debeant, solet his dictis indicari: *Nesciebatis, odiebam, latare, Romanis,* in quib⁹ animaduertendū est, litteram A, significare modum *Barbara,* E, *Celarent,* I, *Darij,* O, *Ferio.* Prima dictio continet quinque syllabas, quibus significatur quinque modos primæ figuræ indirectos reducendos ad quatuor primos, vt prima syllaba Nes. significat *Baraliptō,* qui est primus inter indirectos reducendum esse ad *Celarent,* & sic de cæteris. Potest hoc idem significari hoc versu:

Phœbifer axis obit terras, æthrāq; quotannis.

Vbi idē artificium cernitur; & primæ duæ dictiones sunt pro qu nque indirectis primæ figuræ, duæ secundæ pro secunda figura, vltimæ duę pro tertia. *Fundamētum autem & ratio reductionis ad Impossibile est,* quia duo contradictoria non possunt esse simul vera aut falsa, quare si Syllogismi cōclusio falsa est, eius contradictorium verum erit. Item cum consequentia non est bona, potest dari antecedens verum & cōsequens falsum, quare contradictorium consequentis potest esse verum cum Antecedente. Cum igitur sumpto contradictorio Conclusionis inferatur Antecedentis contradictorium, sequitur Antecedens prius fuisse verum, nec potuisse negari cōsequentiam. *Denique quæ dicta sunt* de duplici hac probatione per conuersionem & ad Impossibile, possunt memoriæ causa his versibus comprehendi. Prior quidem modus hoc disticho:

Fundamentum Reductionis ad Impossibile.

S vult simpliciter verti, P verò per acci.
M vult transponi, C per Impossibile duci.

Quibus vltimis verbis significatur, cum in aliqua dictione ex versibus qui modos figurarum continent, occurrit litera C in medio dictionis, esse modos illos probandos per Impossibile. Probatio autem per Impossibile, quemadmodum in hac quoque figura fieri debeat, hoc disticho denotatur:

Maior fit minor & fit contradictio maior,
Dempto Celantes, cum quo peruertitur ordo.

Qui duo versus sunt pro modis indirectis primæ figuræ: Pro secunda figura versus:

Seruat maiorem variatq; secunda minorem.

Pro tertia figura:

Tertia maiorem variat, seruatque minorem.

In tertia figura.

Tertius modus probandi imperfectorum Syllogismorum, *Est per Syllogismum Expositorium,* pro quo sciendum est hunc Syllogismum cōstare medio termino singulari quem Alex. 1. *Prior. cap.* 2. & 6. appellat *Demonstrationem sensibilem.* Quia autem termino singulari naturale est subijci, non autem prædicari, & quia in tertia figura semper medium subijcitur; hinc est quod Aristoteles hoc tantum modo vsus est ad reducendos modos tertiæ figuræ, cū tamen & in omnibus figuris locum habere possit hic Syllogismus, & probari earūdem figurarum Syllogismi per illum, & *primò quidem, si vtraque præmissa* sit singularis, duplex modus dicti Syllogismi in prima figura esse potest. *Tres in secunda, duo in tertia. In prima primus modus* erit ex vtraque affirmatiua, vt: Petrus est Dialecticus, hic homo est Petrus, ergo hic homo est Dialecticus. *Secundus modus primæ figuræ,* cùm maior est negatiua, minor affirmatiua, vt: Petrus non est mercator, hic homo

Syllogismus Expositorius.

homo est Petrus, ergo hic homo non est mercator. *In secunda figura Primus modus* est ex vtraq; affirmatiua, nec n. locum habent in hoc Syllogismorum genere, quæ supra traditæ sunt regulæ ad omnes figuras, quæ tantũ sunt de termino cõmuni, vt Marc. Tull. est Cicero, hic homo est Cicero, ergo hic homo est Marc. Tul. *Secundus modus* ex negatiua & affirmatiua, vt: Ioannes non est Paulus, hic homo est Paulus, ergo hic homo non est Ioannes. *Tertius modus* ex affirmatiua & negatiua, vt: Aristoteles est filius Nicomachi, hic homo nõ est filius Nicomachi, ergo hic homo non est Aristoteles. *In tertia figura primus modus est* ex vtraque affirmatiua, vt: Beatissima Maria est mater, beatissima Maria est virgo, ergo quædam virgo est mater. *Secundus modus* ex negatiua & affirmatiua, vt: beata Maria non habuit peccatum, beata Maria est homo, ergo quidã homo non habuit peccatum. Vbi etiam notandum est, quod si *terminus minor* sit singularis per primum modum in tertia figura potest fieri illatio affirmatiua, per secundum negatiua, vt videri potest in exemplis. *Si autem solum medium* sit terminus singularis, poterit Syllogismus Expositorius in omnibus modis primæ figuræ fieri, in quibus tamen semper maior erit singularis propter medium singulare quod subijcitur. Poterit etiã fieri in omnibus modis secundæ figuræ, qui sunt negatiui, & in quibusdam alijs qui sunt affirmatiui, vt primus sit ex vtraque affirmatiua vniuersali, inferens vniuersalem, vt: omne astrum faciens diem est hic Sol; omnis planeta qui est in quarto cælo, est astrum faciens diem. Secundus ex vniuersali & particulari affirmatiua inferens particularem. Tertius ex particulari & vniuersali inferens vniuersalem; vbi etiam vt semel monuimus, non obseruantur regulæ illæ communes, quarum vna est, vt Conclusio sequatur debiliorem partem. Quartus ex vtraque affirmatiua inferens particularem affirmatiuã. *Vltimò In tertia figura* possũt esse dicti tantum duo modi.

Qui reducãtur.

Obseruandum est autem, quod vt dicebamus, possunt isti Syllogismi reduci ad directos modos primæ figuræ, isti inquam Syllogismi secundæ figuræ affirmatiui, vt primus & tertius ad primum, secundus & quartus ad tertium, facta solum conuersione maioris propositionis, id est, vniuersalis affirmatiui in vniuersalem affirmatiuam, etiamsi supra diximus, vniuersalem affirmatiuam conuerti per accidens & per contrapositionem, nam loquebamur in ordine ad Syllogismos de termino communi, & conuersa particulari affirmatiua in particularem affirmatiuam, ex ijsdem etiam affirmatiuis Syllogismus secundæ figuræ primus & tertius ad Impossibile in *Bocardo* reuocari possunt, secundus & quartus in *Ferison* sumi pro contradictorio Conclusionis pro maiore propositione, & conuersa minore particulari in vniuersalem, sed id non videtur esse necessarium, quia satis sunt manifesti isti Syllogismi Expositorij, vt meritò ab Alex. demonstrationes sensibiles appellati sint, tamen contra proteruos vti possumus illa ratione reducendi. Hi omnes Syllogismi expositorij nituntur hoc principio. *Quæcunque sunt vni tertio eadem, sunt eadem inter se; & contra quæ sunt diuersa in vno tertio, sunt eadem diuersa inter se*, quod intelligendum est, vt medius terminus ita sit singularis & indiuiduus, vt pluribus communicari non possit, nec sit idem omnino cum ijs pluribus, vnde non valet: essentia diuina est pater, essentia diuina est filius, ergo filius est pater, etsi enim medium huius Syllogismi, nempè essentia diuina sit terminus singularis: Item pater & filius: in diuinis tamen ita est singularis essentia diuina, vt & pluribus communicetur, & cum illis idem planè sit, quod tamen naturali lumine cognosci non potuit. Lege Scot. *primo sentent. dist. secunda, prima* Durand. *quæst prima, distinct* 33. *quæst.* 1. Ocã, *tertia parte Logic. c.* 6.

His positis, Reductio Syllogismorum, qui sunt in figuris de termino communi, reductio fit per Syllogismos Expositorios, cum nimirum inferius alicuius communis seu superioris demonstrare volumus, vt sit hic Syllogismus in *Darapti*: omnis homo est rationalis, omnis homo est risibilis, ergo quoddam risibile est rationale.

Si ne-

Si negetur hæc cõsequentia, sic probatur: omnis homo est rationalis, ergo hic homo est rationalis, item omnis homo est risibilis, ergo hic homo est risibilis. Tunc autem extruetur Syllogismus Expositorius; hic homo est rationalis, hic homo est risibilis, ergo quoddam risibile est rationale, nam sicut Antecedens secundi Syllogismi, sequitur ex Antecedente primi Syllogismi, ita Consequens ex Consequẽti. Vel etiam, vt probatio ista fiat, negata Conclusione Syllogismi sumatur sub medio maioris aliquod singulare, ratione cuius propositio illa vera sit, vt quidam homo est albus, omnis homo est albus, ergo quoddam animal est album. Si negetur Conclusio, sumatur sub medio, quod fuit homo, hoc singulare, vt Antonius, ratione cuius vera sit maior, & subsumatur Antonius est albus, Antonius est animal, ergo quoddam animal est album. Atque hæc de reductione & probatione Syllogismorum imperfectorum.

CAPVT VI.

De Reductione argumentationum imperfectarum ad Syllogismum.

ANtequam hinc discedamus quoniam in reductione versamur, agendum est de Imperfectis argumentationis formis, vt ostendamus, quemadmodum in formã Syllogisticam redigi possint, quod supra polliciti sumus. *Est ergo notandum primo,* Quod harum argumentationum Conclusiones etiam ad formam Syllogismi redactæ semper sunt eædem, & cum desit vna propositio, vt ad Syllogismum hæ argumentationes transeant, videndum est, quæ nam illa sit, maior an minor.

Imperfectæ argumentationes quomodo perficiãtur.

Notandum secundo. Si in Antecedente id sit prædicatum, quod etiam in Consequente prædicatur, tunc minor propositio deest, vnde Antecedens habebit locum maioris, nam maior propositio est, vt ex dictis patet, quæ maius habet extremum; maius verò extremum in Syllogismo, illud semper est, quod in Conclusione aut quæstione probanda prædicati vices gerit. Secundò. *Si idem sit subiectum in Antecedente,* quod in Consequente, tunc deest maior propositio, proindeq; Antecedens illud locũ obtinebit minoris propositionis, quoniã habet id q in Syllogismo est minus extremũ, nempe subiectum Conclusionis, aut quæstionis probandæ. Exẽpla infrà afferemus.

Notandum tertiò. In quauis specie argumentationis tres sunt termini, inferens, illatus, & is de quo fit illatio. Illatus tantum est in Consequente; is de quo infertur in Antecedente & Consequente; Inferens autẽ qui & Communis dici potest, non potest esse in vtroque tam in Antecedente, quã in Consequente; alioquin idem esset in Conclusione & in præmissis, quare loquimur tantum de argumentationibus quæ sunt in tribus terminis.

DE ENTHYMEMATE.

DE Reductione Enthymematis agit Aristoteles 2. *Prior. cap.* 34. Potest autem ad omnes figuras reuocari, habita ratione multiplicis Antecedentis & Consequentis varietatis. *Primò* tamen ad primam tãtum reuocandum est, si maior desit, & Cõsequens sit affirmatiuum vniuersale; quia in secũda figu. omnes illationes sunt negatiuæ. In tertia omnes particulares, verbi gratia equus currit, ergo equus mouetur; hic subiectũ Cõsequentis est etiã subiectũ Antecedentis; deest ergo maior. Sic autem fiet Syllogismus addita maiore, omne currens mouetur, omnis equus currit, ergo omnis equus mouetur. *Secundò.* Ad secundam tantum reuocabitur, *si Antecedens sit negatiuum,* quia cùm desit maior, Antecedens negatiuum debet esse minor, at neque in prima, neque in tertia, minor potest esse negatiua; verbi gratia, nulla spongia est animal, ergo nulla spongia est brutum. vbi cùm idem sit vtrobique subiectum, maior deest. Sic ergo fiet Syllogismus in *Camestres,* omne brutum est animal, nulla spongia est animal, ergo nulla spongia est brutum. *Tertiò.* Ad primam & secundam tãtum, *si Antecedens sit affirmatiuũ, Consequens negatiuum vniuersale:* quia in tertia nihil vniuersaliter cõcluditur, verbi gratia, omnis homo est animal; ergo nullus homo est insensibilis; vbi vtrobique est idem subiectum, ac propterea maior deest. Exemplum primæ figuræ in *Celarent,* nullum animal est insensibile, omnis homo est animal, ergo nullus homo est insensibilis. Exemplum secun-

Si maior desit quomodo reducatur.

Exemplum.

Quod attinet ad Exemplum, Cùm sit argumentatio à parte ad partem, reducetur primò immediatè ad tertiam figuram, tū mediatè ad alias: vt Thebanos cōtra Phocenses bellum inferre non decet, Thebani & Phocenses sunt finitimi, ergo quibusdā finitimis non conuenit bellum contra se inferre. *Tunc autem fiet Reductio ad primā.* nullos finitimos decet bellum gerere contra finitimos, Athenienses & Thebani sūt finitimi, ergo Athenienses & Thebanos bellum contra se gerere non conuenit. In primo autem exemplo erat hæc argumentatio: Thebanis contra Phocenses non conuenit bellum facere, quia finitimi, ergo nec Atheniensibus contra Thebanos, quia etiam finitimi.

CAPVT VII.

De Inuentione Medij.

SEd reuertamur ad propositum, superest enim, vt postquam de forma Syllogismi & omnibus quæ ad illum spectant, diximus, tradamus quoque rationem medij inueniendi, hoc est, quomodo proposita quapiam quæstione, quæ in propositione includatur, siue ea sit vniuersalis affirmatiua, aut negatiua, siue etiam particularis affirmatiua, aut negatiua, aptè eam inferre in singulis figuris per aliquod medium possimus.

Notandum primò. Terminos triplicem inter se habere possunt habitudinem. Primò, Vt sint repugnantes, id est, vt vnus de alio affirmari nequeat, nec alterum alter inferre, aut vicissim inferri. *Secundò.* Vt vnus ad alium sit vt Antecedens, id est, vt possit alius de ipso prædicari, & affirmatiuè inferre, quod cernitur in inferiore respectu sui superioris, & in conuertibili respectu alterius conuertibilis, etiamsi hi termini conuertibiles mutuò sibi possint esse & Consequens & Antecedens. Et fortasse ideò vocatur terminus Antecedens, quia in propositione affirmatiua, id de quo fit prædicatio, antecedit. & priore loco ponitur tanquam subiectum. *Tertiò.* Vt vnus ad alium se habeat vt Consequens, id est, tanquam is terminus qui de alio prædicatur, & ad quem si superius fit, non possit fieri illatio, vt: est animal, ergo est homo,

Inductio quomodo fiat syllogismus.

non valet, quia animal se habet vt Consequens; & Consequentis locum habet, verbi gratia, vt homo est animal; & fortasse etiam dicitur Consequens, quia secundum locum obtinet in propositione.

Notandum secundò Vt propositio vniuersalis affirmatiua per Syllogismum inferatur, quod tantum in prima figura fieri potest, primoque eius modo, *debet sumi medium quod sit Antecedens* ad prædicatum, id est, minus latè patens quam prædicatum, vel cum eo conuertibile, & Cōsequens ad subiectum, hoc est latius patens quam subiectum, vel etiam conuertibile cum illo, vt si probāda sit hæc propositio, omnis homo est substātia, sumatur pro medio animal, & sic fiet Syllogismus, omne animal est substantia, omnis homo est animal, ergo omnis homo est substantia. Vbi (animal) mediū est Antecedens ad prædicatum propositæ quæstionis substantia, minus enim latè patet, & est Consequens ad subiectū, homo, nam est illius genus. *Idem faciendum erit, si inferenda sit* propositio particularis affirmatiua. in prima itē figura, vt si probanda sit eadē propositio facta particularis, id est, quidā homo est substantia, sumendo idem mediū, animal ita fiet Syllogismus, omne animal est substantia, quidā homo est animal, ergo quidam homo est substantia. *Potest autem exemplum dari de medio quod sit conuertibile*: verbi gratia, omne animal est sensibile, omnis homo est animal, ergo omnis homo est sensibilis, vbi animal medium conuertitur etiā cum prædicato, & simul etiā habet se respectu illius vt Antecedens. *Si autem in prima figura velimus indirectè concludere particularem affirmatiuam*, debet oppositum seruari, vt videlicet sumatur mediū, ꝙ sit Antecedens respectu subiecti, & Consequens respectu prædicati. *Secunda Regula. In tertia figura particularis affirmatiua*, nam in secunda nō infertur vlla affirmatiua, concludi poterit si assumatur medium Antecedens ad prædicatum & subiectum, id est, quod minus latè pateat subiecto & prædicato; quia in tertia figura medium debet subijci vtrique in vtraque præmissa, vt si probandum sit, aliqua substantia est incorruptibilis, sume-

tur pro medio, spiritus, hoc modo: omnis spiritus est incorruptibilis, omnis spiritus est substantia, ergo quædam substantia est incorruptibilis, vbi substantia & incorruptibilis latius patent quam spiritus, ac proinde se habent vt Consequens respectu illius, illæ verò vt Antecedens. *Tertia Regula. Vniuersalis negatiua potest concludi in prima, & secunda figura. In prima si mediũ fuerit* Consequens subiecti, id est, latius patens, & extraneum seu repugnans respectu prædicati, vt si probandum sit, nullus homo est lapis, sumatur pro medio animal, hoc modo; nullum animal est lapis, omnis homo est animal, ergo nullus homo est lapis: vbi animal latius patet quam homo, quare respectu illius est Consequens, & repugnat prædicato, lapis. *In secunda autem figura*, aut etiam indirectè in prima, si medium sit repugnans subiecto, & Consequens prædicato, vt si probanda sit dicta præcedens propositio, sumatur pro medio inanimatum, quod subiecto (homo) est repugnans, & lapidi prædicato est Consequens; latius enim patet. Sic enim fiet Syllogismus, omnis lapis est inanimatus, nullus homo est inanimatus, ergo nullus homo est lapis. In prima autem indirectè hoc modo, nullus homo est inanimatus, omnis lapis est inanimatus, ergo nullus lapis est homo, vbi Conclusio est indirecta, si conferatur cum Conclusione præcedentis Syllogismi. Simpliciter tamen est directa, quia maius extremum prædicatur de minori. *Quarta Regula. Vt particularis negatiua concludatur*, quod fieri potest in omnibus figuris, *in prima quidem* debet medium esse repugnans prædicato, & Antecedens subiecto, id est, minus latè patens, vt si probandum sit in *Ferio*, aliquod animal non esse hominem; sumatur brutum pro medio, quod ad animal prædicatum se habet vt Antecedens, est enim eius species, & respectu subiecti, nimirum homo, est repugnans, sic enim fiet Syllogismus, nullum brutum est homo, quoddam animal est brutum, ergo quoddam animal non est homo. *In secunda idem obseruandum est*, vt in *Festino*, nullus homo est brutum, quoddam animal est brutum, ergo quoddam animal non est homo. *In tertia*, in *Felapton* seruata eadem ratione, nullum brutum est homo, omne brutum est animal, ergo aliquod animal non est homo. *Ex his sequitur*, quænam ex omnibus propositionibus sit magis, vt dicunt syllogizabilis, id est, quæ pluribus modis concludi possit, nam maximè talis est particularis negatiua. *Tribus enim modis in prima figura*, inferri potest, *Ferio, Fapesmo, Frisesomorum. In secunda duobus modis, Festino & Baroco. In tertia tribus, Felapton, Bocardo, Ferison. Secundum locũ tenet particularis affirmatiua*, nã in prima tribus modis, *Darij, Dabitis, Baralipton*. In tertia tribus etiam modis, *Darapti, Disamis, Datisi*. In secunda nulla affirmatiua habet locũ. *Tertiũ vniuersalis negatiua*, quæ per tertiam inferri nequit, cuius omnes Conclusiones particulares sunt, in prima autem dupliciter, *Celarent* & *Celantes*. In secunda etiã, *Cesare* & *Camestres*. *Vltimum locum habet vniuersalis affirmatiua*, quæ tantum in prima & primo eiusdem modo inferri potest: ideoque ille modus debet esse perfectissimus, & maximè accommodatus ad Demonstrationes. Hæc omnia præcepta colliguntur ex Aristotele 1. *Prior. cap.* 28. & 29. quæ per literas explicat. Alij autem excogitauerunt hæc vocabula:

Fecana, Cageti, Dafenes, Hebare, Gedaco,
Gebali stãt sed nõ constãt Febas, Hedas, Hecas,

Quorum artificium legite apud Toletum. Solum obseruandum est, vltimas literas significare, cuiusmodi propositio esse debeat, vt A vniuersalem affirmatiuam, &c. Reliqua autem his alijs versibus explicari possunt:

Prædicat A, subit E, B sequens, C præ, Deque (fit extra.
F sequitur, G præcedit, H fit simul extra.

Sensus est, A est prædicatum, E est subiectum extra vltimum locum, B est medium, consequens ad prædicatum, C est medium, Antecedens ad prædicatum, D est extra seu repugnans prædicato, E est medium Consequens respectu subiecti, G Antecedens respectu eiusdem, H quæ repugnant subiecto; verbi gratia, Fecana significat ad probandam vniuersalem affirmatiuam, medium debere esse Consequens

Hæc Regula falsa est, nisi intelligatur quando propositiones sunt negatiuæ.

sequens ad subiectum, quia est litera B, & Antecedens respectu prædicati, quia est litera C, & sic de cæteris. *Nihilominus facilior via Medij inueniendi est hæc*, Si affirmatiuam propositionē inferre volumus, quærendum est aliquid, quod esse possit causa, cur id insit subiecto, quod inesse in propositione dicitur, eodemque modo si concludenda sit negatiua, & si causam reperire non possumus, quæratur effectus aut signum quoddam, verbi gratia: Si probare volumus, omnem virtutem esse appetendam, videatur quæ esse causa possit, cur aliquid appetendum sit. erit enim, vel quod sit honestum, vel quod sit vtile, vel delectabile, &c. tunc enim sic argumentabimur; omne honestum est appetendum, omnis virtus est honesta, ergo omnis virtus est appetenda. Nihil tamen æquè iuuat, quam animi quædam promptitudo, & sagacitas seu solertia, de qua Aristoteles 1. *Post. cap. vlt.*

Facilior via medij inueniendi.

CAPVT VIII.

De alijs speciebus Syllogismi.

HActen⁹ de Categoricis ratione formę: *De Hypotheticis autē id accipiendū est*, esse eandem rationem, quæ est de alijs, inest tamen peculiaris quædam ratio inferendi, propter propositiones Hypotheticas plures vel vnam tantum, vna enim sufficit, vt Syllogismus esse dicatur Hypotheticus, imò verò si plures sunt Hypotheticæ, non tam erit vnus Syllogismus, quam multorum cumulus & coaceruatio, vt si dicam⁹, omnis homo est risibilis, & omnis leo est rugibilis, sed omne risibile est rationale, & omne rugibile irrationale, ergo omnis homo est rationalis, & omnis leo irrationalis, *quod si vna tantum sit propositio*, quæ vt plurimum primo loco ponitur, erit Syllogismus Hypotheticus vnus, & varius pro ratione & diuersitate propositionum. *Atq; vt de Conditionali dicamus, quatuor modis potest fieri. Primò.* Cùm minor affirmatur, & ex ea infertur Conclusio negans, vt si dies est, non est nox, sed dies est, ergo non est nox. *Secundò.* Cum ex negatione infertur affirmata Conclusio, vt si non est nox, est dies, sed non est nox, ergo est dies. *Tertiò.* Cùm ex affirmatione affirmatio, vt si sol lucet, dies est, sed sol lucet, ergo dies est. *Quartò.* Cùm ex negatione negatio, vt si sol non lucet, non est dies, sed non lucet, ergo. *Idem iudicium est de Syllogismo Causali, Illatiuus enim potius est argumentatio quædam explicata. Quod attinet ad Disiunctiuā: Si maior sit affirmatiua, potest primo fieri*, vt expositione vnius inferamus ablationē alteri⁹, vt homo vel est rationalis vel irrationalis, sed est rationalis, ergo non irrationalis. *Secundò ex negatione* vnius positio alterius, vt non est irrationalis, ergo est rationalis. *Tertiò, Si maior sit negatiua potest primò fieri*, vt ex affirmatione vnius negetur alterū, vel contra. *Quod attinet ad modales*, dicemus cū Aristotele 1. *Prior. à cap. 9. vsque ad 23.* Vbi de peculiaribus quibusdā difficultatibus, hoc solum monendum est, si vel vna tantum sit modalis, totum Syllogismum appellari modalem. *De exponibilibus & de Obliquis*, alijsque huiusmodi, quoniam parum vtilitatis continent, nihil dicemus, sed legatur Sot. &c. *Vltimò, ex his quæ hactenus dicta sunt*, colliguntur ea, quæ de Syllogismorum potestate traduntur, de quibus Aristoteles 2. *Prior. cap. 18. 19. & 20. Prima potestas est.* Quod Syllogismus plura concludat, id est, propositionem subalternantem & subalternatam. *Secunda.* Quod ex falso verum inferat. *Tertiò.* Quod per circulum seu conuersionem. *Quartò.* Ad Impossibile. *Quintò.* Quod ex oppositis inferat Conclusionem, in qua idem de seipso negetur, vt: nullus homo est animal, omnis homo est animal, ergo nullus homo est homo. Qui Syllogismus non est propriè dicendus Syllogismus, quicquid alij Aristotelem dissentire velint, nam eodem teste, ad primam figuram redigi non potest. Prætereà duobus tantum constat terminis, aliaque multa in eo peccantur contra leges Syllogismi.

De propositione Hypothetica.

Conditionalis quatuor modis fit.

De modalibus.

Prima Potestas Syllogismorum.

CAPVT IX.

De speciebus Syllogismi ex parte materiæ.

MAteriam Syllogismi hic sumimus eam rem, cui forma Syllogistica applicatur, *estque triplex*: necessaria, probabilis, & falsa, aut apparens tantum. *Quo fit, vt ratione etiam huius materiæ triplex etiam Syllo-*

gismi species constituatur, ab Aristotele 1. *Top. cap.* 1. Necessarius, Probabilis, qui & Dialecticus, & Sophisticus. Quibus addi potest Pseudographus, seu falsus. De his igitur aliquid breuiter seorsim dicendum est.

DE SYLLOGISMO
Necessario.

Syllogismus necessarius, qui etiam Demonstratio appellatur, est, qui ex necessarijs necessariam infert Conclusionem, si enim non sit necessaria consequentia, quamuis præmissæ necessariæ sint, seu id quod necessarium est assumatur solum tanquam probabile, non erit Demonstratio, sed Topica potius & probabilis ratio.

Demonstratio duplex Quia & Propter quid.

Notandum secundo. Demonstratio duplex est. Propter quid & quia. *Ista ostendit* tantum propositionis veritatem, seu quod sit, id quod per propositione enunciatur, ideoq; appellatur Demonstratio quia est, seu demonstratio quod est. *Demonstratio propter* quid ideò dicitur, quia præter propositionis veritatem ostendit præterea causam, cur insit subiecto id quod de illo prædicatur. *Demonstratio quia est ab effectu*, aut vt quibusdam placet, etiam à causa remota. Quod si verum est, *quadruplex erit Demonstratio Quia*. Ab effectu, à causa finali, ab efficiente, & a materiali. Hæ enim sunt causæ remotæ & extrinsecæ. *Sin autem Demonstrationem* propter quid appellare volumus eam omnem quæ per causam est, quadruplex esse potest, addita causa formali. Si autem causa nō proximè attingat effectum, tunc dicetur esse etiam demonstratio propter quid, sed non adeo perfecta: perfectissima autem est, quæ per definitionem, seu causam formalem subiecti eiusdem passionem demonstrat; & idcirco eam Aristoteles 8. *Top. cap.* 40. vocat, Philosophema, id est rationem philosophicam, & 1. *Post. c.* 2. Demonstrationē simpliciter. *Quo etiam loco* eam definit Syllogismum facientem scire, nam scire, inquit, est rem per causā cognoscere. *definit etiam alio modo Syllogismum ex veris*, necessariis, primis, immediatis, prioribus & notioribus, causamq; Conclusionis continentibus procedentē, de qua definitione pluribus ibi Dicitur tamē, vt obiter dicamus, *Demonstratio ex necessarijs constare*, quia etsi necessarium ex non necessarijs inferri potest, non tamen tanquā ex causa essendi & cognoscēdi inferri potest. *Dicitur praeterea ex immediatis*, id est, in demonstrabilibus siue quæ vltra demonstrari nō possint, eo quod causa careant, vel quia iam sumuntur, vt præmonstrata, id enim ad Demonstrationem sufficere tradit Aristoteles 1. *Top cap.* 1. *Denique ex prioribus & notioribus*, nempè natura, quia Demonstratio procedit per causam, 1. *Poster. cap.* 2. Causa autem effectu & prior & notior est.

DE SYLLOGISMO
Dialectico.

Syllogismus probabilis seu Dialecticus, sumpto Dialecticæ nomine pro parte tantum Topica, est qui ex probabilibus constat. *Probabile autem est*, cuius nec euidentia, nec certitudo habetur & cui sua quisque opinione refragari potest. *Porrò Aristoteles* 1. *Top. cap.* 1. Probabile definit, quod omnibus aut plurimis aut sapientibus, atque his vel omnibus, vel spectatissimis, aut plurimis videtur. Ad quam definitionem addendum censeo, modo id quod videtur etiam spectatissimis Philosophis, non sit Paradoxon & præter cæterorum omnium opinionem.

Probabile quid?

Notandum secundò. Ex Aristotele 1. *Post. cap.* 26. quædam sunt probabilia immediatè, quædam mediatè. Sicut inquit, & in demonstrationibus, vel necessarijs propositionibus quædam necessaria esse possunt mediatè, vel immediatè. *Immediatè probabile*, quod vel cognitis duntaxat terminis, id est, eorū significatione esse cognoscitur verisimile, vt mater diligit filios, obsequiū amicos parit, &c. Et hæc principia quæ in exemplis posuimus, aliaque similia sunt de genere eorum, quæ omnibus videntur. *Secundò*. Ex his quæ plurimis, vt iniurias esse vlcisc endas. *Tertiò* Ex his quæ sapientibus omnibus, vt præstātiora bona esse animi, quam externa vel corporis. *Quartò* Ex his quæ plurimis; vt amicos esse immortales. *Quintò*. Ex his quæ spectatissimis, vt mundum cœpisse in tempore; sic enim Plato, quamuis id iam

iam non probabile tantum, sed indubitata fide tenendum est, quod etiam Platonē S S. Patres obseruant ex sacris Bibliorum voluminib⁹ hausisse. Si quid aūt spectatissimis aliquibus Philosophis esse videtur probabile, quod cū omnium opinione repugnat, iā definit esse probabile, cuiusmodi illud est Zenonis, nihil posse moueri, Parmenidis & Melissi, omnia esse vnū. *Mediatè probabilia sunt illa*, quę vt suā nobis verisimilitudinē probent, aliqua extrinsecùs ratione egent, vt aqua est summè frigida. In primo genere probabilium plurimum momenti habet autoritas, sapientium præsertim. In secundo autem non adeò, nisi argumentorum robur accedat.

Problema quid?

Notandum tertiò. Quæstio quæ per Syllogismum probabilem probanda proponitur vocari solet problema, vt 1. *Top. c. 9. cap. verò 3, & 8. hoc ponit discrimen* inter problema, propositionem, & assumptionem; nam propositio, inquit, est interrogatio probabilis, quæ vnam tantum partem interrogat eius quod probandum est, omnibusque, vel plurimis videtur, vt: an liberi sint diligendi, idque ea de causa, vt ex concessa à respondente efficacius struat argumentum, & Rodolph. Agric. *lib. 2. de inuent. Dialect. cap.* 6. Propositio, inquit, seu quæstio est eam interrogatione dicta Enunciatio. Hanc eandem propositionem iam concessam, assumptionem appellat Aristoteles, quasi sumptam ad probandum. *Denique problema* ea propositio est, quæ vtrinque dubium habet assensum, propter rationes, vel auctoritatem, quæ ab vtraque parte sunt, vt: an beatitudo sit in Intellectu, an in Voluntate. Nihilominus iam obtinuit vsus, vt per propositionem quamuis præmissam sine differentia sumamus, aut maiorem si absolutè ponatur. *Assumptio verò* vsurpatur communiter pro minori.

Notandum Quartò. Inter huius facultatis partes, ea non infimæ vtilitatis est, quæ modum tradit argumentorum inueniendorum, quibus vtramuis partem probabilitatis tueri, aut impugnare possimus, & vulgo vocatur pars Topica. *Est autem argumentum* finitore, Marc. Tull. *in Par*. probabile inuentum ad faciendum fidem, *Locus autem est argumenti sedes*, seu vnde eruuntur argumenta, nam sicut inquit earum rerum quæ absconditæ sunt, demonstrato loco facilis est inuentio, ita etiam facilè erit argumenta inuenire eorum locis non ignoratis, & Rod. Ag. *lib. 1. cap. 2. de Inuent.* esse locum communem notam, cuius admonitum quid in vnaquaque re probabile sit potest inueniri, & Boët. *lib. de diff. Top.* dicit id esse à quo ad quæstionē propositam conueniens traditur argumentū. Denique Aristot. 2. *Rhet. cap. vlt.* vocat elementum, quod sicut in naturalibus, ita & in Dialecticis multorum sit locus, causa & origo, quod idem dicit Alex. 1. *Top.* & Theophrastus *lib. 5. de different.* Quia verò hæc de locis tractatio longa est & facilis, atq; à dicendis magistris tradi vt plurimū solent, ea tantum in communi aperiam, ex quibus magis vulgatorū locorum cognitio peti possit, pręsertim cū hæc ipsa locorum cognitio tantum parum momenti afferat ad inueniē da media, quibus Syllogismos Demōstratiuos conficiamus, nā vt inquit Aristoteles 1. *Poster. cap.* 26. quæ necessaria sunt, eadem interdum multis esse videntur probabilia, & 2 *Poster.* vbi de inuentione præcipit, lectorem reijcit ad ea quæ *in Top.* de locis disserit, & 8. *Top. in Inuent.* indicat, quæ à se de locis dicta fuerant esse ad Demonstrationem vtilia, siquidem communia inquit hæc sunt Dialectico & Philosopho, id est, ratione probabili vtenti & necessaria.

Argumētum quid?

Locus quid?

DE LOCIS.

QVid sit Locus iam dictum est. Supereſt ergo videamus, quotuplex, quāq; varius sit. *Primo ergo in genere diuiditur locus* in locum maxima, & locū qui dicitur differentia maxima. Ita Boët. 2. *de differēt. Top. Locus maxima est is*, quē supra immediatum appellauimus, denique maxima, quoniam multa sub se continet, quibus fidem subministrat, vt inquit Boët. *eodem loco* & *in Top.* Cic. Huiusmodi est iste locus, quæcunque habent rationem contentam in definitione, ijs conuenit & definitio, & contra, cui non conuenit definitio, nec definitum. Sub quo loco plurima continen-

Quotuplices Loci?

capessendas disciplinas quam visus, ergo minus apti sunt ad disciplinas surdi quam cæci. *A relatiuis*, vt Aristoteles fuit discipulus Platonis, ergo eodem tempore.

Loca intrinseca.

Tertiò Si pertineat aliquid ad rem intrinsecè,
id est, tum in fieri, tum vt res in esse consti-
X. tuatur. *Decimus locus* à causis, vt: à materia-
li, homo sortitus est corpus pulcherrimũ,
ergo anima longè debet esse pulchrior. *A
forma.* Homo animũ habet ratione præ-
ditũ, ergo aptus est ad discipl. *Ab efficiente.*
Omnes homines eundem habẽt condito-
rem Deũ, ergo æquè omnes sunt nobiles.
A fine. Homo ad contuendũ Deum creatus
XI. est, ergo nobilissimus est. *Vndecimus.* Ab ef-
fectis, quatenus ex intrinseca rei perfectio-
ne proueniunt, vt: mens nostra res vniuer-
sales intelligit, nec necessariò pendet à
phantasmate, ergo immortalis est. Ita A-
ristoteles *2. de anima. text. 11. & 13. Duo-*
XII. *decimus.* A partibus integrantibus, vt: ca-
put in supremo loco est, ergo ratio princi-
XIII. pem in homine locum habere debet. *Deci-
mustertius.* A partibus subiectis, vt: homo
XIV. sentit & brutum, ergo omne animal. *De-
nique*, A genere, vt: animal sentit, ergo
homo. Huc reuocari possunt loci à diffe-
rentia, quatenus partem essentialem dicit,
& idem re est cum specie.

DE SYLLOGISMO
Sophistico & Pseudographo.

Sophisticus Syllogismus est is, qui ex omnino falsis, verisimilis tamẽ apparentiam aliquam habentibus, constat. vel certè cũ est ex probabilibus, non tamen probabilem infert Conclusionem, vt inferre videtur. Sic Aristoteles *1. Top cap. 1. & lib. 6. cap. 4.* Dicitur autem Syllogismus Sophisticus, quod eo Sophistæ vterentur. Quod nomen quamuis olim in laude fuerit, vt significaret sapientem, aut in quapiam arte peritum, vt videre est apud Auctores, vnde dicti sunt Sapientes illi apud Chaldæos Gymnosophistæ, & Libanius cognominatus est Sophista; tamen quia specie veri sæpè qui sapientes videbantur, homines eluderent, cœpit in malam partem vsurpari. Vnde Marc. Tull. 4. *Acad.* Sophistas eos dicit appellatos esse, qui ostentationis aut quæstus causâ philosophabantur. Et Aristoteles *1. Elench. cap. 2.* qui ex simulata sapientia quæstum faciebant, & Xenophon in *κυνηγετικῷ* Sophistas voce tantum & non veris aut probabilibus cõceptibus sua probare scribit. Legendus Plato in Soph. vbi pulchrè Sophistam suis coloribus depingit. Hinc factum est, vt Sophisma Cicero interpretetur Cauillationem, seu fallacem Conclusiunculam, quod maximè probat Sen. *lib. 19. Epist. cap. 112.* & Quintil. *lib. 7. cap. 14.* Sophisticam autem cauillatricem interpretatur. Contra quam scripsit Aristoteles duos *Elench. lib.* hoc est, reprehensionis, id enim inter alia ἔλεγχος significat.

Pseudographus quid?

Notandum secundò. Non esse idem Sophisticum & Pseudographum Syllogismum; nam *Pseudographum 1. Elench. cap. 8. & 10.* dicit Aristoteles eũ esse, qui propositionibus vtitur perinde ac si necessariæ essent, cùm ne probabiles quidem sint. Vnde quoque appellatus est Pseudographus, quasi falsum describens, & Demonstrationem quam præ se fert, mentiens. Vnde sequitur opponi è regione hũc Syllogismum Demonstrationi; & sicut Demõstrationis effectus est scientia; ita istius error, quem Aristoteles 1. *Post.* ignorantiam prauæ dispositionis vocat; *Syllogismus autem Topicus* opponitur Sophistico & contra. Porrò hic Syllogismus Pseudographus solet vt plurimum niti Scientiarum principijs, veris illis quidem, sed latius quam par sit, sumptis, vt si quis ita argumentetur; omnes lineæ ductæ à pũcto ad circumferẽtiam sunt æquales, chorda & arcus ducuntur à puncto ad circumferentiam, ergo sunt æquales. In hoc Syllogismo sumitur principium Geometricũ, sed ad plura extensum, quam debeat, est enim duntaxat verum in rectis lineis, nõ autem in curuis. Nihilominus videtur, Aristoteles confundere vtrumque Syllogismum, vt vterque simpliciter Sophisticus appelletur.

Pseudographus opponitur Demonstrationi.

Notandum tertiò. Syllogismus Sophisticus triplex potissimum esse potest. *Primus peccans in materia*, vt qui videt, habet sensum, beatæ mentes vident Deum, ergo habent sensum, Vel: Quicquid non ami-

fisti habes, thesaurum non amisisti, ergo thesaurum habes. *Secundus. Peccans in forma*, qualis erit dictus duplex Syllogismus, si propositionis significatum, quod multiplex est, in Syllogismo sumatur, tunc enim constabit Syllogismus pluribus quã tribus terminis. *Tertius. Peccans in vtroque*, vt: quod ego sum, tu non es, ego sum animal, ergo tu non es animal. Ex his Syllogismis Aristoteles 1. *Elench. cap.* 1. Solum primum vocari vult Syllogismum, quia formam retinet, quæ Syllogismi potissima pars est: Ideoque illo sæpius Sophistæ vtuntur, quia non ita sæpè error contingit in materia atque in forma, & facilius error in materia deprehenditur. Cæterum quod attinet ad fallacias, quæ ex parte formæ tendi possunt, satis ex dictis de forma Syllogismi patet. Quod verò attinet ad fallacias ex parte materiæ, etiam ex dictis de Terminis eorumque affectionibus liquere potest. Nihilominus præcipuas attingemus.

Fallaciæ quæ sunt in voce *Notandum quartò.* Fallaciæ quæ & metæ seu fines dicuntur, aut in voce consistunt, aut in re. *Si in voce, hæ ferè sunt, Prima Æquiuocatio*; vt canis latrat, quoddam sidus

I. est canis, ergo quoddam sidus latrat, vel qui surgebat stat, sedens surgebat, ergo sedens stat, vbi peccatur ratione ampliationis, nam in minore sumebatur sedens pro

II. eo qui est, vel erat, in Conclusione pro eo tantum, qui est. *Secunda Amphibologia*, vt: quod est Aristotelis, possidetur ab Aristotele, hic liber est Aristotelis, ergo hic liber possidetur ab Aristotele. Vel. *Aio te Aeacida*

III *Romanos vincere posse. Tertia. A sensu composito* ad sensum diuersum & contra, cum nimirum ex eo quod coniunctè intellectum est, idem disiunctè inferimus, vt: non potest sedens stare, ergo qui sedet non

IV. potest stare. *Quarta. Accentus, vel ratione spiritus*, vt: quod amatur, hamo capitur, vinum amatur, ergo vinum hamo capitur, vel ratione quantitatis, vt: pendere ab homine malum est, ergo pendere homines malum est, *vel ratione diphthõgi*, vt equus & æquus.

V. *Quinta. Figura dictionis*, scilicet propter similitudinem vocum, vt quia vapulare & verberare eiusdẽ sunt coniugationis, existimet quis ad idem prædicamentum pertinere. De his Aristoteles 1. *Elench. cap.* 3. *vbi obseruandum est*, quædam esse verba, quæ occultè negationem inuoluunt, quo fit, vt signa negatiua illis apposita, non negatiuam, sed affirmatiuam propositionem faciant, qualia sunt, differt, distat, nequit. *Vnde non valet*, nullum rudibile differt ab asino, omnis homo differt à rudibili, ergo nullus homo differt ab asino. *Extra dictionem & fallaciæ in re hæ sunt*, de quibus Aristoteles 1. *Elench. cap.* 4. *Prima. Accidentis*, vel subiecti, cum quicquid vni tribuitur, alteri etiam tribuendum putatur, sumpto accidentis nomine latè, vt homo est albus, ergo est qualitas, quia albedo est qualitas: Vel Petrus est homo, ergo est species, quia homo est species. *Secunda.* A dicto secundum quid ad dictum simpliciter, Æthiops est albus secundum dentes, ergo est albus. *Tertia Ignorantia* Elenchi, id est, cum capitur quis à Sophista, quod ea putet esse contradictoria, quæ reuera non sunt. *Est n. Elenchus Syllogismus ducens ad Impossibile*, seu ad Contradictoria, vt homo est maior formica, homo est minor monte, ergo homo est maior & minor. *Quarta. Consequentis*, cum ex positione consequentis poni concluditur Antecedens, & ex destructione Antecedentis, consequentis destructio, vt si paulò ante pluit, terra madefacta est, ergo si madefacta est, paulò ante pluit Hãc fallaciam Aristoteles 1. *Ele. cap.* 5. contineri dicit sub fallacia Accidentis. *Sexta. Petitio principij*, Cùm Cõclusio ad seipsam probandã assumitur, & propterea peti dicitur principiũ, quia Cõclusio vt probanda principio proposita est, vt si probare velim hominẽ rationis capacem, dicam, homo est rationis capax, quia est rationis capax, quæ ratio probandi fatua est. *Potest autẽ id fieri tectè*, ac non vno tantum modo, ex Aristotele 8. *Top. cap.* 5. *Primo si Synonyma* per Synonyma probentur, voluptas est summum bonum, quia iucunditas est summum bonum. *Aut si definitum* per definitionem, vt: homo est optimi tactus, quia animal rationale est optimi tactus. *Vel si particulare per vniuersale probetur*, vt: contrariorum eadem est

Marginal notes (right column): *Fallaciæ quæ sunt in re.* I. — II. — III. — *Elench. quid?* — IV. — *Quomodo fiat petitio principij occultè.*

est disciplicina, quia & oppositorum. *Aut etiam si Conclusio probetur*, per partes in præmissis positas, vt: Moralis Philosophia est de virtute, & est de vitio, ergo est de virtute & vitio. *Deniq;* si vnum relatiuorum per alterum probetur, vt Aristoteles Platonis discipulus fuit, quia illius magister fuit Plato. Hæc autem intelligenda sunt principij petitionem includere, ex parte potius respondentis, quam ex rei natura, cum videlicet satis is indicat notã sibi esse rei definitionem aut partes, aliaque huiusmodi, alioqui enim ex rei natura sumi interdum potest definitio ad probandum definitum. *Possumus* præterea argumentari à partibus ad totum, alijsque modis, quibus principij inesse petitionem Aristoteles afferere videtur. *Sciendum autem est*, esse præterea principij petitionem, cum ex æquè ignotis aliquid probamus, ita Arist. *1. Elench. cap. 3. 2. Post. text. 5.* vt Ioannes est bonus, quia Deo gratus. Non solum autem locum habet principij petitio in Syllogismis probabilibus, sed etiã in Demonstratiuis, vt testatur Aristot. *2. Poster. t. 3. & 7.* Vnde rectè Caiet. *1. 9.* monet, posse idem censeri in Syllogismo Topico, non esse principij petitionem, quod in Demonstratiuo fit, vt si demõstrare volẽs à nominis notatione argumentetur.

VI. *Sexta fallacia. Non causa vt causa*, id est, Cum falsitas Conclusionis propositioni tribuitur, quæ illius falsitatis causa non est, de qua re Aristoteles *2. Prior.* vbi hanc fallaciam vocat, non penes hoc, & *1. Elen. cap. 4.* vt: tollenda Dialectica est, quia multi ea vsi, multos deceperũt, nõ enim id sequitur. Sed potius tollendos esse peruersos homines, qui vt inquit Aristoteles, quod erat instrumentum à natura traditum ad sciendum, instrumentum fecerunt erroris. *Septima fallacia. Multiplex Interrogatio*, tanquam vna, cuique vna responsione satisfieri nequeat, vt: an homo & leo sit animal rationale. His alijsque fallacijs conãtur Sophistæ teste Aristot. *1. Elench. cap. 9. 12. & 13.* homines inducere ad falsum, inopinabile, nugationem, vel Solœcismum, vt patere potest ex singulis fallacijs enumeratis, vnde etiam earum petenda solutio est.

QVINTA PARS.

De Methodo.

VLtimum Dialecticæ instrumentum, quod tribus simul intellectus operationibus deseruit, est methodus. Etsi aũt negent quidã esse distinctum instrumentum, nihilominus ponitur secundũ communem opinionem inter distincta, neque enim de methodo loquimur, quæ in signis constituendis necessaria est, *sed de ea quæ certam viam & rationem tradit*, qua in scientijs progredi debeamus. *Methodus quid?* Priore quidẽ modo, non id quidem dubium est, quando idem sit methodus, quod singula, vel instrumẽta, vel quæ de ijs præcipiuntur, quodlibet enim suis partibus constat, & apta earundem collocatione. *Quamuis autem* ex Veteribus Aristotelis interpretibus, nullus huius instrumenti nominatim meminerit, nisi fortè resolutionis nomine, quæ methodi potissima pars est, ipsam intelligere placeat, quam resoluit Eustrat. *2. Poster.* in Initio *cap. 1.* inter instrumenta sciendi numerat, Diuisionem, Definitionem, & Demonstrationem. *Potest nihilominus elici* ex Aristotele *2. Metaph. text. 15.* vbi Dialecticam appellat sciendi modum, imò etiam id videtur Cic. agnouisse, qui 1. de Orat. beneficio inquit Logicæ omnium scientiarum præcepta quæ antea dispersa, confusa & inordinata erant, distincta & in ordinem fuerunt adducta, atque eadem ratione scientiæ conscriptæ. Quo magis mirandum est, quosdam id Rhetoricæ tribuere, cùm ne summus quidem Rhetor suæ id facultati arroget.

Notandũ secundò. Methodus dicitur latinè via quędã breuis, sumpta similitudine ducta ab itineribus. Sicut enim breuis atq; compẽdiosa via citò nos eo perducit quo tendimus, ita Methodus quæ in scientijs cõprehenduntur, facili atque breui quadam ratione complectitur. *Vnde definiri potest*, Eorum quæ in disciplinis traduntur, apta dispositio secundum prius & posterius. *Methodi definitio.*

Notandum tertiò. Ordo in genere duplex est potissimum, Naturæ & Doctrinæ, vt temporis ordinem omittamus, qui ad historiam pertinet. *Ordo duplex.* Colligitur ex Aristot. *1. Phys. cap. 1. 1. Post. cap. 2. & 8. Phys. cap. 7. Rursum,*

sum, ordo naturæ duplex est, perfectionis & generationis, *Ordo generationis est*, ab imperfectionibus ad perfectiora, vt à causis ad effecta, quo reuocatur ordo cõpositionis, à partibus integrantibus ad totius constitutionem. Vel ordo diuisionis à superioribus ad inferiora, nimirum, tanquã ab imperfectioribꝰ ad perfectiora. *Ordo perfectionis est* à perfectioribus ad minus perfecta, verbi gratia, ab effectis ad causas. Quo etiam referri potest ordo collectionis, resolutionis & dignitatis. *Ordo resolutionis est*, à toto ad partes, vel etiam ab effectis ad causas. *Collectionis*, ab inferioribus ad superira. *Dignitatis*, ab eo quod est magis dignum ad id quod minus. De ordine Compositionis & Resolutionis lege Aristotelem 7. *Met. text* 23.

Notandum quartò Ordo Compositionis prout in scientijs reperitur est, cùm à rebus minimis & simplicioribus tã diu progredimur, donec rei de qua quæritur, absoluta & integra constitutio inuenta sit. Quo ordine si animaduertistis, vsi in hoc compendio sumus, primò incipiendo à terminis, ex quibus propositio, tum ad propositiones, ex quibus Syllogismus. Dũ autem singula quæq; minutatim perpenduntur quærendum de illis est, an sint, quid sint, qualia & propter quid; vt docet Aristoteles 1 *Post. cap.* 2. & 23. vbi tamen id opus fuerit. *Ordo Diuisionis oppositus est*. Est enim, cùm rem primum ruditer & cõfusè explicamus, posteà verò ad singulorum oppositionem, ex quibus constituitur, descendimus vt si primo quid sit animal in confuso explicetur, dein tribuamus animal in animã & corpus, corpus in partes suas integrantes animam in suas potẽtias. *Ordo resolutionis est*, cum proposito aliquo veluti supremo fine, ea postea explicẽtur, quæ ad illum ferunt. Hæc diuisio Methodi in has tres veluti species, desumpta est ex Galeno initio Artis paruæ.

Notandum Quintò. Duobus modis parari Scientia potest. Inuẽtione seu proprio Marte, & disciplina. Vnde non eadem vtrobique vtendum est methodo. *nam si scientiã quis prius inueniat*, methodo resolutionis potissimum vtetur, quæ ideò dicitur Socrati fuisse maximè familiaris apud Platonẽ, quod is nihil se scire profiteretur, similisq; ideo esset is qui aliquid primò Inuentione addiscunt, & propterea Aristoteles docet, principia esse inuenienda hac methodo 2. *Post. cap.* 8. & 10. & 1. *Met. cap.* 1. *Si autem disciplina* & auscultatione scientiæ acquiratur, necessaria erit methodus compositionis, imitatur enim Ars naturã, quæ natura solet à simplicioribus & imperfectioribus ad magis composita & perfecta gradum facere, vt docet Aristot. 2. *de gen. animal. cap.* 31. Seruit tamen peculiariter hæc methodus Scientijs speculatiuis, quanquam tum harum tum artium omnium certa quędam sit procedendi ratio, vt Aristot. 2. *Met. text.* 12. 16. & 2. *Ethic. cap.* 3. *Ordo diuisionis* solet maximè vsui esse rebus particularibus in quauis scietia examinanda. *Denique methodus* Resolutionis potissimum cernitur in Scientijs practicis, Illæ enim cum de re facienda vel agenda disputent, proposito eo quod agendum, faciendumue est, tanquam supremo fine de ijs differit, quæ ad dictum finem maximè conferant. In his enim maximè locum habet Deliberatio, seu Consultatio, quæ fit ordine resolutorio, teste Aristor. 3. *Eth. c.* 6. Ex his sequitur rectè nos in definitione dixisse, methodum esse aptã dispositionem eorum quæ in disciplinis traduntur secundùm prius & posterius. A qua definitione non multum recedit illa quæ est Alexand. apud Simplic. 1. *Phys. Methodus est habitus speculandi ea*, quæ sub ipsa sunt.

Notandum sexto. Hoc etiam pertinet ad methodũ, vt in rebus particularibus quę in quæstionẽ veniunt, *vel primo* nostra stabiliamus, tunc aliena refutemus: quod facit Aristot. cum alibi sæpè, tum potissimum 3. *Phys. cap.* 2 *Vel primum* aliena refellamus, nostra posteà confirmemus, quod facit Aristot. 1. *Phys. cap.* 2. vbi de princip. 2. *de anima. cap.* 2. & *lib.* 2. in initio, vbi de natura animæ. *Vel denique* ante omnia proponantur opiniones, si quæ sunt, allatis vtrinque earum fundamentis, vt sic quod verum est decernatur, quod faciendũ præcipit Aristot. 3. *Met.* in initio *idque quatuor potissimum rationibus suadet. Primò*, Qua alio-

alioqui quæstionis vinculum dissolui nequiret, ignorato videlicet illius nodo. *Secundò.* Quia similes ijs essemus, qui quo sibi eundum sit ignorant. *Tertiò.* Quia nos etiam lateret, finemne consecuti essemus, necne. Ex quo rectè Albertus colligit ibid. illũ qui id non obseruat, & in termino peccare & in via *Quartò.* Quia æqui iudices non essemus, si nempè sentẽtiam causa indicta & non auditis prius pro vtraq; parte rationibus ferre vellemus, quod idem repetit Aristot. 1. *de cælo, text.* 101. *Quo loco obseruandum est*, ne aggerendis quibuslibet opinionibus nimij simus, curare n. quid quisque dicat, amentis est, teste Aristot. 1. *Ethic. cap.* 9. & 3. *de part. animalium. Denique magni facienda* est apta in Scientijs methodus, cum enim qui res loco & tempore ordinare sciat, sapientem appellat Aristot. 1. *Met.* & Plato in Phædro & Philebo diuinum. *Notandum etiam est*, eodem referri siue nostra prius confirmemus, aut aliena refellamus, nam vt tradunt Rhetores, non est distincta in oratione pars suorum Confirmatio & alienorũ confutatio. Atque hæc de Methodo.

MODVS DISPVTANDI.

De modo quem Philosophi inter se concertantes obseruare debent.

LOco equidem, vt mihi videtur, de disputandis regulis in præsentia agimus, vbi de regulis Syllogismi legitimi dictum est. Disputationis ergo finis debet esse veritas, seu veritatis, cognitio, quod ipsum per se nomen importare videtur, nam disputare est veluti vera à falsis secernere atque vt ita dicam resecare, sicut etiã differe est malis reiectis seminibus eorum, quæ falsa, sunt bona virorum semina iacere. vtrique tum disputanti tum respondenti proposita esse debet morum quædam suauitas, atq; moderatio, nam vt inquit Cic. primo de fin. Etsi dissentientium inter se reprehensiones non sint vituperandæ, maledicta tamen, cõtumeliæ, iracundiæ concertationesque in disputando pertinaces indignæ Philosophia videri solent. De his præceptis lege Aristot. 2. *Prior. cap.* 24. 25. & 31, & potissimum 8. *Top.* in initio. *Quod attinet ad argumentantem*, eam sibi ex propositis thesibus impugnandam sumere debet, quæ aut aperte falsa, aut minus certa, aut plures contra se rationes habet, tum verò inspiciendum est illi diligenter, quo potissimum fundamẽto nitatur, vt omnes argumentationum suarum machinas ad illud euertendum dirigat. Item si philosophica quæstio est, videndum num repugnet Aristoteli, si naturalis an experientiæ, an illa cum alijs cohæreat. Argumenta autem petenda erunt ex locis traditis, malim autem ex re quam ex autoritate duci, siquidem autoritas teste Aristot. 1. *Top cap.* 8. & 9. minima omnium probabilitatum est, diuinam semper excipio. *Secundò.* Si argumentari velit per Syllogismum, curandum est, vt is in recta forma sit, sin autem Enthymematicè argumentetur, idque vel directa vel indirecta ratione, id est, vel argumento, vt ita dicam positiuo, vel quo aduersarius ad incommodum trahatur, vt si contra Epicurum argumentetur quis, voluptatem non esse summum bonum, id faciet, vel quia id rationi non est consonum, vel quia si qua voluptas esset summũ bonum, maximè ea quæ ex homicidio percipitur, sed hoc est absurdum, ergo. Cum autem primum texit argumentationem, debet distinctè proponere id, contra quod argumentaturus est, dicens intẽdo probare hoc vel illud, & sic argumentet. *Tertiò.* Debet semper id directè probare, & ponere in Conclusione, quod proximè fuerit negatum. Debet etiam ex proprijs, id est, rei de qua agitur accõmodatis principijs aduersariũ refellere. nam vt tradit Arist, 1. *Post. t.* 28 non rectè argumentatur contra Geomet. qui principijs non Geometricis vtitur. *Quartò.* Si quando placet statim in initio respondentem interrogare, quod tamen apud antiquos quidem in vsu erat, non item hoc nostro tempore, debet ea quærere, quibus infirmari possit aduersarij thesis. Si enim non fuerit respõsum secundum animi sui sententiam, poterit licitè de alijs interrogare; quæ si primum argumentans tanquã vera sumpsisset, periculum fuisset, ne ijs negatis alio diuertendum esset, ea autem talia esse debent, quæ nõ sit statim tanquam maximè

aduersantia aduersarius sibi negaturus. Ita Aristoteles 8. *Top. cap.* 1. Quod si respondens aliquid aperiè verum neget, poterit conuinci alijs quibusdam propositionibus, quas facilè concessurus est, aut etiam concessit. Ita Aristoteles aduersus Veteres Philosophos 1. *Phys. cap.* 2. 4. *Metaph. cap.* 4. Vel deniq; petatur Instantia, vt monet Aristoteles 2. *Top cap.* 2. *& lib.* 8. *cap.* 2. Et si ignoretur ratio, ob quam aliquid negetur, petatur ab Aduersatio, debet autem paratus esse qui argumẽtatur, vt quidquid negetur, in promptu habeat, quæ contra opponat. *Quintò.* Debet distinctè nominare id quod est probaturus, id est, aut maiorem aut minorẽ, si Syllogismus est, aut Antecedens, vel Consequentiam, si Enthymema. Quod attinet ad Respondentẽ. *Primò.* Veritatis tantum patrocinium suscipiat, nisi fortè exercitationis tantũ causa oppositum faciat, quod tamẽ rarò esse debebit, ne quis audit, putet perinde rem defendi, atque tractari videtur. Ita Aristoteles 8. *Top. cap.* 3. vbi etiam notat. videndum esse respondenti, vt quæ inter respondendum affert, inuicem cohæreant, quod difficile est obseruare ei, qui falsum defendat, vnde tritum illud, mendacem oportet esse memorem. Et Aristoteles 2. *Prior. cap.* 15. huius veluti causam assignat, nam plura inquit falsis repugnant, quam veris. *Secundò.* Argumentum fideliter ijsdem ferè verbis repetat, hæc enim est maxima respondentis laus, dum autem argumento satisfacit, vtatur his verbis, Concedo, nego, distinguo, transeat, & respondeo, vbi argumentum totum semel repetierit, si non est ad rem, statim dicat, concedo totum, vel transeat. Si autem est ad rem & est Syllogismus, si nõ fuerit in forma, concessis præmissis potest negari Conclusio, si autẽ est in forma, vbi semel repetitũ est argumentum, nihil respondendo, debet iterũ repeti & tũc ad singula respõdere: si quidẽ maior aut minor vera fuerit, dicat, cõcedo maiorem, vel minorẽ; si falsa nego, si ambigua, distinguo, & tunc applicet mẽbra distinctionis, id est, in hoc sensu cõcedo, vel nego, vbi etiam si propositionis vim aut sententiam non intelligit, potest ab Aduersatio illius explicationem exigere, vt monet Aristoteles 8. *Top. cap.* 3. Si fuerit Enthymema, & prior propositio falsa videtur, dicat, nego Antecedens, vel distinguo, si ambigua. *Consequens autem nunquam negare aut concedere debet*, sed consequentiam, quia consequentia significat propositionem ex Antecedente illatam, siue vera illa sit, siue falsa. Vnde si rectè non infertur, etiamsi vera sit propositio, negatur rectè consequentia. Si autem benè infertur, etsi Antecedens falsum sit, si tamẽ concessum est, concedenda item est consequentia.

Respondens.

DE RATIONE *studendi.*

Libet hic duo tantum verba de ratione studendi facere. *Studioso Philosophiæ quatuor potissimum sunt necessaria*, Exercitatio, Lectio, Speculatio & Scriptio. *Exercitatio consistit potissimum in disputatione*, de qua id verè dici potest quod de stylo in Rhetor. Cicero 1. de Orat. Optimum esse philosophandi magistrum. De hac exercitatione nonnulla tradit Aristoteles 8. *Top. cap.* 5. vbi id videtur maximè esse vtile, si proposita quauis quæstione, rationes quisq; excogitet, atque earundem solutiones pro vtraq; parte, sic enim expeditior erit tum ad argumentandum, tum ad respondendũ. *Quod attinet ad lectionem*, Aristoteles maxime præ manibus est habendus, vt quod de Oratoribus dico, tum demum magnos illos euadere, cum primũ Ciceronis lectio eis grata esse cœpit. Quia autem in Aristotele multa dicuntur obscurè, quod is de industria fecit, vt testãtur Interpretes, aut etiam inutile, quod vt Strabo testatur; tẽporum iniuria multa eius scripta interciderint, atque nonnullorum deinde opera veluti resarcita sint, idcircò Interpretes adhibendi erunt, Græci potissimum, quia Græci scriptores mentẽ melius sine dubio assecuti sunt. Videndum præterea est, num ex propria sententia, aut aliorum quapiã dicat Aristot. quod fiet collatis mutuò eadẽ de re locis; num etiam exempli tantum loco, nam solet dum exempla profert, vulgatam vt plurimum sequi opinionem, vt testatur Alex. 1. *Prior. cap.* 6. *& D. Thom.* 2. Verum quoniam Magistri partes sunt optima

tima

tima quæque ex optimo quoque Authore colligere, præcipuus Auditoris eſſe labor debebit, in euoluendis quæ ab ipſo audita ſcripto tradiderit. Si quid verò ab ea lectione vacui temporis fuerit, addi poterit vnius aut alterius ex melioribus interpretibus lectio.

Quod ad ſpeculationem attinet, primas ea in philoſophando habet, vnde vltimo Metaphyſ. ſub fin. dicit Ariſtoteles, eſſe eam optimum quid & maximè delectabile, in qua etiam hominum ac Dei beatitudo ſita ſit. Debet ergo primum inſpici propoſitæ quæſtionis ſententia, quid nimirum id ſit, in quo Controuerſiæ cardo vertatur, quod ſit potiſſimum ſententiæ quę à magiſtro defenditur fundamentũ, quodnam illud quo oppoſita vtitur ſentẽtia, & quemadmodum refellatur. Etſi enim turpe eſt, ita alicuius eſſe addictum ſententiæ, nulla vt ratione ab ea diſcedat, tamen dũ quis magiſtro operam dat, illi prouidendum diligenter eſt, vt illius ſententiam optimè & teneat, & defendat, vnde Cic. 1. de natura Deorum, nec verò inquit probare ſoleo, quod de Phythag. accepimus, quos ferunt, ſi quid affirmarent in diſputando, cũ ex ijs quæreretur, cur ita eſſet, reſpondere ſolitos, ipſe dixit, ipſe autem erat Pythagoras, tantum opinio præiudicata poterat, vt etiam ſine ratione valeret autoritas, quod noſtræ duntaxat fidei tribuendum eſſet docet Greg. Nazianz. 1. Orat. in Iulianum Apoſtatam, qui id nobis tanquam probro atque Pythagoræis ſimilibus obijciebat.

De vſu quarundam diſtinctionum.

ARiſtotelis Interpretes, vt lucem ſcriptis Ariſtotelis afferrent, has excogitarunt diſtinctiones: licet enim Ariſtotele teſte *cap.* de Inuentione, nouare vocabula, vbi id vel neceſſitas vel magna poſtulat vtilitas, eas autem tantum afferam, quæ maximè diſputantium vſu terũtur, ne earum ignorantione interrumpi Auditorũ

I. Diſtinctio intelligentiã contingat. *Prima. Re & Ratione*, id eſt, vel à parte rei vel ſola intellectus operatione. *Diſtinguuntur autẽ re aliquæ* tripliciter: *Aut realiter*, tanquã res à re, id eſt, diſtinctis exiſtentijs, vt: Petrus & Paulus, *formaliter*, id eſt, diſtinctis eſſentijs, etiamſi eadem ſit exiſtentia, vt actio & paſſio, *modaliter*, id eſt, tanquam modus à re, vt quãtitas & figura. *Ratione, vel ratiocinante*, id eſt, quæ planè confingit diſtinctionẽ; *aut ratiocinata*, id eſt, quę quãuis à ratione fiat, ineſt tamẽ à parte rei aliqꝍ fundamentum, quod multis æquiualeat, vt ſapientia & bonitas in Deo.

II. *Secundò. Materialiter & Formaliter*, vt album materialiter ſignificat corpus, formaliter albedinem, vt patet ex dictis de denominatiuis.

III. *Tertio. Per ſe & per accidens*, vt medicus ſanat, & medicus ædificat, quod eſt Ariſt. 2. *Phyſ.* illud enim per ſe quatenus medicus, hoc verò per accidens vt ædificans.

IV. *Quartò. Subiectiuè & obiectiuè*, vt ſciẽtia in Intellectu quatenus habitus quidam eſt, anima vt intelligitur eſt obiectiuè.

V. *Quintò. Primò & Secundò* intentionaliter, vt homo quatenus natura humana, & quatenus ſpecies.

VI. *Sexto. Formaliter & Virtualiter*, vt ſol dicitur calidus & ignis calidus. Iſte formaliter, ille virtualiter: Et hinc natæ ſunt, quas Medici & Phyſici vocant formales aut virtuales.

VII. *Septimo. In actu ſignato vel exercito*, id eſt, expreſſo & ſub formalibus verbis rem ſignificantibus, & implerè & quatenus id in re ſit, vel exercetur, quod formaliter atque expreſſis verbis ſignificabatur.

VIII. *Octauo. Actu & Potentia*, id eſt, quod actu eſt, vel eſſe tantũ poteſt.

IX. *Nono. Secundum naturam*, vel nos prius & notius, quod ex dictis de methodis patet.

X. *Vltimò.* Quo & quod, vt ignis eſt calefaciens, vt quod, calor vt quo. Hinc etiam aliud ſubiectum dicitur Inhæſionis, cui nimirum forma inhæret per ſe, aliud denominationis, cui non inhæret formaliter, ſed tamen ab illa tale denominatur, vt album eſt in corpore ſeu in materia, totum tamen compoſitum denominatur album, vt homo. Huc accedere poteſt *Simpliciter & ſecundum quid*, vt: homo albus ſecundùm dentes, & homo albus. Et hæ diſtinctiones noſtro inſtituto ſufficiunt, quæ etiam exactius explicabuntur, tum in progreſſu, tum verò in Metaphyſica.

Finis Introductionis.

IN LOGICAS INSTITV-tiones Procemium.



CVM *omnis ars & scientia* non modo ipsa alicuius cognitioné tradat, sed ipsa quoque certum aliquod ens sit, debet illius natura & quidditas intelligi, quod cum non pertineat ad Metaphysicum, cuius non est singulas rerum quidditates explicare, videbitur fortasse illiusipsius facultatis, quæ de re quapiam est, seipsam veluti prodere atque explicare, nisi, quod magis crediderim id proprium esse velimus illius quem peritum vocant. nam qui singulis traditurus scientijs singula obiecta est, omnium debet rerum cognomine apprimè esse perpolitus. Primus ergo noster labor esse debebit, vt naturam nostræ facultatis melius introspiciamus, quærendo an illa sit, quid sit, qualis, & propter quid. Quæ quatuor de re omni quæ in quæstionem veniunt inuestiganda esse docet Aristoteles *1. Poster. text.* 43. *cap.*23. Sic autem nõ incurreret peccatum illud quo cauetur, ne id quæratur quod debet præcognosci; qualis est quæstio, an sit, & quid sit. nam id intelligendum est de scientia in ordine ad proprium obiectum, nõ autem, vt seipsam ipsa consideret, vel quod vero similius esse diximus, vt hæc à perito quæruntur & explicantur: Vel quia has quatuor quæstiones: Nominis prænotio debet antecedere, auctore Aristotele ijsdem locis. Et quia ex nominis ignoratione multi solent errores emergere, vt docet Aristoteles *1. Elench. Demum*, quia nominis notitia est omnis cognominis principium & origo, vt Themist. *1. Post. text.* 2. Ideò de huius nostræ facultatis nominibus pauca præmittentur. Atque hæc omnia quæ tum in hac nostra, tum in qualibet alia ante quæratur, quam ad rerum sub illis contentarum cognitionẽ veniatur, vocantur à Græcis Aristotelis Interpretibus Prolegomena, & ab Ammo. in prædicamentis προγινωσκόμενα, quasi ante dicta, vel ante artem præmissa.

DE NOMINIBVS HVIVS *facultatis.*

OMissis pluribus nominibus, quæ à Philosophis huic nostræ facultati, siue illi' finis ratio habeatur, siue officij aut materiæ, siue attributorum aliorum, assignari solent, vnde verbi gratia dicitur à Platonicis, verum à falso, bonum à malo discernens ab alijs rationalis, instrumentalis, modus sciendi, &c. *Duo potissimum sunt*, quæ & vsu magis trita, & maiorem requirunt explicationem, Dialectica & Logica. *Quod attinet ad nomen Dialectica*, dicitur Dialectica ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι, quod disputare est. Vnde Quintil. *lib.* 2. *cap.* 21. disputatricem vertit. Cicero dissertatricem. D. August *lib.* 1. contra Cresconium *cap.* 14. disputatoriam, si tamẽ inquit, id vsus permittat. Quãuis non proximè ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι sed ἀπὸ τοῖς διαλόγοις siue διαλέξεως, quæ disputationem significant, hoc nomen deducit. Fuit hoc nomen Dialecticæ, teste Boet. in Top. Cic. & in Porph. huic arti impositum à primis illis inuentoribus, Logica autem à veteribus Peripateticis. *Porrò quid propriè Dialectica*, ex ijs quæ in hac arte significet, siue an pro tota, vel pro illius aliqua tantum parte sumatur, & hæc quænam tandem sit, est apud Auctores controuersia. Alex. initio Top. & Boëtius in Top. Cic. Galenus *lib.* 2. de plantis, Hipp. & Plat. Simplicius 1. *Phys. text* 8. dicunt sumi ab Aristot. Dialecticæ nomen pro parte tantum Topica. *Huius fortè ratio esse potest*, quia autore Platone in Alcib. 1. διαλέγεσθαι est interrogatione & responsione vti, omne autem problema dialecticum interrogatione, responsioneq; comprehenditur, *1. Top. cap.* 8. Potest etiam id probari ex omnibus ijs locis in quibus Aristoteles Dialecticam Rhetoricæ facit antistrophen, Rhetoricum autem *1. Rhet. cap.* 2. versari ait circa τὰ παρὰ, id est, circa probabilia quod Topicæ artis proprium est. Idem etiam colligi potest ex alijs locis in quibus

ita

ita Syllogiſmum Dialecticum cum Demonſtratiuo comparat, vt hunc circa neceſſaria, illum circa probabilia verſari dicat, vt 1. *Prior.cap.1.1.Top.cap.1. 1.Poſt.text.* 24.1.*Met. text.* 2. *Nec tamen verum eſt*, quod Alex. tradit, & ſentire etiam videtur Simplicius; ſumi ab Ariſtotele tantum Dialecticam pro parte Topica, nam 1. *Rhet.cap.* 2. diſertis verbis dicit; Dialecticam aut totam, aut eius partem circa omnem Syllogiſmum verſari, immediatè autem ante Demonſtratiui meminerat. Si autem de alijs Philoſophis, quæ eorum de hac re ſententia fuerit, noſtrum deſideret iudicium, puto Platonem non modo pro Metaphyſica in Sophiſta & Phœd. alijſque locis: ſed etiam pro tota hac noſtra arte, tum Vtente, tum Docente hoc Dialecticæ nomen vſurpaſſe, quod immeritò negant Cœl. Rodig. *lib.* 7 *cap.* 30. Marſilius Ficinus argumento in Euthydemum, & in Phœd. & in Plotinum 1. Ænead. *lib.* 3. *cap.* 4. Quod enim pro Vtente quidem hoc nomen vſurpauerit, teſtatur Proclus *lib.* 1. in Eucl. *cap.* 14. Boëtius *in Top.* Cic. Am. *in prædica.* Philop. 1. *Prior.* & patet, vel ex Parmenide; vbi hanc facultatem garrulitatem appellat, & 6. de Republica, Socratem introducit dicentem, nullam ſe aliam tenere ſententiam præter eam, quæ probabiliter poteſt, vel analyticè diſputare. *Quod etiam Docentem Dialecticam appellauerit*, teſtatur Am. & Philop. locis citatis & quod non tantum pro Diuiſione, vbi illi Alexand. affingit 1. *Top.* teſtatur Alcinous *lib. de doct.* Plato *cap.* 3. vbi dicit, Ratiocinationem Platoni maximè probatam fuiſſe; & Beſſario Cardinali contra aduerſarium Platonis *lib.* 2. quando etiam idem Alcinous docet Philoſophiam à Platone diſtributam eſſe in *Speculatiuam, Actiuam, & Rationalem*, id eſt, *Dialecticam*. Denique Definitionem à Platone fuiſſe cognitam, patet ex *lib.* 7. *de Republ.* & alijs locis. Stoici, vt refert Cic. in *Top.* Dialecticæ nomine partem analyticam ſignificari volebant, vt autem ſcribit Alex. aut Philoſophiam totam, aut nobiliſſimam eius partem Metaphyſicam, vel eius etiam totam diſſerendi artem. Diog. La. in Zenon. vult a Stoicis Dialecticã appellatam eſſe eam, quæ in reſponſione & interrogatione occupatur, id eſt, Topicam.

Nihilominus vſus iam obtinuit, vt Dialecticæ nomine tota hæc ars noſtra intelligatur, *cum eſſe ratio poteſt*, quod per διαλέγεσθαι apud Platonem in Alcib. 2. ratione vti ſignificet, tota autem ars ad rationem dirigendam referatur. Fuit tamen, ſi diſputationis ratio habeatur dicta Dialectica, quod is videatur eſſe potiſſimus eius finis. *Quod attinet ad nomen Logicæ*, dicitur logica ἀπὸ τοῦ λόγου, quod inter cætera quatuor potiſſimum apud Ariſtotelem ſignificat, autore Alexand. vocabulum λόγος. *Primò*. Sermonem, quæ maximè trita eſt huius vocabuli ſignificatio. *Secūdò*. Ratiocinationem. *Tertiò*. Definitionē. *Quartò*, Rationem ipſam & mentem. Quas omnes ſignificationes præter ſecundam, affert Plato in Thet. *Dicitur Logica* ἀπὸ τοῦ λόγου, vt ſermonem ſignificat quaſi Sermocinalis, quomodo cõmune eſt hoc nomen illi cum Grammatica, Rhetor. Poëtica, & in hac ſignificatione Logicam dictam putat. D. Tho. 1. *Periherm.* in initio non quod circa voces ex profeſſo verſetur, ſed quia ijs tanquam notioribus ad ſua tradenda præcepta vtitur. *Magis propriè diceretur Logica*, ἀπὸ τοῦ λόγου, vt ſermonem ſignificat, ſed mentalem. Quomodo Am. & Porph. ab Ariſtotele τοῦ λόγου cap. de quantitate vſurpatum cenſent. De quo mentali ſermone Porphyr. multis diſputat *lib. de abſtin. ab eſu animalium*, & Galen. *in Parœneſi* ad ſententias. Ex quibus quidam fieri collegerant, diſtinctam quandam mentis operationem, quam mentalem locutionem appellarunt. De qua re alibi. *Dicitur ſecundò Logica* ἀπὸ τοῦ λόγου, vt ratiocinationem ſignificat. Sic enim M. Tull. *lib de Fato*. Obſcura, inquit quæſtio, quam περὶ δυνατῶν appellat, quæ tota eſt Logica, quam diſſerendi rationem voco. *Tertiò. Dicitur Logica*, vt λόγος ſignificat definitionem. Vnde vocari ſolet ars definiendi; vel quia nobiliſſimum illius inſtrumentum, & quo maximè rem ſcimus, vt nonnullis placet eſt definitio. *Quartò. Dicitur Logica*, vt λόγος rationem ſignificat. Vn-

λόγος 4. ſignificat.

PRIMA PARS.

De quidditate & natura Logicæ.

QVÆSTIO I.

De Obiecto.

RECTE Am. præfat. in Porphyr. *cuiusuis habitus & facultatis definitionem ex fine & obiecto peti docet.* nam qualis res fuerit, de qua habitus disputabit, tale etiam & illius genus, talis etiam & illius differentia. Siquidem ex Aristotele 2. *de anima*, Habitus specificatur ex actibus. Actus autem ex obiectis. Sed quia hæc quæstio prolixa est, hoc ordine progrediemur. *Primò* Præmittemus veluti fundamenti loco quædam notabilia. *Secundò.* Recitabimus quæ de hac re sunt opiniones, adhibita simul minus verarum censura. *Denique*, quid nobis videatur aperiemus.

Notandum ergo primò. Id quod hîc quærimus est, quidnam illud sit, de quo propriè dicatur Dialectica disputare, sicut tunc quærimus, de qua re.

Notandum secundò. Res quæ in facultate aliqua tractatur, appellari solet, Materia, subiectum, obiectum, genus, seu genus obiectum, vel genus subiectum. *Dicitur materia*, quia sicut in rebus naturalibus supponitur semper materia actionum, ita omnibus demonstrationibus, atque omni probationum generi supponi debet aliqua res, de qua huiusmodi probationes fiat, atque in ea veluti recipiantur. Vnde Aristoteles 1. *Post. text.* 2. Subiectum docet esse debere præcognitum. *Dicitur subiectum* non inhæsionis; illud enim est Intellectus ipse, in quo scientia hæret tanquam in subiecto, omnesque illius probationes, sed subiectum attributionis, id est, circa quod passiones & attributa ostenduntur. Vtrumque autem nomen, rei quæ in scientia consideratur, tribuitur, quia sicut ex materia, vel subiecto, & ex forma per se & substantiali fit totum quoddam per se in Physicis, ita ex hoc obiecto, & ratione illius formali. Vnde Auerr. 1. *Phys. text.* 65. vocat hanc rem compositam. *Dicitur obiectum*, quia sicut in potentijs obiectum est id, quod illas terminat & perficit, & vnde vnitatem & distinctionem sumunt, & ratione cuius potentia operatur, tali & tali modo, verbi gratia, color, vel lumen respectu visus, sonus respectu auditus; ita etiam res tractata in Scientia, quãdo cognita à nobis fuerit, animum nostrum quodammodo terminat atque quietat. Ita D. Thom. 1. *parte, quæst.* 1. *text.* 7. *in corpore. Dicitur Genus* 1. *Post. t.* 25. *&* 43. quia Scientiæ est obiecti sui species, & species specierum considerare, vt non semel Aristoteles tradit in Metaphys. Alij vocant etiã oppositum, videlicet propter relationem, quæ est scibilis ad scientiam. Alia nomina nec multũ vtilia, nec difficilia sunt. *Solum addendum est*, quod notat Themist. 4. *Phys. text* 129. sumi apud Aristotelem pro eodem finem & subiectum, quod in speculatiuis scientijs verum est, nam *obiectum est res*, quæ consideratur, *finis ipsa res*, vt cognita. In practicis autem, seruata proportione etiam verum est, & propterea 6. *Ethic. cap.* 4. dicit Aristoteles artem esse circa generationem, & productionem, is autem etiam finis est.

Notandum secundò. Obiectum aliud dicitur esse materiale, aliud formale. *Materiale*, est res ipsa entitatiuè sumpta, & dicitur obiectum, quod. *Formale*, est ratio sub qua, & secundùm quam res illa consideratur, & appellatur obiectum quo. A quo obiecto scientia suam sumit vnitatem & distinctionem. Fieri enim potest, vt plurimi habitus habeant idem obiectum materiale, qui tamen diuersi sunt, quia diuersum habent formale, verbi gratia, de eodem homine agit Physica, Medicina, Ethica, &c. prima, vt est corpus quoddam naturale; secunda, vt est sanabilis secundùm corpus; tertia, vt secundùm animum.

Notandum quartò. Obiectum aliud est partiale, aliud principale, aliud actuale, aliud virtuale, aliud adæquatum. *Partiale*, est pars quædam illius totius, quod scientia quæpiã considerat, vt in Physica dicta. *Principale*, est nobilissima eiusdem obiecti pars, vt in phys. homo. *Actuale*, est cuius passiones actu considerantur, seu illa omnia, quæ de re quam scire oporteat,

dum sciendi qui idem sit apud omnes, huiusmodi autem non sunt voces, Alcinous *lib.* de doct. Plut. *cap.*2. vult Platonicos in eadem fuisse sententia, sed possunt omnes hi autores, præsertim Græci intelligi ad sensum dictum.

Tertia classis. Tres potissimum habet opiniones. *Prima*. Obiectum esse Ens rationis quod tamen sit Ens reale, Ita Burleus in Porphyrium, sed hæc opinio falsum supponit, de quo infrà. Secundò. Esto verum sit, quod supponit, adhuc tamen quæstio esse potest, an Ens rationis dicendum sit obiectum, de quo item infrà. *Secunda opinio.* Obiectum esse notiones rerum, siue apprehensiones, non autem res ipsis apprehensas. *Tertia* Esse ipsasmet Intellectus operationes. Cuius vtriusque opinionis Autores & rationes suo loco subijcientur.

Quarta classis. Continet hæc classis multas opiniones, de quibus etiam suus proprius locus infra erit.

Quinta. Vnam continet Iandun. 2. Met. quæst. vltima. Etsi inquit, magis sit Dialectica de Entibus realibus quam de Ente rationis. *Hæc opinio per se satis absurda est. Nam ex Ente rationis*, & ex Ente reali non potest vnum quid per se fieri, quia plusquam toto genere differunt. Lege Zimaram super quæst. Iandun. Ex his opinionibus quæ per se falsæ videbantur & absurdæ, iam sunt à nobis refutatæ. Inter illas tamen celeberrimæ sunt magisq; difficiles. Tertia tertiæ classis, & opiniones quartæ classis, quas antequam examinemus, necesse est, vt de operationibus Intellectus, de Ente rationis, atque de sciendi instrumentis aliquid dicamus.

DE OPERATIONIBVS *Intellectus.*

PRima propositio. Operationes cognoscentes Intellectus tres sunt. Dixi *Cognoscentes*, nam agnoscunt Thomistæ aliam operationem Intellectus, quam vocant Imperium; alij locutionem mentalem: alij methodum, seu ordinationem quandam trium cognoscentium operationem inter se, alij alias. Quæ omnia in præsentia discutere non vacat, tum præsertim proprius locus sit in *lib.* de anima. *Dixi tres*, quãuis enim tollant nonnulli de medio tertiã operationem Intellectus, ita vt non sit distincta à secunda; quod colligunt ex Aristot. 3. de anima *tex.* 21. *tamen & probabilius est esse distinctam*; & quamuis distincta non sit, certum est proprium quendam ac peculiarem procedendi modum habere, qui peculiari directione egeat, quod satis est instituto nostro. De priore autem illo in *lib.* de anima dicemus. *Interim autem loco Aristotelis respondere potest*, enumerare Aristotelem primas tantum duas operationes, quia operationes Intellectus conferebat inter se, quatenus in his falsitas inest aut veritas, ad hoc autem sufficiebat de duabus tantum meminisse.

Secunda propositio. Prima operatio dicitur simplicium apprehensio, quia nihil in ea negatur, aut affirmatur, non quod sit tantum de rebus, quæ à parte rei simplices sint. *Secunda* dicitur Compositio, vel Diuisio, esseq; potest de simplicibus & compositis, quia de vtrisque aliquid iudicando affirmare aut negare possumus.

Obijcies. Potest quis aliquid de altero negare, incipiendo tum primum operari per secundam operationem: Cum ergo Diuisio supponat compositionem, sequitur in prima fuisse aliquam compositionem, nã secunda supprimit primã. *Respondeo*, Vel semper præcedere aliquam actualem affirmationem, antequam aliquid negemus: Vel certè implicitè includitur. Vnde docet Aristoteles 1. *Post. text.* 40. affirmationem esse priorem negat. Itaque Compositio, quæ præintelligitur Diuisioni non est primæ, sed secũdæ operationis. *Tertia operatio* consistit in illatione, cùm ex vno Iudicio, seu ex re vna iudicata alterã item iudicatam nouo quodam iudicij genere inferimus. *Possunt autem hæ omnes operationes, vel directè fieri*, cùm nempè rem quamuis directè intelligimus, vel *reflexè*, quod malè negat Ægid. in *Proœm. Post.* de quo in *lib. de anima*, cùm videlicet intelligimus nos intelligere, ita vt præcedens operatio fiat obiectum sequentis. *Ex his sequitur* primam operationem posse esse sine secun-

da & tertia, *secundam* non quidem sine prima sed sine tertia, *tertiam autem* vtramque præcedentem includere.

Tertia Propositio. In his opinionibus error inueniri potest, seu falsitas, vel obscuritas. *Falsitas* in prima est tantum passiua, sicut & veritas. Voco autem passiuam ipsam solam conformitatem rei intellectæ ad seipsam, vt est à parte rei, quod significat Aristot. 6. *Metaphys. text.* 8. 6 *Ethic. cap.* 2. & 3. *de anima text.* 21. 22. & 26. *Et dicitur passiua*, quia Intellectus quodammodo tantum patitur, dum informatur similitudine rei intellectæ, quæ si aptè rem repræsentet, aut aptè vnius rei similitudo cum alterius similitudine in apprehensione coniungatur, vera dicitur esse apprehensio, secus autem si euenerit, falsa. Quæ falsitas & veritas in ipsis etiam sensitiuis potentijs potest reperiri, teste Aristotele 3. *de anima, text.* 26. In secunda autem & tertia opinione reperitur veritas & falsitas actiua, nempè cum Intellectus veluti agēdo, atque aliquid efficiendo iudicat rem ita habere, vel non habere. Confirmatur ex Aristot. 9. *Met. t* 22. vbi docet reperiri in simplicium apprehensione nonfalsitatem, sed ignorationem: de qua re rectè Caiet. in *proœmio prædic.* otiti dicens hanc ignorationē, eo quod obiecta quæ apprehendi possunt, sint per vniuersum confusè dispersa.

Quarta Propositio. Hos errores, qui in opinionibus Intellectus esse possunt, Dialecticæ est corrigere; quod omnes concedunt, etsi de modo quo id fiat, discrepent, & est expressa Aristotelis sententia 2. *Met. t* 15. 1. *Top. cap.* 9. & 12. & confirmatur, nam cùm cuiusuis artis sit aliquod naturæ opus perficere, ex 1. *Polit. cap.* 17. non potest ad alteram scientiam, quam ad Dialecticam id spectare quod dicimus.

DE ENTE *Rationis*.

DE Ente rationis disputat Metaphysicus quatenus participat aliquid de natura entis. *Physici etiam est* agere de ente rationis, quatenus sit Intellectus opera. Scientiarum etiā omnium, quatenus sunt relationes quædam peculiares consequentes ad obiecta sua. *Ad Logicum autem pertinet*, quatenus aliquo modo vsui esse potest, ad dirigēdas Intellectus operationes.

Prima Propositio. Ens rationis triplex in communi dicitur, Effectiuè, Subiectiuè, & Obiectiuè. *Effectiuè dicitur id omne*, quod ab Intellectu fit, quales sunt operationes Intellectus, quæ sunt aliquid reale. *Subiectiuè* dicitur id quod est in ratione siue in Intellectu inhæsiuè, & tanquam in subiecto, vt res corporea in corporea, & hoc etiam est Ens reale, de quibus duobus non agimus. *Obiectiuè* est, quod Intellectui obijcitur, atque ab eo cognoscitur, *quod iterum multiplex est*. nam vel idem est à parte rei, sicut cognoscitur, & est Ens reale, vt homo cognitus & à parte rei, vel non est à parte rei, sicut dum cognoscitur. *Et hoc tribus modis contingere potest*. 1. Vt à parte rei sit aliquid tantum virtualiter cōtinens id quod est obiectū in Intellectu, aut etiā in sensu. Quomodo colores qui apparent in Iride, in collo columbę, & per vitrum plenum aqua dici possunt entia rationis, quia color qui videtur, vel intelligitur non est à parte rei talis, sed est solum fundamentum in re, continens virtualiter huiusmodi colores, nimirum radij solis & lumen. *Secundò*. Potest habere id quod obiectiuè est in Intellectu fundamentum à parte rei permanēs, quod neque virtualiter contineat, neq; id quod intelligitur sit illius pars, sed tantum quod aptum sit mouere Intellectum nostrum vt intelligat, cuiusmodi sunt priuationes, quarum fundamentum est subiectum priuatum aliquo habitu quem habere potest, vt cæcitas, cuius fundamentum est homo non videns, sed videre potens. *Tertiò*. Cuius nullū est fundamentum proximum, permanens à parte rei, sed solum cōsequitur ad actualem operationem potentiæ cognoscitiuæ, & hoc est Ens rationis de quo hîc loquimur, nam vt videbimus, illius fundamentum proximum est tantum operatio aliqua cognoscitiua, vel alterius etiam appetitiuæ potentiæ, secundùm alios. remotum autem potest esse res cognita. Vnde non loquimur de Ente rationis, cuius nullum planè est fundamentum à parte rei, qualia sunt entia fictitia, vt chimæra.

Secun-

Secunda propositio. Ens rationis vt à nobis sumitur, potest esse ex eo solummodo, quod ad rem vt cognitam, vel sensu perceptam, necessariò sequitur, id est, ad rem prout cognoscitur, vel etiam prout sentitur, vel denique vt est volita, sequitur necessariò Ens quoddam, quod rationis appellamus, verbi gratia, esse cognitum, volitũ, &c. *Nec est opus*, vt per reflexam operationem Intellectus cognoscatur illud esse cognitum, vel volitum. Hæc est sententia Heruæi, *tract. de 2. intent.* & *quodlib. 3. quæst. 1. art. 1.* Est etiam Nic. Boleti *lib. de relatione*. Pet. Nigri in clypeo Thomist. *quæst. 4.* Leon. Franci *tract. de secundis intent.* & sine dubio colligitur ex D. Tho. iisque omnibus qui censent vniuersale fieri per simplicem & absolutam operationem, de qua re infra. Est autem hæc opinio contra Durand. *1. dist. 19. quæst. 5.* vbi dicit esse Ens rationis solum extrinsecam denominationem, qua nimirum dicitur, verbi gratia, res intellecta ab intellectu intelligente, sicut dicitur columna mihi dextra, à me qui illi dexter sum. Eadem est opinio Nominaliũ, Scot. & Am. Andreæ in principio prædicab. quæst. de vniuersali. Est etiam contra Mirandulanum sect. 5. comm. su. in instit. Dial. qui asserit secundas intẽtiones, seu entia rationis, aut nihil planè esse, aut entia realia, quod idem affirmat Burleus in Porp. *Supposito* ergo quod Ens rationis aliquid sit distinctum à reali, quod omnes communiter cõcedunt. *Patet quod illo tantum modo fiat quem diximus*, id est, quod non necessariò requirat alium modum. *Fundamentum autem est hoc.* Sicut se habet Intellectus, vt actu intelligẽs ad rem intellectam vt actu obiicitur Intellectui, ita res actu obiecta & intellecta ad intellectum actu intelligentem: Sed posita re actu obiecta Intellectui, Intellectus habet relationem ad illam; Ergo posito Intellectu actu intelligente, habebit res actu intellecta relationem ad Intellectum. *Vnde rectè Herue. cap. 15. tract. de secundis intent.* Impossibile inquit esse, obiectum non habere habitudinem ad Intellectum, hic autem nulla est actio Intellectus reflexa, consurgit ergo hæc relatio rei intellectæ ad intellectum intelligentem absolutè & necessariò, sine actione reflexa. *Confirmatur primò.* Duæ quantitates cubitales prout cognitæ sunt, & habent esse obiectiuum in Intellectu, sunt inter se æquales, vt inquam sunt cognitæ, ergo est quædam relatio consequens rem prout est cognita, hæc autem non est realis, vt infrà dicemus. Ergo rationis. *Confirmatur secundò.* Quia 5. *Met. text 20. Id quod terminat relationem realem alterius*, habet saltem relationem rationis ad illud, sed res cognita terminat relationem Intellectus cognoscẽtis, habet ergo ad illud saltem relationem rationis. *Confirmatur tertiò.* Quia hic sunt omnia, quæ requiruntur ad relationem, subiectum, fundamentum, & terminus. Subiectum est res cognita, fundamentum est ipsa cognitio; terminus res eadem cognita & Intellectus cognoscens. *Confirmatur quartò.* Quia secundùm aduersarios, cum accedit reflexa Intellectus cognitio, reperit illum ordinem qui est rei cognitæ ad cognoscentem: Vnde non potest Intellectus reflexè intelligens, quouis modo pro libertate sua hoc Ens apprehendere, sed prout consecutum fuerit ad intellectionem præcedentem. *Confirmatur quoq; auctor. Scoti, distinct. 45.* Vbi concedit etiam ad actus voluntatis & imaginatiuæ consequi hos respectus rationis. *Et in genere loquendo*, consequitur hoc ens rationis omnem operationem immanentem potentiarum quas vocãt vitalium. Qui respectus dicuntur entia rationis, quoniam proprio nomine caremus, quo singulos qui singulas sequuntur dictarum potentiarum operationes, apellemus. Qui tamen censent fieri hos respectus per reflexam Intellectus operationem, ideò hęc omnia appellabunt entia rationis, quia pendẽt in esse suo à reflexa Intellectus operatione, quod tamen est contra nos.

Tertia Propositio. Potest nihilominus Intellectus reflexa sua operatione hos dictos respectus considerare; tunc autem etiam necessariò consequentur similes quidam alii respectus iis, quos propositione præcedente ad rem quamuis Intellectam consequi etiam diximus. Debet autem omninò

ninò Intellectus vti hac reflexa intellectione, vt possit rebus cognitis has rationis relationes tribuere, easque ab illis denominare, atque quodammodo facere entia rationis in concreto, sic albedinem, vt tribuamus subiecto, debemus prius concipere. Quod si volunt Aduersarij, vt velle videtur Scotus, & Anton. Andreas locis citatis non dissentiunt à nobis. *Obijcies.* Ens rationis dicitur tantum habere esse obiectiuè; ergo tantum est, cùm obijcitur, seu cùm cognoscitur; ergo debet cognosci vt sit. *Respondeo,* Dicitur ens rationis esse obiectiuè, quia solum consequitur ad rem intellectam; nec enim potest habere esse subiectiuè non in Intellectu, quia non denominat illud; nec enim dicitur Intellectus cognitus à relatione cogniti, nec etiam est in seipsa subiectiuè, quia non est aliquid reale inhærens. *Obijcies secundò,* Quod sequitur necessariò ad rem aliquam & naturaliter, est quid reale; huiusmodi autem est ens rationis, ergo, &c. *Respondeo,* Ad relationem realem ex Aristotele 5. *Phys.* prærequiritur mutatio aliqua realis, hic autem nulla relatio realis facta est, nec est necessarium, quod sequitur aliquid reale, ipsum etiam esse reale; vt patet in cæcitate, & priuationibus. *Quare concludendum est* Ens rationis, nec esse ens reale, nec omninò nihil. Quod Herv. loc. citat. *esse ens rationis nihil non negatiuè, sed positiuè,* id est, non dicit negationem omnis entis, sed potius supponit aliquod ens tanquam fundamentum.

Quarta Propositio. Ens rationis & secunda intentio partim sunt idem, partim verò non idem. *Sunt idem,* quatenus intentio seu esse intentionale sumitur pro eo quod est distinctum ab esse reali. Quamuis alio etiam modo dicantur habere esse intentionale, quæ realia quidem sunt, sed entitatis magis spiritualis, cuiusmodi sűt species sensibiles & intelligibiles, de qua re hoc loco non loquimur. *Non sunt autem idem,* quatenus intentio significat terminum cognitionis nostræ, vt nimirum est obiectum Intellectus nostri, nam vt diximus non oportet, Ens rationis vt sit actu à nobis cognosci. *Sciendum autem est,* intentionem propriè dici de rebus moralibus, & significat desiderium voluntatis, & simul etiam rem desideratam; vnde translatum hoc nomen ad intellectum, significat tum intellectionem, tum rem intellectam, *Intellectio vocatur* intentio formalis formans ad distinct. speciei intelligibilis, quę dicitur intentio formalis formata; *Res intellecta vocatur* intentio obiectiua, & quia duplex potest esse obiectum, Res & Ens rationis, *hinc fit vt duplex sit intentio obiectiua,* prima & secunda. *Prima* est rei, *secunda* Entis rationis. *Duplex etiam est intentio formalis,* prima & secunda. *Prima,* qua cognoscitur res. *Secunda,* qua reflexè cognoscitur Ens rationis, *& dicitur secunda,* tum illa, tum obiectiua, habita ratione dicti respectus, vt ad rem consequitur. Quare quamuis sequi possint infiniti respectus propter infinitas reflexas intellectiones, dicuntur tamen omnes tum respectus tum intellectiones, intētio secunda vel formalis, vel obiectiua. Legite Herueum *tract.* de 2. intent. *cap.* 11. Caiet. de ente & essentia, *cap.* 1. D. Tho. *de verit. quæst.* 21. *art.* 5. & iterum Caiet. 1. *part. quæst.* 48. *art.* 2. Ex his sequitur, falsas esse has opiniones. *Primò* Dicentium, secundas intentiones esse ipsasmet operationes Intellectus. Quam refert Heruæus *quodlib.* 5. *quæst.* 1. *art.* 1. Ad quam reuocari possunt ea, quæ dicit esse ipsosmet Conceptus mentis, prout sunt similitudo rei intellectæ. *Item eorum,* qui dicunt esse species intelligibiles, vt repræsentantes obiectum. Primam autem opinionem docere videtur Soncinus *quæst.* 1. *de Logic.*

Quinta Propositio. Hinc orta sunt quæ dicuntur nomina primæ & secundæ intentionis, vel etiam vt Grammatici dicunt, primæ & secundæ impositionis. *Nomina primæ intentionis,* sunt rebus ipsis imposita; etiamsi interdum fictitię sint, nam possunt illæ directè intelligi. *Nomina secundæ intentionis,* sunt imposita entibus rationis, seu secundò intellectis, & indirectè. Ita Boët. in prædic. *Aut etiam dicuntur nomina* primæ & secundæ intentionis, quia primas aut secundas intentiones significant. Ita D. Tho. *opusc. de natura generis, cap.* 12. *& opusc.*

2. de vniuersalibus, & *quæst.* de potentia, *quæst.* 7. *art.* 9. Hinc etiam orta est vulgaris illa Dialecticorum distinctio, *primò & secundò intentionaliter*, id est pro natura & re substrata, vel pro notione ipsa, quæ rei tribuitur. Hæc entia rationis vocant Græci fabricam animi, Arabes, secūdò intellecta, Latini conceptus & notiones animi, respectus rerum cognitarum, Accidentia, & Entia rationis, Lege Burleum initio *Periherm.* vbi rectè de hac duplici dictione nominum, primæ & secundæ intentionis.

Vltima Propositio. Ex his respectibus rationis, seu secundis intentionibus (nam pro eodem vtrumque sumimus ad modum explicatum) quædam sequuntur rem cognitam *immediatè*, vt hic respectus: esse cognitum, &c. quædam *immediatè*, vt respectus generis, quædam significant aliquid priuatiuum, vt: esse abstractum, quædam aliquid positiuum, vt: esse subiectum, prædicatum, &c. quædam sunt communes tribus operationibus, vt esse cognitum, quædam primæ tantum, vt esse apprehensum, quædam secundæ tantum, vt esse subiectum, prædicatum, &c. quædam tertiæ, vt esse Antecedens, esse Consequens, &c. Denique quædam conueniunt rei vni cognitæ in ordine ad Intellectum, vt esse cognitum; quædam autem vni rei cognitæ in ordine ad aliam, vt esse prædicatum, esse subiectum, &c. Quod idem cerni potest inter ipsasmet relationes; vna enim respectu alterius potest habere, verbi gratia, rationem prædicati aut subiecti. Atque hæc de Ente rationis. Plura enim ex Metaphysica & Physica petenda sunt, & nos etiam infrà nonnulla dicemus, capite de Relatione.

DE INSTRVMENTIS sciendi.

QVoniam Dialectica, vt sæpè dictum est ex Aristotele, tum alibi, tum 2. *Met. text.* 15. sit habitus directiuus operationum Intellectus, quædam requirit instrumenta quibus id ritè exequatur, siue illa entia rationis esse dicantur, siue etiam ipsæmet operationes. *Sunt autem quinque potissimum.* Diuisio, Definitio, Propositio, Argumentatio & Methodus. quorum vltimum omnibus seruit tribus operationibus. Prima duo primæ, tertium secundæ, quartum tertiæ, vt etiam diximus in Compendio, & hoc quidem secundùm omnium opinionem. Eustrat. enim 2. *Post.* in initio & *text.* 23. hæc quatuor enumerat: Diuisionem, Definitionem, Demonstrationem, & Resolutionem. Quæ opinio videtur fuisse Platonis, vt refert Ammon. in prædic. Qui tamen Plato alterum adhuc instrumentum adiunxit, vt annotat Alc. nempè Inductionem. Iudicat id etiam Porphyr. in proœmio Isag. suam dicens tractationem de prædicabilibus vtilem esse ad Diuisiones, definitiones, & demonstrationes, nempè ad vniuersam Dialecticam dicere voluit. Ab his non dissentit Galenus initio artis paruæ. *Hic solum notandum est*, hæc quæ numerauimus, non dici propriè instrumenta, quemadmodum neque regulas, verbi gratia pingēdi, rectè dixeris, esse instrumenta artis pingendæ; erunt ergo instrumenta hæc eadem prout rebus applicantur. Atque hæc de ijs quæ dicenda erant.

OPINIO, QVOD *Ens Rationis sit subiectum.*

HIc primo loco reijciendæ nobis videntur eæ opiniones, quæ asserunt certū tantum aliquod Ens rationis esse obiectū, vt quod sit demonstratio, cui fauere videtur Alex. Simpl. Am. & Philop. initio prior. *Secundo.* Quæ dicit esse Syllogismum, quam refert Alb. *tract.* 5. prædicab. *cap* 4. & videtur significari à Scoto *quæst.* 1. prædicab. & videtur esse Ægid. in prædicab. & in libros Prior. *Item qui id argumentationi tribuunt*, quod aptè asserit Alb. citans Auic. Algasellem & Alphab. Quæ omnes opiniones, & si quæ sunt huiusmodi, ideò inquam, reijciendæ sunt, quia non loquuntur de adæquato subiecto, possunt tamen eatenus verè censeri, si de Dialectica tantū Aristotelis sermo habeatur, id est, de ea quam ipse tradidit. Sic enim supposito quod Ens rationis sit obiectum Logicæ, Demōstratio dicetur esse obiectum, quia est nobilissima illius pars, Aristoteles enim testis est initio 1. *Prior.* referri omnia ad De-

ad Demonstrationem. *Syllogismus etiam dicetur Obiectum*, atque eodem modo *Argumentatio*, quia hæc potissimum, & ferè tantum considerata sunt ab Aristotele, vt ipse scribit 2. *Elench. cap. vlt.* Qui autem censent Ens rationis, vt omnibus operationibus Intellectus dirigendis conuenit, esse obiectum, ij vulgò esse dicũt D. Tho. *opusc.* 42. *&* 44. 1. *Post. lect.* 20. *opusc.* 56. *in fin. & opusc.* 70. *quæst.* 5. Heruæus *tract. de secundis intent. circa finem*, Soto *quæst. vltima pro. Concl.* 1. *& ad* 3. Sonsin. *in prædic.* Caietan. & Thomistæ communiter, Lincon. 1. *Post. text.* 27. Zimara verbo, absurdum, &c. *& in quæst. Ianduni* 2. *Met. annotatione vltima*. vbi dicit esse opinionem omnium rectè sentientium. Citatur etiam Auer. in epit. Logicæ *cap. vlt. & in præd & 4. Met. comm.* 2 Albert. *tract.* 1. *Met. cap.* 1. Ægid. *initio Elench.* Auic. *in Logic, cap.* 1. 2 *&* 3. *& tract.* 1. *Met. cap.* 2. & est Latinorum ferè omnium saltem quoad modum loquendi. *Rationes præcipuæ hæ sunt. Primò* Dialectica est de omnibus rebus, seu de omni ente, ex Aristotele 4. *Met. text.* 5. sed non est de rebus realibus, ergo de ente rationis. *Secundò* Quæcunque ab ea explicantur, videntur esse entia rationis, vt prædicabilia, prædicata, propositio, definitio, &c. Vnde non dicit Dialectica facias hoc, vel illo modo, istam, aut illam aliam operationem, sed considerat, quid sit propositio, quid definitio, quid Syllogismus, &c. quæ sunt entia rationis. *Tertiò*, Logica non est scientia realis, nam non numeratur ab Aristotele 6. *Metaphys. text.* 2. vbi dicens quod Metaphysica est de ente vt ens est, subdit, alias scientias, quandam entis partem quam considerent, sibi assumere, vbi etiam enumerat scientias, nihil dicens de Logica. Idem videre est *lib.* 11. *Met sum.* 1. *cap.* 1. *& sum.* 3. *cap* 3. *Confirmatur*. Omnes aliæ scientiæ sunt de Ente reali, æquum igitur est, vt vna detur quæ sit de Ente rationis; nulla autem alia est præter Logicam, ergo. *Quartò* Dialectica dirigit operationes; sed hoc melius facit per entia rationis, ergo est obiectum. *Probatur Maior*. Nam Ens rationis, vt dictum est, consequitur operationem Intellectus, ac proinde se habet vt opus quoddam eius, at melius cognoscitur opus quam operatio ipsa, verbi gratia, domus, quam ædificatio. Item melius dirigitur stylus eum conformando vmbræ, quæ illum sequitur, quam tam diu illum contorquendo, donec rectum feceris.

OPINIO.

Quod operationes intellectus sint obiectum.

NON *est hæc opinio vt videtur noua*, eius n. claris verbis meminit Heruæus, *tract. de secundis intentionibus*, & illam nonnulli graues Autores non obscurè significant, D. Thom. qui vel sententiam priorem mutauit, vel hoc modo intelligendam esse voluit, præterquam quod opuscul. illud quartum dubitatur, an illum habeat autorem, *quæst.* autem *quinta opusc.* 70. *quæst.* nihil tale dicit. D. inquam Tho. 1. *Post.* ferè in initio, vbi artes necessarias esse dixit, & repertas ad dirigendas operationes humanas, Eadem, inquit, ratione, ars quædam necessaria est, quæ sit directiua ipsius rationis, per quam homo faciliter & ordinatè procedat. hęc ars est Logica, rationalis scientia, quæ non solum rationalis est ex eo, quod est secundùm rationem, quod est omnibus artibus commune, sed etiam ex hoc, quod circa ipsum actum rationis, sicut circa propriam materiam versatur. Et quamuis 1. *Periherm. lect.* 1. Postquam dixit esse Dialecticam circa operationes Intellectus, subdit, circa ea dico, quæ consequuntur operationes intellectus, quæ sunt secundæ intentiones, vbi videtur explicare quod 1. *Post* dictum fuit. *Tamen quod est diligenter notandum*, pro eodem vtrumque sumpsit D. Thom. operationes & secundas intentiones prout sunt formales. *Quod confirmatur*. Quoniam Scotus *quæst.* 1. prædicab. postquam dixit de secundis intentionibus agere Dialecticam, dicit, se per eas intelligere animi actiones & mentis nostræ conceptus: in quo etiam sensu non incommodè intelligi possunt aliqui, quos pro præcedente opinione retulimus, nam Philop. in *Prior.* & Alex. & Eust. 2. *Poster. comm.* 324. Am. etiam in *Periherm.* & Algaser *cap.* 2. Logicæ dicunt: versari Dialecticam circa Demonstrationem vel Argumen-

gumentationem, &c. quæ sunt operationes Intellectus. *Eadem etiã videtur esse sententia*, quam secundo loco ad tertiam classem supra retulimus, nimirum dicentium, obiectum esse ipsas notiones & apprehensiones, quod aptè docet Ocam in sua Log. ad *cap.* vsq; 12. sic interpretans termini dictionem, de quo termino Logicam agere dixerat. Vnde malè eam Nominales ad suam sententiam de vocibus traxerunt. *Idem sentit Ægid* 1. *Post. t.* 27. vbi expressè mouens *hanc quæst.* dicit obiectum esse operationes Intellectus non secundùm se, sic enim inquit ad naturalem Philosophũ pertinet, sed vt sunt instrumentum sciendi. Rationes infrà referemus.

QVID TENENDVM SIT.

PRima *Propositio*. Inter omnes recitatas opiniones maximè videtur probabilis, si vltimam accipias; eam quæ asserit, Ens rationis vt directiuum operationum Intellectus, esse Dialecticæ obiectum. *Ratio.* Quia illustres multos pro se auctores habet, inter quos clarissimè loquitur Auic. *locis citat.* dicens, Dialecticam esse circa secundas intentiones, & circa ea quæ rebus accidunt, vt sunt in Intellectu. Sic etiam D. Thom. etsi, vt vidimus, non vsquequaque verè interpretantur sui discipuli. *Præterea* Zimara testatur esse maximè cõmunem & rectè sentientium opinionem. *Denique* modus quo dicta sententia explicatur, satis perspicuus est, nec sunt infirmæ, quas à se habet rationes.

Secunda Propositio. Etiamsi Ens rationis dirigeret operationes Intellectus, non esset nihilominus dicendũ obiectum Dialecticæ. Quod tamen fundamenti loco sumunt aduersarij. *Probatur primò.* Nam in omnibus artibus, quod inducit finem suũ in materiam aliquam, non dicitur artis illius, sed potius ea materia in quam dictus finis inducitur. Ergo ipsæmet operationes Intellectus, quæ dirigi dicũtur per Ens rationis, erunt materia Dialecticæ, non autẽ Ens rationis. *Confirmatur.* Sicut se habet Moralis Philosophia ad dirigendas operationes voluntatis; ita Dialectica ad dirigendas operationes Intellectus, sed moralis Philosophiæ non sunt obiectum virtutes & vitia, sed ipsæmet operationes honestæ, quæ præceptis de Virtutibus & vitijs diriguntur. *Confirmatur.* Quamuis enim, verbi gratia, non possimus scribere, nisi aptato per cultrum calamo, non tamẽ culter dicitur scribere, sed calamus. Ita ergo quamuis Ens rationis dirigeret operationes Intellectus, non ipsum tamen, sed operationes essent illæ quæ ad cognoscendum nos iuuant immediatè. *Confirmatur ad hominem.* Nam facultas quæ esset de stylo aut columnarum directione per vmbram, nõ diceretur habere vmbram pro obiecto, sed stylum aut columnas, ergo, &c. *Confirmatur.* Nam Ens rationis est velut signum quoddam consequens operationes ipsas, ergo ipsum refertur ad operationes tanquam ad suum significatum; Ergò præcepta de Ente rationis referuntur ad operationes; sed illud est obiectum quo referuntur omnia, vt ex 1. *Post. text.* 43. Ergo ipsæ operationes sunt obiectum. *Denique confirmatur.* Per aduersarios ostenditur Ens rationis esse rectum, quia consequitur talem operationem: Ergo se habet Ens rationis, vt passio quædam demonstrata de operationibus vt subiecto: sed id est obiectum, cuius passiones demonstrantur, ex 1. *Post text.* 43. Ergo operationes ipsæ sunt obiectum.

Tertia Propositio. Operationes Intellectus possunt dirigi sine Ente rationis. *Probatur primò.* Quia sunt ante Ens rationis, & vt sic possunt esse bonæ aut malæ; si nimirum seruetur in ijs conformitas, quæ à parte rei est, prædicando quod à parte rei aptum est vt prædicet, subijciendo quod subijciendum est. *Vnde ab eo res habet suam rectitudinem*, vnde habet & suum esse. Cum ergo operationes priores sint Ente rationis, suã etiam rectitudinem ante illud habebunt. *Secundò.* Operationes volũtatis dirigi possunt sine Ente rationis, ergo & Intellectus. *Probatur.* Quia vel vtræque operationes æquè sunt notæ, vel certè notiores sunt operationes Intellectus quam voluntatis; *nihil enim est volitum*, vt inquiunt Morales Philosophi & Theologi, quod non antè fuerit cognitum.

Quarta Propositio. Melius diriguntur operationes Intellectus sine Ente rationis. *Probatur primò.* Quia vt dictũ est, prior est operatio quã Ens rationis; & sicut se habet res ad esse, ita & ad rectè esse. Quare si negetur Ens rationis esse rectũ, non erit vnde probari possit, nisi quia ad rectam operationẽ Intellectus sequitur. *Confirmatur.* Nam Ens rationis difficillimè cognoscitur propter exiguam suam ac penè nullam entitatem. Vnde ex veteribus Philosophis, Græcis præsertim, vix vllus meminit Entis rationis, vbi de operationum directione Intellectus mentio incidit. Quin etiam illud omninò è medio sustulerunt. *Ens autem reale* est proprium & directum obiectum Intellectus. *Secundò.* Melius moralis philosophia dirigit operationes Voluntatis sine Ente rationis; imò nec per illud quidem dirigit, ergo & Dialectica sine Ente rationis melius. *Confirmatur.* Nam multi planè ignorant Ens rationis, vel etiam negantes, rectas tamen exercent operationes. *Confirmatur secundò ad hominem.* Nam melius & naturalius dirigitur vmbra per stylum, quam vice versa per vmbram stylus. *Confirmatur tertiò* ex Boëtio in Porphyr. a se translatum. Sic enim inquit, Dialecticam Veteres repererunt: obseruando suos discursus & operationes, vtrũnam illæ cum rebus consentirent; sicque præcepta operationum in ordinẽ redegerunt. Alij autem post consecuti Philosophi obseruauerũt hæc Entia rationis, quæ consurgũt ad dictas regulas rationis. *Confirmatur quartò,* etiam ad hominem opus operantis est quid notissimum, at operationes Intellectus eùm sint immanentes, sunt etiam opus quoddam; Ens verò rationis est quid indirectè consequens velut vmbra. *Dices, verum quidem esse,* Inuentores Dialecticæ operationibus ipsis secundùm se & non Ente rationis vsos esse; tamen vbi iam constituta Dialectica est, faciliori compendio tradi illius præcepta per Entia rationis, quam per ipsasmet operationes. *Respondeo,* Rationes factas hoc etiam conuincere, melius tradi præcepta dirigendarum operationum per ipsasmet operationes quam per Entia rationis. *Hic ergo modus obseruandus est,* quem tradit Boëtius, nimirum quomodo rectè fieri debeat operatio secundùm naturalem & realem suum modum, tunc enim operari volentes inspicere debebimus ad ideam veluti quandam & similitudinem rectæ operationis realis traditæ. *Cõfirmatur.* Quia quæcunque traduntur in Dialectica, conueniunt operationibus ipsis realibus, non autem entibus rationis, vt: quod Syllogismus tribus debeat cõstare terminis, quod propositio affirmet, vel neget: Modus etiam hæc explicandi est realis, nempè per prædicare, affirmare, &c. nec Ens rationis est id quod affirmatur, prædicatur, &c.

Quinta Propositio. Hine sequitur obiectum Dialecticæ esse ipsasmet operationes. *Probatur primò* ex dictis in præcedentibus, præsertim autẽ propositione secunda. *Secundò.* Quia in scientijs & artibus idem est obiectum & finis extrinsecus; quod patet vel ex eo, quia ex Aristotele 1. *Post. text.* 43. id est obiectum, quo omnia referuntur; hæc autem est ratio finis; finis enim dicitur, quo omnia referuntur: fit etiam Scientia propter obiectum; & est obiectum veluti terminus & finis scientiæ. Vnde rectè annotat Niphus 1 *Periherm in initio,* Aristotelem solere semper in principio suorum librorum obiectum appellare intentionem, intentio autem & finis idem sunt. *Confirmatur.* Nam etiam in potentijs hoc cernitur, verbi gratia, potentiæ visiuæ finis est videre colorem, aut lumen, quæ eadem sunt obiectum illius. *Sic etiam Moralis Philosophiæ finis est,* actiones humanas rectas facere, quæ eædem illius obiectum sunt. *In speculatiuis quoque scientijs,* idem est iudicium, nam Physicæ scientiæ est cognitio corporis naturalis; idem autem est obiectum illius. *Denique confirmatur* Autoritate Aristotelis, apud quem teste Themist. vt suprà diximus, idem est obiectum & finis. *Nunc autem finis Dialecticæ,* omnium consensu est dirigere operationes Intellectus, sunt ergo operationes Intellectus obiectum. *Confirmatur.* Nam ad operationes omnia quæ traduntur in Dialectica, referuntur, vt principia, partes, & passiones: Hæ autem sunt conditiones obiecti, vt suprà.

Sententia Præceptoris de obiecto.

supra dictum est. Ergo. *Probatur Maior.* Nam Ens rationis multas potest habere passiones. Quia de omni Ente rationis particulari prædicatur Ens rationis in communi essentialiter & quidditatiuè; at subiectum non prædicatur quidditatiuè de passione, ergo. Quod autem operationum principia, partes & passiones tradantur in Dialectica, patere potest Inductione facta per omnes libros Aristotelis. *Obijcies.* Materia & finis ex Aristotele 2. *Phys.* non coincidunt: ergo non potest id esse obiectum & materia quod est finis. *Respondeo,* Duplex materia quod attinet ad rem præsentem, est, ex qua & circa quam, id est, ex qua res constituitur & componitur; & circa quam potentia aliqua, aut habitus versatur. Aristoteles 2 *Phys.* loquitur de materia ex qua, non autem de materia circa quam. *Obijcies,* Eiusdem est rectas facere operationes, cuius est simpliciter facere operationes, sed scientiarum est facere operationes reales, ergo earundem est, illas rectas facere. *Et confirmatur,* Quia ad operationes rectè faciēdas necessariæ sunt res aliquæ, sunt enim reales operationes, at Dialectica non considerat res, Ergo. *Respondeo,* Dialecticæ esse tradere modum in communi rectè efficiendi operationes, quē deinde quælibet Scientia suis particularibus obiectis applicat, & ita cōsiderat Dialectica aliquas res in communi, vt doceat quomodo fieri debeant operationes circa materiam necessariam, contingentem, &c. Vnde etiam petitur confirmatio nostræ opinionis; nam ad quamlibet materiam, siue necessariam, siue cōtingentem, siue remotam & falsam, eadem consequi possunt Entia rationis: cùm ergo Dialectici sit præscribere operationibus rectis & perfectis suam materiam, non poterit id facere per Ens rationis. Et hinc etiam patet ad confirmationem obiectionis.

Obijcies Tertiò, Artis obiectum non est operatio circa aliquam rem, sed ipsamet res circa quam est operatio, vt artis ædificandi non est obiectum ædificatio, sed ipsum ædificium, Ergo in Dialectica non erit obiectum ipsa operatio. *Respondeo, Hinc potius oppositum sequi,* ideò enim ædificium est obiectum, quia coincidit cum fine extrinseco artis, sic ergo Dialecticæ obiectum erit operatio ipsa, quia est finis extrinsecus Dialecticæ. *Hoc solum est discrimen,* quod quia operatio Intellectus est immanens, non habet quo alio & extrinsecè referatur, ac proinde dicitur ipsamet esse obiectum, quia ipsamet est opus & operatio simul, artis verò ædificandi operatio, quia extrinseca est & transiens, refertur ad opus extrinsecum.

Obijcies vltimò. Hinc sequitur Dialecticam subalternari Physicæ, nam considerat operationes animæ vt dirigibiles, quod est addere conditionem quandam accidētalem supra obiectum partis physicæ quæ est de anima, & illius operationibus. *Respondeo.* Requiri præterea ad scientiarum subalternationem, (vt suo loco) vt subalternata supponat principia subalternantis, atque ex ijs progrediatur. Iam verò Dialectica supponit leuem & rudem tantum operationum cognitionem, quæ naturali lumine haberi potest.

Sexta Propositio. Si loquamur de Dialectica in communi, vt totā artem comprehendit, illius obiectū sunt tres Intellectus operationes. Quia vnaquæque per se, vt ante dictum est, propria eget directione, etiamsi vna ordinari possit ad aliam, quod operationibus ipsis accidit. Quod obiectū si vocare velimus, quod recentiores quidā faciunt, modum cognoscendi vel sciendi, vt Mirand. supra loquens de Logica, non magnoperè repugnabit. *Vnde cum vocatur Dialectica modus sciendi,* hæc appellatio nō est formalis & propria, sed petita ex obiecto, vt annotat Fonseca 2 *Met. cap. 5. quæst. 1. sect. 8.* ac proinde putat artem nostram Logicam modum sciendi, nempè ab obiecto de quo agit, sicut appellantur libri Metaphysicæ, quia sunt de obiecto, quod est post res naturales. *Vnde Scotus quæst. 1. prædicab. negat esse directam hanc prædicationem & formalem:* Logica est modus sciendi, sed potius dicendum, inquit, in obliquo fuit; Logica considerat modum sciendi. Quamuis Aristoteles hoc loquendi modo vtatur 2. *Met. text. 15.* hanc nostram artem modum sciendi appellans: Et in a-

lijs quoque similibus vtitur hoc loquendi modo, vt eum in *lib. Periberm.* vocat nomen, vocem, verbum, &c. quæ vox non est genus & prædicatum essentiale, sed tantū materia, si Am. Magentino & Psello credimus.

Septima Propositio. Si sermo sit de Dialectica quam nobis Aristoteles tradidit, dici potest, illius obiectum esse tertiam operationem, siue Argumentationem cum Alb. siue Syllogismum cum Scoto, siue etiam Demonstrationem cum Græcis & alijs *Nam Syllogismum*, quę potissima est Argumentationis species, atque inter Syllogismos Demonstrationem potissimè considerauit Aristoteles, vt patet ex *2. Elench. cap. vlt.* De Syllogismis enim inquit, omninò nihil habuimus prius aliud quicquā quod diceremus, quam mota perquirentes multo tempore insudauerimus. Scribit nihilominus Diog. extitisse suo tempore multa Aristotelis alijs de rebus ad Logicam pertinentibus volumina, de qua re magis infrà dicemus.

Octaua Propositio. Quemadmodum Logica agat de vocibus, & de rebus suprà diximus. Nam de vocibus tanquam conditione necessaria ad sua declaranda præcepta. *De rebus autem*, vt de materia remota, Vel in communi tantum, vt sua posset præcepta exemplis declarare. *De Ente autem rationis* magis ex professo ad illum spectat disserere, quatenus videlicet vt Heruæus notat dicere solitos qui nostram opinionem defendebant, habent illa attributionem quandam ad per se subiectū Dialecticæ, id est, ad operationes. Consequūtur enim illas, tanquam passiones & propria illius accidentia, etsi vt extrinseca, nec ad illarum perfectionem intrinsecè pertinentia. *Considerat etiam Dialectica hæc entia rationis*, prout illa denominat partes, vel species proprij obiecti. Hinc enim est, quod considerat, quid sit esse subiectum, quid prædicatum, quid medius terminus, quæ sunt denominationes quædā ab Ente rationis. *Id etiā facit moralis Philosophia*, quā tamen nemo vnquam dixit versari circa Entia rationis; considerat enim rem prout est volita vt finis, medium deliberatum, consultatum, imperatum, &c. Idem etiam faciunt reliquæ omnes Scientiæ, quo videlicet commodius exprimant res de quibus tractant, nihil tamen curantes quid sint entia rationis, neque ea adhibentes ad dirigendas operationes.

SOLVTIO RATIONVM
præcedentis opinionis.

AD *primam.* Aristoteles eo loco loquitur de Dialectica Vtente, atque etiam de quadam eius parte nempè Topica; Vnde illam confert cum Sophistica. Deniq; agit ibi de Ente reali. Quia vtramque illam partem in hoc confert cum Metaphysica, quod agant de omni re.

Ad secundam cum sua prima confirmatione Dialecticæ in prædicab. prædicam. alijsque huiusmodi quæ considerat, habet rationem modi illius realis, qui reperitur in reali prædicatione & alijs, nihil curans entia rationis, quæ deinde consequuntur. *Ad secundam confirmat.* Nullam oportet esse scientiam quæ propriè sit ac solum de Ente rationis, sed quæ sunt de suis obiectis realibus, sunt etiam de Entibus rationis indirectè consequentibus. Vnde non potest considerari Ens rationis per se, cùm non sit per se, sed necessariò annexum operationi reali ad quam indirectè consequitur.

Ad Tertiam, loquitur Arist. de sciētijs, quæ Intellectum propriè & directè perficiunt, siue practicum, siue speculatiuum. Logica autem est instrumentum ad dictas scientias, vel etiam res eo loco Aristoteles, vt annotat Fonseca ad quintum, intelligit prout distinguuntur à sermone & oratione mentali, quam propriè Dialectica considerat. Idem enim est sermo mentalis hoc loco, quod conceptus & operatio mentis, Vnde etiam Logicā appellatam esse quasi sermocinalem, & nos suprà monuimus, & idem autor obseruat.

Ad quartam. Probatum est à nobis, melius dirigi operationes per præcepta quæ de illis secundum se tractantur, quā per Entia rationis, negamus etiā semper esse notius opus aliquod operatione per quam fit; vt patet in specie intelligibili, & in habitibus. Quod vtrumque & fit operatione

Intel-

Intellectus, & difficilius percipitur, quam ipsa Intellectus operatio, ita vt à nonnullis etiam esse negetur. Vt summum ergo verum habet illa propositio de operationibus extrinsecis, verbi gratia, de domo, scriptura, &c. Adde quod ipsamet operatio Intellectus cū sit immanens, simul etiā est opus illius. *Ex dictis ergo sequitur obiectum Dialecticæ esse ipsas operationes Intellectus*, sub hac formalitate, vt sunt dirigibiles, seu quatenus ab ea traditur realis modus illas dirigendi. *Quia hic modus magis naturalis*, & magis etiā nobis obuius & facilis, quam eas operationes per Entia rationis dirigere. Et quamuis per Ens rationis melius adhuc dirigerentur operationes, essent nihilominus simpliciter dicendæ obiectum. Quia in artibus & scientijs non est obiectum, quod finem inducit in materiam; sed id in quod finis inducitur, atq; in his idem est finis extrinsecus & obiectum, vt satis à nobis probatum est.

Conclusio totius quæstionis.

QVÆSTIO II.

Quod sit genus Dialecticæ?

EX præcedenti quæstione colligi potest, quænā sit Dialecticæ differentia, quodnam etiam proximum illius genus, quia tamen quæstio esse solet potissimum de Scientia & Arte, vtra ex his habitibus ratio Dialecticæ coueniat: Ideò aliquid hoc loco dicendum videtur *Supponendum autem initio est, esse Dialecticam* determinatū quendam & certum habitū. *Est n. habitus genus remotū Dialecticæ.* Quod est cōtra quorundam opinionē, cuius Alb. meminit *tract. 1. prædic. c. 1.* Imo etiā D. Hieron. in procem. in Cant. Cantic. Sic inquit: Nonnulli sanè apud Græcos etiam Logicen, quam nos Rationalem possumus dicere, quatro in numero posuerunt (videlicet cum Physica, Metaphysica, & Mathematica, quas eo loco recensebat) Alij non extrinsecus eam, sed per has tres quas supra memorauimus disciplinas innexam, conseruatamque per omne corpus esse dixerūt, quia verborum, dictorumq; rationes, proprietates, improprietates, genera, species in omnibus sūt. Voluit autem fortasse D. Hieron. M. Tull. indicare, qui 5. Tusc. circa medium dicit, fusam esse Dialecticam per omnes Philosophiæ partes. *Probant hi Autores hanc sententiam*, Quia in quauis scientia proprius est sciendi modus, ergo Dialectica in omnibus scientijs est immersa. Quod etiam significare videtur Aristoteles *1. de part. animalium, cap. 1.* & Plato 7. de Republ. vocans Dialecticam omnium Scientiarum apicem, ita vt reliquæ scientiæ consuetudine porius quadam esse dicātur scientiæ, quam quod reuera huiusmodi sint sine Dialectica. Nomine porro Dialecticæ, teste Marsil. Fic. & Plot. intelligit Plato facultatem nostram, quæ ab ipsamet Metaphys. nihil differat. Sed de hac re postea ex instituto dicem', vbi de diuisione, vnitate, & multiplicitate disputabimus. Interim autem supponatur esse id verum de Dialectica quam Vtentem, vel melius potius vsitatam appellant. *Obijcies.* In omnibus artibus non est diuersus habitus de modo, quo sciamus rem esse faciēdam, & quo res illa eadem fiat; Ergo non erit diuersus habitus qui tradat modum sciēdi, & res cognoscat. *Respondeo.* Quicquid sit de Antecedente (fortasse enim aliquis præterea habitus est in potentijs & organis, quibus res aliqua ex arte fit, præter eum qui est in Intellectu, & rei faciendæ modum præscribit) quicquid inquam sit de Antecedente, negatur Consequentia. *Nam artes respiciunt opus quoddam extrinsecum*, Dialectica autem solum cognoscendi modum intrinsecum, quem deinde sibi quæque scientia applicat. Quod melius ex sequentibus patebit eo loco quem diximus. *Hoc supposito*, quæstio potissima esse solet de Scientia & Arte, quæ perfectè præsciri non potest, antequam quid Scientia sit & quid ars in tractatione de scientia cognouerimus, vbi etiam dicendum erit, quid requiratur ad habitum practicum & speculatiuum. Interim tamen ne vos suspensos teneam, dicam breuiter quid sentiendum sit.

AN LOGICA SIT

scientia?

PRima Propositio. Si obiectum Dialecticæ dicatur esse Ens rationis, non est dicenda Dialectica Scientia. *Quia scientia est tantum de Ente reali, 1. Poster. text. 5.* scire est rem per causam cognoscere. *3. de anima, text.*

ma, text. 38. scientia secatur vt res. 4. *Met. text.* 1. & *lib.* 11. summæ tertiæ *cap.* 1. Metaphysica versatur circa Ens vt Ens, cæteræ verò scientiæ abscindunt quandam partem Entis. Ex 6. *Met. text* 1. & 2. enumerans scientias, solum realium meminit. Et 2. *Post. text.* 7. dicit definitionem non posse esse non Entis; omnis autem scientia, ex eodem *text.* 26 est per definitionem. Idem docet, 6. *Eth. cap.* 3. & alijs locis. *Nec valet quod quidam dicunt*, intelligenda hæc esse de Scientia reali, non autem de Scientia rationis; *Nusquam enim meminit* Aristoteles huius distinctionis; quod tamen facere debuit, sicut & Entis realis & rationis meminit. Quod docet Iand. 6. *Met.* Nihilominus si scientiæ nomine intelligatur certa quædam cognitio, negari non debet, quin sit Dialectica scientia, nam quæ ab ea traduntur certa sunt, & indubitata, & cum sit modus sciendi, si certa non esset, scientiarum omnium certitudo periclitaretur.

Secunda Propositio. Si operationes, quod probabilius esse diximus, obiectum sunt Dialecticæ, non est tamen propterea scientia dicenda Dialectica. Quia ad rationem perfectæ & propriè dictæ scientiæ, requiritur vt sit sui gratia, & alio non referatur; Quod ex citatis locis Aristotelis partim colligi potest, partim etiam alijs in locis hoc ipsum idem expressit; Vnde quod dicit 1. *Poster. text.* 5. *Scire esse rem per causam cognoscere*, ob quam res est: hoc satis apertè significat quod volumus. *Is enim tantum debet rei causam*, ob quam res est cognoscere, qui illam secundùm se, & vt constituit rei quidditatem, seu principium passionũ secundùm se cognoscit. *Et propterea* 2. *Met. text.* 3. Si, inquit, practici rem quomodo se habeant cognoscant, non tamen considerant causam per se, sed ad aliud. Item 2. *Met. text.* 3. dicit finem Scientiæ esse scire; Et 2. *Post. text.* 27. dicit Artem esse circa generationem, Scientiam circa Ens, *hoc est*, vt omnes eo loco interpretantur, Scientia est circa speculabilia & quæ alio non referuntur. *Denique alioquin* artes quoque dicendæ essent scientiæ; nihil enim illis aliud deest, quam non referri aliò. Continent enim certam rerum suarum cognitionem, etiam per causam, quàtenus non modo sciant sic, vt ante diximus ex Aristot. Et hæc Illatio est Alex *initio Pr. Hanc opinionem tenent omnes ferè Græci.* Am. *in prædic.* Philop. & Alex. in 1. *Prior.* Them. 1. *Post. cap.* 2. Iand. 6. *Met.* *quæst.* 4 Ægid. 1. Elench. & *præfat. in lib.* de Demonstratione. *Et ratio, inquit, est*, quia Logica non est propter res scitas, sed propter modũ nostrum sciendi. *Est etiam eorum omnium*, qui dicunt Dialecticam esse artem, aut quempiam alium habitum. *Qui autem contra sentire videntur*, possunt intelligi ad modum primæ propositionis, vt sumatur scientia pro cognitione certa, quod multo adhuc magis conuenit Dialecticæ, si illius obiectum sunt operationes. *Vnde verè habet Dialectica suo modo demonstrationes*, & suorum cognitionem per causam. Ita possumus interpretari D. Thomam 4. *Met. lect.* 4. Scotum *quæst.* 1 *prædicab.* & alios, Sic etiam interpretari licet Aristotelem, dum 1. *Prior. cap.* 1. & 2. & 2. *Poster. text.* 26. *ad finem*, vocat Demonstratiuam scientiam, id est, præcepta quæ de Demonstratione dantur: *Eodem enim modo potuit dicere Syllogisticam scientiam*, definitiuam scientiam, id est; certam eorum cognitionem. *Quo etiam modo ipsas quoque artes Mathematicas*, 1. *Met. text.* 1. & 4. vocat Philosophus scientias. Quod Alex. annotauit 6. *Met. text.* 11. *Confirmatur denique Autoritate* Aristot. qui. *Rhet. c.* 4. Tollunt, inquit, naturã Dialecticæ, qui eam vt Scientiam pertractant. Et 2. *Met. text* 15. cùm eam aut potius eius obiectum. Sciendi modum vocat, distinguens contra scientiam, & dicens, frustra quæri scientiam sine sciendi modo, apertè significat non esse Dialecticam scientiam. *Obijcies.* Scientia certa, seu cognitio certa est de rebus necessarijs; at operationes quas dirigit Dialectica non sunt necessariæ, sed pro nostro arbitratu fieri possunt. Ergo. Maior est Aristotelis 6. *Ethic. cap* 3. *Et* 1. *mag mor.* 33. vbi dicit scientiam & cognitionẽ certam, esse de re vniuersali, & quæ aliter habere non possit. *Respondeo primò.* Dici potest Aristotelem loqui de scientia perfecta. *Secundò.* Etiam operationes vt quibusdam Regulis diriguntur à Dialectica, certæ

sunt

sunt & immutabiles, quamuis liberum nobis sit hoc vel illo modo operari, si tamen rectè operari velimus, modum verum & notum à Dialecticâ præscriptum sequi debemus. Rationes omnes quæ probant Dialecticam esse scientiam, solum efficiunt, quod nos prima propositione diximus. Lege Ant. Bern. Mirand. *lib.* 4. *Apol sect.* 1.

AN LOGICA
sit Ars.

PRima *propositio.* Si Artis nomine intelligamus quamuis disciplinam in communi, quomodo septem dicuntur esse artes liberales, Lingua, Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus, Astra, id est, Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica, Geometria, & Astrologia. Quas enumerat & explicat D. Thomas *opu* 70. *&* 1. 2 *quæst* 57. *art.* 3. Quo etiam modo artis nomen vsurpat Eustrat. *in cap.* 1. *Ethic.* Quinti. *lib.* 2. *cap.* 18. Rod. *lib.* 2. *cap.* 2. & passim alij. Hoc, inquam, modo potest appellari ars Dialectica. Vel etiam alio modo, vt ars se extendit ad eos habitus, qui sunt principium non modo effectionis, id est, operis externi, sed etiam actionis, id est, quæ non relinquit post se opus extrinsecum. Quo vtroq; modo vsurpare videtur Artis nomen Aristoteles *lib.* 1. *mag. moral. cap. vltimo.* Sic enim Dialectica est principium operationum Intellectus nostri, vt rectè fieri possint, nec sunt eiusmodi, quod opus post se relinquant, qualis etiam est ars cytharizandi, saltandi, &c. *A quibus tamen in multis differt Dialectica.* Est enim Dialectica circa opus intrinsecum & receptum in eodem principio, vnde fluxit operatio. Atque hoc tantum probant rationes, quibus contendunt Mirand. initio institutionis suæ, Zabar. *lib.* 1. de natura Logicæ, *cap.* 1. Flam. *quæst. penult.* Atque alij nonnulli, quibus illi contendunt Dialecticam esse Artem.

Secunda Propositio. Si sumatur propriè Artis nomen prout significat habitum quendam factiuum, id est, qui post se opus aliquod relinquat, hoc modo nō potest Dialectica ars dici. *Sic autem vsurpat Artis nomen* Aristoteles 6. *Ethic, cap.* 4. *Et confirmatur.* Nam quædam quæ Artes dicūtur vulgò, ideò propriè Artes ab Aristotele esse censentur, quod etsi operationem quandam extrinsecam respiciant, nullum tamen post se opus relinquunt, qualis est ars cytharizandi, vt docet Aristoteles 1. *mag. mor. cap.* 33. *Confirmatur secundò.* Quia nec propriè facit Dialectica Syllogismos, sed modum tradit illos conficiendi; Et quamuis illos faceret, tunc anima res aliquas cōsiderare deberet, nec tamen Ars esset appellanda. *Vnde Dialecticā, vt pro parte Topica sumitur*, eaque vt Vtens est, negat Aristoteles 1. *Rhet. cap.* 4. esse Artem. *Confirmatur tertiò.* Quia Dialectica considerat in communi, quæ spectant ad operationes; atque modo quodam scientifico & demonstratiuo, Ars autem & circa particularia versatur, nec curat res per causas cognoscere. *Obijcies.* Aristoteles 6. *Ethic. cap.* 3. enumerat quinq; Intellectus habitus, Scientiam, Artem, Intellectum, Prudentiam, & Sapientiam: at per nos, non est Dialectica ars, vel scientia, nec potest esse Intellectus, quia is est de rebus per se notis, atque de primis principijs, vt docet Aristoteles eodem loco *cap.* 6. *&* 2. *Post. text. vlt. &* 1. *Met. in initio. Nec potest esse Prudentia*; hæc enim ad mores refertur, vt est apud Aristotelem 6. *Ethic. c.* 5. *Nec demum Sapientia*; tum quia Intellectum & Scientiam comprehendit, tum quia est rerum notissimarum & primarum causarum. 6. *Ethic cap.* 7. *&* 1. *Met. in initio* Ergo nullus erit habitus. *Respondeo*, Propterea quidam, vt Balduinus, quæsito An Logica sit Scientia, arbitratur Dialecticam esse facultatem, quod asserere videtur Aristot. 1. *Rhet. cap.* 4. illam vnà cum Rhetorica nominat. δύναμιν, quod significat facultatem: Cuius facultatis munus est, vt elici potest ibidem, & Alex. *initio Prior.* vt sit habitus ad contraria, qualis esse videtur nostra Dialectica, potest enim in vtramq; partem probabiliter disputare. *Sed id rectè dici nequit.* Tum quia id vt plurimum locum habere potest in vna Dialecticæ parte, nempè in Topicis; tum quia illa ipsa pars non disputat probabiliter in vtramque partem, sed præcepta solum tradit, quemadmodum id rectè

fieri possit, quæ præcepta & vera sunt & certa. *Quæres*, Quis ergo tandem habitus erit Dialectica? *Respondeo*, Dicendum esse habitum instrumentalem, quia partim accedit ad Scientiam ratione certitudinis & euidentiæ, partim autem ad artem, quia est de obiecto quadam ratione factibili, & quia aliò ordinatur: sed ab vtroque tamen per se est distinctus. *Cæterum* Aristoteles 6. *Ethic. cap. 3.* solum meminit eorum habituum, qui sunt propriæ & perfectæ Intellectus nostri virtutes; *Vnde nec memi nit opinionis*, cui falsum subesse potest, nec cuiusdam alterius habitus, cuius 2. *Poster. text. vlt.* mentionem facit, appellatq; rationem, siue ratiocinationem, quisquis tandem ille sit, de quo eo loco. Pari igitur ratione nō meminit habitus huius instrumentalis, sicut nec facultatis, quam Balda tamen & alij volunt esse habitum distinctum, quia habitus instrumentalis non tam perficit Intellectum directè & propriè, quam indirectè & consequenter, modum præscribendo cæteris habitibus, vt illum propriè perficiat. Nec tamen tacuit Aristoteles alijs in locis hunc instrumentalem habitum, videlicet dum 2. *Met. text.* 15. appellauit Dialecticam aut obiectum illius, & ipsam consequenter, sciendi modum, & *lib.* 1. *Top. cap.* 9 *&* 12. dicit problemata Logica esse instrumentalia, quædā autem alia speculatiua & practica. Denique testatur Zimara theor. 9. diuisisse Stoicos Philosophiam in Speculatiuam, Actiuam, & Organicam, per Organicam sine dubio Dialecticam intelligentes. Sic etiam loquuntur Interpretes, Alex. & Philop. initio *Prior.* & idem Alex. 1. *Top. cap.* 9. Am. *præfat. in prædic.* Simplic. ibid. Auer. *ep. t. Met. & Logica*, D. Tho. ep 70. & 1.2. *quæst* 57. *art.* 3. *ad tertium*. Lege Zimaram in tabula, verbo, absurdum est, verbo, artes, & verbo, Scientiarum genera. *Obijcies*, Artes quæ sunt sub Architectonicis, id est, quæ seruiunt superioribus, qualis est frenefactoria respectu equestris, & referuntur ad architectonicas tanquā instrumenta quædam, nec tamen propterea amittunt artis nomen; Ergo quamuis Dialectica referatur ad alias Scientias & artes, non tamen propterea Scientiæ, vel Artis nomen amittet. *Respondeo*, Non potest Dialectica vtrumque nomen & rationem retinere, vnde quia natura sua refertur ad illos habitus, & alios quoscunque cognoscitiuos, ideò rationem quandam habitus diuersam habere dicenda est.

AN DIALECTICA SIT *Philosophia Practica aut Speculatiua?*

VTrumque in quæst. annectimus; quia Diuisio in habitum practicum & speculatiuum est Diuisio Philosophiæ, non est autē quæstio de nomine tantum, vt vult Auicenna, & apud Alb. Alpharab. quamuis idem sit quærere, an sit Dialectica & quiuis alius habitus Philosophiæ pars, quod quærere, An sit scientia: vt ex antiquorum opinione refert Am. *initio prædicab.* & Alex. 1. *Top.* Propterea enim Stoici Philosophiam & Philosophiæ rationem Dialecticæ attribuebant, quod eam scientiam esse censerent, vt refert Plutarch. *lib. de pl. Philosophorum.* & Alex. 1. *Top.* fortasse non adeò pressè scientiæ nomen vsurpantes. *Quod si ita sit*, iam patet, quid ad quæstionem respondendum sit; Cum enim dictū sit non esse scientiam Dialecticam: Consequens est, vt nec Philosophiæ pars, nec Speculatiua, nec Practica appelletur, quia tamen id aliquam habet difficultatē, paucis quid dicendum sit, aperiendum est. nam exacta rei huius cognitio, non nisi cognito, quid sit esse practicum & speculatiuum, & quæ sit scientiæ Diuisio, quidque ad Philosophiā requiratur, haberi potest. Quibus de rebus omnibus proprius disserendi locus est in tractatione de Scientia.

Prima Propositio. Si per praxim more Aristotelis intelligamus id, quod est commune actioni & factioni, non est Dialectica practica, *non quidem, si de factione sermo sit*; hæc enim est, quę aut opus post se relinquit, aut certè ad finem externum ordinatur, vt ars ædificādi ad domum, ars cytharizandi ad actum externum cytharizandi, quamuis post se opus non relinquat. *non etiam si de actione sermo sit*; quia actionis nomine Aristot. vt probabilior est opinio, intellexit

tellexit eas tantum, quæ ſunt propriè immanentes, & intrinſeceæ; atq; ab alijs principijs & potentijs perfectæ quã ab Intellectu, vel ſaltem ordinatæ ad aliam quandã potentiam diſtinctam ab Intellectu; quod dico propter quoſdam actus, qui quamuis ſunt in Intellectu, dicũtur nihilominus eſſe practici, quia ad actionem & potentiam ab Intellectu diſtinctam ordinantur, qui eſt conſultatio, Imperium, &c. Colligitur ex Ariſtotele 6. *Met. text.* 2. *lib.* 11. *ſumma* 3. *cap.* 1. 6. *Ethic. cap.* 2. & 5. 1. *mag. moral. cap.* 33. Et ex Alex. 2. *Metaph. text.* 3. Idem etiam tenent, Albert. *tract.* 1. Logicæ, *cap.* 4. Scotus *quæſt.* 4. *Prolog. art* 1. Herueus *quodlib.* 1. *quæſt* 11. Capreolus *in Prolog. Sent.* Sonſinas 6. *Met. quæſt.* 2. *Et eſt hæc opinio contra Nominales*, contra Gregorium Arim. *in Prolog. quæſt.* 1. *art.* 5. Gabriel. *quæſt.* 10. & 11. *Prolog.*. Ocam 1. *diſtinct.* 25. *quæſt* 6. Aureoli apud Capreolum in prolog. *quæſt.* 2. Mirandul. 5. apol. *lect.* 13. & *in comm. ſect* 4. contra Scalig. exercit. 106. num 3. Iand. 6. *Met. quæſt.* 5. Qui omnes volunt praxin propriè conuenire actibus etiã Intellectus, imò verò cuiuſuis potentiæ, quæ à voluntate imperium accipiat. Et propterea concludunt Dialecticã eſſe practicam, etiamſi circa actũ Intellectus verſetur. Quod maximè dicũt propter Conſultationem, quã certum eſt eſſe actũ Intellectus, & ſimul eſſe praxim. Sed nos ad id iã reſpondimus. Quod autẽ propriè apud Ariſtot dicatur praxis, vt eſt nomen contractum ad actionem, & diſtinctum à factione, quam ποίησιν vocat Ariſtoteles, Probatur ex eodem 1. *mag. mor. cap.* 5. & 33. vbi indicat eſſe actionem eam quæ virtutis propria eſt, vel vitij, ſeu quæ rectæ rationi ſubeſt. Et 6 *Metaph. text.* 2. Idem eſt agibile & eligibile, inquit. Et 5. *de anima, text.* 46. & 47. & 48. & 49. dicit eſſe actionem de fugiendis aut amplectendis rebus, & alijs locis de quibus alibi fortaſſe commodius.

Secunda Propoſitio, Non eſt Dialectica Speculatiua. *Idem probari poteſt*, ex iis locis, quibus probatum eſt non eſſe practicam. Ariſtoteles enim 1. *Top. cap.* 9. & 11. diſtinguit problemata logica à Speculatiuis & practicis. *Ratio autem eſt*, quia ſpeculatiuus habitus eſt ſui gratia. Hæc propoſitio eſt contra Alb. *tract.* 1. Log. & 4. Arim. *initio Log.* & Sonſin. 6. *Met. text.* 2. Ant. And. 6. *Met. lib.* 3. Soto *quæſt.* 4. *proœmij*. Scot *in prol. quæſt.* 4. *Poteſt nihilominus dici*, quadam ratione eſſe ſpeculatiua magis etiã quam practica, quatenus eſt potiſſimum vſui in ſcientijs ſpeculatiuis, & quatenus modum tradit *cauſæ inueſtigandæ, quod ſolis ſpeculatiuis ſcientijs conuenit per ſe*, vti nimirũ cauſis, ſeu verſari circa cauſæ cognitionem: Et *denique*: Si ſpeculatiuæ finem eſſe dicamus, non ſolam per ſe cognitionem veritatis, ſed actum internũ Intellectus. Quod indicat D. Thó. *prima ſecundæ, quæſt.* 57. Et Fran. Surella *lib. de Definitione Logicæ*, ad 4. Argumentum Balduini.

Tertia Propoſitio. Multò minus dici poteſt Dialectica ſimul ſpeculatiua & practica, quod ex Nominalibus & Recentioribus quidã dicebant: Habitus enim diuiditur in ſpeculatiuum & practicum tanquam in differentias diſparatas & eſſentiales. Hæc eſt autem natura huiuſmodi differentiarum, vt vni atque eidem conuenire nequeant. Quod de naturalibus habitibus dictum volo. Quæſtio enim eſſe ſolet de Theologia. *Et probabilior eſſe videtur pars affirmans*, vt nempè ſimul ſit practica & ſpeculatiua. Etſi enim ratione diſcurſus, quo vtitur Theologia, naturalis ſit, tamen ratione principiorum quibus nititur, ſupernaturalis eſt. Illa enim per fidem tantum habentur. Poteſt tamen dici eſſe ſimul Dialecticam, practicam, & ſpeculatiuam, ad modum ſupra explicatum. Sicut etiam diximus dici poſſe Artem, & Scientiam; etſi neutra formaliter & per ſe ſit. *Obijcies*. Intellectus aut eſt ſpeculatiuus, aut factiuus, aut practicus, ergo omnis habitus qui in ipſo eſt vnius ex his rationem habere debebit. *Reſpondeo, Non eſſe hanc diuiſionem eſſentialem Intellectus*, ſed tantum ſubiecti in accidentia, atque nec quidem omnia. Vnde facultas, opinio, & alia huiuſmodi nec ſunt practici, nec factiui, nec ſpeculatiui habitus. Et confirmatur ex Ariſtot. 1. *Top.* vbi ponit tanquam menbrum diſtin-

ctum problema Logicũ à practico & speculatiuo. *Potest etiam secundò dici*, omnem Intellectum esse vnum ex dictis, sumendo nomen practici largè prout videtur id omne significare, quod quoquo modo à nobis fieri potest. *Obijcies secundò.* Aristotel 6. *Met. text.* 2. & 11. *M. summa* 3, *cap.* 1. probat naturalem scientiam esse speculatiuam; quia neq; est factiua, neque actiua; atqui si quispiam alius habitus dari posset, male profectò argumentaretur, Ergo. *Respondeo.* Sermonem esse Aristoteli de habitibus perfectis, quos certum est esse, aut practicos, aut speculatiuos, aut factiuos. Quare rectè Aristoteles concludit, naturalem Scientiam, quæ habitus quidam perfectus est, esse speculatiuam. Quia neque factiua, neq; actiua esse potest, *non est autem Dialectica habitus perfectus.* *Notandum* cum de practico & speculatiuo sermo est, attendi debere finem cuiusque intrinsecum, atque vt loquuntur finem scientiæ, id est, quò natura sua alter ex his habitibus refertur, nimirum ad ad solam cognitionem veritatis, vel etiam ad opus & actionem. *Non autem curandum est*, quis sit finis scientis & extrinsecus, nempè quo is qui scientiam aliquã acquirit, referat eiusdem scientiæ cognitionem.

Quarta Propositio. Ex dictis sequitur non esse Dialecticam in Philosophiæ partibus numerandam, quod, inquam, sequitur tum ex Aristot tum ex Interpretibus. *Et quidem si Philosophia sumatur pro habitibus*, tum practicis, tum speculatiuis, id apertè patet. Sic autem vsurpare videtur Aristot. 6. *Met. text.* 1. & *lib.* 11. *summa* 1. *cap.* 1. *Multo autem minus dicetur Dialectica Philosophia*, si hoc nomen Philosophiæ pro speculationis tantum habitu vsurpetur, quod indicat Aristoteles 2. *Met. text.* 3. dicens, esse Philosophiam sui gratia. Et rectè se habet, inquit, Philosophiam scientiam veritatis contemplatricem appellasse. *Nec tertio dici potest Philosophia*, vt significat Scientiam de substantia, ita Aristoteles 4. *Met. text.* 7. *Nec denique*, vt tantum pro Metaphysica. Sic Aristot. 4. *Met. text.* 5, 7, 8. Ex quibus acceptionibus ea maximè videtur proba[ta] Aristoteli, quæ Philosophiam pro Scientia veritatis contemplatricè significat. Neque etiam præterea, quod ad alios attinet, dici potest Dialectica Philosophia, si Philosophiam esse intelligamus quandam cognitionem, quæ hominem propriè & per se perficiat. Nam non tam id facit Dialectica, quam modum præscribit dictis habitibus, vt rectè hominem possint perficere. *Confirmatur.* Nam Dialectica est fusa per omnes Scientias, non ergo potest esse pars Philosophiæ, nam pars extra partem est.

Vltima Propositio. Si Philosophia sumatur pro quauis certa rei alicuius cognitione, & secundum vulgarem illius acceptionem, nihil prohibet appellari eam Philosophiam. Vnde Aristoteles 1. *Top. cap.* 12. vbi problemata naturalia & moralia atq; Logica enumerauit: De his, inquit, secundùm veritatem ad Philosophiam negotiari pertinet, vbi indicat Philosophiam sub se comprehendere etiam Logicam. *Hinc etiam factum est*, vt Stoici teste Diogene, Philosophiam partirentur in Physicã, Moralem & Logicam. Et Plato, vt Euseb. ex Attico quodam Platonico *lib.* 11 *de preparat Euang. cap.* 1. refert, Eadem ratione Philosophiam tribuebat. Immo etiam & Aristot. si Eusebio eidem credimus; quamuis quem ille citat Aristoteles, non hic noster Stagirites, sed alius quispiam ex Peripatetica familia esse putandus est. Citat enim Eusebius huius Aristot. quem Peripateticum appellat *librum* 7. *de Philosophia.* Quod tamen opus inter Aristotelis volumina ab ijs, qui diligentissimè omnia percensent, non reperitur. Nec credendum Alberto est, qui eam contendit esse Aristotelis Diuisionem. *Quare non est amplectenda Alberti sententia*, nec etiam alibi, aut aliorum, qui volunt propriè esse Dialecticam Speculatiuam philosophiam, vt Iand. in *proœm. lib. de anima*, vbi Philosophiam diuidit in Organicam & nõ Organicam. Ant. & Simplic. *in prædic.* Buran. *in* 1. *Prior.* Zimara *theor.* 9 Galenus *lib quod optimus medicus sit Philosophus*, & *lib de historia philosophica*, atq; alij. *Qui excusari possunt*, quod fortassè locuti sunt de communi & tertia Philosophiæ diuisione, quæ etiam habe-

tur

tur apud D. August. 8 *de Ciuitat. Dei, cap. 4. & lib. 11 cap. 25. passim*, qui Philosophiam diuidit in naturæ obscuritatē, differendi subtilitatē, vitam & mores. *Obijcies.* Potest idem esse pars & instrumētum, vt manus est pars, & instrumentum hominis, quod exemplum affert Socrates in prædicabil. Plato etiam teste Am. in prædic. & Philop. 1 *Prior.* vtebatur exemplo sextarij, quæ & simul esset mēsura, & pars mensuræ maioris, & consequenter simul instrumentum & pars. *Respondeo*, Quicquid sit de Antecedente. Nam Philop. dicit esse manum partem corporis, & instrumentum animæ. Rectius autem dixisset esse partem totius hominis, & instrumentum eiusdem; Consequentia negatur. Suprà enim probatum est, non posse esse propriè partem; quia omnibus Philosophiæ partibus veluti immersa inest. Sed de his, vt antea diximus, magis ex professo in tract. de Scientia. Ex dictis ergo satisfieri potest quæstioni, quæ secundo loco proposita est, quid sit nimirum Dialectica; hęc enim est definitio Dialecticæ.

DEFINITIO DIALECTICÆ.

Dialectica est habitus Intellectus, cognoscitiuus, certus, & euidens, sed instrumētalis; directiuus triū Intellectus nostri cognoscitiuarum operationum. Quinque primæ partes conficiunt genus proximum Dialecticæ, reliquæ differentiam. *Dicitur habitus Intellectus*, ad distinctionem habituum, qui in alijs potentijs reperiuntur. *Cognoscitiuus.* Quia quemadmodum aliæ esse dicuntur in Intellectu operationes, præter quinque cognoscitiuas, ita fortè nihil obstat, quo minus alij sint habitus præter cognoscitiuos. *Certus*, ad distinctionem opinionis, eorumq; habituum, quibus inesse falsitas potest. *Euidens*, ad distinctionem fidei, siue humanæ, siue diuinæ. *Directiuus*, ad distinctionē à quinque habitibus, qui ab Aristotele numerantur, 6 *Ethic. cap.* 6. præsertim autem ab arte & scientia, de quibus maior & pene sola esse solet controuersia. *Cætera partes tenens locum differentiæ*, & simul explicant Dialecticæ obiectum; quod sint operationes cognoscitiuæ. *Præterea eiusdem officium*, quod est tradere modum quo operationes rectè fieri queant. *Denique finis intrinsecus*, qui est tradere præcepta de dirigendis operationibus. *Nam extrinsecus*, vt de eo etiam, quando Intrinseci mentio incidit, simul dicamus, est ipsamet operatio directa, seu modus rectæ operationis; coincidunt enim obiectum & finis extrinsecus. Alio modo quoque dici posset finis extrinsecus ipsāmet cognitio circa ipsasmet res aliquas determinatas, vt benè fit. Nam tota Logica tādem eo tendit, vt per eam rectè intelligendo circa res determinatas operari possimus. Hæc distinctio finis Intrinseci & Extrinseci elicitur ex Aristot. 1. *Top. c.* 2. Et expressè habetur apud Gal. *lib. de Introd. Medic. cap.* 8. vbi intrinsecum vocat proprium, Extrinsecum impropium. Hoc autē modo sumptus finis hic duplex, videtur habere præsertim locum in scientijs seu artibus, quas στοχαστικὰς Græci vocant, vel cōiecturales, quarum non est semper finem illum Extrinsecum acquirere: sed modum duntaxat tradere, quo is acquiri possit. Qua ratione non est medicinæ semper sanare. Vnde illud: Non est in Medico semper releuetur vt æger. Sed præscribere modum accommodatum sanitati acquirendæ. Quod idē cernere est in arte & alijs huiusmodi. Sic etiam Dialecticæ finis est tradere modum benè intelligendi, non autem actu benè intelligere. *Atque hæc de definitione*, quæ sola nobis essentialis, & omnibus numeris absoluta esse videtur. *Quæ autem circumferuntur apud alios autores*, potius sunt descriptiones quædam, & quarundam eius proprietatum exempla, quam legitimæ eiusdem Definitiones. Qualis illa est 1. *Top. cap.* 1. Dialectica est methodus vel ars ratiocinandi de quauis re proposita ex probabilibus, Qualis item illa est Cic. est ars differendi. Et D. Aug. 2 *de Ord. cap.* 3. Est disciplina disciplinarum, quæ sola sapientes efficit. Qualis illa Doctorum Louaniensium, Est ars aut scientia verum à falso discernens, & ex notis in cognitionem incognitorum Intellectum ducens. Qualis

item D. Tho. plerisque locis. *Est Scientia actuum rationis directiua*, quæ definitio proximè ad nostram accedit. Qualis denique illa apud D. Isid. *lib.* 2. Etymolog. Est scientia definiendi, inquirendi & disputandi, & aliæ multæ.

SECVNDA PARS.

Qualis sit Dialectica?

QVÆSTIO I.

An sit necessaria & vtilis?

POST Explicationem definitionis, sequitur vt de Dialecticę affectionibus & qualitatibus dicamus, quæ vt alia omittã, ad duo potissimum capita reuocari possunt. Ad necessitatem, & vtilitatem simul atque ad vnitatem. Vbi dicemus de Diuisione Logicæ.

Notandum primò. Duplex est Dialectica: Naturalis & Artificialis; *Naturalis non est habitus quidã*, quo in genere probatur de omni infrà in suo loco. nempè nullum esse posse nobis à natura inditum, sed est lumen ipsum Intellectus, quod eùm natura nobis ingeneratum est, & quo iuuamur ad intelligendum, & discurrendum. Huius Dialecticæ meminit Aristoteles, sicut & Rhet. 1. *Rhet. cap.* 1. & 1. *Elench. cap.* 8. & 11. *Artificialis est habitus studio & industria humana acquisitus*, quo in certam quandam formam & rationem rediguntur ea, quæ alij temerè & fortuitò in intelligendo obseruant, reddita singulorum propria causa. Quare lumen illud naturale potius dicendum est vis quædam practica, vel consiliatiua, aut etiam solertia quædam naturalis. Hanc distinctionem duplicis istius Dialecticæ habet Auer. 1. *Prior. cap.* 12. Et Arm. *in sua Log. cap.* 2. de qua paulò post.

Notandum secundò. Necessarium esse duplex; Ad se, & ad aliud. *Necessarium ad se est*, quod habet necessarias suæ esse causas, vt Deus Opt. Max. Et homo quatenus dicitur esse animal rationale. Et sic in cæteris essentijs rerum. *Necessarium ad aliud est*, cuius necessitas consideratur in ordine ad aliquid aliud. *Et hoc rursum* duplex ex Aristotele 5. *Met. cap.* 5. Simpliciter, & ad benè esse. *Simpliciter est*, sine quo finis rei ad quem refertur obtineri nequit, vt ad beatam vitam necessaria est vita studiosa. *Necessarium ad benè esse*, quod iuuat plurimum quidem ad finem consequendum, non est tamen simpliciter necessarium, ita vt non possit sine eo haberi finis, vt ad beatam vitam virginitas aut paupertas voluntaria.

Notandum tertiò. Cum Dialectica vt supra diximus, sit habitus quidam instrumentalis; illius necessitas spectatur potissimum in ordine ad scientias, quarum est Instrumentum. *Quæstio ergo est*, An ad illas acquirendas omnino necessaria sit, vel solummodo ad benè esse. Vbi etiam aduertendum est: Sicut de Logica artificiosa sermo nobis est, ita etiam & de Scientijs artificialibus & perfectis.

QVOD DIALECTICA

sit Vtilis.

PRima Propositio. Quod Dialectica sit vtilis & proinde necessaria ad bene esse, nemo est qui negabit, nisi fortasse propter partem Sophisticam, ratione cuius malè apud quosdam audire solet Dialectica. Vnde Eccles. 37. Qui Sophisticè loquitur, odibilis est. Vnde ipsimet Epicurei vtilem esse falsi sunt. Et Aristippus princeps Cyrenaicorum, vt est apud Diog. Quod & D. Aug. testatur *lib.* 1. contra Cresc. *c.* 12. *Porrò de vtilitatibus Dialectica*, ne singulas enumeremus, legite Interpretes *in præfat*. præsertim *in Prædicab. Prædicam. lib. Prior. & Poster.* Et Fransc. Surella *lib. de vtil. Logica*, vbi antiquorum etiam testimonia, atque rationes non malas coaceruat. *Qui autem negarunt vtilem esse Dialecticam*, imò verò planè de medio sustulerunt; id potius exercitationis causa putandi sunt fecisse, quam quod reuera ita sentirent. De quibus *leg.* 6. *Emp. lib.* 1. contra Math. *cap.* 25. Satis etiam multa de vtilitate Dialecticæ à nobis dicta sunt antea.

Secunda Propositio. Ad scientias perfectè acquirendas necessaria simpliciter est Artificiosa Dialectica. *Est Aristotelis sententia* 2. *Met. text.* 13. vbi hæc verba habet: Quapropter, inquit, oportet peritum esse quomodo singula admittenda sunt: quoniam absurdum est, simul scientiam & modum sciendi quærere, neutrum autem accipere facile

facile est, q. d. qui alijs scientijs acquirendis operam dant sine Dialectica duplicem necessariò laborem suscipiunt, vt simul & particularia principia accipere, & omnes disserendi formas examinare cogantur. Hinc est, quod sæpè Veteres Philosophi Dialecticæ ignorationis reprehendant, vt 1. *Met. text.* 4. & 8. vbi inquit, Priores autem Dialecticæ erant expertes. Et *lib.* 13. *cap.* 4. 1. *de part. animalium, cap.* 1. *Phys. text.* 10. & 20. & 22. Idem D. Tho. docet *opusc.* 56. & 70. Alb. *tract.* 1 *Log. cap.* 3. Boër. in. Porphyr. Am. & Simplic. *in prædicam.* Arm. *suæ Log. cap.* 2. Algazet. *cap.* 4. Auer. *in ep. Log. Ratio est*: Quia debet sciens esse sine formidine, putareque non posse rem aliter habere. 1. *Poster. text.* 5. & 50. Debet etiam scire se benè scire, & benè inferre. quod certè non poterit, nisi quemadmodum sciendum sit, ante nouerit. Hunc autem modum tradit Dialectica: Vnde sæpè propter ignorationem rectè inferendi modum incurrerunt Veteres Philosophi in paralogismos, qui tamen prima fronte videntur esse apertæ rationis; vt Zeno probans quatuor rationibus motum non esse, vt est apud Aristotelem 6. *Phys. text.* 77. Quales & fuerunt aliorum rationes, quibus continuum ex Indiuisibilibus constare opinati sunt; de quibus idem Aristoteles 6. *Phys. & lib. de lineis inseparabilibus*. Et propterea dicebat Auer. esse scientias sine Dialectica veluti ligneum quendam cultrum. Et Alb. similes eos esse dicebat, qui Dialecticam ignorantes scire se aliquid crederent, igni comburenti, aut securi secanti, quod vtrumque nescit, nec se id facere, nec quemadmodum id faciat. Galenus *etiam lib. de constantia artis Medicinæ, cap.* 10. & *lib.* An sanguis sit in arterijs, hoc argumēto Asistratum Dialecticam de medio tollentem conficiebat. Aut ex quolibet quidlibet sequitur, aut non. *Si primum*, sic argumentor. Cygnus est albus; coruus est niger, ergo Asistratus est stultus. *Si secundum*. Necessaria ergo est Dialectica, quæ viam & rationem rectæ illationis docet. *Et propterea* Aristoteles 2. *Post text.* 5. monet Syllogismi definitionem, seorsim esse sumendam ante omnem partem Syllogismi, id est, esse tenenda præcepta de Syllogismo, antequam ad aliquam rem particularem inferendam descendamus. *Sed nihil melius quā* D. Aug. *l.* 2. *de ord. c.* 13. Quando inquit, ad alia fabricanda transijt, nisi ipsa sui prius quasi machinamenta quædam distingueret, notaret, digereret, proderetque ipsam disciplinam, quam Dialecticam vocant. hæc docet docere sola scientes facere non solum vult, sed etiā potest. Idem ferè ad verbum Boët. *lib.* 1. *in Top. Cic. Et confirmatur* ex D. Hier. *præfat in Ezech.* vbi ad cōtrouersias dirimendas plurimum valere Dialecticam dicit, ac penè etiam esse necessariam. Quod & D. Aug. 1. *lib. de doct. Christiana.* D. Aug. contra Petil. *lib.* 3. *cap.* 16. vbi se purgat contra Petil qui veluti probro vertebat Augustino, quod Dialecticis rationibus se conuinceret, lege etiam Sene. ep. 40. & 50. *Hæc opinio est contra Iand.* 2. *Met. quæst.* 11. atque contra quosdam alios recentiores, quibus fauere videtur Philop. *præfat in lib. Poster. Quorum rationes eo omnes referuntur*; quod multi antè Dialecticæ inuentionem multas tenuerint Scientias, vt Zeno atq; celeberrimi illi tota Græcia sapientes. *Sed facile est respondere*. Vel enim scientias exactas perfectè sibi compararunt: & sic necessaria illis fuit Dialectica, cuius non fuit primus autor Aristotel. vt postea dicemus; vel certè imperfectam tantum rerum cognitionem habuerunt, quod testari Aristotelem supra vidimus, dum eos quod ignorarent Dialecticam in multis hallucinatos esse scribit. *Ex dictis sequitur esse Dialecticam addiscendam ante cæteras scientias*. Quod Aristoteles significat loco sæpè cit. 2 *Met. text.* 15. & 4. *Met. text.* 8. vbi inquit, oportet accedere nimirū ad sentētias, hæc id est, resolutiua, seu cognitionem de Syllogismo Demonstratiuo & edoctum, sed nequaquam dum audiunt, quærere. *Contrarium huius docēt* quidam apud Am. volentes principium in discendis scientijs sumendum esse à Physica. Alij à morali Philosophia, Mirand. quoque iudicat prius discendam esse Metaphysicam siquidem, *in comm* suæ institutionis, *sect.* 4. & *lib.* 3. *apol sect.* 5. & *lib.* 4. *sect.* 4. significat esse

Diale-

Dialecticam subalternatam Metaphysicæ, ex quo sequitur debere prius Metaphysicam addisci. Denique Plato 7. de *Republ.* iubebat pueros statim in initio doceri Mathematicas disciplinas, ad Dialecticā autem quemquam accedere cauebat ante trigesimum annum, inde verò à quinquagesimo anno doceri volebat Metaphysicam, & Theologiam *Reliqua de ordine tradendarum Scientiarum alio fortasse loco dicemus.* Nunc certum est ob rationes dictas præcedere debere Dialecticam, & quidem quod attinet ad Mathematicas, consulebat Plato vtilitati Reipublicæ; ideoq; nolebat pueros natura sua satis litigiosos & contentiosos imbui Dialectica. Et prætereà quia Mathematicæ sunt quibusuis perfaciles, atque ea tempestate maximè erant triuiales. Vnde vt notat Dauid in Porphyr. non tam est dicenda Philosophiæ pars, Scientia de rebus Mathematicis, quam quædam veluti Propædia, id est, quædam præparatio, aut methodus ad Philosophiam comparādam. Quod idem satis indicat Plato eodem loco. Et Alex. 1. *Prior. in initio.* Quocirca passim Aristoteles non modo *in lib. Phys. & Metaphys.* sed etiam in Logicis exempla adhibet ex Mathematica petita. Imò etiam fertur Plato pro foribus sui Gymnasij asseripsisse. Nullus imperitus Geometriæ scholam ingrediatur. *Sed est difficilior Obiectio.* Videtur enim sequi esse Dialecticam sibijpsi necessariam. *Nam vt dictum est,* non potest certa haberi cognitio sine modo sciendi, ergo neque poterit Dialectica certam nobis de rebus suis tradere cognitionem, sine quadam alia Dialectica: atque de illa rursum idem dici potest: Quare videtur abeundum esse in infinitum. *Respondeo primò.* Sicut Virtutum, ita & Scientiarū inditi sunt nobis à natura quidam veluti igniculi, & ipsummet lumen naturale, natura sua propensum est, ad quædam facilè & nullo negotio cognoscenda. Sunt enim quædam quæ dicuntur prima principia, per se notissima, vt patet ex 2. *Met. text.* 5. Imo etiam potest quis discursus quosdam facere veros & certos, vt patet ex 2. *Phys. text.* 6. vbi dicit Aristoteles ridiculum esse quædam velle demōstrare, vt quod sit natura, videlicet, quia facillimè potest quiuis hos discursus facere. *Secundò.* Sicut omnes aliæ Sciētiæ ex Arist. 1. *Met. cap.* 1. & 1. *Top. cap.* 10. & 2 *post text. vlt.* inuentæ sunt experientia & Inductione, ita Aristoteles 1. *Rhet. cap.* 1. Hic autem modus fuit; vt colligi potest ex Boëtio in Porphyr. à se translatum: *Primò,* cœperunt homines res aliquas determinatas cognoscere, vnam ex alijs inferre, posteà animaduerterunt hos suos discursus cum rebus ipsis consentire, atque etiam multorum sapientum iudicio confirmari, quorum Autoritas facit plurimum ad scientias in initio addiscēdas, discentem enim, vt Aristoteles 1. *Elench. cap.* 2. oportet credere. Deinde quoniam ex multorum collectione, Inductione quadam, vniuersalem propositionem intulerunt, statuerunt esse hoc & illo modo in posterum intelligendū. cum verò vbi ad alia intelligēda se conuertebant, studebant, vt modum illum suum intelligendi, ad ante traditum modum conformarent. Etsi enim sæpè circa res aliquas particulares certi essent se bene intelligere; tamen id erat tantum ratione materiæ; needum sciebant, an modus ille intelligendi, quo vsi erant circa hanc rem particularem, si applicaretur cuiuis alteri rei, posset eos ad rectam rei eiusdem cognitionem ducere. Denique ex isto modo intelligēdi, qui notissimus est, & ad modū dictum inuentus, posteà progredientes venerunt ad inuestigationem aliorum modorum intelligendi magis obscurorum & ignotorum, sicque omnia præcepta in ordinem redegerunt, quæ ad totam hanc facultatem pertinent. *Vnde sequitur, primò* fuisse quodāmodo reliquas scientias priores Dialectica, nempè ratione materiæ, & rerum cognitarum, simpliciter tamen posteriores sunt, quatenus eædem res modo scientifico addisci debent. *Secundò sequitur* Ad artem Dialecticam inueniendam satis fuisse naturalem illam, de qua diximus, hoc est lumen naturale, adhibita intellectus reflexione quadam suprà seasmet operationes, non autem satis illa fuit ad ceteras scientias, quia illis necessarius est modus

dus sciendi certus, & determinatus, & ipsæ directè versantur circa rerũ cognitionem sine reflexione ad suasmet cognitiones; an nimirum habeant rectum modum cognoscendi, quia illum modum non ipsæ faciunt, sed à Dialectica factum supponunt. *Itaque hæc reflexio, quæ in Dialectica reperitur*, non est ea quam suprà diximus requiri ad Entis rationis constitutionem, neq; etiam vt ipsum Ens rationis cognoscatur, sed est consideratio quædam realis realium operationum. *Et confirmatur à simili in voluntate*, quæ & videtur se velle, & vno actu volũtatis omnes suas volitiones velle potest. Sic etiam in arte fabrili malleus malleum cudit. *Et confirmatur etiã Authoritate Aristotelis 1. de anima, text. 85.* vbi docet, Rectum esse iudicẽ sui & obliqui. *Tertiò sequitur, posse dici Dialecticam* ratione modi illius cognoscendi magis manifesti seipsam præcessisse, quatenus ex illius inuentione gradum fecit ad inuestigationẽ modorũ sciendi minus notorum; quod non est absimile, & confirmari potest similitudine ducta ex rebus naturalibus, quæ paulatim ab imperfectioribus ad perfectiora tendit. *Vltimò sequitur, fuisse Dialecticam* quadam ratione inuentu difficiliorem, quam scientias reliquas, tum quia ex cæterarum rerum cognitione deriuata est illius inuentio, tum quia opus fuit reflexa quadam Intellectus conuersione ad suasmet operationes. *Obijcies*, Videtur hinc effici esse Dialecticam reliquis scientijs nobiliorem, quia eas dirigit ac veluti præcepta dat: hoc enim modo artes architectonicas nobiliores esse constat ijs quæ sub ipsis cõstitutæ sunt. *Confirmatur*, Quia est de nobiliore obiecto Dialectica quam pleræq; aliæ scientiæ, est enim de operationibus Intellectus, cum aliæ aut sint de accidente tantum, vt Mathematicæ de quantitate, aut de substantijs, seu affectionibus substantiarum, sed inanimatarum. *Respondeo*. Dialectica modum præscribit alijs scientijs; non tanquam Ars imperans, sed tanquam instrumentum dirigens, habetq; se instar Pædagogi, qui Principis alicuius viri mores informat. *Differt etiam ratio est inter* Architectonicã, & quæ sub ipsa sunt artes, & Dialecticam, scientiasque cæteras, nam architectonicæ artes sub se dirigunt, vt illas illorumque finem ad suum finem, perfectionemq; referant. non item Dialectica, sed potius seruit vtilitati scientiarum cæterarum. *Ad confirmationem dicitur*, Etsi aliarum scientiarum obiecta multa minus sint nobilia obiecto Dialecticæ, est tamen modus, quo circa illa versantur longè nobilior, quia est sui gratia, vel certè est applicatiuus modus sciendi à Logica traditi tanquam instrumenti.

QVÆSTIO II.

De Vnitate & Diuisione Dialectica.

Vnitas Dialecticæ quod ad duo potest considerari. Primò. Quod sit habitus quidam determinatus, quod suprà probatum est. *Secundò.* Quomodo hic habitus sit vnus? id est, an sit simplex quædam qualitas inclinans intellectum ad omnes conclusiones, quæ in ea inferuntur. *Cuius rei explicatio ex tract. de scientia peti debet*, vbi id in vniuersum de scientia quæri solet, *nobis tamen in præsentia probabilius esse videtur*, non esse Dialecticam simplicem quandam qualitatem, atq; simplicem habitum, sed multos, qui aggregatione sua vnam artem, vel scientiam constituunt, ratione vnius obiecti formalis. *Quod enim sint plures habitus, vel ex eo patet*, quia sunt plures Demonstrationes, quæuis autem proprium suum effectum habet, qui est scientia: Tot ergo Scientiæ, totque habitus sunt, quot & Demonstrationes. *Quod attinet ad Diuisionem & multiplicitatem*, an videlicet, vniusmodi sit Dialectica, an potius ipsa tota secundùm diuersas rationes multiplex dici possit, & quas etiam ipsa partes habeat, superest, vt explicetur. *Prima Diuisio. Dialectica alia est naturalis, alia est artificialis.* Quæ diuisio non est artis quam tradimus, tamen ponitur primo loco ad statuendum id, de quo est sermo, nam loquimur de ipsa arte Dialectica. De hac diuisione satis dictum est in præcedẽtibus. Et colligitur ex Aristotele *1. Rhet. cap. 1. & Elench. cap. 8. & 11.* & ex Auic. *in sua Log. cap. 2.* Auer. *in 1. Prior. cap. 12. &* Alb. *tract. 1. Log. cap. 3. Secunda Diuisio.* In

Grammaticam, Rhetoricam, Poëticam, & hanc nostram artem. Quæ etiam diuisio ponenda fuit ad separanda mẽbra quæ ad rem non faciunt. Huius membri D. Tho. in 1. *Periherm.* Am. Mag. Auer. Auic. *Sed hæc Diuisio petita est ex Etymologia dictionis* λόγος, vt sermonem significat, ita vt hæ omnes dicantur Logicæ, id est, sermocinales. *Tertia Diuisio. In Topicam, & Analyticam. Per Topicam* intelligunt nonnulli partem Inuentiuam. *Per Analyticam.* partem Iudicariuam. Quæ videtur Stoicorum fuisse diuisio. Et est apud Cic. *in Top.* & Boët. in Porph. aliosque. Sed Mirand. in ex. suę institut. *& lib.* 4. *ap. sect.* 8. *& lib.* 5. ad finem. *& lib* 7. *sect* 2 *& lib.* 8. *sect.* 10 *&* 12. *partem Topicam* videtur sumere pro Dialectica, analyticam pro Logica; ita vt distincti sint habitus pars Top. & Analytica, seu etiam Dialectica & Logica. Vult autem ad habitum Logicæ referri partem Topicam, facereque vnum habitum cum illa, quatenus docet modum disputandi probabiliter, vt sit Logica habitus tradens pręcepta de omni modo disserendi & cognoscendi in communi: Atque partem illam Top. non vult ipse vocari Topicam simpliciter, sed illum habitum, qui probabiliter & actu disputat de rebus. *Sed hanc opinionem paulò infra diligentius examinabimus. Vnde dicimus,* Topicam esse eam, quæ modum tradit probabiliter disputandi, & vocari Inuentiuam propter locorum multitudinem, quos pertractat, & propter aliam causam quam etiam infra. *Analyticam* autem quæ cõtinet libros Prior. & Poster. dicitur Iudicatiua, quia versatur circa Iudicium formæ & materiæ Syllogismi in communi, quamuis vtraque pars iudicio vtatur & inuentione. De quo pluribus in lib. Prior. *Quarta diuisio.* In eam quæ est de Incomplexis, id est, de modo cognoscendi sine vlla copula, verbi gratia, de Definitione & Diuisione; Et in eam quæ est de Complexis, id est, de propositione & Syllogismo. Hæc diuisio est Arabum, quos sequitur Alb. 1. *prædicab. cap.* 1. 6. *&* 7. *Quinta est Stoic* apud Diog. *lib.* 7 In eam quæ est de vocibus, & de rebus. *Sexta* est Epicureorum, *in Sophisticam & Canonicam.* Illam planè reijciebant. Per Canonicam autem intelligebant modum sciendi & loquendi, vt ex Diog. *lib* 9. & duabus Epist. Epicuri apud eundem. *Septima, In artem nouam & veterem.* Per veterem intelligunt quidam eam partem, quæ versatur circa prædicab. prædicam. & *lib. Periherm.* fortasse quod hæc ante Aristotelem satis perspicuè essent pertractata. Per nouã autem eam quæ est de Syllogismo, cuius veluti noua inuentio ad Aristot. referatur. Quod sibi arrogare videtur 2. *Elench. cap. vlt.* & indicat Cic. 1. Acad. dicens artem Syllogismi post Socratem esse inuentam, quod Socrati minimẽ probaretur. Hinc est, quod Burl. Am. And. & alij eiusdem farinæ homines, suos in dictos lib. Commentarios inscripserunt, in artem veterem. *Alij dictam volunt Artem veterem,* quæ aliquam duntaxat artis partem continet. *Nouam quæ omnes,* totamque artem, nam reliquiunt partes toto sunt priores atq; quodammodo magis veteres; Ita Autor Compilatorum Louan. *in lib. Prior.* Barssella & autores eorundem *c. in prædicab.* & Iulius Velsius *tract.* de sensu composito & diuiso. *Octaua Diuisio. In docentem & vtentem,* quã Mirand. *sect.* 8. *comm. in instit.* dicit, à Peripatetica disciplina abhorrere: sed satis apertè colligitur ex Aristotele 1. *Top. cap.* 2. *&* 9. vbi dicit, addisci Logicam vt ea vtamur. Et Auer. in Paraph. Logica, inquit, completur vsu & cognitione. D. Tho. 4. *Met. lect* 4 Idemq; Auer. 2. *Met. text.* 15. Docentem appellat modum sciendi; *& lib.* 7. *text.* 2. Vtentem vocat vsitatam. Item 1. *Phys. text.* 25. *&* 7. *Met. text.* 3. *Quid autem hac diuisione intelligatur,* dissentientes inter se sunt opiniones Autorum. *Prima Opinio,* Per Vtentem intelligit vniuersalem; Per Docentem particularem; sed de hac diuisione mox dicemus. *Falsum autem est dici Docentem vniuersalem,* & Vtentem particularem, nam vtraque docens est. *Secunda Opinio.* Per Docentem intelligi Dialecticam vt est de operationibus Intellectus secundum se: Per Vtentem eandem vt est de operationibus vt dirigibiles sunt. Sed falsum est pertinere ad Dialecticam agere de operationibus secundum se, id enim pro-

prium

prium est naturalis Philosophi, & quamuis id faceret, vtraque tamen Dialectica docens dicenda esset, quoniam vtraque præcepta tradit. *Tertia Opinio*, D. Tho. 4. *Met. lect.* 4. Et Scot. *quæst.* 1. *Log.* dicit, Docentem quæ Demonstrare docet & definire, Vtentem quæ probabiliter disputat de quauis re. Quam opinionem quatenus falsa est refellemus vnà cum sequente; ipsorum tamen autorum mentē conabimur in propositionibus nostris ad veritatem trahere. *Quarta Opinio.* Docentem esse quæ ex proprijs principijs nos docet omnem cognoscendi & disserendi modum, vtentem quæ probabiliter disputat de quauis re ita, vt hic vsus probabiliter disserendi proprius sit Dialecticæ. Hæc videtur esse opinio Mirand. cuius paulò ante meminimus, & *lib. apol. sect.* 12. ipsos libros *Top.* qui docent probabiliter disputare refert ad Dialecticam. Quamuis oppositum vt supra dixi alibi docuerit. Videtur inclinare in hanc sententiam Fonseca *lib.* 2. *Met. cap.* 3 *quæst.* 1. *sect.* 6. Quæ Opinio quoniam apud Recentiores celebris est, nobis videtur esse diligenter excutienda.

Prima Propositio. Tota Ars nostra prout præcipit de modo disserendi, alijsque ad ipsam pertinentibus, simul vtitur modo disserendi. *Nam probat Dialectica sua omnia modo scientifico*, & per Demonstrationes, quare hoc modo potest dici simul docens & vtens; vtitur enim eo ipso disserendi modo quem tradit. Et in hoc non potest esse locus opinionibus.

Secunda Propositio. Non omnis disserendi vsus pertinet ad Artem nostram. Patet. Alioqui enim non esset distincta Dialectica à cæteris habitibus: & hoc etiam nemo est qui neget.

Tertia Propositio. Quatenus Dialectica præcepta de disserendo tradit, ijsdemque vtitur; non potest dici esse triplex habitus. *Probatur.* Quia non possunt hæc separari, doctrina de modo disserendi, & ipsemet disserendi modus, quo doctrina traditur. *Obijcies.* Atqui distincti sunt habitus, tū is quo cognoscimus præcepta artis, tum ille, quo artis opus exercemus, vtentes præceptis ipsis, verbi gratia, in arte ædificandi.

Respondeo. Id esse, quoniam præter habitum cognitionis præceptorum qui est in Intellectu, debet etiā esse quædam in mēbris & potentijs habilitas ad rectè & faciliter opus exercendū, quam nonnulli volunt esse habitum; quod nō necessarium in Dialectica, quia operationes Intellectus in ipsomet Intellectu consummātur, & cognito modo benè operandi in promptu est facilè operari.

Quarta Propositio. Dialectica Vtens non est ea quæ dat modum probabiliter disserendi, sed tota ipsa Ars partim Vtens, partim Docens appellatur. Immò verò quatenus traduntur præcepta probabiliter disserendi non est vti, sed docere. *Vnde Dialectica docens est*, quam alij à rebus auulsam appellant. *Vtens, quam rebus coniunctam dicunt*: Et rectius tamen Auer. vsitata appellatur. nam scientia quę sibi applicat modū sciendi, est ea quæ propriè dicitur Vtens, nam vtitur Dialectica Docente. Ipsa igitur Dialectica applicata Scientiæ, dicetur potius Exercita & vsitata. Hoc indicat Aristoteles 1. *Top. cap* 9. vbi dicit, addisci Logicam vt ea vtamur, & 2 *Met. text.* 15. cùm eandem vocat sciendi modum. Et propterea Plato Dialecticam quæ in rebus versatur, solebat dialecticam simpliciter appellare; sed alio etiam nomine Metaphysicam, vt Philop. & Am. *initio Prior, & Poster.* & Plotin. *Arn.* 1. *lib* 3. *cap.* 4. & 5. & Auer. 1. *Phys. text.* 45. Et Caiet. *prima secunda. quæst.* 57. *art.* 6. Id etiam testatur Origenes *hom.* 1. *in Cant. Cant.* vnde Stoici Dialecticum scientem appellabāt & Metaphysicum. *Quod autem Dialectica sit dare modum probabiliter disputandi*, ratione cuius dicitur vt sit Docens, & non Vtens, *Probatur.* Quia eiusdem etiam est dare modum disputandi de rebus necessarijs in communi loquendo. Cæterum hanc partem Topicam rectè monet Auer. esse necessariam inuentioni scientiarum, scientijs autem inuentis non quidem necessariam sed vtilem, quia in inueniendis scientijs progressio fit ab imperfectis ad perfectiora, cuiusmodi sunt probabilia respectu necessariorum, scientia autem iam inuenta, rationes probabiles iuuant illam, vnde sæpè

Aristoteles adhibet ad res suas probandas rationes probabiles.

Quinta Propositio. Non pertinet ad Dialecticam actu disputare de rebus probabilibus; neque datur quispiam habitus distinctus, cuius sit id præstare. Quod vtrumque dicit Mirand. hunc habitum vocans Dialecticam, sed reductiuè est omnium & singularum scientiarum, vel artiũ probabilibus rationibus vti. *Habet hæc propositio tria membra*. Et tertium quidem ex prioribus duobus pendet. *Probatur ergo primum*, quod non sit Dialecticæ, &c. *Primò*, Nam Dialectica non versatur circa res particulares, sed illæ sunt eius duntaxat remota tantum materia, vt suprà. *Secundo*, Quia non est Dialecticæ agere de rebus necessarijs, ergo nec de rebus probabilibus. *Secundum probatur. Primò*, Quia etiam sequeretur dari vnum quendam habitum scientiæ, qui esset de rebus omnibus necessarijs, sic autem tolleretur scientiarum distinctio. *Secundò*, Quia res particulares probabiles pendent ex particularibus quibusdam principijs, & particulari cognitione rerum particularium. Ergo rationes probabiles particulares referri debent ad habitus particulares, qui sunt de rebus particularibus; sicut scientiæ particulares dicũtur esse, quæ sunt de rebus particularibus necessarijs. *Ex his sequitur 3. membrũ*, quod nempè reductiuè pertineat ad particulares habitus scientificos; vti etiam rationibus probabilibus. *Obijcies*, Sæpè habetur apud Aristotelem, esse Dialecticæ agere de rebus omnibus probabiliter, ideoque vocat eam facultatem, quod significat habitum, seu potentiam ad contraria, id est, ad affirmandum, vel negandum, vt 1 *Rhet. cap. 1. Et confirmatur*. Quia ob eãdem causam ponitur distinctus quidam habitus Rhetor. cuius est apposi.è dicere ad persuadendum vtramque partem. *Denique*. Quia Aristoteles *in Top.* explicat multa problemata, multa principia rerum particularium. *Respondeo*. Aristoteles intelligendus est de parte Topica Vtente, vel Vsitata *Ad primam cõfirmationem*. Dico Rhetoricam, si credimus Auctoribus suprà citatis secunda diuisione, esse quandam partẽ Dialecticæ, quare Arist. 1. *Rhet. cap.* 2. eam appellat veluti propaginem quandam Dialecticæ. Et hinc orta est celebris illa Zenonis collatio, inter Dialecticam & Rhetoricam, vt Dialecticam pugno similem diceret, Rhetoricam manui in palmam deductæ, videlicet, quod quæ Dialecticus argutius, & subtilius atque magis concisè, eadem Rhetor fusius & explicatius edisserit. Tamẽ eadem Rhetorica non est distinctus habitus, cuius sit disputare actu de probabilibus, sed quatenus modum tradit elocutionis, & ornatæ orationis. *Ad secundam confirmationem*. Id fecit Aristoteles exempli tantum loco; *Vel etiam dicere possumus* quod suprà obseruatum est, ad explicationem rationũ Logicarum, appellari Dialecticam habitum, qui etiam de facto probabilibus rationibus vtitur, quia modus disputandi rebus necessarijs per se applicatus rebus, facit distinctas scientias, non autem modus probabiliter disputandi, applicatus rebus facit per se necessariò distinctos habitus; & potissimum hic locum habet in rationibus probabilibus valdè communibus. Et hoc est quod docere videtur Caiet. loco citato. Atque ad hunc sensum explicare possumus D. Thomam & Scotum.

Vltima Propositio. Disputare de omni re probabiliter est illius, quem vocant peritum, qui sicut omnium rerum cognitionem tenet, ita de omnibus potest probabiliter disputare. *Et confirmatur ex iam dictis*; Alioquin enim etiam vnam solam esse scientiam dicendum esset. *Concludamus ergo Dialecticam Docentem*, esse omnia præcepta, quæ de rectè intelligendo ab arte traduntur. *Vtentem autem*, vel potius *Vsitatam*, esse particulares habitus, prout assumunt & applicant præcepta ista ad res particulares.

Nona Diuisio. Dialectica alia est particularis, alia vniuersalis. Colligitur ex Aristotele 1. *de part. animalium. cap.* 1. Et expressè habetur apud Auer. *prolog. magno lib. Post.* 2. *Met. text.* 15. 7. *Met. text.* 2 *& lib.* 12. *in Proœm* 1. *Phys. com* 1. *&* 35 *lib* 2. *Phys. text.* 16. *lib* 8. *txt* 70. 1. *de Anima, text.* 5. *de part. animalium in paraph.* 3, *Ethic. com.* 9. & apud

Alpharab.

Alpharab. referente Auerroe *in prolog. Dicendum autem est*, quicquid nonnullis Recentioribus videatur, quibus videtur fauere Alpharab. non esse vniuersalem, & particularem Dialecticam vnum habitum, seu vnam artem, sed *vniuersalem esse hanc nostram Artem*, cuius est tradere modum in communi rectè intelligendi, rectè definiendi, rectè concludendi, &c. *Particularem esse quendam peculiarem modum*, qui in quauis scientia, & habitu diuersus est ratione diuersæ & particularis materiæ. *Probatur*, Dialectica est Ars vniuersalis, ergo dat modum sciendi tantum vniuersalem. *Confirmatur* ex Aristot. *1. de part. animalium*, c. 1. Ex quo colligitur modos particulares esse scientiarium particularium, illos autem eosdem tradere esse illius quē peritum appellant, sic enim habet Aristot. In omni contemplandi genere duos esse habitus constat, quorum alteram scientiā rei appellasse, alteram quasi peritiā quandam, benè est; hominis n. perit. officium est iudicare perspicientem posse, quidnam rectè aut non rectè ab eo qui docet exponitur, quippe cum & hominē omninò peritum talem esse existimemus, & peritiā ipsam non nisi facultatem hu us officij esse statuamus *Quibus verbis innuitur praeterea ratio*, nam non potest quis tradere modum particularem procedendi in quauis particulari scientia, nisi eiusdem obiectum antè nouerit. *Quare sequeretur*, Si Dialecticæ sit tradere hos modos particulares, eandē quoq; cum particularibus scientijs coincidere, atque adeo vnicam scientiam conficere. *Confirmatur etiam*. Sequeretur enim esse addiscendas alias scientias antè Dialecticam; esse item Dialecticam subalternatam alijs scientijs. nam quod sit, verbi gratia, in Physica definiendum per materiam & formam, non aliter probari potest, quam cognito, quod entia naturalia materia constent & forma, & præterea quod hæ partes sint essentiales. *Confirmatur vltimò*. Nullibi enim Aristoteles in Logica, nec quisquam alius Logicæ scriptor, modos hos particulares explicauit, sed Aristot. quidem in initio alicuius tractatus cu scientiæ particularis, vt *1. Phys. cap. 1. 1. de anima, cap. 1. 1 Met. c. 2. 1 de part. animalium, cap. 1. 2. Ethic. cap. 3.* Quod etiam seruauit Auer. *in prolog. mag. Obijcies. 4. Met. text. 2.* dicitur ad eandem Scientiam pertinere, agere de speciebus obiecti, & speciebus specierum; Ergo cùm pertineat ad Dialecticam agere de modo sciendi in communi, eiusdem erit de particularibus modis. *Confirmatur primò*. Omnes enim particulares modi habent rationem formalem obiecti Dialecticæ, quod est operationes ipsæ vt dirigibiles, siue modus sciendi. *Confirmatur secundò*. Nam eiusdem Moralis Philosophiæ est, operationes voluntatis, & in communi & in particulari dirigere. *Confirmatur tertiò*. Nam Aristot. *2. Prior. cap. vlt.* tradit modum Syllogismi Physiognomici; at hæc est quædam particularis ratio sciēdi. *Respondeo*. Eiusdē esse scientiæ agere de speciebus obiecti, & specierum speciebus, quatenus participāt communem rationem generis obiecti, vnde nemppè dixerit Metaphysicam, cuius causa protulit propositionem Aristoteles, tractare de particularibus omnibus Entibus & quidditatibus, vt sunt formaliter particulares quædam entitates. *Ad primam confirmationem Respondeo*. Particulares illos modos particularium scientiarum, differre tātum materialiter, *vnde quatenus habent rationem modi communis*, tradi à Dialectica ad illam pertinent, verbi gratia, docet Dialectica debere definitionem ex partibus essentialibus confici, docet Physicus ex materia & forma. Quatenus ergo hic modus Physici, est per partes essentiales, refertur ad Dialecticam, quatenus autem materialiter loquendo, est ex materia & forma, pertinet ad Physicum. *Ad secundam Confirmationem Respondeo*, Eandem esse rationem moralis Philosophiæ, nam modum communem tradit dirigendarum voluntatis operationum, quem particulares operationes quatenus participant, pertinent ad moralem Philosophiam. *Ad vltimam Confirmationem*. Multi Interpretes caput illud vltimum expungendum censent *ex lib. 2. Prior. Dici tamen potest*, exempli loco Aristotelem aliquid dicere voluisse, quoniam sermo illi fuerat de medij inuentio-

uentione. *Itaq; Dialectica vniuersalis est*, quę modum docet in communi definiendi, & alia cognitionis genera rectè efficiendi. *Particularis autem*, vt rectè docet Fonseca *Met. 2. cap. 3. quæst. 3. sect. 8. ad primum*, est applicatio præceptorum Logicæ ad particularem aliquam materiam. *Aliæ Diuisiones minutiores*, & minoris momenti consulto prætereo. *Omnium autem optima esse videtur ista*, quam tradit D. Tho. 1. *Post. lect. 1.* & Dominus de flandria *in comm.* D. Tho. *quæst. 2 art. 1. nempè vt tripartito diuidatur Dialectica*, nimirum ratione trium operationum Intellectus, cum enim operatio Intellectus cognoscitiua vt dirigibilis est, sit obiectum Dialecticæ, & cum illa sit triplex, tres etiam principales erũt eiusdem partes, quoniam ex Aristotele, secantur scientię sicut & res. *Prima igitur pars erit ea quæ de ijs aget*, quæ ad primam operationem spectant, *secunda de ijs quæ ad secundam, tertia de ijs quæ ad tertiam*. Quamuis Aristoteles de tertia tantum, vel pręsertim saltem egit, vt sæpe dictum est, ideò omnia quæ ab ipso dicuntur tandem referuntur ad tertiam operationem; etiamsi possint ex ijs peti, quæ singulis dirigendis vtilia sunt. Quare D Tho. librum prædic. refert ad primam operationem; *libros Periherm.* ad secundam; reliquos omnes ad tertiam, cùm tamen liber prædicamentorum sit potius fortasse quædam Introductio ad totam Artem, vt suo loco dicetur. Quæ verò præcipiuntur *in lib. Periherm.* sunt in ordine ad tertiam operationem. *Hinc sequitur*, vt sit perfecta atque omnibus suis partibus absoluta Dialectica, videri desiderari tractationem quandam eorum quæ ad primam operationem secundùm se dirigendam spectant, cuiusmodi sunt præcepta de definitione, de qua testatur Diog. scripsisse Aristotelem opus integrum; quod tamen ad nos non peruenit, vel certè si Auerroi credimus *in prolog. Poster.* distulit Aristot. eam tractationem *in lib. 2. Poster.* quod definitio magnam haberet cum demonstratione, altero sciendi perfecto instrumento, cognationem, & quod illa eadem, etsi propriè primam tantum operationem perficiat, tamen & assumitur vt medium in Demonstratione & sæpè per Discursum & Syllogismum inuestigatur. *Ad secundam autem operationem in se & secundùm se dirigendam*, alia etiam quædam præcepta deesse videntur, quibus nimirum doceatur, quo pacto rectum Iudicium, seorsim à Discursu & argumentatione fieri debeat. Quæ tamen quia pauca sunt, & non multum discrepantia ab ijs, quæ de eadem opinione percipi possunt in ordine ad tertiam, hinc est quod sufficere videntur quæ de secunda in ordine ad tertiã accepimus. *Quod autem ad tertiam operationẽ attinet*, de qua quæ tradũtur à Dialecticis, vocant, vt supra diximus nouã Dialecticã, quod pręter eos quos eo loco citauimus, etiã annotat Domin. de Flandria *Tres à D. Tho. esse dicũtur partes, videlicet*, de Syllogismo probabili, necessario, & Sophistico. Cùm enim, inquit, imitetur ars naturam; sicut in naturalibus, quædam actiones sunt, quæ semper & necessariò eodem modo fiunt, qualis est orbium cœlestium motus: *aliæ quæ vt plurimum ita fiunt*, non tamen semper & necessariò, vt quod homo nascatur, qui nos habẽs in manibus digitos; *Deniq; aliæ sunt*, quę defectum aliquem includunt, vt si ex semine monstrum gignatur. *Ita etiã aliæ sunt Intellectus nostri operationes*, quæ semper ex necessarijs necessarium inferunt. *Aliæ quæ vt plurimum aliquid verè inferunt*, sed non necessariò, quales sunt rationes probabiles. *Aliæ denique quæ defectum includunt*, quales sunt Sophisticæ. *Et propterea ratione primarum operationũ*, Prima pars est de Demonstratiuo Syllogismo. *Ratione secundarũ*, secunda pars de probabili; *Ratione vltimarum*, tertia pars est de Syllogismo Sophistico. *Potuit addere* D. Thom. quod etiam infra facit, aliam quandam partem ratione solius formæ Syllogisticæ, quæ comprehenditur *libris Prior. Præterea quoniam, vt alias diximus*, aliud quoddam instrumentum est seruiens triplici operationi, cuius præter loca citata, meminit non obscurè Aristoteles 1. *Top. cap. 1.* Idcirco, vt perfecta sit Dialectica, requiri videtur tractatio de Methodo. *Atque ex his habetur Diuisio totius Dialecticæ*, non modo secundum se, sed etiam Aristotelicæ. Nam

quod

quod alij addunt esse tradenda præcepta de locutione mentali, friuolum est, cùm fit per se distincta operatio cognoscitiua, potest tamen aliquid de ea elici ex Auer. *epit. Log. c. de Rhet.* Demonstratiua. Libellus autem Porph. de quinque vocibus est solummodo, vt ipse Titulus præsefert, Isagoge quædã & Introductio ad totã Artem.

TERTIA PARS

Propter quid sit Dialectica, siue de causis eiusdem.

HÆC est vltima pars quæstionum nostrarum procemialium, in qua explicata iam Dialecticæ natura & passionibus, restat, vt de eiusdem causis aliquid dicamus. *Sunt autem causæ quatuor numero.* Materia, Forma, Finis, Efficiens. *De Materia satis sunt*, quæ diximus dum ageremus de obiecto Dialecticæ, quod est materia attributionis; nam materia subiectionis, seu subiectum, quam solam materiam habent accidentia, est Intellectus noster, cui inhæret Dialectica, sicut & reliqui omnes habitus Intellectiui. *Forma etiã quid esset*, patet ex dictis de obiecto formali, atq; eiusdem fine intrinseco & officio. *Finem præterea sparsim explicauimus*, dum diximus esse intrinsecum quidem tradere præcepta de rectè intelligendo. Extrinsecum rectas ipsas operationes. *Ex quo deducimus*, non esse Dialecticæ finem, vt Græci volunt, Demonstrationem, nisi fortè de Aristotelica sermo sit, nec etiam ignotum ex noto inferre, vt vult Auic. *cap* 2. *Log.* & Algaz. *cap* 3. omittunt enim tam hi, quam illi definitionem, diuisionem & alia. Nec præterea finis est, discernere verum à falso; sicut in sua Dialecticæ Definitione ponunt Doctores Louanienses, nam in prima operatione, nec verum, nec falsum est. Denique non est finis rationes inuenire, & indicare, vt velle videtur Boët. in procem. in Porphyr. à se translatum: Sed vt diximus, est, operationes ipsas dirigere. *Iam verò causa efficiens duobus modis considerari potest. Aut enim quæstio est*, quidnam in homine sit, quod habitum istum efficiat, & hoc sine controuersia aliud nihil est, quam Intellectus, seu potentia cognoscitiua. *Aut quæstio est de Inuentore Dialecticæ.* nam cùm inueniri debuit, quæ fuerit ratio inueniendi necessaria, suprà diximus.

QVÆSTIO.

De Inuentore Dialecticæ.

AVer. *præf. in Phys.* scribit Aristotelem inuenisse, amplificasse, atque etiam perfecisse Dialecticam. Quod video plerisque non vsquequaque probari, nec sanè iniuria, nam Socr. apud Platonem dial. de summo bono Autor est, Prometheum furto Dialecticam à Dijs immortalibus subtraxisse, Euseb. Cæs. 11. *de præpar. Euang. cap.* 2. Dialecticæ sicut & cæterarum scientiarum omnium primam originem refert ad Hebræos, atque ab his ad Ægyptios, ab istis rursum ad Græcos dimanâsse. Diog *lib.* 1. & 2. & Gal. *lib.* 2. de historia philosophica, ad Zenonem referunt inuentionem Dialectices. Imò etiam Alb. 2. *Post. tract.* 1. *cap.* 1. ad finem, narrat fragmenta quædam *ex lib.* Zenonis excerpta ad suas manus peruenisse. Præterea Diog. *lib.* 3. vult Dialecticã à Platone Physicæ antiquę atque Ethicæ à Socr. inuentæ adiunctam fuisse. Idem refert de Plat. Isid. 2. *Etymol. cap.* 22. Et Speusippus Platonis ex sorore nepos. *lib.* de definitionibus Platonis. Denique Alc. & Bessario. Ex Peripat. quoq; Am. *in prædicab.* & Philop. 1. *Prior.* Adhæc de Archyta celebris est Autorum opinio, scripsisse librum illum de Prædicamentis. Adde quod Euclidis præclarissimæ extant Demonstrationes, multique ante Aristotelem, vt suprà, plerasque scientias tenuerunt. Aristoteles ipse non id derogat Socrati 1. *Met text.* 6. & *lib* 13. *sum.* 2. *cap.* 1.

Prima Propositio. Si de vsu artis Dialecticæ sermo sit, non est dubium, quin ante tempora Aristotelis multi fint Dialectica vsi. Quod videtur iudicare Plato, etsi simul etiam significet fuisse multos illius imperitos, Sic enim loquitur 7. *de Repub.* neque enim imaginem amplius, eius de quo agimus, sed rem ipsam aspicies, id est, vt interpretatur Photius; non adumbratam Logicam, sed meis scriptis expressam. Atque vt de Platone potissimùm loquamur, testis est Bessario *lib.* 1. *contra calum.* Plat. *cap.* 5. Demonstrationem vsam fuisse à Plat. in Tim. Phœdro, Phil. Soph. 10. *de*

10. *de Repub. dial. de leg.* &c. De Sophistico Syllogismo extare præcepta in Sophista & Euthyd. De Diuisione in Phæd. De Syllogismo Topico in Parm. & Cratylo. De definitione passim. Alc. *de doct. Plat.* dicit Platonem modis primæ figuræ vsum esse in Alcib. secundæ & tertiæ in Parm. Am. in prædicab. monet librum prædicabilium à verbo esse translatum ex doctrina Platonis. Simplic. in prædic. notat Platonem scripsisse librum de communibus sermonibus & prædic. Denique Them. apud Philop. Syllogismi inuentorem Platonem quodammodo facit.

Secunda Propositio. Non habuit tota Ars vnicum solummodo Inuentorem. Nam principia Artis Syllogisticæ, atque potissimum Topicum Syllogismum reperit Autore Ari. 2. *Elench c. vlt.* Thisias, Trasim. & Theodorus, vel vt alijs placet, Zeno, vel Protag. Definitio Socrati ascribitur ab Aristotele 1. *Met. text. 6. & lib. 8. Met. text 6. & lib.* 13 *sum.* 2. *cap.* 1. Dionysio ad Platonẽ refertur, quod non raro indicat Aristotel. præsertim 2. *Prior. & Post.* vbi de Syllogismo Diuisiuo, iuxta Interpretum opinionem, & Alex. id apertè testatur *init. l. Prior*, vbi etiam Platonis sententiam fuisse dicit, Diuisionem esse veluti solam Dialecticã, & Philosophiæ triumphum. Artis Demõstrandi & resoluendi Autorem facit Platonem Laert. & Philop. Aristotelem denique Syllogismi in communi.

Tertia Propositio. Simpliciter loquendo prima initia Dialecticæ ad Hebræos sunt referenda. Id testatur Ctes. loco citat. & est communis Philosophorum omnium sententia, non modo de Dialectica loquendo, sed de omnibus præterea scietijs, quod ipsa etiam ratio satis per se suadet.

Quarta Propositio. Dici nihilominus potest fuisse Aristot. Dialecticæ inuẽtor, præsertim, si sermo sit de potissima illius parte, quia ille quo, inquit Cic. nemo doctior, nemo acutior, nemo in rebus vel inueniendis, vel iudicandis, cum omnis ratio differẽdi duas habeat partes, vnã Inueniendi, alteram Iudicandi, vtriusq; princeps fuit, omnesq; Dialecticę partes in lucidã artem reuocauit; cũ videlicet, qui vel ante Aristot. fuerant, vel illius proximè seculum attigerũt, aut nihil, aut pauca admodũ, idq; sparsim & cõfusè de Dialectica præcepta nobis scripto tradiderũt. Quo nomine gratias sibi Aristot. haberi modestè vult 2. *Elen. cap. vlt.* Alex. verò maiores illi deberi dicit, quã vlla ratione cõprehendi queant. Non igitur sine causa Sacrosancta instituit Ecclesia, vt vnus præ cæteris Aristot. studiosorũ manibus tereretur, qui inter cæteros proximè ad veritatem accesserit, atq; optima methodo præcepta nobis de vniuersa Philosophia reliquerit. Vnde Auer. *in proœm. Met.* miraculosum esse scribit, quod a 1500. annis, qui ab Aristotelis tempore ad suum vsque fluxerunt, nullus in eo deprehensus fuerit. Quod ante Auer. sed apud eundem tamen Alex. testatus est. 12. *Met text* 18. & 1. *de gen. animal.* Auer. laudandum, inquit, esse Deum, qui eam Aristoteli dignitatem appropiauerit, ad quam nullus hominum peruenire potuerit, & 3. *de anima, com.* 14. regulam atq; exemplar Aristotelẽ appellat ad demonstrandã vltimã perfectionem in materijs. Quæ laudes etsi modũ excedere videntur; nobis tamen argumento sunt quanti præstantissimi Philosophi Aristotelem semper fecerint, imò verò D. Hier. scribẽs Eustochio virgini, dicere nõ dubitat, fuisse Aristotelẽ prodigium, grandeq; miraculum in tota natura, cui penè videatur infusum, quicquid naturaliter est capax genus humanũ. Nec me latet, D. Aug. Iustinum martyrem, aliosque Patres solere præferre Aristoteli Platonem, sed id fortasse fecerunt, vel quod maiorẽ habeat Plato in dicendo leporẽ, vt nonnulli obseruant, vel quod cum Ægyptum vsq; Plato esset peregrinat', multa inde ex sacris voluminibus in suos libros transcripsit, quæ fidei nostræ magis sunt cõsentanea, quale illud est de conditione mundi, atque etiam de Trinitatis mysterio, quod sæpè Patres obseruant, præsertim August. Clemens Alexandrinus, Iustinus & Theodoretus. Hoc solum Philosophiæ Studiosis dolendum est, quod cum 70. libros tantum de Dialectica scripserit Aristoteles, teste Diogene; vix tamen 17. ad nos peruenerunt.

Finis quæstionum proœmialium.

IN POR.

IN PORPHYRIVM PROlegomena.

Sapienter Aristotelis Interpretes, cuiusuis libri aliquot monent quæstiones antè esse explicandas, quam ad Textus explicationem veniatur, quæ solent esse sex, aut septem numero. De Autore, quis nempè is sit, De Inscriptione, De Obiecto, De Fine, vel Vtilitate, De Ordine, quem habet liber in tota arte. Denique de eiusdem diuisione. Hoc inter cæteros præcipit Am. in prædicab. & prædicamentis. Boët dial. 1. in Porph. Simpl. in prædicamenta, Philop in lib. Priorum.

DE AVTORE LIBRI.

Diuus August. 2. *retract. cap.* 21. duos commemorat Porphyrios, vtrumque Philosophum, vtrumque Christiani nominis hostem acerrimum, vt dubitari meritò possit, quisnam ex ijs huius libri nostri autor extiterit, præsertim cum illum eius celeberrima memoria fuit, Siculū appellet, cum tamen Phœnicius hic noster seu Tyrius fuisse dicatur, Qui etiam solus est, de quo Autores mentionē faciunt, quiq; contra fidem Christianam, multa non tam edidit, quā euomuit volumina. *Nihilominus dicendum est*, esse Porphyrium libri istius Autorē Phœnicium illum & Tyrium, quod ipse libri Titulus præ se fert. Floruit Porphyrius ætate Origenis, vt scribit Eusebius *Ecclesiasticæ historia lib. 6. cap.* 15. vnà cum Ammon. seniore Alexandrino, sub Aureliano, Alexandro, & Seuero Imperatoribus, vsq; ad 17. annū Diocletiani, qui fuit à Christi ortu circiter trecētesim°, Hic à fide ad Paganismum prolapsus est, q̄ nescio ob quam causam a Christianis Cæsareæ Palæstinæ cæsus fuisset, vt habetur *lib* 7. *hist. trip.* Vsus est Præceptore Longino, qui illū Porphyrium appellauit ab insigni Regio, id est, purpura, quæ Græcè dicitur πορφύρα, vel ob insignem illius doctrinam, vel certè qui prius Malei illi nomen erat, q̄ Syra lingua Regem significat. Habuit prætereà Præceptorem Plotinum summum Platonicum, cuius ipse etiā vitam conscripsit, quæ forte causa est, cur Am. hunc librum dicat ex Platone penè ad verbum esse transcriptum. Quod tamen non videtur omninò verum, cùm apertè Porphyrius profiteatur, extremo procœmio, se Peripateticos maximè sequi velle, hi autem non Platonem, sed Aristotelem Autorem habuerunt. Sub illius doctrina duo celeberrimi meruerunt, Iamblichus, & Chrysaorus; cuius hortatu (erat autem nobilis Patricius Romanus) cùm in Sicilia degeret Porphyrius, hunc librum conscripsit, quo melius Chrysaorus Aristot. Prædicamenta intelligeret. Itaque idcirco vocatur à D. Augustin. Siculus, non quod inde oriundus fuerit, sed vel quia vitam ibi aliquandiu traduxit, vel certè quia eò in exilium pulsus est, deinde verò à Constantino Imperatore liberatus. Cæterum quod hic liber à Porphyrio conscriptus fuerit, probant Ammonius & Boëtius, tum quia sapit Porphyrij stylum, tum etiā quia illius idem meminit alijs suis in operibus. De hoc Autore legat vitam Plotini ab ipsomet conscriptam. Eunapium in vitis Philosophorum, Suidam, D. Augustin. cum loco citato, & alibi, tum præsertim 19. *de Ciuitate Dei, cap.* 23. aliosque quamplurimos Patres, qui passim in eum, illiusque errores inuehuntur. Quamuis autem fuerit hic Autor Apostata, & Christianæ desertor fidei, censuit nihilominus Ecclesia, esse proponendum hunc librum Studiosis Christianis, quia nihil continet, quod nō sit ex Aristotele, aut Platone depromptum. Et quia quicquid in Gentilium libris rectè & verè dictum reperitur, id omne tāquam ab iniustis possessoribus, nobis nostro iure repetere licet, vt D. Aug. *lib.* 4. *confess. cap.* 19. Et confirmat exem-

rio filiorum Israel qui ex Ægypto fugientes, aurum & argentum, aliasque Ægyptiorum opes secum asportauerũt. Imo D. Hieron. contra Iouin. quod prætereà refert Ruffinus apol. in D. Hieron. dicit à dicto Magistro suo introductum se ad Dialecticam fuisse per Porphyrij Isagogẽ.

DE INSCRIPTIONE.

INscribitur hic liber εἰσαγωγὴ, id est, Introductio, sic enim habetur in Græcis, vel quia nouerat Chrysaorus, cui hic liber scribebatur, ad quid introduceret: vel dicitur simpliciter hic liber Introductio per excellentiam, vt Am. quomodo Oratorem simpliciter appellantes Demosthenem intelligere volumus. *Est enim Introductio ad Logicam, & consequenter ad vniuersam Philosophiam*, quæ vt Am. est ars artium, & scientia scientiarum. Ex Latinis tamen postea quidam inscripserunt Introductionem de vniuersalibus, alij de prædicabilibus, alij de quinque vocibus, propter varias opiniones de eiusdem libri obiecto.

DE OBIECTO LIBRI.

OBiectum huius libri sunt quinq; voces. Genus, Species, &c. siue explicatio tantũ, quid nominis harum vocum. Ita Ammonius, Boët. Auer. tum in principio, tum in fine *sui comment. & prolog. lib. Poster.* vbi etiam Pauisius, & Gersonites in prædicabilibus, cuius Commentaria annexa sunt Commentarijs Auerr. *Ratio est.* Quia hic liber est tantum Introductio quædam, cuius est explicare solummodo significationem vocum, quod etiam fatetur Porphyr. monens sibi abstinendum esse à grauioribus quæstionibus. Vnde nihil demonstrat, aut accuratè probat, vt idẽ Doctores obseruant. *Hinc sequitur primò: Non esse obiectũ vniuersale*, vt sentit Scotus *q. 7.* Am. Andr. *quæst.* 1. Soto *quæst. 6.* Burl. in hunc librũ, & Doctores Louanienses, *quam nihil his de vniuersali* neque enim vel definit, vel diuidit. *Sequitur secundo:* Non esse obiectum Prędicabile, vt vult Alb. gratia Dei, & alij, cum propter iam dictas causas, tum quia prædicabile supponit cognitionem vniuersalis. Denique quæ ratio vtrique communis est, quia hic liber potissimum ordinatur ad prædicamenta, Prædicabile autem vt sic, & vniuersale, vt habet dici de pluribus, referuntur ad secundam operationem. *Itaque sunt quidem hæ voces quæ explicantur*, materialiter vniuersalia & prædicabilia, non tamen formaliter vt sic, & secundùm naturam vniuersalis & prædicabilis considerandam, sed tantum leuiter explicantur per Dici, vel Prædicati, quia hoc modo commodius percipi poterat dictarum vocum notio.

DE VTILITATE, VEL *necessitate.*

SEquitur ex dictis esse vtilem hunc librum, quia simul & breuiter explicantur, de quibus alibi sparsim Aristoteles, *tamen cognitio exacta eorum* quæ explicantur, simpliciter est necessaria, *non autem hic liber.* Cuius oppositum, de libro inquam loquendo, velle videtur Alpharab. apud Auer. in hunc librum. *Et confirmatur.* Quia in hoc libro est tantum explicatio vocum, quæ prærequiritur, non autem assumitur vt necessarium quid, ad ipsam artem, seu scientiam. Quod autem cognitio contentorum in hoc libro sit necessaria, docet Boët. Am. & Alb. *tract.* 2. *cap.* 1. dicens, necessarium, & ineuitabile esse cognoscere quid sit genus ad Categorias, definitiones, & diuisiones. Quod idem docet Porphyrius in proœmio, addens, & ad Demonstratione. Quare malè Auer. in fine comm. in hunc librum, ideireò non dicit hunc librum non esse necessarium, quia quæ in eo continentur, aut sunt quid commune parti Demonstratiuæ, aut parti Topicæ, sicque inquit, vel ad librum de Demonstratione, vel ad libros Topicos sunt referenda; *non enim valet hæc ratio*, quia nec ad Demonstrationem, nec ad Topicum Syllogismum, præcisè aut simul tantum, sed ad alia pleraque necessaria est horum notitia; & proptereà Aristoteles sparsim, multisque in locis horum cognitionem tradidit, vt de Vniuersali *1. Post. tex. 11. 25. & 39.* De prædicabili aliquid colligi potest ex *lib. Periherm.* vbi de prædicato, subiecto, & propositionibus, & ex *1. Poster.* vbi de modis di-

dis dicendi, seu prædicandi per se, vel per Accidens. De quinque autem prædicabilibus 1. *Top. cap.* 4. Lege de horum necessitate Interpretes in hunc librum, sed potissimum Boëtium *dialog. 1.* in Porphyr. à Victorino translatum, à columna quarta vsque ad nonam.

AN HIC LIBER SIT
Pars Dialecticæ.

Respondeo, Non esse; quia est Introductio, id est, nominum, seu vocum explicatio, quæ non ingreditur Artem ipsam tanquam prior, sed ab ea supponitur; vt docet The. 1. *Post. cap.* 2. Et colligitur ex Aristotele ibidem, & clarius 2. *Post. text.* 7. Idem docet Am. in fine Procemij, Auerroes, D. Thomas 1. *Post. lect.* 1. Caietan. in hunc librum, Boëtius loco citato, alijque, qui volunt librum prædicamentorum esse primam partem Dialecticæ. Cũ igitur Boët. *dialog. 1. columna* 6. vocat hunc librum primam partem Logicæ, vsurpauit partis nomen in ampla significatione, nempè pro eo libro, qui primo loco ponitur. Quare reducitur hic liber ad Logicam, non tanquam pars, sed tanquã Introductio. Quod si sermo fit de exacta explicatione eorum, quæ hîc leuiter explicantur; eius eo referri eum debere ad primam partem Dialecticæ vnà cum explicatione rerum omnium, quæ primæ operationi per se deseruiunt. Non igitur rectè Mirand. *lib. 4. apol. sect.* 3. vult præponi huic libro, imo etiam libro prædicamentorum, quem tamen de medio tollit, libros periherminias. *Cuius ratio est*, quia non potest, inquit, ordine doctrinæ præcedere cognitio vniuersalis & prædicabilis, cognitionem nominis & verbi. Et quia mutilus fuisset Aristoteles, si de iis ante libros Topicos, vbi hæc videtur explicare, non dixisset. *Sed facilis est solutio*, Aristoteles enim omnia per se retulit ad tertiam operationem, ideoque de Nomine & Verbo egit, non vt sunt quidam termini superiores ad has voces, sed vt actu propositionem ingrediuntur.

DE DIVISIONE.

Tres habet partes hic liber. Prima est Procemium, *In secunda* agit de singulis his quinque vocibus. *In tertia explicat*, in quo conueniant, & differant hæ voces. Quam vltimam partem non est necesse cum Am. iterum bipartitè diuidere, tum in eam partem in qua explicet, quid sit omnibus simul commune; tum in illam alteram, in qua voces sigillatim inter se conferat, hæc enim omnia eodem spectant.

PROOEMIVM
in Porphyrium.
CAPVT I.

Ex his quæ diximus in quæstione procemiali, satis explicatum manet Porphyrij procemiũ, in quo hæc facit. primò reddit causam ob quam adductus fuerit ad hunc librum conscribendum, videlicet ad intelligentiam potissimum libri Aristotelis de Prædicamentis. Simul etiam docet, quam sit hæc tractatio vtilis, non modo ad Prædicamenta, sed etiam ad Definitionem, Diuisionem, & Demonstrationem. *Secundò*. Monet sibi esse prætermittendas difficiliores de vniuersalibus quæstiones, quia scribat modo Introductionis. *Denique* profitetur se Peripateticos maximè sequi velle; de ijsque tantum probabiliter, atq; pingui Minerua agere. (Magis probabiliter) græcè est λογικώτερον, id est, magis Logicè, id est, minus exactè, ac modo quodam probabili, prout id omne probabile dicitur, quod ex communibus petitur; vt etiam supra annotauimus, dum ageremus de rationibus Logicis. Aut deniq; vt Am. interpretatur, magis Logicè dicturum se proponit, quia dicturus est de ijs, quæ tum prædicantur, tum subijciuntur, quæ locũ habent in Enunciationibus, hæ autem ad Logicum maximè spectant. (*Peripatetici*.) vnde dicti sint Peripatetici, & quam potissimum Philosophorum sectam significent, non conuenit inter Autores. *Primò*, dicunt quidam appellatos esse Peripateticos ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, id est, deambulatorio, in quo Plato, Xenocrates, vel etiam Aristoteles docere soliti essent, ita Vuitio, libro de cõsolatione & disciplina: Rob. Caracciolus lib. de iudiciorum diuinorũ, &c. Dantes Algerius, lib. de Sympofio Italicè scripto, & Guarinus in vita Aristotelis. Secundò

denique quod sit à parte rei gradus quidam essentialis, & formalis, communis multis, minoremque propterea vnitatem habens quam numeralem. *Tertiò*, Dicitur Vniuersale in causando; quod videlicet multorum est causa, vt Deus, cælum, &c. Quare malè Ang. Thius negat huiusmodi causas esse dicendas vniuersales, sed remotas; falsum enim est, hanc quam vocamus causam vniuersalem esse remotam. Vnde illud de Deo: neque enim est longè ab vnoquoque nostrum, in ipso enim mouemur & sumus, & immediatè concurrit ad omnes effectus. Hanc Vniuersalis acceptionem agnouit Alex. *6. Met. text. 5. Quartò* Dicitur Vniuersale in repræsentãdo, quod videlicet sit veluti imago atque simulachrum, multa nostro Intellectui repræsentans, cuiusmodi est secundùm vulgatam Philosophorum opinionem, species intelligibilis, quæ etiam dicitur species impressa, vel etiam, quam alij vocant, species expressa, siue verbum mentis, id est, conceptus ipse Intellectus, prout est similitudo multarum. *Quintò*, Dicitur Vniuersale in significando, id est, voces significantes multa, vt populus, & termini collectiui, *Denique* de Vniuersali in prædicãdo. Quæ autem ex his omnibus acceptionibus ad rem nostram faciunt, duæ sunt potissimum: *Vniuersale in essendo*, modo vltimo explicato, & *hoc vltimum Vniuersale in prædicando*. Cætera autem Vniuersalia ad Physicum, Metaphysicum, aut Grammaticos pertinent; & infrà etiã magis ex professo reijcientur; cùm agemus de natura Vniuersalis. Non existimo autem fuisse Platonem in ea sententia, vt crederet Vniuersale esse Ideam illam per se existentem; quod tamen illi passim asscribitur ab Aristotele & aliis, tum quia hoc vniuersale planè videtur refutare in Tim. & Parm. tum quia illum ab hac iniuria vindicat D. Augustinus *lib 83. quæstionum, quæst. 46 lib. 5. de Genesi ad lit. c. 15. lib. 7. de Ciuitate Dei, cap. 28 & lib. 12. c. 26.* Eus. libris de præparat. Euangelica plerisque in locis. Marsil. in 1. *sent. dist. quæst* 1. Marsil. Ficinus in loca Platonis citata. Sen. *lib.* 8. *epistolarum epist.* 66. Qui omnes contendunt Ideas Platoni nihil aliud esse, quam similitudines quasdam rerum omnium in mente diuina, quas etiam Theologi secundùm nostrum concipiendi modum in Deo ponere non dubitant. Alij tamen dicunt, non fuisse Platonem primum Inuentorem harum Idearum. nam multò ante illum Trismegistus illas agnouit, atque in Dei filio posuit, Dialog. Pœmander. & *ser.* 2. & 8. Volunt ergo iidem Platonem per Ideas intellexisse quędam Indiuidua quarumuis specierum, sed incorruptibilia, idque eam ob causam, vt posset de rebus esse scientia, quæ de corruptibilibus esse negnit. Sed hoc etiam de Platone credendum non est, nam omne indiuiduum eiusdem est naturæ cum specie sua; si ergo species rerum sunt corruptibiles, necesse est etiam, quoduis indiuiduum esse corruptioni obnoxium. Existimo igitur non dissensisse Platonem ab Aristotele, quod ad Vniuersale attinet; quamuis enim eum Aristoteles ac si ita sentiret, vt secundum primũ modum Platonem explicandi diximus, argueri, & propterea eam impugnauit. 1. *Post.* passim, *t. de anima, t. 8. 1. Met. t. 5. & lib. 7. fusè 1. Ethic. cap.* 6. Nihilominus potius putandus est modum loquendi Platonis parum apud alios vsitatum, quiq; multis errandi causam præbere poterat, reuera impugnasse. Quod testatur Simplicius in Physicam, & 1. de cælo in fine. Vel etiam sæpè Aristotel. secus est interpreratus Philosophorum opinionem quàm habebent, vt notat idem Simplic. loco citato, Eust. 1. *Ethic.* vbi Aristoteles loquitur de Idea bonitatis. D. August. 9 *de Ciuitate Dei*, vbi agit de opinione Stoicorum, de passionibus animi, & D Tho. *lib.* 4. *de regimine principum, cap.* 4. videlicet vt commodius Philosophos refelleret. De Vniuersali igitur ijs præsertim modis quos dixi, quatenus conferunt ad dirigendas Intellectus operationes, ad Logicam spectat disputare: Etsi id negare videatur Mirandul. *in com. sect* 6.

QVAESTIO II.

An sit Vniuersale? & quid sit?

HAEc duo simul tractanda esse videntur, quod vnum videlicet seorsim ab alio

alio rectè intelligi nequeat. *Prima Opinio est Protagoræ* apud Aristotelem 4. *Met. text.* 15. & Heracliti atque Cratyli apud eundem eodem loco *text.* 22. Pyhtri vel Pyhrronis apud Simplic. in prædicamenta. Epicuri apud D. Thom. *opusc.* 55. & Antisthenis, vt testatur Am. qui quod scientiam de medio tollerent, omnia etiam esse dicebant singularia duntaxat & sensibilia. *Secunda Opinio.* Esse Vniuersale species intelligibiles, seu impressas. *Tertia Opinio.* Esse species expressas, seu Conceptus. Ita docere videtur Ocam 1. *part. Logica, cap.* 14. & 15. De qua opinione, alijsq; modis qui ad eam referri possint, lege eundem ibi. *quodlib.* 5. *quæst.* 2. & *quodlib.* 4. *quæst.* 19. Et Gabrielem 1. *dist.* 2. *quæst.* 8. *Quarta Opinio.* Esse tantum voces ipsas, ita vt hæc vox (homo) dicatur vniuersalis, prout immediatè tantum significat hunc, vel illum hominem. Tribuitur communiter Nominalibus, & est præterea Nizolij *lib.* 1. *de rect. ratione philosophandi, cap.* 4. & 5. quia, inquit, omnia optimè saluantur per sola nomina collectiua. *Quinta Opinio* Scoti in prædicabilia *quæst.* 3. & 2. *sent. dist.* 3. *quæst.* 1. & 7. & 7. *Met. quæst.* 16. Am. And. ibid. *quæst. etiam* 16. & in prædic. Ant. Trombettæ 7. *Met. quæ.* 8. & est communis omnium Scotistarum. *Dari videlicet à parte rei vnitatem quandam*, minorem vnitate numerica; & consequenter esse vniuersale in rebus ipsis ante omnem Intellectus operationem. Quod idem sentire videtur Alb. *tract.* 2 *in prædicab.* Daniel Barbarus in *prædicabilia com.* 9. Ang. Thius *in præcog. Porphyrij.* Paulus Venetus *quæst de Vniuersalibus, &c. Sexta Opinio.* Non dari Vniuersale sine Intellectus operatione, sed solum fundamentum illius in rebus ipsis. Est communis opinio Auic. 5. *Met. cap.* 5. D. Tho. *de Ente & essentia cap.* 4 1. *part. quæst.* 85. Capreoli 5. *sent. dist.* 5. *quæst.* 3. Conciliatoris *differentia tertia*, Caietani hoc loco & alibi.

Prima Propositio. Certum est dari aliquo modo Vniuersale. Est Aristotelis loco citato, & 1. *Periherm. cap.* 5. 1. *Post. text.* 5. 11. 33. 39. 43. 1. *Phys. in Prior.* 1. *Met. text.* 6. & *passim alibi.* Ratio est opposita fundamento contrariæ opinionis, datur enim scientia; at hæc non potest esse de singularibus & corruptibilibus. Quod vtrumque suo loco probabitur. *Confirmatur.* Nam cùm prædico, verbi gratia, hominem de Petro, Paulo, &c. fit prædicatio alicuius cõmunis, &c. ergo. Hinc refutata manet prima, secunda, & tertia opinio. Nam nec species intelligibilis, nec conceptus, nec voces prædicantur de rebus, vt cùm prædico hominem de Petro.

Secunda Propositio. Datur in rebus ante operationem Intellectus vnitas quædam minor numerali, quæ formalis dici potest. *Probatur.* Certum est Metaphysica gradus quidditatiuos, & essentiales, omnesque Metaphysicos, esse tantum formaliter distinctos, ergo in Petro, verbi gratia, sicut aliud est formaliter esse animal; aliud esse rationale; ita aliud est natura humana, aliud quid est indiuiduatio ipsa: ergo natura humana, vt distincta ab indiuiduatione, non est vna numero, nam hæc vnitas eadem est cum indiuiduatione; & tamen est vna, ergo est vna ratio formalis. *Confirmatur.* A parte rei magis conueniunt inter se Petrus & Paulus, quam Petrus & Bucephalus; ergo ratione alicuius magis vnius, in his duobus quam in alijs duobus. Sed ratio illa vna non est vna numero, est enim in Petro & Paulo, ergo est vna ratio formalis. Vnde Aristoteles 5. *Met.* dicit similitudinem omnem fundari in vnitate, sed similitudo semper est inter duo vt minimum, ergo fundatur in vnitate communi duobus. *Confirmatur secundò.* Ideò enim secundùm Theologos implicat esse plures Deos, quia per idem Deus est Deus & vnus, ergo in rebus creatis non potest idem esse conceptus rei illam quidditatiuè constituens, & cõceptus illam eandem singularem faciens. *Confirmatur tertiò.* Sic enim compositio ex genere & differentia realis esse dicitur; quia vnum est extra rationem formalem alterius. *Probatur secundò* Authoritate non modo Autorum citat. pro secunda sententia, sed præterea Scalig. ex eo 307. num 22. D. Thom. *opusc. de natura generis.* vbi docet, naturam de se habere vnitatem propriam; *Et lib. cõtra Gent. cap.* 55. ratione 5. argumento 3. dicit Singu-

late & Vniuersale esse passiones Entis. Quod quomodo intelligendum sit, paulò post dicetur. *Et lib. 4. cap. 14 contra Gent.* dicit esse materiam vnam in omnibus hominibus, distinctam tamen per accidentia quædam particularia, & *quæst. de spir. creat. art. 1. ad 9. & 19. & 1. part quæst. 3. art. 3 in corp.* Caiet. *de Ente & essentia, quæst.* 6. dicit naturam secundùm se habere vnitatem distinctam à Numerali. D. verò Thomas qui *cap.* 4. dixerat, nec Vnitatem habere nec pluralitatem, interpretatur de Vnitate & pluralitate numerica. Soto *quæst.* 2. de Vniuersali, & in Antepredicamenta, Burleus ib de n, *& c. de substantia.* Imò verò Aristoteles 5. *Met. text.* 8. & 12. vbi dicit, aliquid esse vnum numero, aliquid vnum specie, vel genere: Quod quo etiam modo intelligendum sit, infrà dicetur. *Et lib. 7. text.* 48. Si Idea, inquit, esset homo, esset tertius homo, videlicet, primus esset singularis homo, secundus vnus homo vnitate formali, seu specie. & *text.* 51. Ratio, inquit, animalis eadem est in homine, equo, &c. 2. *de anima, text.* 88. Eadem, inquit, natura est Diaphaneitatis in aëre & aqua. *cap.* 2. Antepredicamentorum diuidit id quod est, in id quod non dicitur de subiecto, & id quod de subiecto dicitur, vel quod Vnitatem habet, aptam dici de multis. Et *capite de Substantia*, confert secundam cum prima in ratione substantiæ, vult ergo secundam esse quid reale. *Confirmatur denique.* Nam gradus præcisus à singularitate est realis, ergo habet Vnitatem, nam Ens & Vnum conuertuntur. Illa autem vt dictum est, non est numeralis, ergo aliqua alia. Idem probat Iand. 3. *Met. quæst.* 9. 10. & 12. vbi ostendit Vniuersalia esse principia quædam realia; etsi fortè quo ad loquendi modum, non benè dicat, & 1. *de anima, quæst.* 8. Accedit etiam necessariò Autoritas omnium, qui distinctionem formalem graduum quidditatiuorum, & Metaphysicalium admittunt. *Obijcies.* Omne quod in re est, est singulare, ergo est vnum numero. *Probatur Antecedens* Omne quod est in parte rei, existit, sed existere est tantum singularium. *Respondeo,* Suppono existentiam & essentiam esse saltem formaliter distincta. Item ad distinctionem formalem non requiri, vt vnum ab alio secundùm realem existentiam præscindatur. nam verbi gratia in Petro distinguuntur hæc, esse corpus, esse animal, esse rationale; & tamen vnicam hæc omnia habent existentiam, & realiter idem sunt. *Dico igitur*, quod etsi natura humana, & gradus illi vnitatem formalem habentes, non existant nisi vt sunt in re singulari: tamen secundùm essentiam & quidditatem suam, non habent quod existant, & tamen vt sic sunt reales modi, ergo vt sic habent suam vnitatem. *Confirmatur.* Quia sunt etiam multa, quæ quamuis distinguantur realiter, non tamen possunt habere existentiam per se, vt suo loco in Metaphysica probabitur. Et hoc videtur indicare Aristoteles *lib. 1. de anima, text.* 8. dum ait, animal & quoduis aliud commune, aut nihil esse, aut posterius esse. Nihil enim est quo ad existentiam. Est autem posterius, id est, existit ratione singularium, quæ quodammodo esse dicuntur post gradum substantificum formalē. vnde Aristoteles, quoties videtur negare in rebus gradum istum formalem, qui ab alijs Vniuersalis dicitur, sed malè, vt postea dicam, semper disputat contra Platonem sentientem, dari Ideas ad modum suprà explicatum, vt acutè notat Scalig. loco citato. Sic etiam Aristoteles *cap. de substantia dicit*, secundas substantias, quæ sunt gradus isti formales fundamentaliter loquendo, existere per primas, iisque sublatis corrumpi.

Tertia Propositio. Hæc Vnitas formalis non est dicenda Vnitas specifica, aut generica, quatenus hæc formaliter dicunt rationem Vniuersalis. *Et communiter*, non est simpliciter dicenda Vnitas vniuersalis, proindeque simpliciter negandum est, esse Vniuersale à parte rei. Hæc propositio sub hoc loquendi modo est contra Scotum & suos, atque etiam contra Scalig. loco citato. Nam fortasse quo ad rem ipsam non dissentiunt D. Thom. & Scotus. Quod obseruat Sotus. *Probatur propositio.* Esse vniuersale vt sic, vel formaliter dicit esse quid vnum extra multa, sed vnitas formalis dicta non

cta non est quid vnum extra multa, ergo non est vniuersalis. *Dices*. Hæc vnitas non includit rationem indiuiduorum & singularitatis, ergo est extra Indiuidua; & vt sic est vna, vt probatum, ergo est vnum quid extra multa. *Respondeo*, Vnitas formalis est vnum quid extra multa non positiuè, sed negatiuè, id est, extra rationem singularium, & de illius ratione non est singularitas, non tamen concipitur, vt quid vnum indiuisibile, extra illa multa indiuidua, vnde repugnat, esse quid vnum extra multa & commune, & simul esse in multis contractè. Quare se habet vnitas hæc formalis, vt quid medium inter Vnitatem numeralem, & rem contractam ad vnum, & inter Vnitatem vniuersalem, quę dicit rationem vnius extra multa, nam de priori vnitate, numerica & singulari participat, quod fit tantum in singularibus, & non extra illa. De alia autem Vnitate, quod multis conueniat. Ex quo sequitur, vt hæc vnitas formalis in ordine ad duplicem dictam Vnitatem, vniuersalem & singularem, sit quodammodo Vnitas negatiua, quia neutram Vnitatem includit. In ordine tamen ad se; sicut est realis & entitatiua Vnitas, ita etiam Vnitatem habet realem & positiuam: Et hoc fortasse est, quod dicunt Capreol. Caiet. & alij esse naturam quæ singularibus à parte rei conuenit, vnam per abnegationē, per indeterminationem, & impotentiam. Quod quia Antonius Trombetta Scoto sufficere dicit. non erit in hac re dissensio inter Thomistas & Scotistas; quamuis vt dixi, malè Scotistæ illam Vnitatem dicant vniuersalem. Itaq; natura ipsa secundum se, aliam habet vnitatem ab vnitate vniuersali, aliam ab vnitate singulari & numerica; nec tamen quod ex dictis sequitur, dicenda est species, vel genus, sed vnitas secundum quid, quia non se habet per modum indiuisibilis, sed dicit multa habentia cōuenientiam in vna ratione quidditatiua, quatenus verbi gratia, eadem est natura hominis in Petro & in Paulo. vnde Petrus simul habet & vnitatem formalem, & vnitatem singularem, non tamen habet simul vnitatem singularem & vniuersalem, quia ista duo posteriora sunt opposita; illa verò duo priora tantum disparata & diuersa. *Obycies* Omne quod est vnum, aut est vnum numero, aut specie, aut genere, ergo hæc vnitas formalis aliquam ex his vnitatis rationem habere debet. *Respondeo*, Vnitas specifica & generica formaliter loquēdo, est tantum vnitas rationis; quia vniuersale fit tantum per rationem. Quare vnitas realis est tantum aut numerica, aut formalis; sed formalis est, vel fundamentum vnitatis specificæ, vel vnitatis genericæ. Quare cùm dicitur; omne vnum esse vnum numero, genere, vel specie: si realiter loqui volumus, dicitur id intelligi non formaliter, sed fundamentaliter. Quo etiam modo D. Thom. suprà dicebat, Vniuersalitatem esse passionem Entis.

Quarta Propositio. Vniuersale vt est formaliter vnum quid extra multa & abstractum à conditionibus indiuiduantibus, siue ab ipsis Indiuiduis, non est à parte rei, nisi vt modo dicebamus, fundamentaliter. Quod etiam significare potest secundùm aliorum expositionē locus 1. *de ani. t* 8. Vniuersale autē nihil est, aut posterius est. Vbi The. vocat vniuersale fabricam mentis: Id autē fit, quia potest ratio gradū illum formalē qui est in re considerare, vt est quodāmodo positiuè extra rē, sicut visus percipit colorem, qui est in pomo, coniunctus cum sapore eiusdem, sapore non percepto. Quo exemplo vtitur D. Tho. 1. *part quæst*. 85. *art*. 2. *& art*. 3. *ad* 1 *&* 1. 2. *quæst*. 29. *art*. 6. *in corpore & op*. 55. *&* 56. *&* 1. *de anima, lect* 3. Hæc, inquit, in Vniuersali tria sunt consideranda; natura secundùm se, vniuersalitas secundùm se, & res sub vniuersalitate. *Primum non est*, vt sic, vniuersale; sed est vnitas formalis, vel si ita loqui placet, vniuersale fundamentaliter. *Secundum*, non est etiam vniuersale, sed est ratio ob quam aliquid dicitur vniuersale, sicut albedo non est alba, sed est ratio alteri cur album dicatur. *Tertium* igitur est id, quod dicitur vniuersale, sicut res informata albedine, alba appellatur.

Quinta Propositio. Vniuersale prout dicit formaliter rationē prædicabilis, id est, eius quod se habet vt superius, & prædicatum, aut

aut auctuale, aut aptitudinale, respectu inferiorum multò minus est à parte rei. Nā præter dictam operationem Intellectus, quæ ad Vniuersale præcedenti modo cōsideratum erat necessaria, requiritur quædam alia, quæ reflexa, & comparatiua dicitur. Et hoc Vniuersale vocant Scotistæ Vniuersale perfectum, & Vniuersale Logicum, & hoc sine dubio illud tantum est, de quo Porphyr. in hoc libro secundùm opinionem Alb. & communiter Dialectici. Quamuis etiam supponant præcedens Vniuersale, quia hoc posterius supponit illud prius, & hoc ne Scotus quidem negat, vt patet ex *quæstione tertia ad primam*; vbi apertè docet, fieri Vniuersale per operationem Intellectus, & esse quandam secundam intentionem. Atque sub hac ratione, vel certè saltem sub præcedente semper definit Aristoteles Vniuersale, vt 1 *Periherm. cap.* 5. t. *Post tex.* 25. 28. & 29. 1. *de part. animalium, cap* 4. & *alibi sæpè.*

Sexta Propositio. Vniuersale vtroq; modo vltimo dictum, si conferatur ad Intellectum & animum, est veluti quoddam ipsius Accidens; sicut quoduis aliud Ens rationis. Si autem spectetur in ordine ad rem substratam, & fundamentum; dici potest & Substantia & Accidens, sicut & res ipsa. Ita D. Thom *opusc.* 55 & 56. & Auer. 1. *de anima, text.* 8 qui etiam alibi sæpè docet, etsi quo ad Metaphysicum, & naturalem Philosophum, quicquid est, vel sit substantia, vel accidens, non tamen quo ad Logicum, sed posset dici Ens rationis & substantia & accidens in lata significatione. Atque hæc de hac quæstione. Rationes cōtra dicta de Vnitate formali, ex his quæ diximus, facilè solui possunt, quæ sunt apud Capreol. loco citato, & apud Ocam 1 *parte Logicæ, cap.* 15. & apud Boëtium in Metaphysica.

QVÆSTIO III.
Quomodo fiat Vniuersale?

Loquimur de vniuersali formaliter. Pro cuius rei intelligentia, *Notandum primò*, Esse potissimum quæstionem, an fiat per abstractiuam cognitionem, an per cōparatiuam. *Notandum secundò*, Abstractio duplex est, Realis, & Rationis. *Realis*, est actio qua duo realiter inuicem separantur, & de hac non est sermo. *Abstractio rationis*, est operatio quædam intellectus, quæ etiā aliqua suo modo separat, & potest referri, vel ad speciem intelligibilem, quatenus ea dicitur abstrahi à phantasmatibus, de qua re Physici. Vel potest considerari in ordine ad rem cognitam. Illa prima fit ab Intellectu agente, hæc autem à possibili. *Notandum tertiò* Abstractio rationē rei cognitæ est duplex, Vna formalis. Altera vniuersalis. *Formalis*, cùm vnum sine alio quocunque modo intelligitur, & vocatur præcisiua, id est, qua præcisè vnum sine alio concipitur; alia appellatur *Vniuersalis*, cùm intelligimus Vniuersale separatum ab inferioribus, quatenus inferiora potentia sub illo continentur; & vocatur alio nomine *Confusa* & *totalis*. Cuius distinctionis meminit D. Tho. 3. *Met. lect.* 2 & 1 *part. quæst.* 4. *art* 3. *Notandum quartò.* Quid intelligatur per Comparatiuam operationem, non est idem omnium modus explicandi. Quidam enim solam intelligunt reflexam Intellectus operationem supra præcedentem actum abstractiuam & absolutam. Alij intelligunt collationem ad inferiora, & in hoc sensu videtur proponi quæstio. nam reflexus potest etiam esse in prima operatione. *Notandum quintò.* Vniuersale; vt ex dictis colligitur, triplex potest dici. *Primò, Improprium* & quod simpliciter Vniuersale dici non debet, id est, Vnitas formalis. *Secundò, Proprium*, hoc est, Vniuersale, quatenus dicit naturam abstractam à conditionibus indiuiduantibus. *Tertiò, maximè proprium & simpliciter Logicum*, nempè illud quod habet rationem prædicabilis, non remotam, vt duo illa præcedentia, sed proximā. Hinc fortè orta est celebris illa vniuersalis Diuisio, apud Eust. 1. *Ethic. c* 6 & Am. *in prædicab.* vt *Vniuersale aliud sit in multis; aliud post multa.* Post multa, inquam, duobus vltimis modis dictis. Quibus etiam addebant alij Vniuersale ante multa, intelligentes Ideas Platonicas, vel certè Ideas in mente diuina, aut artificis. Quo etiam allusisse videntur Chaldæi, vt refert

fert Aug. Eugub. *lib. 1. de perenni Philosophia, cap. 10.* qui vniuersalia dicebant alia esse separata, alia diuina & artificum.

Prima Propositio. Vniuersale Improprium non fit opera Intellectus. *Patet.* Quia probatum est esse à parte rei, & etiam de eo propriè hoc loco non est sermo: Quamuis vt est obiectiuè in Intellectu, consequatur quoddam Ens rationis, sicut & ad alia omnia quæ cognoscuntur.

Secunda Propositio. Vniuersale secundo modo, fit per solam abstractiuam, & absolutam Intellectus operationem. *Patet* vel ex notione Vniuersalis. Nihilominus sæpè ante hãc abstractionẽ præcedere potest discursus Intellectus, quatenus videlicet ex eo, quod videmus in Petro, Paulo, &c. esse similem naturam humanã, & vnam formaliter. Deinde separamus vnam naturã per modum vnius positiui & indiuisibilis extra singularia. *Quod autem natura sic abstracta dicenda sit vniuersalis, Probatur.* Quia hæc natura est apta esse in multis, at hæc est definitio Vniuersalis. *1. Periherm. cap. 5. 1. Post. text. 25. 1. de part. animalium, cap. 4. 1. Met. text. 45.* & passim *Confirmatur.* Nam tunc natura non est contracta ad singularia, & est ab illis separata, ergo est vniuersalis. Nec tamen propterea dicitur Intellectus hoc modo abstrahens mendacium committere, quia vt colligitur ex *2. Phys. text. 18. & 3. de anima, text. 38* Abstrahentium non est mendacium, & est simile in obiectis sensibilibus, quorum vnum ab vna potentia seorsim percipitur, quamuis in re ipsa sit cum alio coniunctum, vt patet in dulcedine lactis, & albedinis eiusdem in ordine ad visum, & saporem.

Tertia Propositio Vniuersale tertio modo, vt habet rationem prædicabilis, fit per actum Comparatiuum, id est, per Collationem naturæ abstractæ per absolutam operationem ad inferiora, considerando ipsam, vt de illis dicitur, vel actu multis, vel in potentia. *Priori autem modo*, non erat natura prædicabilis, nisi in potentia & negatiuè. *Ratio est.* Quia Vniuersale formaliter, vt habens denominationem Vniuersalis, dicitur necessariò per ordinem ad singularia, quia hæc sunt correlatiua, ergo vt sic denominatur per ordinem ad illa. Itaque erat quidem Vniuersale per absolutam abstractionem, sine vlla formali reflexione; vt ante dictum est de quouis Ente rationis. non potuit autem dici formaliter Vniuersale, sub ratione prædicabilis, nisi accedente comparatiua intellectus operatione.

Quarta Propositio. Ex his conciliari possunt duæ oppositæ Autorum sententiæ. *Quarum altera asserit*, fieri Vniuersale per absolutam, altera per comparatiuam Intellectus operationem. Primam tenere videtur D. Thom. *1. part. quæst. 16. art. 3. ad 2. quæst. 85. art. 1. & art. 3. ad 4. opus. 42. cap. 5. opus. 44. cap. 1. opus. 55. & 56. lib. de Ente & Essentia, cap. 4. 7. Met. lect. 13.* Auer. *3. de anima, text. 8.* vbi tamen indicat fieri Vniuersale per solum intellectum agentem & separatum, quod non curamus. Et *lib. 2. text. 10 & lib. 3 text. 8.* Durand. *1. sent. dist. 3. quæst. 3 & 2. sent. dist. 3. quæst. 7.* Dom. de flandria *7. Met. quæst. 16. art. 1. & lib 3. quæst. 3. art 2.* Soto hoc loco. *quæst. 2. & 3. de Vniuersalibus.* Capreolus, Caiet. & alij Thomistæ. Secundam opinionem tenet Scot. *7. Met. quæst 18.* Am. And. *quæst. 17. ibid.* Ant. Trombetta *quæst. 2. art. 1.* Doctores Louanienses *cap. de Genere*, & communiter Scotistæ omnes. Imò etiam D. Thom. indicat hanc sententiam *1. Periherm. lect. 10. 1. part. quæst. 28. art. 1. in op. & ad 4.* vbi clarè loquitur. Et Caiet. ibid. Prætereà D. Thom. *quæst. 7. de potentia, art 1. opus. 42. cap. 1. & 2. 4. Met. text. 5.* Conciliatio autem in hoc consistit, quia prima opinio est vera, si loquatur de natura, vt solũ concipitur abstracta à singularibus per modum vnius, sic enim vna est obiectiuè, & præscindens ab inferioribus, & communicabilis multis. Impropriè tamen loqui videtur Caiet. vocans naturam vt sic, Vniuersale in prædicando, nisi fortè intelligat in potentia. Secunda opinio falsa est, si id neget, vera autem, si concedat non dici hoc Vniuersale prædicabile, nisi prout comparatiuè concipitur vt ordinatum ad inferiora.

QVÆSTIO

QVÆSTIO IV.

De proprietatibus Vniuersalis.

POssunt ex D. Thom. *opusc.* 55. *&* 56. hæ potissimum proprietates eliei. *Prima.* Eadem natura est contracta & indiuiduata in singularibus, & eadem est vniuersalis. Vnde Boet. apud eundem D. Thom. idem, inquit, est Vniuersale dum intelligitur, & idem est singulare dum sentitur, loquitur enim de Vniuersali quod fit à nobis, ex abstractione à rebus sensibilibus. *Secunda proprietas.* Vniuersale non est in anima secundùm substantiam, vel secundùm naturam quæ sit vniuersalis; subiectiuè loquendo. sed species intelligibilis, quæ in essendo quidem est singularis, in repræsentando verò Vniuersalis, subiectiuè est in anima. Vnde Aristoteles 3. *de anima*, text. 38. lapis, inquit, non est in anima, sed forma, vel species quæ est in essendo, vt dixi, singularis est, Vniuersalis autē in repræsentando secundum communem opinionem. Itaque natura illa solum est obiectiuè in Intellectu, sicut & ipsamet vniuersalitas, quia est Ens rationis. *Tertia proprietas.* Vniuersale est vnum respectu suorum inferiorum alio quodam modo, quam materia respectu formarum contentarum. Nam materia dicitur vna, non quod contineat plures formas in se, qui fuit error quorundā Philosophorum, sed quia cùm omnium ex se priuationem dicat, illis sublatis per diuinam potentiam, statim in vnam entitatem coalescerent diuersæ partes materiæ; quod tamen suo loco examinabitur pēdente ex illa quæstione, an habeat materia partes ex se, & per se sine quantitate, saltem partes entitatiuas. Hæc proprietas traditur ab Auer. 1. *Met. text.* 17. *Quarta proprietas,* Quæ est desumpta ex Boëtio, vt testatur D. Tho. Vniuersale simul totum est in pluribus. Sicut eadem cera suscipit diuersas subinde figuras. Hoc autem intelligendum est, vt totum sic quidem, sed non totaliter, id est, non secundùm totam amplitudinem, & totum dicitur esse ratione eiusdem naturæ in pluribus. *Quinta proprietas.* De Vniuersali non verificatur accidens commune vt sic, verbi gratia, esse album, non enim datur materia quæ sit alba; nec homo dicitur albus, nisi ratione particularis alicuius hominis albi. *Sexta proprietas.* Ex Aristot. 1. *Post. text.* 43. Vniuersale neque est hic, neque nunc, sed semper & vbique. Quam proprietatem D. Tho. multis in locis interpretatur, vt r. *Post. lect.* 42. *quæst.* 5. *de potentia, art.* 9. 1. *part. quæst.* 8. *art.* 4. *ad* 1 *quæst.* 16. *art* 7. *ad* 2, *quæst. de veritat.* 1. *art.* 5. *ad* 13 *&* 14. & alibi. Vt sensus sit, esse semper & vbique non positiuè, sed negatiuè, id est, Vniuersale vt sic, non habet vnde determinetur ad hoc tempus, & ad hunc locum. *Et Ratio est.* Quia hæ sunt circumstantiæ & accidentia rei singularis. Hinc etiam fit, vt dicatur Vniuersale incorruptibile; nam sicut actio est tantum rerum singularium, ex 2. *Polit. cap.* 6. *ex* 6. *Ethic. cap.* 7. *ex proœm* 1. *Met. & lib.* 7. *text* 28. ita & passio est tantum rerum singularium. Ex dictis proprietatibus, potest prima, tertia, quarta, & quinta etiam tribui Vniuersali fundamentaliter. *Vniuersale cur dicatur incorruptibile.* *Septima proprietas.* Vniuersale est proprium obiectum Intellectus. Ita D. Tho. 1. *part. quæst.* 85. *art.* 1. & sæpè alias cum suis. Quod si ita intellligatur, vt videntur multi Thomistarum, non intelligi ab Intellectu, nisi Vniuersale; falsum est, vt suo loco videbimus. Si autem dicatur Vniuersale propriū obiectum Intellectus, quia illius cognomine maximè perficitur, hoc modo concedi potest. *Octaua propositio.* Vniuersale est obiectum Scientiæ, vel quod consideratur à Scientia, Vniuersale esse debet. Est Aristotelis, cum alibi, tum 1. *Post. t.* 43. *Ratio est.* Quia de corruptibilibus nequit esse scientia, neque etiam de singularibus incorruptibilibus, quia ratione eorum non potest Demonstratio procedere ex propositionibus de prædicato per se, & Vniuersali, vt Aristoteles 1. *Post.* Excipitur solus Deus, quia essentialiter & quidditatiuè est vnus, ita vt implicet, concipi posse plures. *Vltima proprietas.* Vniuersale est aptum prædicari de multis. Ita Aristoteles loco citat. præsertim 1. *Periherm. cap.* 5. quod respectu quidem Vniuersalis fundamentaliter, & Vniuersalis abstracti est passio quædā; sed respectu Vniuersalis, quod simpliciter

dicitur Vniuersale Logicum, est ipsius ratio formalis & quidditatiua, vt nempè, aptum esse dici de multis, significat comparationem ad inferiora; actualem illam quidem, quæ tamen dicitur aptitudinalis respectu inferiorum, quæ vt saltem possint esse multa, requiritur. Ex dictis soluuntur facilè quæstiones propositæ à Porphyrio. *Prima erat*, An Vniuersalia, seu genera & species subsistant? vel sint in solis nudis intellectibus, *Dicendum enim est*. Simpliciter loquendo & formaliter esse tantum in Intellectu, fundamentaliter autem in rebus ipsis. *Secunda erat*, An sint corporalia, an incorporalia. *Cui Respondeo*, Neutrum per se esse, sed partim sunt corporalia ratione naturæ corporalis à qua abstrahuntur: partim incorporalia ratione etiam naturæ incorporeæ; partim denique neutrum omninò sunt, cuiusmodi est genus ipsum substantiæ. *Tertia erat*, An sint separata, vel in sensibus posita. *Ad quam respondeo*, ea eodem modo, partim esse sensibilia, partim insensibilia. Hæc autem omnia quęsiuit Porphyrius de speciebus & generibus tantum, quia vt Alb. *in 1. tract. cap. 2.* alia Vniuersalia, Differentia, Propriũ, &c. dicuntur in quale; Genus & Species in quid, quæ autem dicuntur in quid, magis videntur habere ex se subsistentiam. *Ratio prætereà est* Quia alia Vniuersalia ad hæc duo prima reuocantur, quod etiam ex dicendis patebit.

QVÆSTIO V.
An Vniuersale requirat sub se plura actu?

HÆc quæstio locum habet præsertim in Genere & Specie, quæ quia conueniunt in ratione Vniuersalis, censui quæ de Vniuersali separatim examinari quæstio solet, hanc hoc loco pertractare, vbi de Vniuersali in communi agitur. *Potest autẽ prima esse Opinio*; quam recitat D. Thom. *opusc. 55.* eamque Auicennæ tribuit, *Vniuersale ex se*, nec vnum etiam singulare actu requirere Quæ opinio nulla ratione nititur. *De Genere autem est prima Opinio*, requirere plures species actu. Est D. Thomæ *1. sentent. dist. 19. quæst. 4. art. 2. 2. Post. lect. 12.* Boet. *lib. de Diuisionibus, cap 4 & 12* Alb. *tract. 1. cap. 2. & 6.* quamuis *cap. 3.* sibi contradicere videatur. Alex. & Auer. *3. Met. c. 2. & lib 7. cap. 12.* Nyphi *4. Top cap. 3* Sonsin. hîc *cap. de Genere*, Caietani ibid. *Secunda Opinio*, quæ est apud Ant. And. *in cap. de Specie*, Non requirere plures etiam in potentia. Quia Genus est correlatiuum Speciei, ergo satis est, si vel vnica sit species, sicut pater quia est correlatiuum filio, satis est, si vel vnum habeat filium. *Tertia Opinio* Scoti hîc *quæst. 18.* Ægid. *cap. de Specie, & 1. Post cap. 5.* Ant. And. loco citato, Ioannis Anglici in *quæst. 18.* Scoti, Gratia Dei, hîc *lect. 4 dub. 2.* & omnium Scotistarum; requiri plures species aptitudine tantum. *De Specie prima Opinio* est Auerr. *2. de cælo, text. 49.* Alb. *tract. 4 cap. 6. quamuis cap. 1. & 5* non sibi videatur constare, Porph. *dial. in Categ. cap. 49.* & aliorum; requiri plura indiuidua actu. *Secunda Opinio*, quæ id negat, asseritque sufficere vnum actu Indiuiduum, est Them. in paraph. *1. Post. cap. 13* Simplic. *in prædicamenta*, D. Thom. *in sum. Logica, cap. de Specie, 1. Periherm. lect. 10. & 1 sentent. dist 19 quæst. 4 art. 2 & 1. part. quæst. 63. art. 9.* Scoti hîc *quæst 18.* Caietani *cap. de Specie*, Auic. *1. part Log.* videtur etiam Auer. à seipso dissentire *1. Poster. t. 40.* nam docet Demonstrationẽ esse posse de Sole Luna, &c. Demonstratio verò est tantum de Vniuersalibus. Lege Zimaram super *12. quæst.* Iandun. in *3. Metaphys.*

Notandum primò Possumus disputare de Vniuersali, aut in se, aut in ordine ad vniuersum, eiusque perfectionem. *Notandum secundò* Aliud est potentia, aliud aptitudo. *Potentia* communiter significat rem esse posse, & actu esse debere; & proptereà appellatur potentia Physica. *Aptitudo autem* significat non repugnare aliquid esse, quãuis actu futurum nõ sit, & solet dici cum addito, potentia Logica, siue non repugnantia. Et hinc natum est tritum illud axioma: *Frustra est potentia quæ nõ reuocatur ad actum.* Quod autem detur ista potentia Logica quam diximus, nec sit merum figmentum, vt quidam putant; potest probari hoc modo. Nam Porphyr. *cap de Specie*, aut Plato & al. dicit de Indiuiduis non esse.

Quid potentia Logica & Physica.

esse Scientiam, quia sunt infinita: Profectò non sunt actu infinita, ergo potentia, non Physica, quia hæc nunquam reuocabitur in actum, nec datur huiusmodi potentia ad infinitum, teste Aristotele 3. *Phys. text.* 24. Ergo in potentia Logica. Quia non repugnat plura & plura in infinitum indiuidua dari. Item 2. *de anima text.* 4. Si inquit Aristoteles, applicaretur igni semper materia, excresceret in infinitum; at hoc non potest intelligi nisi de potentia Logica, vt in 5. *Met. text.* 18. Quantum dicitur esse diuisibile in ea quæ insunt; at quantitas cæli non est diuisibilis actu, nec etiam potentia Physica, alioqui corruptibile esset, ergo id intelligendum est de potentia Logica. Meminit etiam huius potétiæ Auer. 1. *Post. text.* 40. Simplic. *in Antepredic. in illam reg* Diuersorũ generum, &c. & 1. *de cælo, text.* 91. 92. 93. Philop. 2. *Phys. text.* 16. Arim. 2. *s. dist.* 1. *quæst.* 2. Prætereà omnes Autores secundæ sententiæ. Lege Zimaram *theor.* 40.

Prima Propositio. Vniuersale necessariò requirit aliquod singulare. Est contra primam opinionem. *Ratio est.* Quia Vniuersale & singulare sunt correlatiua, ergo nõ potest dari vniuersale, quin detur aliquod singulare. *Secundò.* Vniuersale non habet entitatem nisi ab aliqua re quæ actu sit à qua abstrahitur; debet ergo vnum saltem singulare esse.

Secunda Propositio. Vniuersale, siue Species, siue Genus, secundùm id quod includit natura & res substrata notioni, potest integrum esse in vno etiam tantum inferiori, etiamsi alia non sint. Verbi gratia, Esse naturam corpoream, viuẽtem & sentientem, potest perfectè reperiri in solo homine, etiamsi nullum aliud sit animal. Item esse substantiam sentientem & rationalem, potest perfectè reperiri in solo Petro, quamuis nullus præterea in rerum natura sit homo.

Tertia Propositio. Si Vniuersale consideretur formaliter secundùm notionem suã, ratione cuius dicit quandam potentialitatem, hoc modo, vt hæc potentia actuetur perfectè, requirit plura inferiora, *nec tamen necessariò omnia possibilia*, quia saltem de speciebus imperfectis rerum naturalium, constat non esse necessarium, vt habeant esse in rerum natura, aut saltem non pro omni tempore. Imò de perfectis etiam dubitant Theologi, an omnes possibiles species perfectæ sint conditæ à Deo; nonnulli etiam, an omnes gradus generici rerum omnium: & in hoc sensu videntur locuti Doctores Louanienses.

Quarta Propositio. Certum est Solem & Lunam aliaq; huiusmodi, esse species habentes hæc tantum singularia, quæ à parte rei solum sunt vnum numero. *Quod autem hæc sit verè species*, probatur ex Aristotele 1. *Post. text.* 40. vbi docet, de his esse Demonstrationes & scientiam, at Demonstratio eodem Autore, & scientia, non potest esse nisi de Vniuersalibus, vt ibid. habetur. & 7. *Met. text.* 54 & 55. *Confirmatur.* Quia multa Indiuidua actu non sunt de perfectione Vniuersi, sed tantum requiruntur per accidens ratione generationis, & corruptionis, per se, & primò loquẽdo.

Notandum tamen primò hic. Videri Aristotelem de Intelligentijs docere, plures numero non posse constituere rationem specierum diuersarum, quia singulæ per idem simpliciter sunt, & sunt hoc, id est, Indiuiduum Item eadem est in illis quidditas & habens quidditatem Vt colligitur ex 12. *Met. text.* 50. & *lib.* 8. *text.* 16. Præterea D. Tho *1. part. quæst.* 13. & *quæst.* 50. & *quodlib.* 2. *art.* 4. docet, repugnare esse plura Indiuidua eiusdem vnius naturæ Angelicæ. Vnde Caiet. dicit in Angelis reperiri tantum negatiuè speciem, non positiuè, id est, natura istius Angeli, verbi gratia Gabrielis, est huiusmodi, non quæ sit cõmunicabilis multis Angelis singularibus; sed si per Impossibile essent plures, de illis diceretur. Cæterum Aristotelis opinio; si tamen illius opinio est, de qua re in Metaphysica, erronea est. nam pares facit Angelos Deo ipsi. Opinio etiam quam defendit Scotus, non repugnare eandem naturam Angelicam pluribus communicari, nobis videtur esse lõge probabilior: Imò fortè de facto dantur Angeli plures vnius & eiusdem speciei. De qua re Theologi est disputare.

Notandum secundò circa eandem Propositionem. Esse quædam alia Indiuidua quorum vnum solum de facto est in rerum natura; cui quia corruptibile est, vicissim aliud & aliud succedit; cuiusmodi est auis phœnix, nisi tamen fabulosa sunt, quæ de illa narrãtur. Dicitur enim sexcentos sexaginta annos viuere, rumque demum ex cassia & Thuris surculis constructo nido, & opetro, vel repleto odoribus, super emori; atque ex eius medullis & ossibus aliam denuò nasci. Lege Scriptores naturalis historiæ; præsertim Aristot. in *historia animaliũ.* Et Senecam ibid. Et Plin. *lib.* 7. *c.* 48. & *lib.* 10. *c.* 2. Ab hoc igitur Indiuiduo vno, potest ratio speciei abstrahi, sicut ac multo etiã magis à Sole, Luna, &c.

Quinta Propositio. Genus habet de facto plures species. *Ratio est.* Quia species sunt de perfectione Vniuersi, & hoc modo intelligendi sunt loci Aristotelis 4, *Top cap.* 3. & 6 & vbicunque id supponere videtur. Quod si velint asserere Autores secundæ Opinionis nõ dissentimus Et ad hunc sensum intelligi potest quod dicit Aristoteles 1. *de cælo, text.* 18. Si detur vnum contrarium, dari debere & alterum; ibi enim inuestigauit numerum Elementorum, & quintæ quam vocant essentiæ. Simpliciter tamen noluit Aristoteles illam propositionem esse veram, nam in postprædicamentis *cap de Oppositis* dicit, non si vnum contrarium est, necessariò dari & alterum.

Sexta Propositio. Genus vt sit verum Vniuersale, satis est vt vnicam sub se actu speciem habeat, modo plures sint in potentia Logica. *Ratio est.* Quia Vniuersale ex se tantum definitur id, quod est aptum esse in multis, vt patet ex 7. *Met. text.* 45. *Confirmatur* ex Aristotele 1. *Post. text.* 12. & 13. Est error, cum posito vno tantum singulari, id est, tantum vna specie, (vt interpretantur omnes, etiam D. Thom) Demonstratio fit de ipso singulari, id est, de specie. Nam tum, inquit, Aristoteles, non procedit ut ex prædicatis per se primò, seu quod idem est, non fit prædicatum de primo subiecto, verbi gratia. Si, inquit, daretur tantum Scalenum, malè fieret Demonstratio de illa specie, qua ostenderetur hæc passio habere tres angulos æquales duobus rectis, id n. primò & per se cõuenit triangulo, quod est genus ad Scalenum, signum ergo est secundùm Aristotelem, posse genus conseruari in vna specie. Item *lib.* 2. *Post. text.* 17. Genus, inquit, est, quod se habet in plus secundùm potentiam, nõ ergo requirit actu plures species. *Confirmatur secundò ad hominem.* Nam concedunt aduersarij & benè; posse speciem conseruari in vno Indiuiduo eadẽ ratio est generis respectu suorum inferiorum, quæ species, respectu suorum inferiorum, ergo poterit etiam genus conseruari sub vnica specie. *Respondent Aduersarij.* Non esse eandem rationem, nam genus habet aptitudinem essentialem ad plures differentias, & communitet ad plures species, quas differentiæ constituunt, non autem species ad Indiuidua, non modo quia Indiuidua non sunt de perfectione Vniuersi; sed etiam quia hæc contractio speciei, fit per quædam accidentia. *Sed contra.* Nam quicquid fit de alijs, profectò in ratione Vniuersalis communi vtrique, nihil aliud includitur; nisi esse aptum ad multa, ergo neutrum per se requirit multa. Quod autem dicunt, genus habere potentiam essentialem ad differentias; infrà magis explicabitur, *tract. de Genere*, in præsentia autem negatur, in eo sensu quem debent intendere, videlicet esse de ratione generis vt sic, actu contrahi per multas differentias. *Obijcies.* Omnis species constituitur per differentiam, ergo vna saltem alia esse debet species, à qua dicatur differre. *Respondeo,* Satis est, si aliæ aut aliæ sint aptitudine. *Obijcies secundò.* Vniuersale fit per abstractionem, sed ab vno singulari non potest fieri abstractio alicuius communis, ergo. *Respondeo primò,* Si fuit facta abstractio à multis singularibus actu existentibus; si deinde per potentiam Dei auferantur omnia præter vnum, remanebit verè ratio illa Vniuersalis, vt multis cõmunicabilis. Si autem fingamus fieri de nouo certum aliquod Indiuiduũ, & vnum tantum distinctum specie ab alijs, poterit fieri abstractio ab illo, alijsq; quæ vt possibilia apprehendimus, & eadem ratio est, si fingeremus,

Alia ratio.

Obiectio.

Solutio.

remus, fuisse tantum conditam vnam speciem animalis, nam tunc posset fieri abstractio ab illa specie, apprehendendo naturam vt communicabilem multis alijs, quæ cuiusmodi esset, nosset aut ipse Deus, aut Angelus, aut Beatus. *Deniq; posita vnica specie*, ille gradus, qui est immediatè ante illum, per quem vltimatè & quidditatiuè res in sua specie constituitur, potest abstrahi, & esse fundamentum sufficiens generis, verbi gratia, quia homo vltimatè est homo per esse rationale, sentiens quod immediatè ante rationale est in homine, est fundamentum hominis abstrahibilis, id est, animalis, etiamsi de facto ex animalibus solus homo esse ponatur in rerum natura. *Ex his patet*, quomodo respondendum sit ad omnes rationes, quæ pro recitatis opinionibus afferri possunt. Nominatim autem ad fundamentum secundæ opinionis, quæ erat de Genere, *Dicendum est*, Esse disparem rationem generis collati cum suis inferioribus, atque adeò omnis Vniuersalis; & alterius cuiuscunque relationis, seu termini relatiui, vt confertur cum alio suo termino correlatiuo, nam Vniuersale vt Vniuersale est, cùm latius patere debeat quàm vnum singulare, non potest vnico esse contentum. At pater per se tantum refertur ad filium; quare etsi vnicus sit filius, nec sint plures possibiles, vera tamen cernitur patris ad filium relatio, vt patet ex diuinis. *Obijcies* Vniuersale dicit ordinem ad singularia, ergo Vniuersale actu dicet ordinem ad singulare actu. *Respondeo*, Vniuersale actu potest duobus modis dici: Vel quod habeat terminos suos actu existentes: Vel quod actu habeat rationem Vniuersalis. *Primo modo* concedo consequentiam, *secundo* nego. Nã esse Vniuersale actu nihil aliud est, quã esse potentia in multis. Et hoc est commune omnibus ijs, quæ includunt potentiam aliquam, seu potentialibus rebus, vt eatenus actu sint, quatenus dicunt potentiã.

QVÆSTIO VI.

Quomodo prædicentur Vniuersalia de suis singularibus?

HÆc quæstio vtilis etiam est ad intelligendam omnem prædicationem nõ solùm secundarum intentionum de se inuicem, sed etiam primarum. De qua re lege Her. *tract. de secundis intentionibus*, & Soto hoc loco *quæstion. 3. de Vniuersalibus*. *Notandum primò*. In Vniuersali (vt suprà) tria possunt considerari. *Primum*, Est ipsa natura. *Secundum* Est formalis secunda intentio, seu ipsa vniuersalitas. *Tertium* Est natura ipsa sub illa notione. Ratione igitur prædicationis potest attendi comparatio aut penes naturam vt de natura prædicatur; seu penes primam intentionem, prout de prima dicitur. *Secundò*. Quatenus secunda de secunda intentione prædicatur. *Tertiò*. Hoc veluti mixtum ex prima & secunda, de alio item mixto dicitur. *Notandum secundò*. Posse prædicationem fieri in his omnibus terminis: Aut in abstracto, Aut in concreto, id est, vt aut abstractum de abstracto, aut concretum de concreto prædicetur.

Prima Propositio. Si loquamur de primis intentionibus, prædicatio abstracti de concreto, seu concreti de abstracto, falsa est; vt si dicas, homo est humanitas; animalitas est animal. Nam Cõcretum se habet vt totum, Abstractum se habet vt pars; totius autem de parte prædicatio, aut partis de toto, non est vera. *Prima intentio.*

Secunda Propositio. Concretum de concreto prædicari potest, vt homo est animal. Quia Concretum supponit pro supposito, id est, pro habente naturam. Vnde cùm dico, homo est animal, sensus est, homo est habens animalitatem. *Et confirmatur*. Quia quod Concretum inferius explicitè dicit, hoc totum superius implicitè inuoluit, nam animal dicit habens animalitatem, quod vt sic verum est de equo, leone, &c.

Tertia Propositio. Abstracti de Abstracto falsa est prædicatio; vt humanitas est animalitas. *Ratio*. Quia hæc supponitur pro solo formali significato; & hunc sensum faciunt huiusmodi prædicationes, vnam formalitatem esse aliam, quod est falsum. Ita docet Scotus 1. *sent. dist. 2. quæst. 2. & dist. 5. quæst. 1.* vbi etiã supponit quod verum est; dari præter distinctionem realem & rationis, distinctionẽ formalem: quod est

est probandum in Metaphysica. Sed breuiter ita potest ostẽdi. Quia ea distinguuntur formaliter à parte rei, quorum vnum ab altero separari potest; & quorum vnũ ab altero contrahitur; hoc autem modo se habent, verbi gratia, humanitas & animalitas. *Et confirmatur* ex Aristotele, *quæst.* 3. *Phys.* docet actionem & passionem esse subiecto & re idem, formalitate autem & quidditate distincta, vnde faciunt prædicamenta distincta: Idem simile docet 1. *Phys.* de materia & priuatione. Vtrumque oppositum sentit hoc loco Soto; nempè esse rectam prædicationẽ abstracti de abstracto, nec dari distinctionem formalem, qui tamen sibi cõtradicere videtur in *cap.* de Proprio, de Quantitate, de Relatione, &c. *Phys. quæst.* 3. Cùm igitur Aristoteles 5. & 6. *Metaphys.* omnia dicit aut esse realia, aut rationis, & distingui re, aut ratione: non excludit, vt Soto argumentatur, distinctionem formalem, sed per rem & distinctionem realem, intelligit id omne quod est à parte rei, & à parte etiam rei distinguitur sine Intellectus nostri opera. *Hic notandum primò.* Quod sicut animal, verbi gratia, dicit prædicatum commune ad equum, leonem, &c. ita etiam videtur abstrahi posse quidam gradus formalis in abstracto animalitatis, qui sit communis equitati, humanitati, & leonitati, quomodo poterit tantũ esse prædicatio abstracti de abstracto, id est, animalitatis de humanitate. Nihilomin⁹, quia terminus abstractus vt sic, & ex modo significãdi solũ per se significat & præcisè formalitatẽ ipsam; & quia vna formalitas non est formaliter alia, ideò absolutè loquendo falsa est huiusmodi prædicatio. *Notandum secundò.* In accidentibus potest esse vera dicta prædicatio. Quia sunt Entia diminuta, & veluti partialia, quo fit, vt propriè significari possint in abstracto, vnde rectè dicimus, color est albedo. Sed quia Substantiæ ex se habent quod significent per modum per se stantis & totius completi, hinc est quod prædicatio in abstracto non potest esse formalis, sed tantum inductæ sunt denominationes in abstracto, ad significandam distinctam formalitatem.

Quarta Propositio. Si termini sint mixti, id est, si vnus sit primæ intentionis, alter secundæ, verbi gratia, subiectum primæ, & prædicatum secundæ, falsa est vnius de altero prædicatio in abstracto. *Ratio est eadem quæ superius.* Quia huiusmodi prædicatio facit sensum formalem, vt si dicamus, animalitas est genereitas, sensus est; quod formaliter natura, & secunda intentio, sit secunda intentio, quod falsum est. Si autem fiat prædicatio in concreto, poterit esse vera, vt animal est genus, vbi prædicatum est secundæ intẽtionis. Si autem modo posito prædicatum sit primæ intentionis, erit indirecta, & falsa prædicatio, vt si dicamus, Genus est animal, nam secunda intentio quæ formaliter significatur & primariò, per hoc concretum genus se habet per modum cuiusdam accidentis & formæ; tunc autem est prædicatio indirecta, cùm subiectum de suo accidente prædicatur & forma, vt si dicam album est paries. Si denique fiat prædicatio concreti in abstracto, vel contrà, abstracti de concreto, si abstractum sit secundæ intentionis, falsa erit prædicatio; vt animal est genereitas; quod si abstractum sit primæ intentionis, poterit esse vera prædicatio, sed non complete & formaliter; vt si dicam, animalitas est genus; sicut ante dicebamus, posse animalitatem habere quãdam rationem superioris ad alia, non est tamen simpliciter & completè vera hæc prædicatio, quia Vniuersale vt sic, dicit quiddam per modum totius & integri, abstractus verò terminus designat partem & formam. Qua etiam ratione concedi vtcunque potest, quædam entia partialia & diminuta rationem habere speciei, aut generis, vt materia in ordine ad hanc, & illam animam, in ordine ad sensitiuam, vegetatiuam, &c.

Termini mixti.

Quinta Propositio. Si vterque terminus sit secundæ intentionis, non est vera prædicatio abstracti de abstracto, aut abstracti de concreto, aut concreti de abstracto; vt specieitas est genereitas, vel genus est specieitas. *Ratio etiam eadem est.* Quia hæ prædicationes important sensum formalem; falsum autem est, vnam relationem, seu

seu notionem esse formaliter aliam; potest tamen recta esse prædicatio concreti de concreto; vt genus est Vniuersale, &c.

QVÆSTIO VII.

De Numero Vniuersalium, quot sint?

POrphyrius initio proœmij, & in toto discursu tractationis, & in fine eiusdē, quinque duntaxat enumerat prædicabilia, seu vniuersalia, Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Potest ergo esse quæstio: An sint, vel pauciora, vel plura. Quod enim sint pauciora videtur ostendi posse. *Primò.* Nam omne prædicabile, aut est substantiale, aut est accidentale, duo igitur erunt tantum prædicabilia. Item. *Secundò.* Omne prædicatum aut est intrinsecum, aut extrinsecum, ergo adhuc duo etiam tantum erunt prædicabilia. Quod autem sint plura videtur sic probari posse. *Primò* Nam Indiuiduum de multis dici potest. Sicut n. homo in quantum species dicitur de hoc & illo homine tāquam de proprijs Indiuiduis. Ita etiam ratio indiuidui dici potest de hoc & illo particulari indiuiduo. *Secundò.* Ratio Accidentis videtur esse multiplex; nam aliud prædicatur in quale; aliud ratione quantitatis, alia denique ratione aliorum accidentium, quæ nouem prædicamenta constituunt. Propter hanc causam Caiet. *cap. de Specie*, affirmat Indiuiduum esse 6. prædicabile. Præterea. *Tertiò.* Alia videtur esse ratio generis supremi, alia interiecti, seu subalterni. Quæ ratio Auic. mouit tertia parte Logicæ, vt assereret ex supremo, & interiecto genere duo constitui prædicabilia; adhæc materia, forma, anima, corpus, & huiusmodi partialia entia de multis dicuntur, ergo sunt Vniuersalia: non genus, vel Species, aut Differentia, ergo distincta Vniuersalia sunt.

Prima Propositio. Non sunt pauciora Vniuersalia his quinque. Ratio tum ex refutatione eorum quæ dicuntur esse Vniuersalia, tum ex sufficientia huius quinarij numeri petenda est; de qua paulò post. Quod igitur attinet ad ea quæ dicuntur esse Vniuersalia, inter hæc quinque non possunt esse hæc tantum duo, Essentiale, & Accidentale, vel Intrinsecum, & Extrinsecum. Quoniam horum quodlibet in ordine ad sua inferiora nullam habet rationem vniuocam, quod tamen est de ratione Vniuersalis propriè dicti.

Secunda Propositio. Non sunt plura Vniuersalia ratione generis interiecti & supremi. *Ratio est.* Quia vtrumque eundem habet prædicandi modum, id est, tāquam pars quædam essentiæ vtrumque prædicatur. Esse autem mediatum genus, vel immediatum, est planè per accidens. *Et confirmatur.* Alioqui enim dicendum esset ratione Speciei, & Differentiæ interiectæ, vel infimæ esse diuersa Vniuersalia; quod ne ipse quidem Auic. concedit. *Obijcies* Modus prædicandi sequitur modum essendi, sed modi essendi sunt plures, ergo & modi prædicandi, ergo & prædicabilia, quæ aliud nihil sunt quam modi prædicandi. *Omissa solutione Soti* ad hoc argumentum, quæ videtur principium petere. *Respondeo*, Non esse necessaria tot prædicabilia, quot sunt modi essendi rerum, & in particulari accidentium, de quibus proposita fuit dubitatio in initio quæstionis. *Nam hoc modo deberet dici*, esse diuersum genus, seu diuersum Vniuersale generis, prout in substantia reperitur notio generis, & in accidentibus, quod nullus dicit. Sensus ergo illius maximè est iste, quod in communi loquendo, id quod de alio prædicatur, eatenus prædicatur, quatenus se habet res, id est, vel substantialiter, vel accidentaliter, quamuis hæc ipsa collata ad sua inferiora non habeant veram rationem Vniuersalis, quia vt dictum est, non sunt vniuoca. *Vbi etiam non disputo*, an accidens collatum cum nouē prædicamentis vltimis sit quid Vniuocum, quod sentit Soto *cap. 4. Prædicamentorum quæst. 2.* Et Paulus Venetus in *prædicamenta & Poster.* Nam quicquid sit de hac re, tunc Accidens habet rationem Generis, vel absolutè, vt ijdem Autores volunt, vel certè reductiuè; quia ijdemmet dicunt, differentiæ contrahentes illud Accidens commune, non sunt vt sic, ita per se distinctæ, vt non includant essentialiter Accidens, quod dicitur esse ipsorum genus, cùm tamen debeant differentiæ

omnes esse extra essentiam generis, & vicissim ipsum extra essentiam differentiarum. Quo nomine tum à prædicabilibus, tū à prædicamentis excluduntur transcendentia. Quod autem hoc Accidens sit quātitas, illud qualitas, &c. in ratione modi prædicandi se habet tantum materialiter; nam omnia hæc si sint Accidentia communia, eadem ratione prædicantur de suis subiectis: Quod si conferantur Accidentia cum suis inferioribus subordinatim, & essentialiter suo se positis; iam sunt vel genera. vel species.

Tertia Propositio. Probabilis est opinio Caietani, Indiuiduum esse distinctū quoddam Vniuersale ab enu meratis. Nam *primo*, Non est quid transcendens, quia non dicitur de omni re. *Secundò*, Verè dicitur de pluribus. *Tertiò*, Etiamsi sit esse quid incompletum, non habet tamen ad quod ex dictis quinque prædicabilibus reuocari possit, sicut quæstione præcedente dixi de quibusdam Entibus diminutis, vt materia, forma, anima, &c. vbi etiam interim satisfit illi obiectioni in initio quæstionis de iisdem Entibus diminutis. *Vt autem hoc melius ostendatur, afferenda est ratio sufficientiæ quinque prædicabilium*, omissis autem alijs rationibus, de quibus Ammon. & cæteri Interpretes, hæc communiter tanquā optima assignari solet. Omnis prædicatio non Identica, non repugnans, & non indirecta, id est, in qua non prædicatur idem de eodem, in qua prędicatur de re id quod illi conuenit, denique in qua id quod prædicatur, habet rationem cuiusdam formæ, & perfectionis, vel vt Porphyrius loquitur *cap. de Specie*, in qua æqua de æquis, vel maiora de minoribus prædicantur, id est, superiora de inferioribus, quorum respectu se habent vt forma, vt 2. *Phys. text.* 28. & 7. *Met. t.* 21. Omnis, inquam, huiusmodi prædicatio aut est essentialis, aut accidentalis. Si essentialis, aut prædicatum se habet vt tota essentia, & est species; aut vt pars, idque vel vt materialis, & communis, & est genus; Aut vt formalis & contrahens, & est differentia. Si accidentalis; aut est reciproca, & continens id quod omni, soli, & semper conuenit, fluitque ab essentia; & est

Ratio sufficientia quinque prædicabilium.

proprium; aut non est reciproca prædicatio; & est Accidens commune. Lege Auic. 1. *part. Log. cap.* 4. Iam Indiuiduum ad nullum ex his modis prædicandi referri potest: Si tamen consideretur Indiuiduum, vt absolutè prædicatur de aliqua prima substantia; vel etiam de aliquo determinato Accidente; nam si consideretur in abstracto indiuiduatio ipsa, & in concreto Indiuiduum, potest tunc essentialiter fieri prædicatio indiuiduationis de hac & illa; & Indiuidui in concreto de hoc & illo Indiuiduo etiam in concreto, tuncque habebit Indiuiduum quandam rationem speciei respectu inferiorum, sicut anima rationalis, respectu animæ Petri, & Pauli. Sed vt dixi, si consideretur Indiuiduum vt absolutè dicitur de Petro, & Paulo, &c. hoc inquam modo habet rationem prædicationis distinctam ab omnibus alijs; nam neque ad genus, neque ad speciem, neque ad differentiam potest hic prædicandi modus reuocari; quia esse Indiuiduum non est quid essentiale, vel pertinens ad constitutionem totius essentiæ; qualia sunt hæc quæ enumerauimus, Genus, Species, Differentia, &c. Nec etiam pertinet hic prædicandi modus ad Proprium, vel Accidens. Quia prædicatio Indiuidui non est prædicatio in quale, nec est quid fluens ab essentia, nec potest adesse & abesse, præter eius de quo dicitur corruptionem, non modo physicam & realem, sed etiam secundùm conceptum, neque enim potest concipi formaliter Petrus sine sua Indiuiduatione. *Confirmatur* Autoritate D. Thomæ qui 1. *part quæst.* 30. *art.* 4. *ad* 3. docet in humanis rationem personæ nec esse Genus, nec Speciem; imò etiam apertè videtur docere hanc sententiam *quæst.* 9. *de potentia, art.* 2. quo loco dicit, Indiuiduum prædicari de pluribus non modo secundùm vocem, sed etiam secundùm rationem significatam per vocem, id est, secundùm illum modum particularitatis, & indiuiduationis. *Obijcies.* Ergò diminutus est Porphyrius, qui quinq; solùm enumerat. Caiet. Porphyrium excusat, quia, inquit, id initio libri non est pollicitus, sed tantum de his quinque agere

Instit-

instituit. Verum vt id excu'et Porphyriũ ab infidelitate promissi non seruati, non tamen facit, quo minus mancus fuisse dicatur, dum de quinque tantum sibi agendum proposuit. Quare quamuis parum referat, quid de hac re senserit Porphyrius; cui opponi merito D. Thomæ autoritas potest, fortè tamẽ huius distincti prædicabilis non meminit; quia non est necessariũ ad Definitiones, vel Demonstrationes; & proinde nec ad scientiam, quo ferè omnia ordinantur. Neq; etiam per se in prædicamento ponitur ratio Indiuiduationis, sed solùm reductiuè. Tunc autem hoc modo poterit colligi sufficientia horum sex prædicabilium: Omnis prædicatio aut ad essentiam pertinet, aut non pertinet, si primum, vel ipsa essentia, vel pars essentiæ, sicque est species, genus, aut differentia; vel est quidã modus essentiæ; & hinc oritur ratio indiuiduitã secundùm, aut est Proprium, aut Accidens eo modo quo suprà. Itaque simpliciter loquendo dicitur esse tantum quinque prædicabilia propter causam paulò ante dictam.

QVÆSTIO VIII.
An Vniuersale se habeat vt genus, respectu prædicabilium?

Notandum primò. Vniuersale in cõmuni loquendo, dicit sine dubio quandam rationem abstrahentem à singularibus, & inferioribus, indifferentem tamen ad esse in multis specie, aut numero differentibus, vel in multis subiectis, aut in specie, quate vt sic, se habet vt quid commune ad quinque prædicabilia.

Notandum secundò Dubium esse potest, an hæc ratio communis Vniuersalis se habeat vt genus respectu prædicabilium; videtur enim quod non possit, quia genus quod est primum prædicabile, continet omne id quod est genus; ergo continet etiam Vniuersale, prout est genus; non potest ergo ab Vniuersali ipsum genus contineri, tanquam à genere, alioquin idem esset continens & contentum. *Propter hoc argumentum quidam concedunt*, si genus communissimè, & latissimè sumatur, non continere sub se genus, sed etiam ipsummet Vniuersale, Porphyrium autem definiuisse Genus, quod dicit naturã aliquam realem affectam notione generis, quæ vt sic contineri possit tanquam species sub communissimo genere, quod idem fit atque Vniuersale. *Sed non satis intelligo*, quid sibi velit hæc opinio. Nam definit Porphyrius id Genus, quod de multis specie differentibus quo[c]unque modo dicitur.

Notandum tertiò. Sicut notio generis & cuiuscunque alterius Entis rationis, potest denominatiuè dici de rebus; sic etiam potest vnum Ens rationis de altero dici denominatiuè, ita vt vnum se habeat respectu alterius, ad modum cuiusdam naturæ substratæ illi alteri Enti rationis.

Prima Propositio. Vniuersale vt est quid commune ad quinque prædicabilia, dicit naturam aliquam in confuso, & quiduis aliud vt aptum est esse in multis; seu (quod idem est) dicit substratum aliquod quodcunque tandem illud sit, additis conditionibus Vniuersalis formaliter, & notionaliter sumpti; sic coloratum in communi dicit quamcumque rem colore affectam, & sic coloratum vt coloratum formaliter, dicit hoc determinatum Ens coloris, ratione cuius de quouis colorato dicitur essentialiter. Ita etiam Vniuersale formaliter dicit notionem, vt est in quauis re indifferenter, & vt sic, formaliter & quidditatiuè dicitur de hoc & illo Vniuersali determinato. Vnde sicut Intellectus ab ipsismet rebus naturam vnam abstrahit, ita etiam ab hac & illa ratione Vniuersalis vnam potest communem abstrahere.

Secunda Propositio Genus primum prædicabile respectu Vniuersalis, dici potest illius species quædam; respectu autem suorum inferiorum est Genus. Nec id videtur absurdum. Nam id non fit ratione eiusdem, sed diuersorum; quo etiam modo Genus subalternũ partim est Genus, partim Species. Et præterea Genus respectu inferiorum est essentialiter Genus; respectu autem Vniuersalis est Species denominatiuè; habet enim se Genus respectu Vniuersalis, ad modum aliarum naturarum, quibus attribuitur denominatiuè ratio Generis, vt animal tantum denomi-

natiuè est Genus. *Et confirmatur.* Nam etiā Species est distinctum quoddam prædicabile, & tamen Speciei denominatio, ipsi etiam Generi, & alijs prædicabilibus in ordine ad Vniuersale tribuitur. Vnde ratio Generis si consideretur, vt est, verbi gratia, in substantia, & in hoc aut illo Accidente; vel etiam in determinata aliqua substātia; se habet veluti multiplex quoddam Indiuiduum. Vt ergo consideratur hæc particularis ratio Generis, quæ est in hac particulari natura; & alia etiam particularis quæ est in alia, &c. quatenus conueniunt in hac vna & communi ratione, quæ est demonstrare res, vt de multis specie distinctis dicuntur, hoc inquam modo abstrahibilis est vna ratio, quæ respectu dictarum particularium se habeat veluti species quædam; & quia iterum tam illi quod dicitur de multis specie differentibus, quam illi quod dicitur de pluribus differentibus numero, est hæc communis, dici de multis, potest abstrahi ratio quædam vtrique communis; quæ vtriusque respectu habeat se vt Genus. Tunc autem illa ratio communis Vniuersalis, dicitur Genus non essentialiter, sed à relatione quadam quæ ipsi tanquam accidens quoddam superuenit eo modo, quo animali accedit denominatio Generis. Hinc fit, vt ipsa relatio Generis dicatur Genus, non *vt quod, sed vt quo*, id est, vt ratio per quam aliud tale denominatur, sicut albedo non est alba *vt quod, sed vt quo*, id est ratio, ob quam album denominetur; & ita in proposito, Vniuersale habet quod dicatur esse Genus à relatione Generis quæ illi per reflexionem quādam superuenit, & à qua concipitur denominari vt Genus. Iraque

1. *Conclusio.* simpliciter loquendo Vniuersale non est dicendum esse Genus respectu prædicabilium, quia se habet vt quid Connotatiuum; dicit enim naturā & relationem rationis. Connotatiuum autem non potest propriè esse Genus, vt colligitur ex Aristotele *7. Met. text.* 18. & 19. Idem docet Boetius in *cap. de Genere*, & ibid. Alb. negantes propterea posse Genus vera definitione definiri; de qua re paulò post. Ni-

2. *Conclusio.* hilominus si accipiatur nuda notio Vniuersalis, potest vtcunque dici Genus respectu prædicabilium, quia dicitur quidditatiuè de hac & illa particulari notione quæ in quouis prædicabili est. *Confirmatur ex dictis* de omnibus prædicabilibus quatenus habent rationem quandam speciei respectu Vniuersalis. *Ad rationem igitur initio propositam dicendum est*, quod Vniuersale continet Genus sub se quidditatiuè tanquam Speciem, sicut animal continet hominem sub se; ipsum autem Vniuersale dicitur quodammodo contineri sub Genere, Demonstratione quadam extrinseca, ab Indiuiduis quadam veluti notione Generis; quæ proinde illi tribuitur, atque cæteris naturis quæ Genera appellantur.

QVÆSTIO IX.

An ratio Vniuersalis se habeat Vniuocè, vel Analogicè ad quinque prædicabilia?

Dictum est, Vniuersale respectu quinq; prædicabilium, habere se quadam ratione vt Genus, quæri nunc potest, An hæc ratio sit communis quinque prædicabilibus vniuocè, an analogicè? *Vbi supponēdum est tanquam certum*, quod etiam in præcedētibus indicauimus; rationem Vniuersalis, Generis, Speciei, & aliorum respectu Substantiæ & Accidentis dici posse vniuocè.

Prima Propositio. Ratio Vniuersalis Analogicè dicitur de Genere, Specie, & alijs prædicabilibus. Nam primò & per se, & quidditatiuè dicitur de Genere, & Speciei; secundariò & ratione istorum de alijs prædicabilibus. *Ratio est.* Quia non est idem modus in his quinq; prædicabilibus. Nam Genus & Species prædicantur simpliciter in quid, Differentia in quale quid, reliqua autem in quale simpliciter. *Secundò.* Non habet Differentia & Proprium immediata sub se inferiora, sed mediante vel Genere, vel Specie. Differentia enim prædicatur de Specie, vel intermedia, vel infima, eodemq; modo Proprium; & consequenter mediā species de pluribus sub specie cōtentis. Accidens verò etsi immediatè dicatur de Indiuiduis, habet tamen prædicationem solummodo denominatiuam,

ac pro-

ac proinde non habet propriè loquendo inferiora, huiusmodi enim sunt tantum illa, de quibus fit quidditatiua prædicatio, & quæ etiam eiusdem sunt ordinis; cuiusmodi vt patet non sunt Accidens & subiecta; nam subiecta sunt de genere substātiæ: cùm autem Accidens habet sub se eiusdem ordinis inferiora, tum induit rationem Generis nisi Speciei, nec est vt sit quintum prædicabile. Hanc sententiam tenet Alb. *tract.* 2. *cap.* 9. Doctores Louanienses, Versorius, & alij. Opposita sentententia est Scoti *quæst.* 8. *prædicab.* Soto *cap. de Genere, versu fin.* & Sonsin. *eodem loco.*

QVÆSTIO X.

Quid sit quod definitur in Definitione Vniuersalium?

TRia sunt in Vniuersali. *Primò,* Est ipsa natura. *Secundò,* Est formalis notio. *Tertiò,* Est veluti compositum quid ex vtroque. *Quæstio igitur est,* quidnam ex istis tribus habeat formaliter rationem definiti. Quod quia commune est omni Vniuersali, meritò hoc loco à nobis disputatur, vbi agimus de Vniuersali in communi, quamuis alij permulti *in cap. de Genere* hāc quæstionem reijciant. *Prima Opinio est* Ocam, *cap.* 20 *Logicæ,* & communiter Nominalium; definitum, verbi gratia, Generis esse hunc terminum, Genus, per quem terminum intelligit Ocam conceptum ipsius Generis, qui est operatio mentis, ita vt definiri Genus, vt id quod prædicatur de multis differentibus specie, sit definiri Genus, vt conceptus Generis prædicatur de conceptu Speciei, vt idem dicatur significare conceptus Generis, quod conceptus Speciei. *Secunda opinio est* Scoti *quæst.* 14. & D. Thomæ *de Ente & Essentia cap* 4. vt illum quidem Caiet. pro se interpretatur, qui hanc opinionem sequitur *c. de Genere,* & Am. And. *quæst.* 1. *cap. de Genere.* & *Gratia Dei ibid.* definiri solam notionem. *Probatur primo hæc opinio.* Prædicari nihil aliud est, quam relatio quædam, qua prædicatum refertur ad subiectum, ita vt Genus nihil aliud sit, quam relatio quædam, qua vnum per Intellectum refertur ad aliud, tanquam ad sibi subiectum per eundem Intellectum. *Secundò,* In definitione Vniuersalis, seu Generis nihil est quod sit commune omni Generi, præter solam notionem; at definitur Genus, quod est commune omni Generi; ergo definitur ipsa notio. *Tertiò,* Vnum non prædicatur de altero nisi propter notionem; ergo ipsa notio est quæ definitur. Nec valet, inquit Scotus, dicere; definiri rem, vt subest notioni; quia definitio debet esse vnius rei simplicis; res autem sub notione non est quid simplex. Vnde non rectè videtur Soto hanc fuisse Scoti opinionem. Eadem etiam opinio est Danielis Barbar. *tom.* 9. *de Genere. Tertia Opinio.* Id quod definitur formaliter *vt quo,* esse ipsam intentionem, tum definitionem supponere pro natura ipsa; sic cùm definitur, verbi gratia, album esse disgregatiuum visus; id quod definitur formaliter *vt quo,* est ipsamet albedo; id tamen pro quo supponit definitio, est subiectum affectum albedine, non enim albedo est, quæ visum disgregat, sed res albedine informata. Hæc opinio est Buel. *cap. de Genere.* Et Soto hoc loco. Quam etiam indicat D. Thom. *de Ente & Essent. cap.* 4. *Quarta opinio.* Quod definitur, esse formaliter & *vt quod,* naturam ipsam, non tamen simpliciter, sed cum hac conditione, quatenus videlicet subest secundæ notioni. *Differt igitur hæc opinio à præcedenti,* quod præcedens vult notionem esse rationem formalem naturæ, vt prædicetur, & consequenter definiri etiam formaliter. Hæc autem opinio vult solum esse conditionem quandam, ideoque simpliciter loquendo non definiri formaliter notionem ipsam, sed tantum naturam. Est Capreol. 1. *sent. dist.* 8 *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 5. argumentatur Gregorius Arim. contra quartam Cōclusionem. Et Sonsin. *in cap. de Genere,* quā etiam subindicat D. Thom. loco citato *de Ente & Essentia. Notandum hic,* Id debere habere locum definiti in quouis Vniuersali, quod de altero prædicatur, nam hoc modo tum ipsum Vniuersale in communi, tum quæuis illius Species definitur. Et quamuis prædicari vt sic, sit relatio quædam rationis, rei quæ subest prædicationi actuali factæ per Intellectum ad ipsum

Intellectum prædicantem; & quamuis etiam esse prædicatum ve sic, dicat relationem ad Intellectum, qui prædicauit, & prædicabile dicat etiam quendam respectum rationis ad Intellectum potentem prædicare; tamen id quod prædicatur, est res ipsa; ratio autem cur vnum de altero prædicetur, est, quia vnum à parte rei alteri inest, quæ causa est, cur Aristoteles 1. *Prior. cap.* 1. pro eodem sumat prædicari de omni, & omni inesse, & pro diuersa ratione inexistendi, diuersus etiam est modus prædicandi.

Prima Propositio. Definitio Vniuersalis, si solum dicat formalem illam Vnitatem de qua suprà diximus, & quæ fundamentaliter dicitur Vniuersale, soli eidem naturæ conuenit; sed tunc prædicari de multis oebebit tantum in definitione Intellectus, remotè & fundamentaliter.

Secunda Propositio. Id quod definitur, loquendo de Vniuersali formaliter, non potest esse primò & per se aggregatum ex natura, & notione. *Ratio est.* Quia ex his duobus non potest fieri vnum per se, sed consurgit aliquid per accidens, multo magis quam ex Accidente & Substantia; nam hæc saltem conueniunt in ratione Entis realis, natura autem est quid reale, notio est Ens rationis; quæ longè magis sunt disparata, quam duo Entia realia. Quod autem Entis per Accidens non sit definitio, docet Aristoteles 6. *Met. text. vlt. & lib.* 7. *text.* 32. *Et ratio etiam est,* Quia definitio debet constare ex partibus eiusdem ordinis; euiusmodi non sunt quæ plus quam genere discrepant.

Tertia Propositio. Non potest locum definiti habere conceptus, neque etiam notio. *Ratio est.* Quia id solum definitur quod prædicatur; neutrum autem propriè prædicatur, vt eû dicimus; homo est animal; non potest sensus esse, conceptionem animalis esse conceptionem hominis; vel notionem illam formalem quæ generi tribuitur seu animali, esse notionem formalem speciei quæ homini tribuitur.

Quarta Propositio. Definitum Vniuersalis & cuiusuis illius speciei, est natura ipsa, vt subest secundæ intentioni, seu notioni. *In hoc conueniunt duæ postremæ sententiæ. Ratio est.* Quia natura per se, & secundùm se non habet rationem Vniuersalis, ergo cû definitur Vniuersale, non potest sola natura vt sic, esse definitum. *Et confirmatur.* Quia Vniuersale se habet per modum cuiusdam concreti; dicit enim ipsam tanquã subiectum, & notionem ipsam tanquam Accidens quoddam, quo informatur illa natura. Vnde sicut album non potest definiri ratione solius rei quæ dicitur alba, præcisè sumptę, sed debet definiri res vt affecta albedine. ita etiam cùm definitur Vniuersale, locum definiti tenebit natura vt affecta vniuersalitatis notione. *Ex duabus tamẽ his opinionibus mihi magis placet penultima,* vt dicamus notionẽ esse rationem formalem, nõ autem tantũ conditionem sine qua non. Nam sicut se habet Accidens in definitione Concreti, ita se habet notio in definitione Vniuersalis; vt enim dictum est, se habet notio per modum Accidentis respectu naturæ, sed in definitione Concreti, quamuis definitio verificetur absolutè & simpliciter de subiecto ipso, tamen Accidens in abstracto, & forma illa accidentalis habet in definitione locum rationis formalis, quia ipsa est, quæ formaliter est ratio, cui definitio de subiecto verificetur, verbi gratia, album est disgregatiuum visus; definitio hæc de subiecto verificatur absolutè, & subiectum est definitũ *vt quod*; nam non albedo, sed subiectum est id quod disgregat visum; tamen ratio formalis ob quam subiectum visum disgreget, est forma albedinis, quare albedini tanquam rationi formali, & non solum tanquam conditioni sine qua non, conuenit hæc definitio, sed eodem modo, quamuis natura secundùm se non prædicetur, tamen ipsa verè est quæ prædicatur; & non nisi quatenus formaliter affecta est notione, ergo ipsa quidem natura erit definitum *vt quod*, non tamen habebit locum definiti tanquam ratio formalis. Et hoc indicare videtur Porphyrius *c. de Genere,* postremis verbis, dum inquit, nihil igitur superfluum, neque minus continet Generis dicta descriptio notionis; etsi me non lateat posse notionis dictionem

nem

nem alium sensum facere. *Notandum autem est*, Vniuersale quod tantum est per In tellectũ duobus modis esse, vt alias quoque dictum est. *Nam vel est abstractum*, dicens naturam vnam seiunctam à singularibus, vel consideratur vt est *formaliter prædicabile*. Vtroque modo si definiendum sit; definiti locum habebit, *vt quod*, ipsa natura; vt autem ratio formalis notio ipsa siue prædicabilitatis, siue etiam vnius abstracti, & quamuis dictum sit à Porphyrio definiri Vniuersalia, quatenus sunt prædicabilia; potest tamen hoc modo id intelligi, vt illa scilicet Vniuersalia definierit per prædicabilitatem, vt aptitudinem & potentiam dicit, tanquam per passionem Vniuersalis abstracti, ita vt definitum sit, natura ipsa, & notio abstracti. Quod tamẽ explicatur per prædicabilitatem, tanquam per passionem quandam; Vniuersalis enim abstracti passio quædam veluti est esse prædicabile.

Obijcies. Dictum est ex Aristotele *1. Prior. cap. 1.* Idem esse dici de omni, & omni inesse, seu rationem cur vnum de alio prædicetur, esse quia vnum alteri inest, ergo non est dicenda notio ipsa ratio formalis cur vnum de alio prædicetur, atque ita natura ipsa omnibus modis dicetur esse definitum.

Respondeo, Esse quidem naturam ipsam fundamentum, & veluti rationem formalis prædicationis; sed remotam, proxima autem sola est notio.

Ad primum argumentum pro secunda opinione Respondeo, In hac definitione Vniuersalis, siue Generis aut Speciei, non est ipsum prædicari vt dicit relationem, neque etiam vt dicit actualem prædicationem. Quare in definitionibus Porphyrij, prædicari debet intelligi non in actu, sed potẽtia. *Neq; etiam definitur relatio prædicationis in potentia*, sed definitum *vt quod*, est natura ipsa simul cum notione vnius abstracti; rationem autem definiti tanquam rationis formalis habet ipsa prædicabilitas, & hoc, loquendo vt dixi, de definitionibus Porphyrij. Si enim loquamur de Vniuersali abstracto, locum definiti habebit natura sola *vt quod*, ratio autem formalis erit ipsamet notio.

Ad secundum. Notio ipsa (vt suprà) potest cõuenire vniuocè omni illi Enti quod denominatur Vniuersale, siue Genus, siue Species, nõ tamen potest natura ipsa, quæ in confuso includitur in definitione Vniuersalis esse vna vniuocè communis omni particulari rei, quæ Vniuersale, seu Genus, aut Species appellatur, non solù quia Ens etiam rationis per reflexionem potest huiusmodi appellationes recipere, Enti autem rationis & reali nihil potest esse vniuocum, *sed etiam, vt probabilior habet opinio*, quia Entibus realibus nihil est commune vniuocum, id est, substantiæ saltem & accidenti; quod apertè docet Aristoteles 4 *Met text. 2.* Et Porphyrius *cap. de Specie*. Satis ergo est, quod cùm definitur Vniuersale, ratio ipsa notionis communis sit rei omni, quæ Vniuersalis denominatur. *Et confirmatur* exemplo Cõcretorum prout definiuntur. Quando enim definitur album disgregatiuum visus, locum definiti *vt quod* habet, quicquid albedinem recipit, etiam ipsa superficies, quibus omnibus nihil est commune vniuocum, sed satis est, quod ratio formalis quæ habet locum definiti, id est, albedo, sit vnius & eiusdem rationis in illis omnibus. Quare cùm Genus, verbi gratia, dicitur de multis, quatenus illa vocantur Genera, habet rationem prædicati accidentalis, & dicitur in quale, *quia notio est quoddam veluti accidens naturæ, cui tribuitur*. Cùm autem Genus dicitur de proprijs suis inferioribus, id est, speciebus, prædicatur in quid & vniuocè.

Ad tertium. Concedo notionem habere locum definiti, vt est ratio formalis, tamen definitum vt quod, & simpliciter id de quo definitio verificatur, est ipsamet natura, *sola, si de vniuersali abstracto sermo sit*, vel simul cum notione abstracti, si loquamur de vniuersali vt prædicabile est. *Nec valet quod obijciebat* Scotus, non posse dici, definiri hìc naturam vt subest notioni, quoniam hoc totum est quid per accidens, tum quia vniuersale etiam secundùm Scotũ, debet esse illo modo vnum per accidens. Quare ad modum vnius per accidens defi-

ctionis acceptiones faciant, Primò, Id significat, quod vno modo, atque absque æquiuocatione, & absque, vt Am. loquitur, perplexitate sumitur, quę videtur propria huius dictionis significatio hoc loco, quo etiam modo hanc vsurpat Aristoteles non rarò 4. *Met. Secundò,* Apud Dialecticos simpliciter significat, idem quod sine addito. Qua ratione niuem dicimus simpliciter albam, Æthiopem cum addito & secundùm quid, id est, secundùm dentes. *Tertiò,* Idem significat quod vniuersaliter. Ita Porph. paulò post *c. de Differ. Quartò,* Significat (simpliciter) suppositionem simplicem; quæ alio modo dicitur immobilis, id est, pro immediato tantum significato: vt homo est species. (*Romanorum.*) Ita Boet. Romanus vertit; cũ tamen Græcè sit, Herculeorum. Dicitur autem Romulus principium Romanorum per se, locus autem principium per accidens; quia per se fuit illa deriuatio Romanorum à Romulo; per accidens autem omninò locus hic aut ille. *Hæc autem videtur promptissima significatio* Græcè πρόχειρος, id est, significatio ad manum, id est, notissima & vulgatissima. Quæ verba refert Boetius ad secundam significationem, vel ad principium multitudinis, quia inquit pronomen, hæc, sicut & quoduis aliud pronomen referri debet ad ea quæ proximè antecedunt, illud autem est secunda significatio. Ammonius tamen quem sequitur quidam recentior Caspar Philalpaadeus, mauult referri ad primam significationem; illa enim est notior & vulgatior; nam posteriora sunt nobis notiora prioribus. Nec est verum quod dicit Boët. semper referendum esse pronomen ad id quod proximè anteponitur, q multis exemplis probatissimorum Autorum ostendi posset, vnico ero contentus; quod est apud Cic. *dial. de Amic.* Caue, inquit, anteponas, ne istum quidem ipsum, quem Apollo, vt ais, sapientissimum iudicauit (de Socrate autem loquitur) huius facta, id est, Catonis, cuius tamen priore loco meminerat, illius, id est, Socratis dicta laudantur.

NOTANDA CIRCA
hanc partem.

NOtandum est. Desumptas esse has Generis acceptiones ex Aristotele 5. *Met. cap. de Genere, seu text.* 33. *vbi etiam hanc addit, vt Genus* generationem ipsam significet specie eorundem continuam. Vocat autem nostrum Genus materiam, & subiectum Differentiarum; de qua re paulò post in disputatione. *Sunt autem & aliæ acceptiones;* nam Grammaticis Genus significat affectionem quandam vocis, quæ articulis exprimitur. *Secundò,* Apud Rhet. causæ qualitatẽ designat vnde Genus delib. demonstratiuum, &c. *Tertiò,* Vulgo significat Genus quamlibet rem determinatè alicuius naturæ ab alijs rebus. vnde dicitur genere differre etiam non raro apud Arist. & alios, quæ sola specie differunt, quam significationem indicat Arist. 5. Met. loco citato. *Quartò,* Dicitur à Physicis Genus materia ex qua aliquid componitur, aut etiam quodlibet subiectum recipiens formas, in qua significatione superficies appellatur genus colorum, vel aliarum qualitatum. *Quintò,* Significat obiectum scientiæ. *Vltimò,* Significat gradum Metaphys. communem & quidditatiuum, quod est fundamentum huius nostri generis Logici. *Meminit tamen Porphyrius triam tantum* acceptionum generis, vt obseruat Albert. quia quod etiam ipsemet Porph. non tacuit; acceptio propria Generis Logici desumitur ab illa duplici natura, & genus est principium specierum; & collectio specierum sub hoc genere differt à quauis alia multitudine specierũ sub alio genere. Quo videtur M. T. allusisse; *ita Genus definiens in Top.* Genus est quod sui similes communione quadam, specie autem inter se differentes, duas aut plures continet partes.

SECVNDA PARS CAPITIS.

AFfert Porph. Generis propriè dicti descriptionem, *vt illud sit quod dicitur de pluribus specie differentibus in quid.* Per quam definitionem differt Genus à cæteris speciebus prędicabilium. *Nam omne quod prædicatur* aut de vno solum dicitur, vt Indiuiduum, aut de pluribus; vt hæc quinq; species. *Differt Genus ab Indiuiduo*, quia de pluribus dicitur. *A Specie & à Proprio,* quia

Species de pluribus numero; Proprium de vna specie & illa mediatè de pluribus numero. *A Differentia & Accidente*, quia quãuis vtrumque de pluribus specie dici possit, non tamen in quid, sed in quale. In quid autem dicitur Genus, quia interroganti quid res sit, respondemus per Genus. *Ex his concluditur*, nihil excedens, aut deficiens continere hanc Generis notionis descriptionem.

EXPLICATIO VOCA-
bulorum.

D*Escribentes.* Sic etiam infrà ad finem capitis, hanc Generis explicationem descriptionem appellat. Vnde quidã colligunt non propriè definiri, sed describi tantum Genus; de qua re in disputatione. *Et quale quid est coruus, dicimus nigrum.* Sumitur hoc loco, quale quid in voce tãtum, & non secundùm vocem, inquit Alb. neque enim Accidens commune cuius exemplũ hîc ponitur; imò verò nec Accidens Proprium prædicari dicendum est in quale quid, nam hoc est peculiare Differẽtiæ: Itaq; per quale quid intelligit quale sit Ens. Vnde in codicẽ Græco, ὁποῖόν τι, scribitur duplicem accentum; vnum circumflexum in penultima, alterum acutum in vltima propter sequentẽ enclyticam: & propterea significat illud τι non quid, sed aliquid, tunc enim notaretur accentu acuto.

De pluribus differentibus specie. Hæc dictio (*pluribus*) non debet intelligi comparatiuè, alioqui *hunc sensum faceret hæc definitio*: Genus dicitur de ijs quæ differunt plusquam specie; quod tamen falsum est. Etsi enim inter Genera supremum & interiectum dicantur etiam de ijs quæ simul sunt genera, ac proinde differunt plusquã specie, tamen cõuenire debet hæc definitio Generis infimo, quod immediatè dicitur de solum specie differentibus.

NOTANDA CIRCA
hanc partem.

N*Otandum primò.* Colligunt nonnulli vt etiã diximus, ex eo quod Porph. se describere dicat genus, esse generis explicationẽ non definitionem, sed descriptionem. *Notandum secundò. Triplex est Genus*, Supremum, Medium & Infimum. *Infimum est* quod tantum de pluribus specie differentibus, quæ non iterum alias sub se species continent, dicitur. Huius Generis meminit Burleus in *hoc cap. not. 2.* quamuis alij passim tantum loquantur de supremo & medio. *Notandum tertiò*, Quod Porphyrius dicit Indiuiduum de vno prædicari, intelligendum est de prædicatione imperfecta, nam simpliciter loquendo negat Aristoteles in *Antepræducamentis, & c. de Substãtia, & 1. Periherm. cap. 4.* Indiuiduum prædicari. Cuius rationem optimam affert Alb. *tract. de Genere, cap. 4.* quia id de altero prædicatur, quod alteri inest; vt etiam ex Aristotele notauimus supra 1. *Prior. c. 1.* Nihil autem in se ipso esse propriè dicitur, ex Aristotele 4. *Phys. Cum hoc tamen verum est, quod suprà diximus*, esse abstrahibilem ratione Indiuiduationis quæ de multis dici possit. Cæterum cùm eodem loco Porphyrius ea quæ prædicantur, aut de vno prædicari affirmat, aut de pluribus; intelligendum est mediatè, vel immediatè; Differentia enim & Proprium de specie dicuntur, illis autem mediantibus etiam de pluribus numero differentibus. *Notandum quartò*, Cùm dicit Porphyrius differre Genus à Differentia & Accidente, quod illa dicatur in quale quid, Genus autem in quid; Idem dicere potuit & de Proprio, prædicatur enim & ipsum in quale; *fuit tamen contentus alio discrimine*, quod est inter Genus & Proprium, quoniam Proprium etsi immediatè de specie; mediatè tamen de pluribus numero differentibus dicitur: Genus verò de pluribus specie, quamuis negari non possit Proprium conuenire etiam speciebus interiectis. *Notandum quintò*, Cùm dicit Porphyrius dici Differentiam de pluribus specie differentibus; locutus videtur, vel secundùm vulgarã quorundam opinionem, vel etiam vt quidam volunt, secũdùm propriam & suam, nõ dari in rerum natura differentias vltimas, vel conuertibiles cum specie, sed communes tantum & intermedias, quarum multarum aggregatione infimæ speciei quidditas constituatur; de qua re in *cap. de Differentia.*

Differentia. Notandum secundò. Quod dicit Porphyrius dici Genus in quid; quia per illud respondemus ad quæstionem quid sit res; desumptum videtur ex Aristot. 1. Top. cap. 4. vbi de genere disputat; de Proprio, de Accidente, & Definitione. Notandum vltimò. Circa id quod dicit Porphyrius hanc Definitionem nec esse superfluam, nec deficientem, tunc ex Ammonio Definitio coarctat definitum, cùm ipsa est superabundans & superflua, vt homo est animal rationale grammaticum, hæc definitio superflua est, aliquid continens plus quam essentia. Vnde facit, vt non conueniat toti definito, id est, omni homini. Cōtra verò cùm definitio deficit, abundare facit, & quodammodo extendit, & ampliat ipsum definitum; vt homo est animal mortale, hic quia non adsunt omnia quæ pertinent ad quidditatem hominis, fit vt id quod definitur dici possit de alijs rebus quæ non sunt homines. Quia verò profitetur Porphyrius hanc suam generis explicationem, nec redundātem, nec mancam esse; id nobis examinandum est disputatione sequente.

DISPVTATIO IN cap. de Genere.

QVÆSTIO PRIMA.

An Generis explicatio sit definitio vel descriptio.

PRima opinio est Scoti quæst. 15. Anton. And. Danielis Barbari hic, &c. esse veram & propriam definitionem. Secunda opinio, esse tantū descriptionem. Est Boet. dial. 1. in Porph. à Victorino translatum, & lib. 2. suæ translationis. Alb. in cap. de Genere. Amm. Burlei, Auerr. & apud eundē Louigersoni, & est certior opinio. Supponendum est, aliud esse definitionem, aliud descriptionem, quod negare videtur Rod. t. de Inuent. Definitio enim est explicatio quidditatis rei per partes quidditatiuas; Descriptio autem eiusdem explicatio per accidentia quædam aut proprias affectiones, vel etiam per communia tantum prædicata quidditatiua.

Prima Propositio. Definitio si tantum esse potest de Ente reali, quod requirere videtur Aristot. plerisque locis. 2. Met. 2. Post. &c. non potest dici Genus propriè definiri; sicut nec vlla alia notio, vel ens rationis. Et de hoc nemo est quod sciam, qui dubitet. Quod frustra tam multis probare nititur Philalpandeus.

Secunda Propositio. Si habeatur sola ratio notionis quam dicit genus, dici potest definiri. Hoc enim modo supra diximus posse genus habere supra se vniuersale tāquam genus, quod tamen hic explicatur per propriam passionem. habet enim locum generis dici de pluribus, quæ est passio vniuersalis abstracti. Si autem de vniuersali Logico sermo sit, est ipsius quidditas.

Tertia Propositio. Si vniuersale accipiatur prout dicit naturam in confuso cum notione, nō potest hoc modo propriè definiri; Tum quia non habet vt sic supra se genus. Quam rationem afferre videtur Am. & Alb. tum quia Genus pro natura sumptum, non potest dicere rationem vllam communem omnibus naturis quæ genera appellantur.

Quarta Propositio. Simpliciter loquendo & absolutè; debet dici Descriptio. Tum propter causas dictas, tum quia id Porph. profiteri videtur, vocans apertè descriptionem, tum denique, quia hoc sufficit introductioni, in qua non est explicanda exactè rerum quidditas, sed quædam solummodo adumbrata afferēda rei explicatio. Atque ex his facilè solui possunt quæcunque pro prima opinione afferuntur.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid habeat locum magis communis prædicati in hac definitione?

EX his quæ dicta sunt tract. de vniuersali patet, quid habeat in hac definitione definiti locum: illud enim est natura ipsa prout subest secundæ intentioni. Quærimus autem quid locum habeat cōmunis prædicati, quia conclusum est superiore quæst. nō habere genus supra se propriè aliud genus. Quidam dicūt commune prædicatum esse vniuersale, quod nō explicitè quidem seu in actu signato; sed implicitè

ponatur in illis verbis, qui dicitur de multis nam hæc est vniuersalis illius definitio: licet etiam Autore Arist. 6. Top. loco generis in definitione ponere ipsam generis definitionem, vt si hominem definire volentes, dicamus, est substantia corporea, viuens, sentiens, idem enim est atque si dixissemus, homo est animal. Alij autem volentes etiam vn uersale esse commune prædicatum, dicunt poni ipsum vniuersale implicitè per suam passionem, quæ est prædicari de multis: sicut si Petrum definire vellemus; & diceremus esse animal visibile, aut esse videns rationale, ponitur enim tum passio pro differentia; tum etiã passio pro genere. Alij volũt prædicatum commune esse ipsum prædicabile, quia Porphyr. definit genus per prædicare de multis.

Prima Propositio. Locum cõmunis prædicati habent sine dubio verba illa (quod dicitur de multis) Nam hæc eadem verba ponuntur in definitione aliorum prædicabilium. Et Porph. ratione horum verborum genus contulit cum alijs prædicabilibus ratione alicuius communis.

Secunda Propositio. An illis verbis significetur vniuersale aut prædicabile, parum refert; vtrumque enim rectè dici potest. Si enim velimus vniuersale habere locum communis prædicati, tum hæc verba aut significabunt passionem quandam eius, quatenus est vniuersale quid abstractum & in multis; nec mirum id est. Quia cum hæc explicatio generis sit descriptio, non ita accuratè distinguenda fuerunt, quæ propriè locum generis habeant aut differentiæ. Vel certè hæc eadem verba significant ipsammet quidditatem, quatenus est prædicabile.

QVÆSTIO TERTIA.

Circa illam particulam (de pluribus specie differentibus) Quomodo de speciebus genus prædicari possit?

IAm agimus de genere secundum habitudinem ad Species, vbi nihil est quod quæramus, An plures actu requirat, quod solent hoc loco Interpretes disputare, negantem enim partẽ tenuimus supra tract. de vniuersalibus. Quæstio igitur est, quomodo genus de suis speciebus siue actu siue potentia sub se contentis prædicari possit? Ratio verò dubitandi hæc est potissima. *Primò,* Genus est pars speciei, at partis de toto prædicatio non est legitima, malè enim quis dicat, homo est caput. Quod autem genus sit pars speciei; patet vel ex hoc communi dicto; componi speciem ex genere & differentia, vnde propriè solummodo definitio specierum esse dicitur; omnis autem definitio duabus his partibus constat, genere & differentia. *Secundò,* Dicitur etiã genus de pluribus genere differentibus; vt substantia de corporea & incorporea, ergo malè definitur genus, id quod dicitur de pluribus specie differentibus *Tertiò,* Dicitur etiam genus de pluribus numero; vt animal de Petro & Paulo: de hoc homine & illo leone, ergo malè dicitur genus prædicari de pluribus specie differentibus.

Notandum primò. Prædicatio vnius de altero, aut fit immediatè, aut mediatè, id est, aut de eo quod immediatè sub ipso collocatur, aut etiam de ijs quæ sub immediatè collocato ponuntur.

Notandum secundò. Potest idem habere rationem superioris & inferioris, respectu diuersorum. *Superioris* respectu aliquorum inferiorum, *Inferioris* respectu alicuius, quod supra se sit, quo pacto aliquid idem potest simul esse maius & minus, *maius* respectu minoris; *minus* respectu maioris, vt homo maior est cane, minor elephante. Sic etiam idem potest esse simul genus & species; *genus* respectu aliarum specierum, aut infimarum, aut communium; *species* respectu alicuius superioris.

Notandum tertiò. Hinc sequitur; aliud esse prædicari de generibus vt genera sũt, aliud autem de ijs quæ sunt genera. Hoc enim secundum esse potest, primum verò minimè, nunquam enim genus prædicatur de pluribus genere differentibus, quatenus formaliter genere differunt.

Notandum quartò. Solet genus conferri cum materia, nec tamen simpliciter dicendum est materia. Primum colligitur ex Porphyrio ex *cap. de differentia,* & ex Aristotele *7. Met. text. 33. & lib. 8. text. 4. 9. 15. & 16.*

& 16. & lib. 10. text. 24. Secundùm probatur ex eodem Aristotele, qui ijsdem locis tantum dicit simile esse genus materiæ; non autem genus simpliciter loquendo materiam appellat. Imò 5. Met. text. 33. inter acceptiones generis hanc ponit; vt significet materiam ex qua aliquid fit, quam distinguit ab ea acceptione in qua nos genus vsurpamus, vt nimirum dicitur esse pars definitionis; & lib. 7. text. 35. 37. & 38. dicit omne Vniuersale continere materiã & formam, sed materia nihil formæ continet, vt probandum est in Physica, & lib. 8. text. 15. & 16. dicit Genus esse materiam secundùm Intellectum; non autem realem, quæ secundùm sensum componit. & 2. Phys. text. 28 omnes gradus essentiales reduci vult ad causam formalem. Idē docet Alex. 8. Met. text. 15. & 16. & lib. 2. quæst. naturalium, cap. vlt D. Thom. 10. Met. text. 24. & lib. de Ente & Essentia, cap. 3. & alibi sæpè. Am in cap. de genere, Boëi. ibid. Auer. in cap. de differentia, & 5. Met. text. 17. & lib. 7. text 43. & lib. 8. text. 6. & in paraph. in Metaphys. tract. 2. Alb. cap de differentia in loca recitata ex Aristotele in Metaph. Ægid. Rom. 7. Met. quæst. 9. Scotus 10. Met. text. 24. Sonsin. lib. 7. Met quæst. 20. Achillinus lib 1. de El. dub. 11. Zimata contradict. 17. 1. Met. & 24. libri 10. Ratio autem est; Quia Accidentia etiam habent genus, sed illud non est materia, ergo. Secundò, Animal, verbi gratia, quod est genus hominis, non significat tantum partem aliquã materialem, puta corpus ipsum, sed significat corpus & animam, & per modum subsistentis. Tertiò, In Angelis reperitur etiam ratio generis; imò etiam secundùm quorundam, falsam tamen opinionem, in Deo ipso; at in istis non habet locum materia. Quartò. Genus continet species saltem implicitè, at materia nullo modo continet formas. Quintò, Se habet genus vt totum quoddam, vnde & prædicatur de specie, materia autem habet solùm rationem partis, nec de altero prædicatur nisi in obliquo. Vltimò, Totum genus est in quauis specie; non autem materia est in quouis composito. Alias multas rationes, quas breuitatis causa omitto, quibus ostenditur differentia inter genus & materiam, vide præsertim apud Alex. Auer. Ægid. Achill. locis citatis. Facit tamen id quod dicit Aristoteles, esse nimirum genus simile materiæ; vt explicanda nobis sit ratio huius similitudinis. In hoc igitur consistit. Primò, Quia sicut materia est commune subiectum formatum, & est communis multis compositis; ita genus est commune multis speciebus; ac veluti subiectũ quoddam differentiatum. Secundò, Sicut materia est prior composito & ipsamet forma, ita genus prius est specie & differentia. Tertio, Sicut materia est quid potentiale & imperfectũ, cui addita forma facit totum quoddam substantiale; ita etiam genus, vt colligitur ex Aristotele 10. Met. tex. 24. Quartò, Sicut materia est pars compositi, ita genus speciei. Vltimò, Sicut materia est quoddam velut principium formatũ; ita etiam genus est principium differentiarum.

Notandum quintò. Hinc sequitur cur genus interdum absolutè dicatur materia; & cur ex materia sumi. Nec enim id tantum quo ad vocẽ intelligendum est, ita vt nihil rei subsit. Quod sensisse videtur Ocam cap. 20. Logicæ. Est tamẽ adhuc dubitatio, quomodo dicatur ex materia sumi genus, vel ratione cuius modi. Nam primò Sonsin. 10. Met. quæst. 25. vult in substantijs compositis sumi simpliciter genus ex materia, quæ est pars compositi: In accidentibus autem ex materia, quatenus in ea accidens subiectatur, ita vt diuersitas generum accidentalium, ex vario ordine petatur formarum accidentalium ad subiectum, vt genus lineæ, genus huius quantitatis; ex isto ordine quem habet quantitas ad materiam; vt eam extendat. Videtur fauere huic dicendi modo D. Thom. lib. de Ente & Essentia, cap. 1. 5. & vlt. & alijs in locis apud Capreol. 1. sent. dist. 8. quæst. 2. ad 5. contra primam conclusionem. Sed non probatur nobis hæc sententia. Tum ob causas quas infrà subijciam; tum vel hoc solo nomine quod de spiritualibus creaturis nihil attingit. Secundò Dicũt alij sumi genus ex materia, quia per Intellectũ cõponi speciem ipsam non autem reuera. Sicut

inquiunt in quantitate, ante factam diuisionem, solùm sunt partes per designationem; non autem reuera. Quod etiam confirmat Autoritate Aristotelis *quæst. 8. Met. text. 15. & 16.* genus appellat materiam secundùm Intellectum. Atque hanc sententiam sequi videtur Alex. Sed nec verus est hic dicendi modus, quia negari non potest, gradum communem Metaphysicum, vnà cum gradu contrahente facere à parte rei compositionem quidditatiuam. *Secundò*, Quia hac etiam ratione posset dici differentia materia. Quare dicendum est, genus in substantijs sumi ex toto. Nam Aristoteles *7. Met. locis citatis* dicit Vniuersale esse velut quoddam totum partim materiam, partim formam continens. *Secundò*, Nam animal, verbi gratia, non significat per modum partis, sed per modũ cuiusdam subsistentis & totius. *Denique*, non potest genus desumi ex materia prima, nã hæc participat etiam genera distincta; nec etiam potest sumi ex materia secunda, ista enim pro ratione diuersarum specierum diuersa etiam est, vt indicat Aristoteles *1. de anima, text. 53. Dicendum secundò*, Non sumitur genus accidentium ex vario ordine ad materiam. Tum quia totum ipsum accidens, ex Aristotele *7. Met. text. 2.* ordinem dicit ad materiam & subiectum, quia est Entis Ens, id est, Ens imperfectum. Tũ quia potius dicendum esset, differentiam sumi ex vario ordine ad materiam. *Dicendum tertiò*, Genus in communi loquendo, in hoc sensu dicitur ex materia desumi, quoniam, vt etiam dictum, significat aliquid commune imperfectum & potentiale, quibus conditionibus cõuenit illi proportione quadam cum materia. & secundò: Quia in rebus materialibus id vnde genus sumitur, se habet respectu differentiæ velut dispositio quædam materialis; vt animalis genus est substantia viuens; differentia est natura sensitiua; substantia viuens se habet, vt dispositio quædam præ-requisita ad naturam sensitiuam. Vnde orta est illa Philosophorum sententia: In embryonem humanam prius introduci animam vegetatiuam tantum; posteà illa expulsa, animam sensitiuam. *Denique* hac etiam reiecta animam rationalem. Lege D. Thom. *quæst. de spirit. creaturis, art. 1. ad 24. Confirmatur idem.* Nam Aristoteles *1. Met. text. 17. & lib. 7. text. 43. & lib. 8. text. 6. & 2. Phys. text. 28. & vlt.* vocat genus formam, licet vniuersalẽ; sicut etiam differentia dicitur forma, sed particularis. Quare si quando fortè Aristot. absolutè appellat genus materiam, vt *10. Met. text. 24.* explicandus est per ea quæ alijs locis dicit, & præsertim ex *8. Met. text. 15. & 16.* Quo loco appellat genus materiam non simpliciter, sed cum addito intelligibilem, id est, quę per Intellectũ concipitur, velut habẽs potentiam quandam ad suas differentias, vel etiam, quia sæpè præsertim in Physica traduntur definitiones per materiam & formam, quæ habent quandam cum genere & differentia similitudinem, & absolutè loquendo cùm traditur definitio, dicitur tradi debere per genus & differentiam. *Confirmatur* Autoritate D. Tho. locis citatis, & Zim. contradict. *in text. 14. 10. Met.*

Notandum sextò. Genus simul dicitur esse pars & totum. *Pars in 5. Met. text. 30.* idque quatenus præcisè concipitur ratione illius quidditatis & naturæ quam includit; ac veluti in abstracto, quatenus dicit quandam perfectionem, quæ est alteri ratio vt tale ens esse dicatur, vt si concipiatur animal ratione animalitatis. Propter quam causam dicit Aristoteles *4. Top. cap. 2.* Genus non participare differentias. Dicitur autem idem genus totum, prout cõcipitur per modum cuiusdam subsistentis, atque in confuso continentis differentias; vt animal quatenus significat habens animalitatem, vt sic enim dicit quiduis habens animalitatem, vel brutũ, vel rationalem. Idem dici potest proportionaliter de differentia; videlicet dici potest tum pars, tum totum quiddam. *His positis*, cũ certum sit genus prædicari de pluribus differentibus specie; *Dicendum est, non prædicari quatenus pars quadã est, sed quatenus habet rationem totius*. Vnde quando in definitione hominis dicitur, hominem esse animal rationale, quatenus animal prædicatur, habet rationem totius in confuso continentis, etiam

etiam id quod est in homine, quatenus homo est, id est, rationalitatem. Quatenus autem ponitur vnà cum rationali tanquam quid cum illo componens quidditatem hominis; hoc modo habet rationẽ partis. *Confirmatur ex 2. Post text. 2.* vbi inquit Aristoteles in definitione hominis quam ponit, animal bipes, non prædicari animal de bipede, vel vt interpretantur Philop. Eust. Auer. D. Tho. Ægid. Lincon. Paulus Venetus & alij, nõ prædicatur pars de parte. Ex quo loco expressè etiam D. Thom. ibid. colligit non prædicari genus de differentia, quod Ægid. & Paulus Ven. interpretantur non concretiuè, sed abstractiuè. Idem ferè habet Aristoteles 3. *Met. text. 10. Rursus 2. Post. text. 18.* dicit genera componi ex Indiuiduis specie primis, id est, ex speciebus, quas dicit esse quid simplex, genera autem quid compositum, & propterea facilius esse definire speciem quam genus; quod quomodo intelligendum sit, tractatu de definitione dicetur; atque ita interpretantur hoc loco Aristotelem, Them. Philop. D. Thom. & alij. Idem docent Auic. 5. *Met. cap 6.* D. Tho. *de Ente & Essentia, cap. 3. & 4. opusc. 3. cap. 92. opusc. de natura generis, cap. 5. opusc. 42. 1. part. quæst. 50. art. 2. 7. Met. lect. 12.* Capr. *loco citato,* Scotus 10 *Met. text. 24. & hic in cap. de genere.* Am. And. *ibid.* Soto *ibid. art. 2.* Zimara suprà. Daniel Barb. *com. 10. cap de genere,* Adbuilcasis Benasaris *quæstio. de notificatione Generis,* apud Auer. 1. *Tomo, &c.*

Ex his patet responsio ad argumenta initio proposita. Ad 1. enim, non prædicatur genus vt pars, sed vt totum. *Quia totalitas est* ratio cur prædicetur, non autem ipsa simul de re prædicatur: alioquin cum dicimus, homo est animal, sensus esset, homo est omne animal; vel etiam, Species est genus,

Ad 2. Genus dicitur de genere differentibus, non quatenus genera sunt, sed quatenus species. Vnde si non amplius essent genera, eodem modo prædicarentur genera de illis tanquam de speciebus.

Ad 3. Prædicatur genus de pluribus differentibus numero nõ immediatè & tanquam de proprijs inferioribus, sed mediante specie sub qua sunt indiuidua. *Obijcies.* Animal prædicatur de hoc animali; sed hic nulla intercedit species; ergò immediatè dicitur de differentibus numero. Respondeo cum Alb. tract. de specie, ca. 1. Hanc prædicationem esse mediatam, id est, media quadam animalis specie, quam hoc animal in confuso dicit; vt enim inquit Arist. 4. Top. c. 2. loco 14. sub finem, nullum est indiuiduum quod non sub aliqua specie contineatur. *Obijcies, 1. de parte animalium cap. 4.* vocat Arist. Socratem & Coriscum species, ergo dicitur genus etiã de pluribus numero tanquã de speciebus. *Respondeo.* Vulgariter locutus est Arist. & non philosophicè, qui loquendi modus non est insolens apud Scriptores elegantes, præserrim Iurisconsultos. Vnde subdit Aristot. nullo speciei discrimine differunt; sed communiter per accidentia quædam. *Hac etiã ratione ipsæmet species dicuntur interdum* indiuidua; vt videtur ex 2. post. 18. *Obijcies.* Ex 5 Metaph. ea differunt quæ aliquo differunt, sed plures species non differunt per aliquam speciem, ergo non dicitur genus de pluribus differentibus specie. *Respondeo,* 1. Eodem modo argumentari licet contra definitionem speciei, dicitur enim illa de differẽtibus numero. *Vnde* 2. Etsi in rigore loquendo ea tantum differunt quæ aliquo differunt, tamen illa etiam differre dicuntur, quæ seipsis differunt; quare dici de pluribus specie differentibus, quam dici de pluribus & diuersis speciebus, sicut dici de pluribus differentibus numero; est dici de pluribus habentibus diuersas indiuiduationes.

QVÆSTIO IV.

Quomodo genus respiciat speciem?

ID est, cùm in specie sicut & in genere sint tria, natura, notio, & natura substans notioni; quæstio est, quonam ex his tribus modis habeat genus ad speciem habitudinem. Quidam n. sentiunt referri genus ad speciem ratione naturæ; nam prædicatur Genus genericẽ secundùm entitatem, quam includit de natura specifica. *Secunda opinio,* Dicere genus ordinem ad speciem ratione notionis, quia genus & species

sunt

sunt correlatiua; nulla autem alia esse videtur ratio huius mutuæ relationis, nisi notio ipsa superioris in genere, & inferioris in specie. *Vltima opinio*, Vult referri speciem ad genus, & vice versa; ratione naturæ vt subest secundæ intentioni: & hæc videtur omnium optima esse. *Cuius probatio & explicatio patet ex dictis* in tractatu de Vniuersalibus: dum ageremus, quidnã illud sit, quod in Vniuersalium explicatione definiti locum habeat; sicut enim in genere loquendo, definitur natura vt subest secundæ intentioni, nam etiam vnum Vniuersale prædicatur de suis inferioribus sub hac ratione: & consequenter refertur etiam inferius ad suum superius, quatenus dicit naturam cum tali notione. *Ex his facilè possunt conciliari præcedentes duæ sententiæ. Prima enim* si loquatur de eo quod est id quod prædicatur, & continet aliud sub se, tanquam id quod habet rationem subiecti: *quod*, vera est. *Secunda* item verum dicit; si vult notionem ipsam, si Vniuersali superiori est ratio formalis cur prædicetur, ita etiam inferiori esse rationem formalem cur subijciatur,

QVÆSTIO V.

An Genus dicatur de Speciebus in quid?

Videtur quod non, *Primò*, Quia Genus est forma quædam speciei Autore Aristotele, præsertim 2. *Phys. text*, 28. vbi tamen idem dicit de differentia. at forma habet rationem cuiusdam qualitatis, non ergo dicitur genus in quid. *Secundò*, Quia ex Aristotele *c. de substantia*, & 7. *Met. text*. 48. dicitur genus in quale, non ergo in quid. *Tertiò*, Dicitur etiam in quid ipsa differẽtia; ergo non est discrimen inter genus & differentiam. nam vtrumque à Porphyrio definitur id quod dicitur de pluribus specie differentibus. Antecedens probatur ex 2. *Poster. text*. 17. & 21. *lib*. 4. *Top. cap*. 4. *loco* 81. & *lib*. 7. *cap*. 2. *loco* 31. Immò etiam videtur indicare Aristoteles magis dicere differentiam quidditatem quam genus ipsum, 7. *Met. text*. 37. *Confirmatur*. Nam ipsa etiam definitio maximè dicitur in quid; & dicitur de specie. *Quartò*, Genus vix est mediata pars quidditatis; non ergo absolutè dicitur in quid. *Nihilominùs Genus dici in quid*, nõ modo docet Porphyrius in hoc capite; sed etiam Aristoteles passim, præsertim 1. *Top. cap*. 4. & *cap. de substantia in prædicamentis*. *Ratio autem est*, quam tum Porphyrius, tum Aristotel. vnde Porphyrius mutuatus est, affert; Quæstioni factæ quid res sit, respõdemus per genus. Aliam rationem excogitauit Alb. *tract. de Genere, cap. versus fin*. dicens: Omne quod est superius, & per essentiam, definitionem, & nomen rei inest, esse quid eius, quatenus inquit (quid) significat quidditatem rei. Sed potest hæc ratio extendi etiam ad differentiam.

Notandum autem primò, Per quid, posse hæc potissimum quæri. *Primò*, Entitatem rei: Quo pacto suprà annotauimus, cum Porphyr. diceret, ad quæstionem quale quid sit coruus, respondeti nigrum; intelligi debere, qualis res sit. *Secundò*, Quæri potest aliquid pertinens ad intrinsecam rei naturam; sed quod sit tantum pars aliqua quidditatis *Tertiò*, Potest quæri tota quidditas & natura rei. Quæ quæstio videtur simpliciter & absolutè explicari per quid; & hoc pacto sumit non raiò hanc quæstionem quid res sit, Aristoteles *in lib. Poster*. potissimum autem *lib*. 2. *text*. 3. vbi ait, ipsum quod quid est, esse proprium definiti; & cum ipso conuenit, definitum autem non continet vnicam quidditatis partem, sed totam. Et *text*. 4. negat dici genus & differentiam in quid, nempè ad sensum paulò ante dictum, id est, integraliter. Quod enim dicatur genus & differentia in quid, apertè significat, cùm subdit, accipi debere in definitione omnia quæ sunt in quid, inter quæ meminit tum generis, tum differentiæ; vbi etiam conferendo adhuc partes definitionis ad ipsum quid, vt dicit totam quidditatem; potius eas esse dicit in quid, quã ipsummet quid. Et *text*. 5. docet definitionem tradi debere ex proprijs in quid, id est, ex proprio, genere & differentia. Idem colligi potest ex *text*. 17. 18. & *sequentibus*.

Notandum secundò, Ad hoc vt aliquid dicatur in quid, debet significare per modum cuiusdam substantiæ, id est, non per modum

modum alteri inhærentis, & alterum afficientis & determinantis, sed per modum per se stantis & independentis, quo fit, vt pro eodem apud Aristotelem, aliosq; Philosophos sit substantia, & essentia rei, & quod quid erat esse rei.

Notandum tertiò Loquimur hîc de prædicabilibus simplicibus & incomplexis. Quare excluditur ab hac tractatione ipsa definitio.

Notandum vltimò. Loquimur etiam de prædicatione in quid, formali & vniuoca. Propter quam causam, etiamsi ipsum Ens communissimè sumptum dicatur in quid de quolibet Ente particulari; nihilominus non habet propriè rationem Generis secundùm communiorem opinionem.

Ex his patet solutio rationum dictarum. Ad primum, Dicitur Genus forma; quia est perfectio quædam speciei; quamuis ob alias causas supra dictas appelletur interdum materia, vel dicatur sumi ex materia. *Ad secundum*, Inprimis idem argumētum valet contra definitionem speciei. Dicit enim Aristoteles *cap. de Substantia*, secundas substantias significare quale, sunt autem secundæ substantiæ non tantum genera, sed etiam species. Quare non dicit simpliciter Aristoteles prædicari secundas substantias in quale, sed significare quale, id est, significare quandam notionem Vniuersalitatis; quæ veluti qualitas quædā superuenit ipsi substantiæ, ratione cuius non significat hoc aliquid, sicut prima substantia, id est, indiuiduam & singularem substantiam. Sed de hoc iterum dicemus in *c de substantia*. *Et confirmatur*, Quia ibid. paulò ante dixerat secundas substantias dici vniuocè & in quid. *Ad tertium*, Differentia dicitur in quid, quatenus significat partem aliquam essentialem rei, quia tamen non significat secundum modum substantiæ, ideò non absolutè dicitur in quid, sed in quale quid; significat enim quandam formam, & quandam perfectionem limitantem, & determinantem genus. Quod indicat Aristoteles 7. *Top. loco citato*. Quod enim in quale dicatur differentia, docet idem 4. *Top. cap 6* 5. *Met text.* 19, & infra nos etiam docebimus. Propterea D. Tho. *in sum. Log. cap. de Genere* scribit genus dici ad modū nominis substantiui, differentiam ad modum nominis adiectiui, ideò dici hanc in quale, illud autem in quid. *Ad confirmationem*, Non loquimur, vt diximus, de prædicabilibus complexis, quale est definitio. Tamen Am. And. *in c. de Specie*, vult dici definitionem & in quid & in quale; quia constat genere quod dicitur in quid, & differentia quæ dicitur in quale. Quod esse verum sit secundùm rem ipsam; non est tamen hic loquendi modus vsitatus. Quare rectius Flaminius *in quæst. Log. cap. 13.* sentit definitionem simpliciter & perfectissimè dici in quid: *Idem enim est definitio quod species*. nam idem est quod definitum, definitum autem est species. Porrò species est quæ simpliciter subsistere dicitur, & sicut, inquit, concretum corpus habet omnem perfectionem à forma substantiali, præter hoc quod est subsistere. Quod probat Am. Philop. 1. *Phys*. imò etiam Alex. vult formam inesse materiæ in secundo modo dicendi per se. ita definitio habet omnem suam dignitatem à differentia; subsistentiam autem à genere. Ex quo sequitur tum genus si conferatur cum differentia melius dici in quid, quam ipsam differentiam. Tum etiam sequitur, optimè respōderi ad quæstionem quid res sit, per definitionem; quia definitio idem est quod species, species autem perfectissimam habet subsistendi rationem. Hinc est quod Aristoteles initio 4. *Top*. principem locum tribuit generi in definitione, & non ipsi differentiæ. Cuius tamen oppositum dicere videtur 7. *Met. text.* 37. nempè propter alias perfectiones, quas includit differentia. *Ad quartum*, Alb. *tract. de Genere, cap* 3. *sub fin*. dicit Genus significare totum ipsius speciei, non tamen perfectum esse. Quod idem est, atque id quod suprà diximus. prædicari genus de specie, sub ratione totius; & quatenus in confuso continet quicquid est in specie; atque totam quidditatem rei: Et hoc, inquit, Alb. est quod dicitur à multis; genus esse formam partis quæ non prædicatur, & formam totius quæ prædicatur, id est, genus vt pars non prædicatur, & vt sic, dicit formam quan-

dam partialem; vt autem prædicatus, habet rationem veluti formæ cuiusdam totalis, id est, totius. Eodem redit quod alij dicunt, genus esse partem, sed per modum totius. Idem docet Rod. *lib. 2. de Inuent.* vbi etiam hoc addit, genus explicitè solummodo dicere partem quæstionis quid est. *Concludendum igitur est*, Genus verè dici in quid de suis speciebus vniuocè. *Sed obijcies.* 7. *Phys. text.* 31 & 2. *Post. text.* 22. dicit Aristoteles latere in genere æquiuocationes, non ergo dicitur genus vniuocè de suis inferioribus. *Respondeo*, Sensus est, esse sub genere multas species, sed non æquales & eiusdem perfectionis, quæ tamen imperfectio non facit, quo minus dicatur ex æquo genus de illis. Exemplum est in homine & bruto, de quibus vniuocè dicitur animal, quamuis humana species sit perfectior quam bruti.

QVAESTIO VI.

Quomodo Genus contineat sub se differentias & species.

DE hac quæstione disputant Interpretes vnà cum Porphyrio *cap. de differentia*. Verum quia eadem ferè ratio est qua genus continet tum species, tum differentias, & quia species continentur sub genere, quatenus ipsas etiam differentias includunt, ideò alios etiam hac in re secutis, magis videtur opportunum hanc quæstionem hoc loco pertractare. *Prima Opinio*, Caietani *cap. de differentia*. Contineri differentias sub genere, etiam quæ sunt oppositæ actu, secundùm coniunctionem, non autem secundùm inclusionem, id est, actu differentias reperiri in natura generica, & quodammodo illi inesse. Qua ratione dicerentur albedo & nigredo esse in pariete, si simul esse possint; non enim, inquit, repugnat opposita eidem generi inesse; quãuis fortè id implicet in vno singulari, vel Indiuiduo. Non dicuntur autem contineri differentiæ secundùm inclusionem, quia non sunt de ratione generis; neque in illius quidditate includuntur. *Secunda Opinio* est Platonis, vt refert Am. Omnes differentias esse actu in genere; quæcunque tandem illæ sint. *& primum quidem probabam*, non esse oppositas differentias. nam si quæ essent, maximè istæ, mortale & immortale: at non sunt oppositæ istæ, quia immortale rationale, hoc est Deus, conseruat mortale rationale, hoc est hominẽ contraria autem non se cõseruant, sed potius interimunt. *Secundò*, Contendebant etiam oppositas differentias in eodem esse posse, quia non consideramus, dicebant illi, vt sunt in re aliqua corporea. Hanc opinionem idem Am. conatur conciliare cum opinione Aristotel. dicens Platonem locutum esse de Vniuersali quod est ante multa, id est, de Idea in mẽte diuina, quod si verum est, nihil falsi continet hæc opinio, hac enim ratione non repugnat etiam in nobis & in intellectione nostra, esse ideas rerum contrariarum. *Tertia Opinio*, Contineri differentias sub genere tantum potestate. Est Porphyrij *in cap. de differentia*, Am. Boëtij, & aliorum, & vt Alb. est communis omnium Peripateticorum. *Modus tamen explicandi non est idem.* Nam aliqui dicunt, differentias esse sub genere potentia; ita vt nihil planè differentiarum concipiatur esse sub genere, sed ipsum dicatur habere se ad illas; sicut materia ad formas, cui (vt suprà) simile esse dicitur genus. Alij autem dicũt esse differentias sub genere potestate, & in actu confuso, id est, secundùm entitatem materialem; non autem formalem secundùm proprias rationes, & vt differentiæ sunt inuicem distinctæ.

Notandum primò. Hæc sunt inter se distincta, vt Alb. notat: Contineri sub aliquo in actu distincto, in actu confuso, potestate, vel potentia. *Primum*, quod ad rem præsentem facit, est cùm aliquid in alio est tanquam quid pertinens ad ipsius quidditatem, vt in animali actu distincta est natura sensitiua. *Secundum est*, cùm aliqua sunt sub aliquo materialiter tantum, & nõ secundùm proprias & distinctas rationes, qua ratione volunt nonnulli etiam esse in mixto, vel etiam partes quantitatiuas in continuo; quia non sunt in continuo, quatenus distinctæ partes sunt. *Tertium est* idẽ ferè cùm præcedente; nisi quod videtur dicere solam potestatem, non autem actum.

Pro-

Pro eodem tamen sumuntur. Quartum est, cùm res aliqua nullo modo continetur sub alia, sed illa alia habet quandam aptitudinem & potentiam ad illam recipiendam. Hac ratione aër tenebrosus dicitur potentia lucidus; & materia habet potentiam ad formas.

Notandum secundò. Cum aliquid aliqua continet solum in potentia, non potest respectu illorum propriè totum appellari; nemo enim dixerit materiam primam esse totum respectu formarum, vel aërem respectu lucis.

Notandum tertiò. Totum quod (vt diximus) *debet aliquo modo suas partes cōtinere, est potissimum triplex.* Per accidens & per se. *Per accidens est*, cum partes retinent suam propriam distinctionem, & suam formalem rationem, atque tantum concurrunt ad vnum efficiendum aggregatiōne quadam; quo modo aceruus lapidum dicitur totum quiddam, & populus. *Totum per se est*, cùm partes sunt inter se vnitæ; *quod iterum fieri potest, vel per determinationem* quandam & informationem realem vnius respectu alterius, realem, inquam, physicam, qualis est compositio materiæ & formæ, vel *fit per gradus Metaphys.* qualis est vnio & totū dicens vnitatem formalem in re, quæ constat ex gradu generico formali fundamētaliter, & ex gradu formali qui est differentia etiam fundamentaliter. *Vel tertiò fit hæc vnio ratione* cuiusdam termini connectentis partes inter se, cuiusmodi est totum quantitatiuum & integrū. Vel vltimò fit hæc vnio solùmodo per Intellectum quatenus nempè considerantur, vt conueniunt sub aliqua vna natura, *& tale est totum vniuersale. Vnde fit Genus esse totum*, quatenus considerantur hæc & illa natura specifica; vt est sub alia superiore. Idem est de Indiuiduis respectu specierum.

Notandum quartò. Natura Generica potest tripliciter cōsiderari. *Primò*, Cum præcisione ab inferioribus, seu ratione solius quidditatis quā dicit. *Secundò*, Vt est quid perfectibile, id est, vt dicit gradum aliquē, qui est imperfectus, si conferatur cum gradu differentiæ. *Tertiò*, Quatenus genus ipsum in confuso respicit tum differentias, tum species. *Primo & secundo modo*, est tantum pars. *Tertio autem*, est totum, & vt sic non tam est contrahibile, & determinabile, quam separabile per differentias; sicut respectu eiusdem hoc modo considerati, differentiæ non habent rationem contrahentis, sed separantis species, quæ sunt in confuso sub genere. Qua etiam ratione partes quæ in continuo esse dicuntur, habent respectu illius rationem non determinantis & contrahentis, sed separantis, & hoc modo loquimur hic de genere.

Notandum quintò. De modo continendi Generis, seu continentia generis etiā potentiali, diuersè loquuntur Autores. Nam aliqui volunt Genus respectu differentiarum se habere vt continens in genere causæ formalis, vt Auer. 5. *Met. text.* 15. & Alb. Etsi Auer. vt suprà ostendimus, sæpè faciat genus simile materiæ. Alij autem volunt habere rationem continentis in genere causæ materialis.

Prima Propositio. Genus non continet differentias actu distincto; multo autem minus oppositas. *Prima pars patet ex 1, notabili.* Quia contineri actu distincto sub aliquo, est esse de ratione illius, huiusmodi autem non sunt differentiæ respectu generis. *Secundò*, Si actu differentiæ continerentur, falsum esset quod differentijs tribuitur, nempè, vt genus contrahant; & vt per differentiam superetur genus à specie, tunc enim potius genus superaret speciē; quia non modo vnam, sed plures differentias actu contineret: nec potest idem esse simul contrahens & contractum. *Secunda pars probatur ijsdem rationibus, & prætereà*, Quia non possunt opposita in eodem esse, quæ est ratio apud Porphyrium *cap. de differentia*, & vt Auic. *part. Log. cap.* 1. Differentiæ oppositæ non tantum sunt oppositæ contrariè, sed etiam negatiuè, quia vna dicit negationem & exclusionem alterius formaliter loquendo. *Confirmatur* ex Aristotele 4. *Top. cap.* 2. *loco* 14. 7. *Met. text.* 42. *lib.* 10. *text.* 24. Nec valet Caietani distinctio de Inclusione & coniunctione. Nemini enim dubium esse poterat, non esse differentias in genere ratione inclusionis,

Q 2 id est,

id est, non esse de quidditatiua ratione generis, sed tantum de coniunctione, quod videlicet actu distincto essent sub genere. *Et confirmatur*, Nam Genus fit per abstractionem à speciebus, ratione eius in quo conueniunt species, & non ratione eius in quo differunt, non ergo sunt differentiæ actu distincto sub genere.

Secunda Propositio. Si per esse in potentia sub aliquo intelligatur id quod dictum est in primo notabili, non sunt differentiæ tantum in potentia sub genere. *Ratio est*. Quia aliquo modo sunt sub genere, quod autem in potentia est, nullo modo est sub illo vt sic. *Confirmatur*, Quod habetur in potentia ab aliquo, potest & haberi & non haberi, sed non possunt non esse sub genere differentiæ. *Confirmatur*, Alioquin etiam materia diceretur totum quoddam. Imò verò gradus genericus præcisè sumptus hoc modo contineret differentias; nam est perfectibilis per gradum differentiæ.

Tertia Propositio. Continet genus differentias & species potestate, seu in actu cōfuso, id est, secundùm entitatem materialem, non autem quatenus concipiuntur, vt formaliter distincta. Nam leo, homo, &c. cōtinentur sub animali, quatenus animalia sunt; non quatenus sunt hoc specie animal, id est, ratione differentiarum propriarum. *Simile potest esse in partibus quantitatiuis*; quæ in continuo cōtinentur secundùm vulgarem opinionem, non vt distinctæ partes, sed ratione suæ entitatis, id est, quatenus sunt qualitas quædam. *Confirmatur* ex Aristotele *tum locis citatis, tum 1. Phys. text*. 4. vbi vocat Genus totum, *& lib. 4. text* 23. homo, inquit, est in animali, & omnes species in genere. *Et lib 7. text*. 31. *& 2. Post text*. 22. latent, inquit, in genere æquiuocationes, id est, secundùm omnium interpretationem, differentiæ & species. Et text. 18. vocat Genus ipsum compositum ex speciebus. *Confirmatur idem Autoritate* D. Thomæ *de Ente & Essentia, cap. 3. & 1. 2. quæst. 67. art. 5.* Auet. 1. *Met text. 17.* vbi vocat genus totum quoddam. *Probatur etiam ex dictis in quæst. 3. Tandem confirmatur*: Quia totum dicit relationem ad partes, ergo aliquo modo eas continere debet non actu diminuto, vt probatum est, nec solum potentia, quia hoc non est continere, nec est esse totum. Superest ergo, vt potestate contineat Genus in se differentias; nam species ipsas tanquam propria inferiora, sub se continet actu, si actu sunt, hoc ipsum autem nihil est aliud, quam differentias in genere contineri potestate. *Obijcies*, Si Genus est totum, ergo debet definiri per species & differentias, at hoc experimur esse falsum, rectè enim & sufficienter definitur animal, substantia animata sentiens, nulla facta mentione hominis, vel bruti, rationalis, vel irrationalis. *Respondeo*, Potest Genus dupliciter considerari, vel secundùm naturam præcisam, & sic per se definitur sine speciebus & differentijs, vel vt est totum quoddam modo dicto, & sic si formaliter definiatur, debebunt in definitione poni species, aut etiā differentiæ, vnde dicemus, animal est natura sentiens, sub qua sunt homo, leo, &c. rationale, & irrationale, &c. Sic etiam lignum potest dupliciter cōsiderari, vel vt est hæc natura, vel vt est totum quoddam constans partibus quātitatiuis, primo modo definitur sine partibus, non autem secundo modo. *Obijcies secundò* Quod est tale aliquid potestate, debet in actum reduci; nihil autem videtur esse per quod Genus in actum reduci possit, non est ergo Genus aliquid potestate. *Respondet* Scotus *cap. de differentia*. Potestatem in Genere non dicere ordinem ad actum, sed solam indeterminationem, ita vt esse potestate sit esse indeterminatum, hoc autem modo non intelligi propositionem illam vulgatam. *Dici etiam potest*, tum hanc propositionem intelligi de potestate physica. Quare sicut Genus tantum est in potestate secundum Intellectum, ita etiam reductio potestatis in actum, fit opera Intellectus: tum etiam fieri hanc reductionem realiter, & fundamentaliter in singularibus diuersarum specierum, in quibus gradus particularis differentiæ in actum quodammodo reducit potestatem, in gradu communi generico.

Quarta Propositio. Genus si conferatur

cum

eum speciebus, habet rationem totius cōtinentis formalis, seu in Genere causæ formalis. Hoc suprà indicabat Alb. & Auer. & probatur ex 2. *Phys. text.* 28. vbi partes definitionis reuocantur ab Aristotele ad causam formalem. Docet id etiā D. Tho. 1. 2. *quæst.* 18. *art.* 7. *ad* 2. vbi vocat Genus formalius specie, nempè quia est magis Vniuersale.

Quinta Propositio. Genus respectu differentiarum, se habet vt totum continens in genere causæ materialis. *Et præterea* Quia Genus respectu differentiarum se habet vt quid diuisibile & separabile, quod est proprium rei materialis. Vnde 7 *Met. text.* 43. docet Aristoteles separari Genus per differentias. Et D. Thom. ib d. & 1. 2. *loco citato*, & 2. *contra gentiles*, *cap.* 95. Hinc patet, quid sit dicendum de recitatis sententijs. *Prima enim omninò falsa est. Secunda etiam*, nisi intellig secundùm Ammon. interpretationem, defendi nequit. & falsum est illius fundamentum; tum quod differentiæ non sint oppositæ, tum etiam quod si oppositæ sint, esse possunt in eodem, sed incorporeo, eadem enim est implicantia, tam in corporeo, & materiali, quam incorporeo & spirituali, saltem secundùm potentiam ordinariam, & conditionem naturalem rerum. an enim de potentia Dei absoluta possint contraria eidem simul inesse, alterius est loci. Nihil etiam valet exemplum quo vtuntur de rationali, immortali, id est, Deo, conseruante rationale mortale, id est, hominem.

QVÆSTO VII.
Quomodo Genus prædicetur de Differentijs?

HÆc quæstio est consectarium quodam præcedentis, sequi enim videtur, non prædicari per se Genus de differentijs, quia cum illis confertur in ratione causæ materialis; quod etiam paulò post pluribus. Nihilominus Iand. 3. *Met. quæst.* 11. affirmat prædicari per se Genus de differētijs. Eandem opinionem tribuit Zim. in tab. verbo, differentia, Themist. 1. *Post. cap.* 12. *Et probatur primò.* Si non prædicatur Genus per se de differentijs, ergo per accidens. aut igitur tanquam accidens de subiecto, aut tanquam accidens de accidente, vt si dicamus, homo est albus, & rubrū est dulce, sed neutro modo prædicatur genus de differentia, ergo per se. *Secundò*, Prędicatur Genus per se de specie, species per se de differentia, vt rationale est animal, ergo prædicatur genus per se de differentia. Verum vt diximus, non prædicari per se de differentijs, sequitur ex dictis præcedenti quæstione, & est communis omnium sententia, præsertim Alex. 6. *Top. cap.* 11. 3. *Met. text* 10. Magni Syriani ibidem, Auic. loco citato, Alb. *c. de differentia*, Scoti, & D. Thomæ loco citato. Idem habetur apud Aristotelem 3. *Met. text.* 10. vbi ex eo probat ens non esse Genus, quia caret differentijs; Genus autem non dicitur de differentijs, ideò enim, inquit, caret differentijs, quia quid ditatiuè dicitur Ens de omni re. Et *lib.* 11. *cap.* 1. differentia, inquit, nulla genere participat Et 4. *Top. cap.* 2. dicit, Genus solùmodo participare hac specie & Indiuiduis. Et *lib.* 6. *cap.* 11. *Probatur præterea ratione. Primò*, ex Alex. Genus est vt quid compositum, & per modum substantiæ; Differentia se habet per modum simplicis qualitatis, at non prædicatur compositum de simplici. Videtur tamen Alex. velle summum Genus dici de differentijs per se; sed omnium est eadem ratio. *Secundò*, ex Scoto. Sequeretur conceptum differentiæ non esse simpliciter simplicem, sed esset composita differentia ex conceptu generis & sno, & sic daretur progressus in infinitum. Quæri etiam posset de conceptu illo præciso differentiæ, an dicatur Genus; & sic dicitur, rursum erit composita conceptio illa differentiæ ex duobus cōceptibus, *Tertiò*, Ex D. Tho. Si dicitur Genus per se de differentia, aut in primo modo dicendi per se, aut in secundo, non enim potest dici vt patet, in tertio, vel quarto. Non enim primo, quod est; cum definitio, aut aliquid quidditatiuum de alio dicitur, nam non est Genus de definitione differentiæ; alioquin definiretur differentia; & consequenter aliam haberet differentiam, quia omne quod definitur, genere constat & differentia. neque

in secundo modo dicendi per se, quod est, cùm subiectum ponitur in definitione prædicati, quomodo passio dicitur per se de subiecto, quia in passionis definitione ponitur ipsum subiectum. Nō inquā hoc secundo modo dicitur, quia differentia nō ponitur in definitione Generis. Imò secūdùm Aristotelem locis citatis, & secundùm commune Philosophorum dictum, accidunt differentiæ Generi. *Quartò*, Ex Alb. 3. *Met. text.* 10. Contrahens est extra rationem contrahibilis, & vice versa, sed hoc modo se habent genus & differentia, ergo. *Quintò*, Ex eodem tract. vlt. prædicabil. Si animal, verbi gratia, diceretur per se de rationali, idem esset dicere; homo est animal rationale, & est animal, quod est animal habens rationem, quæ est mera nugatio. *Confirmatur*, Quia nō posset prædicari Genus de vlla specie, si enim ponatur includere genus quidditatiuè differentias ipsas, cùm prædicatur de vna specie; de illa prædicaret etiam alias differentias. *Sextò*, Ex Magno Syriano. Genus definitur quod dicitur de pluribus specie differentibus, ergo non dicitur de differentijs, vel certè differentiæ sunt species. *Vltimò* ex Auic. Quamuis Genus & differentia dicant totam speciem in confuso, tamen genus dicitur per modum materiæ, differentia per modū formæ, sed non prædicatur materiale de formali, ergo non prædicatur de differentia genus. *Alias rationes omitto*. Has tamen potissimum dixi, quod comprobent assertionem nostram, de qua quæstione præcedente, non contineri scilicet actu distincto differentias sub genere. *Ad argumenta. Ad primum*, Dicitur Accidens non modo id quod est quintum prædicabile, & distinguitur à substantia, sed id etiam omne quod est extra alterius rationem, quo pacto nihil prohibet dicere genus prædicari de differentijs per accidens, imò vt diximus, secundùm Aristotelem accidunt differentiæ generibus. *Ad secundum*, Falsum est prædicari per se speciem de differētia. Est enim indirecta prædicatio, rationale est homo Vbi nota, nos semper loqui de differentia & genere secundùm gradus præcisos; non autem denominatiuè & in concreto. *Ex dictis sequitur*, Genus esse quoddam Vniuersale quod dicitur de multis differentibus specie in quid, & quidem de specie dicitur, vt habet rationem totius, non autem vt tantum est pars, dicens explicitè quidditatiuam partem speciei, quam cōponit vna cum altera parte, nempè cū gradu differentiæ, quā differentiam & species in se non continet actu, sed potentia tantum. Vnde non propriè dicitur de differentijs. In quid autem dicitur, tanquam pars quidditatiua; & ad quæstionem factam quid res sit. Denique non propriè dicitur definiri; & in illius descriptione locum habet communioris prædicati de multis.

IN CAPVT DE *Specie*.

IN procemio Porphyrij secundo loco post Genus in enumerandis prædicabilis formis, posuit differētiam, nempè quia cum differentia vnà cum Genere est pars speciei; ac propterea prior est natura quam species; vnde meritò quæri possit, cur hanc eandem methodum inter disputandum de singulis non obseruauerit. Huius rationem reddit Ammonius, Boetius, & Albert. Quia genus & species sunt correlatiua, quæ ita comparata sunt, vt vnum sine alio intelligi nequeat. Quam causam indicat Porphyrius hoc loco. Auic. ideò hoc factum putat, quia genus est quid magis intrinsecum speciei quam differentiæ, vt enim probatum est, non prædicatur per se genus de differentijs, sed de speciebus. Potest & hæc causa afferri. Quia perfectiorem prædicabilis, seu vniuersalis rationem habet species quam differentia. Denique; quia proximè species sub genere in prædicamento collocatur, refertur autem potissimum hic libet ad prædicamentorū cognitionem. Alias rationes vide apud Alb. *Cæterum diuiditur hoc Caput tres in partes. In prima*, ponit Porphyrius speciei acceptiones, eiusque quæ ad rem præsentem facit definitionem. *In secunda*, explicat seriem prædicamentalem; vt melius intelligatur, quænam

quænam de specie prædicentur. *In tertia*, nonnihil differit de Indiuiduo.

PRIMA PARS.

MEmor Porph. rerum quæ *cap. de genere* dixerat, non eodem modo & simpliciter dici genus & speciē, statim in initio speciei acceptiones profert. *Duarum autem potissimum meminit. Prima est*, vt species significet formam. *Secunda*, vt significet id quod subest generi. Nec mirum, inquit, est, si hoc modo species à nobis explicetur. hæc est rerum quæ sunt ad aliquid natura, vt vnum ad alterius explicationē assumatur. Tribus ergo modis hoc modo sumpta species dicitur. *Primò*, Species dicitur ea quæ subest generi, vt homo respectu animalis. *Secundò*, De qua genus dicitur in quid. *Tertiò*, Vt ipsa dicatur de pluribus numero differentibus in quid. Hæc vltima assignatio, inquit Porphyrius, conuenit soli speciei specialissimæ, quæ ita est species, vt non item sit genus. Duæ priores conueniunt etiam speciei non specialissimæ.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

FOrma. *Id est forma extrinseca*, non autem essentialis & intrinseca: quomodo anima dicitur forma viuentis. quia, inquit Boetius, alterius negotij est, de forma sub hac significatione disputare. Forma inquam extrinseca, quæ significat pulchritudinem, id est, vt D. Aug. aptam membrorum compositionē cum quadam suauitate coloris. Vnde illud: Fastus inest pulchris, sequiturq; superbia formā, Lis est cum forma, magna pudicitiæ. *Significat etiam species* rem ipsam visam, quia obiectum visus est color. Vnde 2. Æneid. *Non tulit hanc speciem, furiata mente Coræm. Prima quidam species*] Albertus & alij legunt, Priami quidem species. Alij autem, vt Boetius in comment. primum quidem species. Et quidem lectionem illam, Priami quidem, elicit ex Euripide in Phœnissis, And. Tiraquellus, & ex Stobæo serm. 63. Certè apud Porph. græcè habetur, πρότερ. quæ dictio potest coniungi, vel cum εἶδος, quæ significat speciem; & est neutrius generis: vt sensus sit, prima quidem species. vel certè potest sumi aduerbialiter, vt significet primū seu inprimis, præsertim &c. *quæ mihi sententia magis probatur*. Vix enim potest elici notus sensus: prima quidem species digna est imperio. Legimus autem apud Hom. præcipuos quosque Græciæ principes formæ potissimum & pulchritudinis nomine commendari, vt Achillem, Vlyssem, Menelaum, quos ille appellat formæ cuiusdam diuinæ, ac Deo similes. Idem facit Virg. de Ænea, Euryalo & Iulo. Nam quod elegans corporis constitutio, non sit in infimis bonis numeranda, testatur Aristoteles 1. Eth. dicens Non omnino infelicem esse, qui specie turpissimus sit. Solet etiam esse signum probitatis, & bonæ indolis, vt testatur idem Aristoteles 2. *de anima*, & 1. *Rhet. & physiog.* Gal. *lib.* quod mores animi sequantur corporis temperamentum. Et quamuis cætera paria sint, affert tamen plurimum ornamenti pulchritudo vt sit, quemadmodum inquit ille, *Gratior è pulchro veniens de corpore virtus. Sub assignato genere.*] Id est, sub definito à nobis genere, & intellige, est species sub genere immediatè, sunt enim & Indiuidua sub genere, verum mediante specie. Longam instituunt quæstionem Caiet. Alb. & Doctores Louanienses, Albertus interpretatur sub assignato genere, id est, sub certo & determinato genere. Tamen quicquid sit de re ipsa, non videtur hunc sensum pati dictio græca ὑπὸ [illegible], id est, sub dato genere. Denique dicitur species sub genere, vt notant Albert. & Dan. Barb. non tantum ordine, sed etiam participatione, quia species, tanquam proprium generis inferius, totam ipsius naturam participat. *Triangulum verò figura speciem.*] Am. reprehendit eos, qui hoc dictum volunt exempli tantum loco, non quod ita reuera sit. nam triangulum, inquiunt, est prius quadrangulo, ergo non potest figura esse trianguli genus, quia genus non prius de vna quam de altera specie dicitur. *Probatur Antecedens*, Quia triangulum tribus tantum lineis continetur, & interiecta diametro ex quadrangulo constituuntur duo triangula; signum est

ergo

ergo esse quadrangulum veluti compositum ex duobus triangulis, ac proinde prius est triangulum quam quadrangulum. Sed meritò dixi, Am. hoc reprehendit. Est enim impertinens, siue vna species altera sit prior, quo ad entitatem materialem, siue non, vt patet in numeris; binarius enim ternarius, &c. habet species numeri, quorum tamen vnus prior est altero entitatiuè loquendo. Satis igitur est, quod quæ dicuntur alicuius esse species, illius ex æquo quidditatem participent, cuiusmodi est triangulum & quadrangulum, si cum figura comparentur. Adde quod Eucl. 46. *theor.* ostendit describere quadrangulum sine triangulo. Quod verò attinet ad Aristotelem, interdum negare videtur trianguli genus esse figuram, vt 2. *de anima*, in definitione animæ, & 2 *de cælo, cap.* 4. Concedit autem c. *de quantitate in prædicament.* quæ loca conciliari possunt ad modum dictum *Specialissima & quæ solum species*) Id est, quæ maximè est species, vt inquit Albert. quia significat species specialissima maximam respectu generis, vt ita dicam, pulchritudinem, de qua re mox dicemus.

NOTANDA CIRCA
Primam partem.

Notandum primò Dicitur species philosophica a specie quæ vulgò pulchritudinem significat, quasi à speciendo, obsoleto & antiquo verbo, quod pulchrum facere significat, quia species philosophica, seu Logica dicit quandam perfectionem & pulchritudinem respectu generis, sicut enim Aristoteles 1. *Phys.* materiam appellat turpe, & formam pulchrum; ita genus quod à materia sumi dicitur, turpe appellari potest, differentia autem quæ similis formæ est, pulchrū; multo ergo magis species, quæ genus superare dicitur per differentiam. Ideò Porphyrius duplici hac contentus acceptione fuit, quod satis esset prior illa ad explicandam speciei philosophicæ notionem, atque eandem ob causam, vt notat Albert. nihil de specie grammatica, neque etiam de specie quæ cognitioni seruit, quam vocant Philosophi vel sensibilem, vel intelligibilem.

Notandum secundò. Tres videntur à Porphyrio speciei definitiones tradi, vt obseruat Boët. & Am. satisque indicat ipse Porphyrius, dum ait, vltimam assignationem speciei, soli conuenire specialissimæ, priores autem etiam non specialissimæ. Hoc tamen negat Auic. vtrúque ex duobus prioribus vnam coalescere, quod sine vllo incommodo dici posset. Vnde Am. duas quidem priores illas distinctas facit, sed nihilominus æquiualentes & easdem subiecto esse dicit, quod idem quoque subindicat Boëtius.

Notandum tertiò. Genus & species sunt correlatiua, non secundùm gradus naturales quos dicunt, sic enim prius est Genus specie, sed quatenus formaliter habēt notiones generis & speciei; quo pacto pater est prior filio vt homo, & vt causa illius, non tamen formaliter vt pater, prior dici potest filio, vt filius est, sed de hac re *in cap. de Ad Aliquid.* Sicut etiam & de hoc quod docet Porphyrius vnum relatiuorum assumi ad alterius definitionem, quod interim intelligendum est, vt rectè Alb. docet *tract. de relat. cap* 9. vt vnum definiatur ad alterum, non autem per alterum, id est, vt definiatur vnum per ordinem ad aliud.

SECVNDA PARS.

Vt ponat Porphyrius discrimen inter speciem specialissimam, & interiectā, vtque ostendat, quænam de specie prædicentur, est enim species subiicibile quoddam respectu generis, ponit prædicamentorum lineam, seu coordinat. Dicit igitur in vnoquoque genere esse summum genus, quod appellatur generalissimum, & speciem infimam, & interiectas species. *Summum genus est*, quod non habet supra se aliud genus, & non est species. *Species infima est*, quæ tantum est species, & habet ante se Indiuidua, de quibus propinquè dicitur, vt substantia est genus summum, corpus, interiectum leo, species infima. *Vnde sequitur habere genus summum* vnicam habitudinem, item & speciem. *Interiectam verò duplicem*, vnam ad genus superius; alteram

teram ad sibi subiectas species. Quod explicat Porphyrius facili exemplo petito ex familijs, in quibus fit quædam reductio ad illarum caput; quod quodammodo dici tantum potest pater, & in ijsdem is in quem terminatur familiæ origo, dici potest solummodo filius; qui autem interponuntur, dici possunt tum superiorum filij, tum posteriorum patres. Quo pacto secũdùm veritatem ad Adamum, tanquam ad omnium primũ parentem, cuiusuis humanæ familiæ trahitur origo. Impropriè autem loquitur Martianus Capella, dum ad traditam definitionem Generis, subdit exemplum hominis respectu barbarorum, & politioris cultus. Est autem, inquit, Porphyrius dissimilitudo, nam non potest dici esse vnum aliquod supremum genus ad omnes res, quod probat Autoritate Aristotelis; & ratione. Quia si quod esset, ens potissimum esset, verum non potest dici Ens esse genus; quia non prædicatur vniuocè de omnibus rebus. *Hinc refert*, esse ro, summa rerum omnium genera, quæ prædicamenta vocantur, species esse quidem plures, quarum tamen nos lateat numerus; Indiuidua verò esse infinita, de quibus ideò, Autore Plat. non potest esse scientia. *Secundò Infert*, Duplicem esse procedendi modum in generibus & speciebus. Alterum descendendo à supremo genere ad infimam speciem; Alterum ab infima specie ad supremũ genus ascendẽdo. *Secundò Infert*, Quæ de aliquo prædicantur esse debere aut superiora & maiora de inferioribus & minoribus, aut æqua de æquis & paribus, non autem inferiora de superioribus.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

IN vnoquoque prædicamento sunt quædam generalissima; Collectiuè id intelligendum est, vt in singulis prædicamentis sita sint singula summa genera, nõ autem quod in quolibet prædicamento plura sint generalissima. *vbi etiam obseruandũ est cum* Burleo, nomen superlatiuum duobus modis accipi posse, aut positiuè, aut negatiuè. *Positiuè accipitur*, cum significatur præter vnum aliquod nihil esse quod pertingat ad summitatem talis gradus, vt si dicamus, Deus est Opt. Max. id est, nullus ad Dei bonitatem peruenire potest, cuius etiam respectu dicitur, neminem præter Deum esse bonum. Negatiuè significat aliquid habere talem gradum, vt à nemine alio superetur; etsi plura esse possint eiusdem quantitatis seu perfectionis, vt si dicatur aliquid esse maximè calidum, possunt enim plura esse etiam summè calida. Hoc modo dicitur in quolibet prædicamento esse genus generalissimum, cũ tamen omnia decem habeãt genera generalissima, & nullum est ex prædicamentis, quod ratione maximè istius alterum superet. *Substantia quidem est & ipsa genus*, Auer. putat hoc dictum à Porphyr. exempli tantum loco. Siquidem, vt suo loco videbimus, sentit hic autor supremi in prædicamento substantiæ generis locum habere non sub stantiam; sed corpus corruptibile, negat enim tum cœlos tum intelligentias reponi in Categoria. *Animatum corpus*] id est, vno verbo viuens. Sic enim solemus quæ vno nomine carent, per plura aut eiusdem definitionem circumloqui. *Sub animali rationali, sub quo homo.*] Creditur Porphyr. esse locutus secundùm Stoicos & Platon. quorum sententia fuit, cœlos esse animatos, & intelligentias deosque ipsos esse animalia ratione prædita. De qua re Apuleius *lib.* de Deo, Socrates & Calcidius in Timæum Platonis. Ideòq; volebant genus proximum hominis non esse animal, sed animal rationale; sub quo etiam & alia ponerentur, sed immortalia. *Hoc album*] Vel est exemplum Indiuidui accidentalis, aut vt alijs placet, Indiuidui substantialis; ita tamen, vt sumatur materialiter pro subiecto. *Iubebat Plato*] Locus est in Philebo, & dial. de Ente, & sub fin. Phædri. *Quemadmodum dicit Aristoteles*, videlicet 4. 7. & 12. *Met.*

NOTANDA CIRCA *hanc partem.*

NOtandum primò, Colligitur ex hoc loco distinctio Generis in generalissimum, vel summum, & medium. Cuius di-

ſtinctionis meminit non rarò Ariſtoteles, præſertim in 2. *Poſt. text.* 3. 3*Met. text.* 11. *lib.* 7. *text.* 43. 2. *Phyſ. tex.* 28. omnibus his in locis ſecundùm Auer. interpretatur. Quãquam generaliſſimum & interiectum etiam, vno nomine appellet ſæpè genus remotum. Addere poſſumus & nos genus ꝙ dicatur eſſe infimum, id eſt, quod ſicut ſpecies infima dicitur à Porph. quæ tantū ſpecies dicitur, & propinquè prædicatur de Indiuiduis ſub ſe poſitis. Quod genus hancque illius appellationem indicat Ariſtoteles, appellans genus propinquum & primum, quod videlicet in definitione eſſentiali & completa ponitur.

Notandum ſecundò. Dicit Porphyrius ſpeciem infimam vnicam habere habitudinem: quod tamen videtur & rationi & ipſimet Porph. repugnare, nam ſpecies infima, ſine dubio, vt ipſemet Porphyr. fatetur, reſpectum dicit ad genus, & alterum ad ſua inferiora. *Ergo duplex eſt habitudo*; ſed de hac re paulò infra in diſputatione dicemus.

Notandum tertiò Euidens teſtimonium ex Porph. & Ariſtotele, vt eum ipſe Porphyr. interpretatur, contra Scotum colligitur, qui vult Ens eſſe genus ad decem prædicamenta, ſeu ad ſubſtantiam & accidens, quod idem eſt. *Dicit enim* Porphyr. *id nullo modo aſſeri poſſe*, quoniam non prædicatur Ens vniuoce de his: Generis autem prædicatio de ſpeciebus eſſe debet vniuocaı, vt Ariſt. 4. *Top. cap* 3. Quibus autem in locis id affirmet Ariſtoteles, iam indicauimus.

Notandum quartò. Colligitur etiam ex Autoritate Plat. *non poſſe eſſe de Indiuiduis ſcientiam. Ratio autem eſt*, quia infinita ſunt, quod ita accipi debet: *non quod actu ſint infinita*, niſi fortè ſecundum falſam illam Philoſophorum opinionem, de mundi æternitate, in qua ſentẽtia non videtur fuiſſe Plato, ſed quia ſunt ex ſe determinata, id eſt, non tot quin plura eſſe poſſint. Et propter alia de ijs non poteſt eſſe ſcientia; quibus in præſentia ſuperſedendum eſt.

Notandum quintò. Colligitur ex hoc eodem loco duplex procedendi ratio, maximè vtilis ad ſcientias, inprimis autem ad definitiones inueſtigandas, Per collectionem ſeu compoſitionem, & per Diuiſionem. Quæ vtraq; maximè fuit familiaris Platoni locis citatis, nec non Ariſtoteli probatur 2. *Poſt.* de qua diximus in Compendio, & ſuo fortaſſe loco tract. de definitione dicemus.

Notandum ſextò. Dicit Porphyrius genus eſſe magis collectiuum quam ſpeciẽ, *quod dubitatione non caret.* Nam id eſt magis collectiuum quod eſt magis vnitiuum & vnum, magis autem vnum quod eſt ſpecies quam genus, ergo. Hanc difficultatem infra in diſputatione explicabimus.

Notandum ſeptimò. Dicit Porphyrius participatione vnius ſpeciei plures homines eſſe vnum hominem. Ex qua ſentẽtia colligi poteſt, quod de vnitate vniuerſalis tum fundamentaliter tum formaliter ſupra diximus.

Notandum octauò. Dicit Porphyrius ſẽper in plures ſpecies diuiſionem generis fieri. Ex quo loco videtur concludi contra id quod ſupra docuimus, poſſe genus in vnica ſpecie conſeruari. *Sed occurrendum eſt*, Dicere tantum genus diuidi in plures, non autem dicit illas plures actu eſſe, vel potentia. *Vbi etiam notandum eſt*, ſi loquamur de vniuerſali ſeu de genere & alijs vniuerſalibus, ratione ſolius eſſentiæ, ne vnum quidem ſingulare actu exiſtens requiri; quia veræ ſunt propoſitiones quæ dicuntur à Philoſophis ſempiternæ veritatis, nimirum ratione eſſentiæ, *nam ab æterno ſemper verum fuit*, homo eſt animal rationale, & homo dici poteſt de Indiuiduis, tamen ratione exiſtentiæ dictum fuit ſuprà, requiri tantum vnum ſingulare actu.

Notandum nonò. Quod dicit Porphyrius prædicationem eſſe vnius de altero, aut eſſe maioris de minore, aut paris de pari: *non videtur eſſe verum, quia etiam accidens prædicatur* de ſubiecto; quod tamen neq; propriè eſt ſuperius ſubiecto, nec etiam cum eo conuertitur; ſic etiam prædicatur de numero quod ſit par; quæ tamen prædicatio eſt alicuius inferioris de ſuperiori. *Reſpondent aliqui*, Hanc Porphyr. regulam eſſe

esse intelligendam de prædicatione per se in primo dicendi modo per se. *Rectius alij ex professo loqui tantum* Porphyr. *de prædicatione directa*, qua vna res eiusdem prædicamenti de alia sub se recta dispositione, seu ductu categorico constituta prædicatur; Vndè hanc Porphyr. regulam posuit, vbi de hac Categoriæ serie sermonem fecit. Quo referri potest, quod docet Aristoteles 1. *Post. text.* 25. rem vnius generis de re alterius generis prædicari non posse. Hinc etiam reijcitur prædicatio quæ appellatur Identica, id est, eiusdem de se ipso.

Notandum vltimò. Quod dicit Porphyrius de ijsdem prædicari genus, de quibus & species: desumptum videri ex Aristot. *cap.* 4. *antepredicam.* Et in hac regula fundatur dictum illud cômune; Dici de omni, & Dici de nullo, de quo Arist. 1. *Prior.*

TERTIA PARS CAPITIS.

IN hac vlt. parte agit Porph. de Indiuiduo. Et quãuis connexa sint quæ hîc dicuntur cum parte præcedenti, quia tamen diuersam continent materiam, perspicuitatis causa distinguenda nobis hæc pars fuit. *Primò*, Dicit igitur Porphyrius Indiuiduum esse quod de vno tantum prædicatur. *Item*, Indiuiduum esse id, quod tot & tales habet affectiones & accidentia, quæ in nullam aliam rem simul conuenire possunt. *Secundò*, Dicit esse Indiuiduum, aut singulare, vt Socrates, aut Demonstratiuum, vt hic homo, aut ex suppositione, vt Sophronisci filius, id est, Socrates, si alius Sophronisco filius non fuit. *Tertiò*, Dicit Porphyrius Indiuiduum se habere vt partem Generis & Speciei.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

NIhil aliud circa verba obseruandum occurrit, tantum quod Indiuidui exemplum tradens, ponit hoc album, quod vt suprà monuimus, vel significat Indiuiduum accidentis, vel certè Indiuiduum substantiæ, sumendo materialiter pro subiecto ipso albo.

NOTANDA CIRCA *hanc partem.*

NOtandum primò. Duæ Indiuidui definitiones ex Porphyrio colliguntur. *Prima*, Quod Indiuiduũ de vno solo prædicetur, prædicatione scilicet indirecta, & identica. Quomodo autem ratio Indiuiduationis de multis prædicari possit denominatiuè, suprà diximus. *Secunda est*, Quod in Indiuiduo sint talia accidentia; quæ omnia simul alteri inesse nequeant: Quæ omnia memoriæ causa hoc versu comprehenduntur.

Forma, figura, locus, tempus cũ nomine, sanguis, Patria, sunt septẽ, quæ nõ habet vnus & alter.

Est autem notandum duplex esse Indiuiduum, *Substantiale*, & *Accidentale*. Vtrique vtraque conuenit definitio, posterior tamen magis conuenit substantiali; quia ipsa est quæ recipit in se accidentia, quamuis etiam accidens possit aliqua recipere per attributionem, non autem inhæsionem propriè loquẽdo. Vnde Aristoteles 7. *Met. text.* 45. prima, inquit, substantia est, quæ cuiusque propria est & ea habet quæ alij non insunt. An autem per hæc accidentia habeat substantia indiuiduationem, est quæstio Metaphysica de qua ibi dicam.

Notandum secundò. Cùm dicit Porphyrius Indiuiduum esse partem speciei & generis, non loquitur de toto & parte integrali, sed vniuersali, & subiectiua. Priore enim modo potius genus, ac quodammodo etiam species est pars integralis Indiuidui quam contrà, quia Indiuiduum dicit totum complementum & vltimatum rei, ad quod concurrunt tanquam partes genus & species.

Notandum quartò. Præter Indiuidua, vel potius modos Indiuidui enumeratos à Porphyrio, addunt nonnulli Indiuiduum vagum, vt quidam homo, sed hæc ratio Indiuidui non differt ab alijs. De quo tamen loquitur Caietan. volens esse distinctum prædicabile ab alijs; qui si loquatur ad modum supra explicatum non dissentimus ab illo, tunc autem non tam dicetur Vagum, quam Indiuiduum alio quodam nomine, Indiuiduum enim vagum dicit aliquem modum singulariter existendi.

DISPVTATIO IN cap. de Specie.

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodo Species sit correlatiuum generis?

DEfiniuit Porphyrius Speciem per genus, quia inquit, hæc sūt correlatiua, dubitatio est, quomodo species sit correlatiuum generis, an adæquatum? an autem tantum primarium? *potest enim quodlibet relatiuum*, huius duplicis generis relatiua respicere: *vt potentia actum & obiectū, actum tanquam* immediatum & primariū, *obiectum, tanquam* secundarium, vtrumque simul, tanquam adæquatum. *Prima opinio* Doctorum Louaniensium, Genus dicere ordinem ad speciem, tanquam ad relatiuum adæquatum; & quia potest etiam genus de Indiuiduis prædicari, tanquam de ijs ad quæ ordinem etiam aliquem habet: propterea dicunt genus vt sic habere quādam aliam vniuersalis rationem distinctam, ita vt dicendum sit vniuersale distinctum, quod tamen, inquiunt, est innominatum. *Secunda opinio* aliorum apud eosdem Doctores, non modo adæquatum sed etiam primarium relatiuum non esse speciem; sed subijcibile, de quo genus compleiè dicatur in quid, id est, tanquam pars quidditatis, in quo subijcibili conueniunt, tum species, tum indiuidua. *Tertia opinio*, Speciem esse primarium relatiuum generis; non autem adæquatum, sed adæquatum esse species & indiuidua.

Notandum est. Cùm vnum relatiuum definitur, non est necessariò definiendum per adæquatum suum relatiuum, sed satis est si per primarium & principale.

Notandum secundò. Genus habet sine dubio ordinem aliquem tum ad species, tum ad Indiuidua: Sed ad species immediatū, & tanquam ad primarium relatiuum, ad Indiuidua mediatum & tanquam ad secundarium *His positis, Dicendum est*, Genus habere sine dubio duplicem respectum, nam respicere aliquid mediatè & immediatè, non est idem planè respectus; tamen non est sufficiens hic duplex respectus ad constituenda duo distincta Vniuersalia, ita vt Genus quatenus respiciat Indiuidua, dicatur esse distinctum Vniuersale à seipso, quatenus respicit species. *Probatur primò*, Quia hac etiam ratione diceretur Genus remotum; duplicem habere Vniuersalis rationem, nam duplicem habet respectum, vnum ad species sibi immediatè subiectas, alterum mediatum ad species remotiores à se, & etiam infimas, quod tamen nullus concedit. *Secundò*, Ratio vtrique est. Quia siue conferatur genus cum speciebus immediatè sub se positis, & cum alijs remotioribus, siue genus ad speciem, & Indiuidua sub specie cōtenta; eundem retinent prædicandi modum, tam enim genus de Indiuiduis incompleiè prædicatur in quid, quam de specie, imò verò nō prædicatur de Indiuiduis, nisi intercedēte specie. Cùm igitur definitur genus; satis est, quod per suum primarium & mediatum relatiuum definiatur, quod est species; qua deinde mediante vt dictum est, de Indiuiduis contentis sub specie prædicatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

An ratio Speciei magis conueniat mediæ, an infimæ.

DVbitat plurimum de hac re Auic. *in Log. Vt res autem paucis definiatur, Notandum*, Posse nos loqui aut de nomine speciei, nominisque notione & deductione; seu de ipsa secunda intentione speciei.

Prima Propositio. Si habeatur nominis ratio, sine dubio hoc nomen magis dicitur de infima, quam media. Nam dicitur species, vt Grammatici, à speciendo & perficiendo, porrò magis perficit infima species genus, ac veluti pulchrum facit, quam media.

Secunda Propositio. Si sermo sit de intentione, non est dubium quin prioritate naturæ prius conueniat specificæ intentionis ratio mediæ quā infimæ. Siquidem natura prior est media species, quam infima.

Tertia Propositio. Simpliciter & absolutè loquendo potiorem speciei rationem habet infima quam media. *Probatur primò*, Quia infima dicitur species absolutè & simpliciter; Intermedia non nisi cum additio. *Quanquam obseruandum est*, non modo apud alios Autores, sed apud Philosophos etiam

etiam interdum pro eodem accipi genus & speciem; genere differre, aut conuenire. Quod posset multis exemplis etiam apud Aristotelem illustrari; sed satis est hac in re Themist testimonium, t. *de anima, cap 9.* *Secundò.* Quia species infima verè sola rationem habet prædicabilis & vniuersalis distinctã: media enim etiam genus est. Qui prædicandi modus in hoc consistit; vt sit prædicatio de pluribus in quid totaliter, id est, secundùm totam & integram quidditatem, quem prædicandi modum non habet species interiecta, prout confertur cum suis speciebus; de illis enim prædicatur, quemadmodum & quoduis aliud genus de suis speciebus, etsi quatenus totum quoddã est, non tamen ratione quidditatis totalis, sed prout tantummodo dicit partem quidditatis expressè.

QVÆSTIO TERTIA.

Quid magis conueniat Speciei Infimæ, subijci, vel prædicari.

NAm vtrumque, teste Porph. conuenit speciei infimæ. *Notandum est,* Aliud esse considerare, vnde nomen deriuatum sit; aliud quid sit potissimum in re quæ tale est sortita nomen, verbi gratia, aliud perfectio est, vnde impositũ est nomen tali animali, vt dicatur lepus, videlicet à leuibus pedibus. Itẽ vnde dictus est lapis, à lædendis pedibus. Aliud id ꝙ præcipuum est, & essentiale in hoc vtroque & similibus. Rod. Agric. 2. *de Inuent.* vult speciem ita denominari, & esse respectu generis solum propter nominis etymon, de quo diximus, nempè à speciendo, respectu autem inferiorum, vult habere rationem generis.

Prima Propositio. Nomen speciei primò est impositum, prout illa dicit ordinem ad genus. Est contra Sotum, quod vel ex hoc abundè probatur. Quia notatio nominis speciei, respectũ importat ad genus, quod specificatur & perficitur per speciem.

Secunda Propositio. Magis est de ratione speciei, prædicari de pluribus numero, quam subijci. *Probatur primò,* Quia vt sic formaliter habet quod sit, & dicatur Vniuersale, non autem ex eo quod subijcitur, imò potius inde habet oppositam Vniuersali rationem, id est, esse quid singulare, & inferius. Vnde Indiuiduum habet perfectam subijcibilis rationem, non tamen vniuersalis.

Tertia Propositio. Species potest quodammodo dici etiam vt subijcitur generi vniuersale quoddam, nõ formaliter quatenus subijcitur, sed quia non subijceretur immediatè generi, nisi haberet rationem Vniuersalis. Et propterea definitur genus, quod dicitur de pluribus differẽtibus specie, debet ergo species quæ subijcitur, habere rationem Vniuersalis; alioqui posset rectè definiri genus, vt dicitur de pluribus Indiuiduis. Hinc sequitur contra quorundam opinionem, non posse Genus quatenus dicitur de specie, ab eo abstrahere, quod species non sit quid Vniuersale, quia genus non dicitur de specie, quatenus solum gradum naturæ dicit species, sed quatenus formaliter species est.

Quarta Propositio. Porphyr. agit de specie, vt est prædicabile & vniuersale quoddam, Tum ita illam definit, tum quia hoc modo de alijs disputat Quare malè Caiet. dicit speciem esse Vniuersale per accidẽs, quam ipse rationem *cap. de genere* adfert, vt probet, Vniuersale dici analogicè de quinque prædicabilibus, ita vt secundùm ipsum per se tantum cõueniat speciei subijci generi, Nec refert, quod etiam species sit correlatiuum generis, ideoque se de ipsa Porphyr. secundo loco disputasse profitetur, etsi enim id verum sit, non est tamen impedimento, quo minus simul, tum etiam præsertim de eadem actum sit, vt est prædicabile. *Obijcies,* Prædicatio speciei de Indiuiduis nihil facit ad scientias, quia vt teste Platone docuit Porphyrius, diuidentes genus in scientijs, consistendum est in infimis speciebus; quia de Indiuiduis nõ est scientia; at species prout subijcitur generi plurimum confert ad scientiam, quin etiam de ea sola propriè est & scientia & definitio, ergo maximè egit Porphyrius de specie vt subiacet generi, non item vt prædicatur de multis Indiuiduis. *Respondeo,* Refertur præterea hæc tractatio Porphyrij, ac præsertim quidem, vt ipsemet indicat, ad prædicamẽtorum cognitionem.

Cæterum in serie prædicamentali proprius locus est Indiuiduis, de quibus species prædicatur. Adde quod quamuis prædicatio speciei de Indiuiduis ipsa per se nō sit scientifica, est tamē principiū, & veluti ianua omnis scientiæ, nam ex multis singularibus fit collectio vniuersalis, quod docet Aristoteles 2. *Post. text. vlt.*

QVÆSTIO QVARTA.

An Infima Species vnicam habeat habitudinem ad genus & ad sua inferiora, id est, indiuidua.

LOquimur de infima, nam interiectum duplicem habere docet Porphy. *Non autem videtur rectè ab eodem dici*, vnicam esse speciei infimæ habitudinem, *quia sine dubio aliud est*, Speciem infimam subesse generi; aliud eandem prædicari de Indiuiduis. Sicut eodem teste alia est habitudo speciei mediæ prout refertur ad suum genus superius, & prout consideratur cum ordine ad inferiores species; imò ipsemet hoc apertè eodem loco docet. Cur autem nolit appellandam esse duplicem habitudinem; *huius ratio quæritur*. Caietanus dicit, quia habitudo speciei ad genus & Indiuidua coeunt in vnam denominationē: vt quamuis sint diuersi respectus, vnus tamen ex altero intrinsecè oriatur; Ideoque non dicit duplicē habitudinem, non quod non sit duplex respectus, sed quia vnus nō est alteri extraneus: *Quod sic declaratur*. Nā eo ipso quod species generi subest, habet quod de multis prędicari possit, quod non est cernere in specie interiecta, secundùm diuersos illos respectus ad genus superius & inferiores species, quia non ex eo quod species interiecta, genus est, habet formaliter quod sit species, alioquin genus generalissimum esset species: nec contra ex eo quod species generi superiori subijcitur, habet quod sit genus; alias genus etiā esset species specialissima. Hanc rationē probare videtur Sonsin. & Am. And. hoc loco, dicentes: duplicem esse respectum; tamen non dici simpliciter esse habitudinē, quia sunt eiusdem ordinis & conditionis quasi concurrentes ad integrandam & constituendam speciem. Itaque non est in hac re tantum concurrendum ad nomina, ita vt dicatur non esse duplex habitudo; quia vnicum nomen speciei tribuitur, habenti dictos duos respectus, non autem speciei mediæ; ratione suorum respectuum, nam vt inquit Caietan. ridiculosa esset hæc solutio Logicalis dubitationis.

QVAESTIO V.

An habitudo speciei infimæ ad sua Indiuidua oriatur ex habitudine ad genus?

PRima Opinio est Alb. *tract.* 4. *cap.* 2 & Caiet. *in cap. de specie. dub.* 2. *in* 2. *definitione, & dubio*, an species infima duplicem habeat habitudinem Docent hi Autores oriri respectum speciei ad Indiuidua ex respectu eiusdem ad genus; ita vt istum sine illo non habeat. *Secunda Opinio* tribuitur Auic. *cap. de specie*, & est Toleti hoc loco, Speciem infimam non originaliter, sed formaliter habere respectum ad Indiuidua ex eo, quod generi subijcitur. *Ratio est*: Quia non prædicatur genus nisi de pluribus specie differentibus, ergo vt sic prius est subijci species generi, quam easdē prædicari de Indiuiduis, non quidem secundùm se formaliter, sed tantum secundùm conceptum nostrum, quia genus prædicatur de speciebus, quæ sunt quædam Vniuersalia; non sunt autem Vniuersalia nisi per ordinem ad inferiora.

Notandum primò. Species vt est quoddam prædicabile, habet sine dubio relationem ad inferiora, non autem vt est quid subijcibile; quia hæ duæ rationes sūt oppositæ.

Notandum secundò. Potest species conferri cum genere, aut respectu solius gradus generici; qui est pars speciei, aut quatenus genus est totum quoddam in confuso continens species.

Notandum tertiò. Non prædicatur genus de speciebus quæ non sunt Vniuersales; nam per hoc distinguitur genus à specie in ratione prædicabilis, quia species de pluribus sed singularibus dicitur; genus de pluribus sed vniuersalibus prædicatur. Itē prædicatio generis de specie, est prædicatio de specie vt species est, sed non potest species esse, nisi vt sit quoddā vniuersale.

Notan-

Notandum quartò. In specie tria possunt considerari. *Natura abstracta* ab Indiuiduis, *Subijcibilitas* respectu generis, & *Prædicabilitas* respectu inferiorum.

Prima Propositio. Species non potest abstrahi ab inferioribus, & ad ea referri; nisi dicat respectum quendam ad genus, vt genus dicit gradum naturæ, & vt est pars. *Probatur.* Nam species dicit totam quidditatem & prædicationem de inferioribus in quid completum, ergo necessariò debet includere gradum genericum tanquam partem suæ quidditatis totalis, vt totam suam quidditatem de inferioribus prædicare possit. Et hoc modo cõcedi potest priorem esse relationem speciei ad genus tanquam partem; quam ad inferiora.

Secunda Propositio. Antequam species referatur ad genus vt ad totum, potest ad inferiora sua referri, & de illis prædicari. *Probatur.* Quia vt species hunc ordinem habeat ad inferiora, satis est quod totã quidditatem de suis Indiuiduis prędicet, ad hoc autem sufficit speciem considerari vt constitutam ex gradu generico, tanquam parte aliqua, & ex gradu differentiæ, tanquam etiam parte aliqua. *Confirmatur ad hominem.* Nam secũdũm Alberti & Caietani opinionem, non potest genus in vnica specie conseruari; tamen si fingamus solum hominem inter alia extare, adhuc verè habebit homo rationem speciei respectu singularium hominũ. nam eo modo ad illos tunc referetur, quo nunc refertur, & tamen tunc nõ haberet relationem ad genus, quia secundùm illos non esset genus. Imò verò addo, etiamsi non esset gradus qui dicitur genericus communicabilis nisi vni tantum speciei; tamen verè adhuc homo, verè diceretur de pluribus hominibus; tanquam species de Indiuiduis. Tunc tamen non esset dicendus homo, esse correlatiuum animalis tanquam species, quia nomine speciei, nunc intelligimus tum id quod prædicabile est de pluribus numero, quod etiam tunc retineret, tum præterea intelligimus nomine speciei aliquid quod subijceretur generi tanquam toti, & quia totum ad plures partes saltem possibiles hominem dicit, propterea non haberet hunc ordinem ad genus, sed tunc tantum referretur species ad genus ratione gradus.

Tertia Propositio Simpliciter loquendo, ad hoc vt per Intellectum fiat species, prima esse dicitur relatio abstracti. *Probatur.* Quia hoc est commune omni Vniuersali, vt ante omnia abstrahatur ab hoc & illo singulari, tunc autem species habebit rationem Vniuersalis, sed non completam & prædicabilis.

Quarta Propositio. Posita dicta relatione abstracti, potest Intellectus pro libito referre speciem prius ad genus, vel ad inferiora. Nam potest considerare speciem vt subest generi, & vnà cum alijs participat gradum communem, vel certè prius considerare eandem, vt refertur ad inferiora sua, à quibus abstracta fuit. Atque ex his patet, quid dicendum sit de opinion. Non enim nobis simpliciter esse veræ *Non prima*, Quia probatum est, posse referri ad inferiora speciem siue præcedente ordine, & relatione ad genus. *Nec etiam secũda*, Quia etsi non possit prædicari genus de specie, quæ non sit Vniuersalis, non tamen quatenus de ea prædicatur est Vniuersalis, *Immò si quid ex istis prius dicendum est*, debet dici priorem esse posse relationem ad inferiora sua, quam ad genus, vt patet ex dictis.

QVÆSTIO SEXTA.

Quomodo dicatur Species minus collectiua quam genus?

HOC docet Porphyrius secunda parte capitis. Quod meritò dubitari potest quemadmodum verum sit. *Nam vt benè argumentatur* Caietanus, *species est magis vnum quid, quam genus.* Quia dicit maximam indiuisibilitatem, nam extra speciem non est vlla quidditas: Quare est maximè vna, vnitate quidditatiua: est maximè vna in se, ergo maximè vnitiua; sicut quod est calidum in se, est maximè calefactiuum, at esse maximè vnitiuum, & esse maximè collectiuum, idem est. *Respondeo,* Vnitiuum & collectiuum duobus modis dici potest, Intensiuè, vel Extensiuè. *Intensiuè est,* quod magis vnum. *Extensiuè,* quod plura. Spe-

ra. Species igitur est magis collectiua *intensiuè*, Genus autem *extensiuè*, id est, Genus plura quidem colligit; colligit enim & Indiuidua & species, sed non magis colligat; contra verò species magis colligat & vnit, sed pauciora colligit; nam tantum colligit Indiuidua. Exemplum, inquit Caiet. peti possit à ducibus; quorum vnus exercitum habere potest minus numerosũ, magis tamen vnitum & vnanimem, alter verò numerosiorem quidem, sed dissidijs & factionibus plenum: Ille dicitur habere exercitum magis vnitum, & esse quodammodo magis collectiuus intensiuè, hic autem tantum dicitur magis collectiuus extensiuè. Hinc est: Quod species infima de qua loquimur, tum infima appellatur, tum etiam Græcis ἄτομα, id est, indiuisibilis & specialissima. Et hoc apertè indicauit Porphyrius eodem loco. Vbi enim hanc sententiam habet, sermo illi erat tum de descensu ab vno ad plura, tum de ascensu à pluribus ad vnum: In priore autem consideratione sine dubio magis cernitur vnitiua species & collectiua quam genus. In posteriore autem magis genus quam species, quia descendendo, vbi ventum est ad speciem, non est vltra diuidere speciem in plures quidditates quare maximè vna est. At verò ascendendo, semper accipiuntur aliqua quæ plura sub se continent. *Notandum tamen est*, quadã alia ratione posse dici speciem esse magis vnitiuam quam genus, etiam extensiuè, quatenus est natura completa continens omnes gradus superiores: genus autem ob contrariam rationem potest dici minus collectiuum etiam extensiuè, quia etsi omnia inferiora contineat potestate, non tamen tanquam aliquid pertinens ad suam quidditatem. *Hic omitto aliquot quæstiones de specie*, quarum solutio ex dictis alibi peti potest. Vt: An species conseruari possit sub vnico Indiuiduo? Quomodo species prædicetur in quid de suis inferioribus? Quomodo possit prædicari de differentia. Indiuiduum quid sit, & quomodo de vno tantum prædicari dicatur, & quomodo etiam possit habere aliquam rationem vniuersalis.

An species dicatur vaga?

Denique non mihi videtur pluribus explicanda quæstio quædam alia quæ ab Alb. *proponitur*, An possit species dici vaga, sicut dicitur Indiuiduum vagum? Quicquid autem ille dicat, negando dici posse vagam, nihil est absurdi, vt quomodo Indiuiduum vagum dicitur, quatenus significat singulare aliquod sub aliqua specie, sed indeterminatum, ita species quoq; vaga dici possit, quatenus significat naturam aliquam specificam sub aliquo genere sed indeterminatam, vt quædam species animalis.

Cæterum ex dictis de Specie hæc summatim colligi possunt. Species præsertim infima quę maximè propriè species dicitur, est quæ sub genere posita de pluribus numero differentibus in quid prædicatur. Quod vltimum illi per se cõuenit, quatenus est prædicabile distinctum idque sine relatione ad genus; ad quod nihilominus se habet, cùm dicit relationem tanquam relatiuum primarium, sed non adæquatum, respectu cuius & suorum inferiorum duplice quidem habet respectum, sed is non dicitur simpliciter loquendo duplex habitudo; quia ex illis veluti integratur species; ita vt non habeat diuersam prædicabilis rationem.

IN CAPVT DE *Differentia.*

Non est, inquit, Boët. opus rationem reddere, cur de differentia post speciem disseratur; siquidem supra reddita ratio est, cur ante de specie quam de differẽtia agendum fuerit. Cur autem ante Proprium & Accidens, de eadẽ hoc loco disputetur: *Ratio est*, quia est pars essentialis speciei, ac prima, vt loquitur Aristotel. 5. *Met. text.* 19. qualitas. Proprium & Accidens sũt extra rei essentiam, atque secundæ (vt ita dicam) qualitates. *Alia ratio*, inquit, Boët. est, quoniam latius patet differentia quam Proprium. Dicitur enim differẽtia de pluribus specie differentibus; Proprium de vna tantum specie. Quod tamẽ discrimen nullum est, vt suo loco dicam, tam enim Proprium dicitur de pluribus specie differentibus, quam differentia, & differentia de vnica specie; sicut & proprium. Alias rationes vide apud Ant. And. *Huius capitis*

vna

tres sunt partes. Prima, Continet differentiæ diuisiones. In secunda, explicatur officium differentiæ maximè propriæ, quæ ab illis verbis incipit: Cùm igitur. Denique in tertia, ponuntur differentiæ definitiones, quæ inde inchoatur: Quas etiam determinantes.

PRIMA PARS.

DOcet Primò Porphyr. duplicem esse differentiam, Communem, Propriam, & Proprijssimã, vt sedere; simitas nasi, & rationale. Secundò, Docet primam & secundam, facere alterũ seu alteratum, Tertiam autem facere aliud, ideoque specificam appellari, primas autem duas simpliciter differentias. Item primas duas causare alterationes & permutationes. Tertiam autem seruire diuisioni generis & definitioni constituendæ. Tertiò, Alia inquit Differentia est separabilis, alia inseparabilis. Separabilis, vt prima; Inseparabilis, vt secunda & tertia. Rursum, Alia est per accidens, alia est per se. Per accidens, vt prima & secunda. Per se, vt tertia. Præterea. Differentiæ quæ per se sunt, non intenduntur aut remittuntur, semper enim eadem est rei essentia. Quæ autem sunt per accidens, magis & minus recipiunt, vt esse coloratum.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

PRoprijssimè Boëtius in com. vertit, magis propriè, tamen in codice græco est ἰδιαίτατα, id est, maximè propriè, seu proprijssimè. Vnde Auer. vocat hanc differentiam propriè propriam. Am. plusquam propriam. Cæcitas oculorum. Boët. in com. vertit cœsitas. Argyrop. cœsius color, quod sine dubio respondet dictioni græcæ, est enim laucotis. Potuit autem facilis error esse propter magnam conuenientiam inter cœsitatem & cæcitatem. Porrò dicitur cœsius color, teste Marco Var. lib. Etym. quasi cœlius, id est, cœlestis. Vndè falsò quidam fabulantur dictum esse oculum cæsium; quod qui huiusmodi oculis sit præditus; ad cædem faciendam promptus sit, repugnat enim hoc tum experientiæ, tum ipsi experimento, tum etiam Aristoteli in physiog. Ille verò qua alteratum simpliciter differentia Non quia simpliciter differre faciant; hoc enim pertinet ad differentiam non communem & propriam, quæ his verbis significatur, sed ad maximè propriam, quæ absolutè & simpliciter loquendo aliud ab alio differre facit, & proptereà dicitur à Porphyrio facere aliud. Vocantur igitur prima & secunda simpliciter differentia, tanquã minus perfectæ. Obseruandum enim est; nomen aliquod commune per se sumptum, aliquãdo significare rem in eo genere perfectissimam, vt Poeta Homerum, Orator Ciceronem, Demosthenem, Ens substantiam. Quod vulgò dicunt, nomen analogum per se sumptum sumi pro principali analogato: aliquando autem propter oppositam causam dicitur nomen absolutè de re imperfectissima in eo genere, vt animal absolutè sumptum de bruto. Ita D. Thom. 1. 2. quæst. 111. art. 2. ad 3. 2. 2. quæst. 9 art. 2. quæst. 50. art. 2. ad 1. quæst. 161 art. 1. 4 sent. dist. 13. art. 3. ad 3 sum. dist. 9. quæst. 2. art. 1. ad 1. Et de veritate, quæst. 6. art. 1. ad 9. & Caiet. hoc loco.

NOTANDA CIRCA
hanc partem.

NOtandum primò cum Auic. Alio modo hîc diuidi à Porphyrio Differentiam ab eo quo suprà diuisit genus & speciem. Ibi enim potius fuit vocis diuisio æquiuocæ in sua significata, hîc autem potius est diuisio analogici in analogata. Nam vna ratio est faciendi vnum differre ab alio, communis communi differentiæ, propriæ, & maximè propriæ, sicut & ipsum nomen differentiæ est commune, quæ ratio magis propriè tribuitur differẽtiæ proprijssimæ, cæteris autem per quandam habitudinem ad ipsam, in quo consistit ratio analogia.

Notandum secundò. An Porphyrius sub hac diuisione differentiæ comprehendat Proprium, quod est quartum prædicabile, dubitant Interpretes. Nam Soto id negat, Auic. & Caiet. affirmant. Ratio autem pro Soto esse potest Quia Porphyrius exemplum ponit propriæ differentiæ, Accidens ali-

S quod

quod quod per se primò conuenit Indiuiduis, vt esse simum, cùm tamen Propriū per se primò conueniat speciei. Nec potest dici comprehendi Proprium sub Accidente inseparabili, nam eiusdem exempla affert accidentia quæ conueniunt Indiuiduis per se primò, tum etiam quia infrà *cap. de Accidente* docebit, Accidens aliquod esse inseparabile. *Confirmatur*, Nam Boët. dicit propriam differentiam conuenire tantum singularibus. *Secundò probatur*, Quia tradit Porphyrius accidens inseparabile, quod ipse vocat propriam differentiam, non dici per se; at proprium dicitur per se in secundo modo. *Tertiò*, Dicit Porphyrius intendi & remitti propriam differentiam, non potest autem hoc conuenire Proprio quarto modo, vt suo loco. *Denique*, quia Differentia quæ primò & per se speciem respicit, est maximè propria, ergo propria differentia respicit tantum singularia. *Dicendum nihilominus*; etsi reuera perplexè loquatur Porphyr. comprehendi Proprium quarto modo sub differentia propria, tum quia facit alterum, tum quia Porphyrius ad fin. cap. aptitudinem ad nauigandum appellat proprium hominis, & in hac parte capitis esse aptum ad disciplinas. *Vnde ad primum argumentum dicitur*, Loqui Porphyrium de differentia propria, prout est medium quod inter maximè propriam & communissimā, id est, quatenus nec ad essentiam pertinet, nec est cuilibet subiecto indifferenter cōmunis. Ad quod ostendendum satis ipsi fuerunt exempla, quæ quamuis Indiuiduis per se primò conueniant, tamen nec omni conueniunt, nec separabiliter. Quare noluit excludere Proprium quarto modo, sed tantum magis sensatis exemplis vti, & idem est dicendum de Boëtio. *Ad secundum dicitur*, Propria differentia non dicitur per se, vel ratione exemplorum traditorum, vel quia non omnis differentia propria dicitur per se, etsi aliqua dici possit, vel quatenus dici per se, significat esse de essentia rei, cuiusmodi non est propria differentia. *Ad tertium*, Idem est modus respondendi: Aliquæ enim differentiæ propriæ recipiunt magis & minus, nulla autem maximè propria. Quod est dicere cū Caiet. perm. illud & indefinitè. *Ad quartum*, Proprium quarto modo non respicit speciem primò & per se, quasi illa primariò constituens, sed secundariò, quatenus fluens ab essentia.

Conclusio.

Notandum tertiò. Potest Differentia sumi tripliciter. *Primò*, Vt dicit relationem diuersitatis oppositam vnitati, vel in substantia, vel in accidente. *Secundò*, Pro forma causante diuersitatem, siue sit substantialis, siue accidentalis. *Tertiò*, Pro secunda intentione. Ex quo sequitur *primò*, Falsum esse quod Caiet. hîc docet, Cùm diuiditur Differentia, esse diuisionem notionis in notiones, est enim diuisio rei affectæ notione. Quod satis etiam patet ex dictis de Vniuersali in communi, quæst. quid denominatur. *Secundò sequitur*, Sicut datur à parte rei diuersitas, sic dari etiam à parte rei vnitatem formalem, de quo etiam suprà.

Notandum quartò, Sub differentia maximè propria comprehenditur non modo forma substantialis, sed etiam accidentalis; nam in communi significat omnem differentiam essentialem. Vnde sicut in accidentibus est essentia, est etiam & differentia maximè propria: Imò verò vt aliàs quoque diximus, est propria ratio generis, speciei, & aliarum notionum. Nec refert, quod accidentia intendantur & remittantur, non autem differentia maximè propria, nam hæc intentio & remissio non est ratione essentiæ, quæ vt docet Aristoteles 8. *Met. text.* 10. se habet vt numerus, id est, consistit in Indiuisibili, vt sicut in numeris addita, vel detracta vnitate, additio, vel detractio fit speciei diuersæ, sic etiam in omnibus rerum essentijs apposita, vel annexa quacunq; entitate. Tamen quomodo id verum sit, posteà dicetur.

Notandum quintò. Differentia communis, propria, & maximè propria, aliquando sunt idem re, vt disgregatiuum visus respectu albedinis, parietis, & niuis, nam respectu albedinis est differentia maximè propria, respectu niuis est propria, quia inseparabilis, respectu parietis est commu-

nis.

nis. Quamuis sub his tribus rationibus diuersas habeat illa formales rationes. Quare malè inde Caietanus argumentabatur, diuisionem differentiæ fieri tantum ratione notionis, quoniam dicebat ille, eadem res potest in se suscipere has omnes tres rationes differentiæ: Aliquãdo autem hæ tres differentiæ sunt in rebus distinctis, vt rationalitas, risibilitas, & candor respectu hominis, si tamen vera est opinio, distingui realiter proprium ab essentia.

Notandum sextò Ex 5. *Met. text.* 16 *& lib.* 10. *text.* 12. non esse idem diuersum & differens, nam differre dicuntur, quæ in aliquo vno vniuocè conueniunt, a se autem inuicem per suas essentiales differentias: Diuersa autem sunt, quæ se totis differunt, nec habent in quo vniuocè conueniant, euiusmodi sunt decem summa genera, & ipsæmet differentiæ, nec enim habent, per quod differant, alioquin progrederemur in infinitum.

Obijcies. Multa dicuntur genere differre. *Respondeo,* Si de summis generibus sermo fit, impropria est locutio, quamuis sæpè pro specie genus sumitur, vel etiam pro genere intermedio: Vnde hoc modo differre nihil aliud est, quam de illis prædicari differentias constitutiuas generum diuersorum. Hac ratione dicemus hominem & ficũ differre genere, quia de homine prædicatur natura sensitiua, quæ est differentia propria animalis: de ficu autem, esse naturam viuentem, quæ est differentia propria plantæ.

Notandum septimò. Differentia maximè propria, dicitur facere aliud, communis & propria alterum: Quæ distinctio videtur petita ex Aristotele 2. *Post text.* 20 Non enim, inquit, secundùm omnem differentiam alterum est, vbi, alterum, idem significat quod aliud est. Multæ enim differentiæ insunt eisdem speciei, sed non secundùm substantiam, neque per se.

Obijcies. Petrus dicitur esse aliud quid à Paulo, & tamen non differunt essentia. *Respondeo,* Hoc pronomen (aliud) significat aliquando impropriè, quicquid est diuersum, tamen propriè apud Philosophos & Theologos significat id quod est diuersum ab altero secundùm essentiam. Quo fit vt in diuinis non sit propria locutio, pater est aliud à filio, significaret enim esse alterius essentiæ à filio, cùm tamen adiectiuè sumitur, significat eam diuersitatem, quæ à nomine substantiuo, cui coniungitur, importatur; vt pater alius suppositum est à filio. Lege D. Thom. 1. *sent. dist.* 21. *quæst.* 1. *art.* 1. Quo etiam loco nota cum Auic. & Caiet. Non esse idem facere aliud & inferre aliud; Aliud enim facit tantum differentia essentialis, seu maximè propria: Infert autem aliud etiam differentia propria, cùm enim fluat ex essentia, vbi diuersum est proprium quarto modo, (de hoc enim loquimur) ibi necessariò infertur diuersam esse essentiam.

SECVNDA PARS
Capitis.

EXplicat Porphyrius maximè propriæ differentiæ officium. Inquit enim aliam esse constitutiuam speciei, aliam esse diuisiuam generis, & quæ genus diuidit, esse eiusdem etiam generis veluti partem quandam, & supponere differentiam constituentem genus ipsum. Denique facere vt vna species ab alia diuidatur, id est, distinguatur.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

SOlum obseruandum est, quod suprà cap. de specie notauimus. Porphyrium dum rationale mortale, differentiam hominis constitutiuam facit, videri secutũ aut Platonis opinionem, aut id etiam quod vulgus tunc sentiebat, vt inquit Am. And.

NOTANDA CIRCA
hanc partem.

HOc etiam solùm notandum est. Cùm Porphyrius differentiam dicit Generis constitutiuam, non esse intelligendum de quouis genere; nam summum non potest propriè vlla differentia constitui, loquitur ergo tantum de eo genere quod simul est species.

TERTIA PARS CAPITIS.

DEscribit hîc differentiam; Et primò dicit esse, qua species superat genus, vt

rationale mortale, quibus homo superat animal rationale. *Secundò*, Dicit prædicari differentiam de pluribus specie differentibus in quale quid, quia, inquit ad quæstionem qualis res sit, respondemus per differentiam, quod etiam explicat exemplo ex compositis naturalibus & artificiosis, in quibus quiddam est vt materia, aliud verò vt forma, sic quoque hîc genus se habet vt materia, differentia vt forma, & quia forma significat qualitatem quandam; ideò dicitur differentia in quale prædicari. *Tertiò*, Differentia est, quæ apta est diuidere quę sub eodem genere sunt. *Quartò*, Quà singula differunt inuicem. *Vltimò*, Differentia est, quæ res inter se secernit, & in naturæ, seu essentiæ explicationem venit, & tanquam pars rem essentialiter cōstituit: Quam vltimam descriptionem exactiorem esse dicit.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

QV*A abundat Species à Genere*] id est, qua species genus excedit, vt vertit Argytop. nostra autem hæc versio obscurior est, quod verbū verbo reddere Boët. voluerit. *Differentia est, quod aptum natum est diuidere quæ sub eodem genere sunt.* Albert. legit separare, vnde inquit, meritò Porphyrius separare dixit, & non diuidere, quia diuisio generis non est sicut compositi actu constantis ex partibus, sed tanquam totius cuiusdam potestatiui & confusi, vt potius quæ sub genere sunt, seiungi ac separari, quam diuidi dicēda sint. Verum vt ita sit quod dicit Alb. consentanea est codici græco nostra lectio, verbum enim τὸ διαιρεῖσθαι significat propriè diuidere, & non tantum separare. *Irrationale* non significat priuationem, seu aliquid tantum priuatiuum, sed positiuam differentiam rationali oppositam, quæ tamen per priuationem explicatur, quia commodius nullum aliud suppetit vocabulorum, quod in alijs plerisque contingit, hoc enim modo diuiditur substantia in corpoream & incorpoream, in animatam & inanimatam, &c. De qua re dicit Aristoteles 6. *Top. cap.* 13. quamuis suspicari quis possit, secutum hac in re, vt in alijs plerisque Porphyrium Platonis dogmata, cuius dicitur hæc fuisse sententia, vt priuatio naturam aliquam constitueret. Cōtra quem disputat Aristoteles 1. *de part. animalium, cap* 3. *& lib.* 6. *Top. cap.* 2. *&* 1. *Phys.* Idem tribuitur Boëtio, contra quem vide Auic. *cap.* 10. *Log.* Alb. & Soto hoc loco.

NOTANDA CIRCA *hanc partem.*

N*Otandum primò*. Ex eo quod Porphyr. dicit, superari à specie genus per differentiam; collegimus in disputatione de genere, non continere genus differentias actu, quod ipsum expressè hîc docet ex communi omnium sententia Porphyr. dicens, nec actu contineri differentias sub genere, quia sequeretur opposita sub eodem esse, nec omninò non continere, vnde enim, inquit, haberet species differentias, cùm ex nihilo fiat, nec idem habeatur à seipso?

Notandum secundò. Tres sunt actus & officia differentiæ, vt secunda parte capitis vidimus, diuidere genus, constituere speciem eandemque ab alijs distinguere. Hæ descriptiones respiciunt & desumuntur ex eisdem officijs differentiæ, quas Auic. cum alijs, quinque numero esse volunt, Caiet. autem 4. solum, vt quinta sit tantum explicatio quædam quartæ, quod parum refert. *Vnde prima explicat*, quomodo per differentiam species à genere differat. *Secunda*, Quomodo differentia dicatur de specie. *Tertia*, Quomodo diuidat genus. *Quarta*, Quomodo speciem à specie distinguat. *Quinta*, Quomodo speciem essentialiter constituat.

Notandum tertiò. Circa primā descriptionem apposuit Porph. illud de continentia generis, quomodo videlicet potestate differētias cōtineat, vt occurreret tacitæ obiectioni, dixerat enim superari à specie genus per differentiam. Et poterat quis argumentari; etiam sub genere esse differentiam eandem, quæ est in specie. *Respondet*, Non eodem modo esse differentiam sub genere, & in specie. Nam in specie est actu distincta, sub genere autē potestate tantū.

Notan-

Notandum quartò. Meritò Porphyr. vltimam descriptionem exactiorem vocat, quia sine illa non potest differentia propriam rationem suam continere, nam nō omne id quo species superat genus, nec quod genus diuidit, nec quo differunt singula, potest appellari differentia maximè propria, nisi hoc addas, vt sit de essentia rei, verbi gratia, aptitudo ad nauigandum, omnia illa præstat quę diximus. Cęterum, hæc multitudo descriptionū Indicat posse differentiam perfectè definiri, quod ipse Porphyrius fatetur; dum alias minus exactas esse monet. Et ratio etiam est communis omni notioni, de qua suprà diximus. Quia notio nec secundùm se, nec vt simul naturam includit, definiri perfectè potest, & adhuc peculiaris quædam causa est in differentia, quia differentiæ non est differentia; nisi eo modo quo suprà de genere diximus, posse supra se genus habere. Quare eadem ratione repellendi sunt Scotus & Am. And. contendentes, perfectè definiri differentiam, qua suprà capite de genere eosdem idem de genere asserentes confutauimus.

DISPVTATIO IN cap. de Differentia.

QVÆSTIO PRIMA.
Cur Differentia non faciat duo prædicabilia?

SVpponimus differentiam habere rationem prædicabilis & vniuersalis, etsi enim per se tantum de vna specie prædicetur, cuius est differentia, tamen consequenter de illis inferioribus prædicatur quæ sub specie continentur, alioquin eodem modo negandum esset, proprium esse prædicabile, quia ipsum etiam de vna per se specie dicitur. *Sed quæstio est;* Cur sicut species interiecta & infima constituunt duo prædicabilia, quatenus media dicitur de pluribus differentibus specie: Infima de pluribus differentibus numero, non etiam dicatur differentia duplicem prædicabilis rationem habere; vnam, quatenus dicitur de pluribus specie differentibus, alteram, quatenus de pluribus numero differentibus prædicatur? Hanc dubitationem excitat Sonc. sed non sufficienter soluit. Dicit enim causam esse, quia species interiecta est de conceptu speciei, de qua prædicatur, non autem est de conceptu generis infima species, ex quo potius oppositum sequi videretur. *Ratio igitur est.* Quia differentia habet tantum per se speciem constituere, & de ea in quale quid prędicari, siue species illa interiecta sit, siue infima, vnde quod respectu vtriusque semper retinet eundem prædicandi modum, id est, partis essentialis, & in quale quid. At species interiecta, quatenus dicitur de pluribus specie differentibus, habet prædicationem in quid incompletam, & per modum partis, & de illius ratione est per se prædicari de pluribus speciebus: quatenus verò species infima dicitur de pluribus numero differentibus, habet quod prædicetur in quid completè, id est, per modum totius essentiæ, & quod dicatur per se de pluribus numero, differentiæ autem accidit, constituere speciem, quæ sit interiecta, vel infima.

QVÆSTIO II.
An sit magis de ratione differentiæ constituere speciem, vel diuidere genus?

NOtandum. Duplicem habet differentia respectum, prout genus diuidit, & prout speciem constituit, qui tamen non est dicendus duplex habitudo, sicut proportionaliter suprà de specie infima diximus, quia ita differentia ex hoc duplici respectu constituitur, & integratur, atque species ex illo duplici respectu suo. Quare falsum est quod Alpharab. Auic. Alb. asserunt, nec nō etiam indicat Am. differentiā specificam constituentem infimam speciem, hoc tantum habere quod cōstituat, non autem quod genus diuidat. Propter quam causam inquit Am. sicut generis summi dantur tantum differentiæ diuisiuæ, ita speciei infimæ dari tantum constitutiuas, nisi hoc modo Am. interpretari libeat, vt dicantur tantum constitutiuæ respectu infimæ speciei, quæ vlterius diuidi nequit. falsum inquam est, quod isti dicunt,

eunt, nam vt hoc tantum exemplo cõprobem, profectò rationale non modo constituit speciem humanam, sed etiam diuidit genus animalis, animal enim diuiditur tum in rationale, tum in irrationale. *Hoc posito quæstio est*, quid sit magis de ratione differentiæ? *Dicendum est*, Esse magis constituere quam diuidere. Est contra citatos Autores, qui infimam differentiam dicunt ideò non esse definitam à Porphyr. quia degenerat à ratione differentiæ, quæ est vt genus diuidat. *Probatur*, Sicut enim differentia habet quod constituat essentiam speciei, siue sit intermedia, siue media; sic etiam habet rationem prædicabilis & vniuersalis, quia de specie quam constituit, immediatè prædicatur, & eatenus quatenus eam constituit; posteà verò mediante specie de alijs inferioribus dicitur. Tamen non est negandū, natura prius esse quod differentia genus ipsum diuidat, quã speciem constituat; Nihil enim potest constitui & determinari, nisi ante præsupponatur quoddam commune, quod sit contrahendum & limitandum. Exemplum esse potest in materia & forma. Nam sicut antequam essentialiter constituat compositum, præsupponitur materia ipsa tanquã limitanda & contrahenda per formam & sic magis est de ratione formę, ipsum compositum constituere & diuidere, quam materiam veluti diuidere & separare. Ita etiam prius quidem est, genus tanquã quid informe, contrahi & informari per differentiam, nihilominus præcipua differentiæ ratio non erit illa, sed totam speciem constituere & perficere.

QVAESTIO III.

Quomodo differentia dicatur de pluribus specie differentibus?

ETsi vt notatum est, & Porph. ipse non negat; nulla sit exacta differẽtiæ assignata definitio, nihilominus si quæ exacta reperiri potest; illa profectò esse debet, quæ dicitur differentia de pluribus prædicari, quia per talem definitionem habet differentia quod sit prædicabile & vniuersale. Sed difficultatẽ habet hæc definitio, quia ⟨?⟩ium comperit differentiæ mediæ, infima enim non dicitur de pluribus specie differentibus. Hæc dubitatio torsit veteres Philosophos. Vnde in multas abierunt sententias. *Prima est* Philop. 1. *Prior. cap. 1. com.* 5. errasse in hac definitione Porphyr. Quare sic ipse describit differentiam, scilicet, Differentia est quæ de pluribus numero, aut specie differentibus in quale quid prædicatur. *Secunda* Simplicij in anteprædicam. in illud, *Diuersorum generum*, &c. qui etiam Iamblici affert autoritatem: omnem differentiam etsi actu & de facto de pluribus specie differentibus non dicatur, tamen quantum est ex se non repugnare, quo minus dicatur de pluribus specie differentibus; ita vt dicatur de pluribus specie differentibus, per non repugnantiam: qui loquendi modus Caietano non displicuit. Sed nõ satis intelligo, quid sibi velit hæc sententia. Aut enim est de ratione differentiæ, dici de pluribus specie differentibus, aut non. Si primũ, nulla ergo esse potest quæ non de pluribus specie differentibus prædicetur. Si secundũ, quomodo id in definitione ponitur. *Confirmatur.* Nam dicere, cuilibet differentiæ non repugnare, vt de pluribus specie differentibus prædicetur, est dicere, posse eandem differentiam pluribus naturis distinctis specie communicari; At hoc repugnat etiam per Dei potentiam, si de infima differentia loquamur. Sicut non potest ratio indiuidua, saltem finita, cõmunicari pluribus. *Tertia opinio est* Auic. Dici differentiam de pluribus specie differentibus prædicari, non quod illa plura inter se specie differant, sed ab alijs, nam rationale, verbi gratia, quæ est infima, dicitur de Petro, Paulo, &c. qui non quidem inter se specie differunt, sed ab alijs speciebus animalis. Verum nimis extorta est hæc interpretatio. quæ etiam ipsi Porphyrio repugnat, nam cap. vlt. dicit esse commune generi & differentiæ prædicari de pluribus specie differentibus, ergo eodẽ modo debet prædicari differẽtia quo genus, sed genus verè prædicatur de pluribus specie differentibus. Præterea, eodem modo dicere possemus; differentiam prædicari de pluribus genere differentibus, nam Petrus & Paulus,

lus, per rationale quod de ipsis prædicatur, non modo differunt ab equo & leone speciebus animalis, sed etiam ab actione, quantitate, relatione, &c. *Quod si dicas*, Dici de pluribus differentibus, sed sub eodem genere: hoc modo etiam species infima poterit dici prædicari de pluribus specie differentibus, quia Petrus, Paulus per rationale differt ab alijs speciebus. *Quarta Opinio* negat explicari à Porphyr. infimam differentiam in definitione, quia non est propriè differentia Siquidem genus non diuidit, vel certè quia non constituit naturam aliquam, quam vlterius diuidat. Est Autorum citat. Alpharab. Auic. Alb. quos etiam sequi videtur Caietan. pro se præterea afferens Auer. *Sed falsitas huius opinionis* ex superiore quæstione satis patet. Satis enim est, quod differentia genus superius diuidat, & infimam speciem constituat. *Cōfirmatur*, Quia potissimum quod in differentia est, est constituere speciem, vlterius autem diuidere potius diminuit de perfectione differentiæ, quæ est vltimatè & perfectè constituere, vnde per accidens est differentiæ in communi, quod species quam constituit, sit subalterna, vel infima; Quamuis perfectior differentia sit quæ infimam speciem constituit. *Confirmatur ad hominem*, contra Caiet. Quia sicut ipse vult, extraneam conditionem differentiæ esse, quod infimam speciem constituat, ita etiam dicam, ac multo etiā magis extraneum esse, quod subalternam speciem constituat. *Quinta Opinio*. Definiri differentiam intermediam, ac etiam differentiam infimam, non tamen hac præcisa definitione, sed sensum esse definitionis, non quod omnis differentia de pluribus specie differentibus dici debeat, sed si quæ species inter se differant, hoc habere per differentiam. Quomodo cum Aristotele 2. *Phys. in initio* definit naturam, principium motus & quietis, non vult naturam semper esse vtriusque principium in omni re quæ naturalis dicatur, sed tantū si quid moueatur id habere naturam, si quid quiescat, etiam naturam habere, vnde cælum est corpus naturale, q; tamen semper mouetur, terra item quæ tamen secundùm se totam saltem quiescit. Sic etiam cùm 2. *de anima, text.* 24. definit animam, qua viuimus, mouemur, sentimus, intelligimus, nō est sensus, omnem animā omnia ista præstare, sed si quæ res moueatur, aut sentiat, aut intelligat, id ab anima habere. Acuta sanè est hæc sententia; eo tamen magis falsa, quia apertè repugnat Porphyrio, qui vult differentiam eo modo prædicari de pluribus specie differentibus, quo genus, at genus positiuè semper prædicatur de pluribus specie differentibus, ergo etiam Porphyrij mens fuit definire differentiam, quæ de pluribus specie differentibus actu & semper prædicetur. Adde. hoc quod ipsi dicunt, non est, differentiam vt prædicabile est de pluribus dici, sed tantum plures species habere in se differentiam. *Sexta Opinio*. Non definiuisse Porphyrium infimam differentiā, quia non datur; sed tantum speciem infimam constitui complexu & aggregatione multarum differentiarum cōmuniorum, vt hominem per rationale mortale. Hæc sententia est quorundam apud Alb. Boët. in Porphyr. à Victorino translatum *c. de Genere*. Am. *proœm. in* Porphyr. Dexippi *lib* 1. *prædicam.* 26. Alex. 6. *Top. loco* 41. Iambli. apud Simpl. *loco citat.* quamuis *cap. de substantia* oppositum illi tribuere videatur. In eadem sententia dicitur esse Burleus, reuera tamen si benè legatur, tantum asserit quod sequens opinio, quam vtramq; simul examinabimus. *Septima Opinio*. Dari quidem vltimas & infimas differentias, sed vel nullam, aut certè quam paucissimas nobis esse cognitas, ideoque Porphyrium tantum definire voluisse notiones: Et hoc apertè docet Burleus, quod probat ex 2. *Post. text* 2. vbi inquit Aristoteles, quamlibet definiti seu definitionis partem, latius patere quam definitum & definitionem. Addit Burl. satis esse, si in definitione vnà cum genere altera tantum differentia ponatur, quia per genus res differre dicetur ab alijs diuersi generis, per differentiam ab ijs quæ sub eodem sunt genere. Deniq; si quando vltimæ ponantur, non tamen cum specie conuerti, quia etsi inter eas quæ nobis notæ sunt, maximè videātur esse vltimæ, non

tamen

tamen simpliciter sunt vltimæ. Primum quod docetur à Burleo, tradit etiam hoc loco Sonfin. & Caietanus.

Prima Propositio. Hæc definitio fine dubio non conuenit differentiæ vltimæ. Hoc tenent omnes Autores, præter eos qui sunt à secunda & tertia opinione. Et præterea Scotus & Am. And. hoc loco. Quod autem additur, sicut suprà tradita est definitio in *cap. de specie*, solius infimæ speciei, cùm tamen alia præter infimam sit, ita hoc loco assignatam solius mediæ differentiæ definitionem, esto alia sit præter illam, non est absolutè loquendo verum, sed tãtum quatenus hæc duo considerantur sub ratione prædicabilis. Nam Porphyrius *cap. de specie*, cùm tres, vt ipse loquitur speciei assignationes protulisset, primas duas etiam non specialissimæ conuenire dixit, ita etiam in hoc cap. dum differentiam esse dixit, quæ genus diuidat, speciem constituat, de eiusdem essentia sit, eandemque ab alijs differre faciat, id dixit, quod æquè conuenit infimæ & mediæ differentiæ. *Probatur* Autoritate eiusdem Porphyr. qui dial. de interrogatione & responsione apertè fatetur non fuisse à se hoc loco definitam omnem differentiam, quod satis etiam patet ex toto progressu huius capitis & ex hoc capite vltimo, præsertim vbi agit de communitatibus generis, & differentiæ, differentiæ & accidentis.

Secunda Propositio. Dantur differentiæ infimæ. Est communis opinio præter paucos illos Autores sextæ sententiæ. *Probatur* Autoritate Aristotelis 1. *Top. cap*. 3. differentias genericas ad genus esse reuocandas, indicat ergo esse alias, quæ infimis speciebus per se conueniant; & *lib*. 4 *cap*. 2. *loco* 20. dicit differentiam aut de pluribus prædicari quam speciem, aut de æqualibus. 7. *Met. text*. 42. dicit, definitionem ex duobus constare, genere & propria differentia, & *text* 43. expressè vltimam differentiam rei substantiam vocat, negatque esse alias differentias necessariò in definitione ponendas. 1. *de part. animalium, cap*. 2. 2. *Post text*. 4 & 21. Idem docent præter citatos Autores, Alex. in loca Aristotelis citata, & 7. *Met. text*. 36. & 37. Boet. *lib de diuisionibus cap*. 4. Alb. *tract*. 3. *de differentia*, D. Thom. 7. *Met. text*. 43. & 2. *Post. lect*. 13. vbi explicat locum quendam Aristotelis, ex quo oppositum colligi posse videbatur. Auer. 2 *Met. text*. 19. & *lib*. 7. *text* 43. *Ratio autem est*, Quia rei vnius vna est essentialis forma, & essentialis ac formalis effectus, ergo & differentia. *Confirmatur*. Nam differentia respondet formæ, sicut materiæ genus. 8. *Met. text*. 6. At probabilior est opinio, esse in re vnicam formam substantialem. *Confirmatur*. Habet se essentia vt numerus, 8. *Met. text*. 10. sed numeri vna est & simplex differentia, ita enim inquit Aristoteles, senarius non est sex vnitates, sed simul sex. *Confirmatur*. Passio fluit ex essentia, & differentia rei, at nemo negat passionem reciprocari cum specie infima, ergo etiam differentia ex qua fluit. *Confirmatur*. Speciei mediæ vnica per se conuenit differentia, etiam concessu aduersariorum, ergo & infimæ. *Dices*, Aristoteles 2. *Poster. text*. 2. & 17. 1. *Top. cap* 3. *lib*. 4. *cap*. 1. *lib*. 6. *cap*. 3. & alibi indicat in definitione esse ponendas plures differentias, definitionis partes latius patere quam definitum, differentiam non prædicari de specie, quia de pluribus prædicatur, quam species. Sed hæc omnia indicant, nõ dari infimas differentias. Vt his locis satisfaciam, sit tertia Propositio:

Tertia Propositio. Cùm duplex sit definiendi modus, quod ad rem præsentem attinet, vnus positis in definitione pluribus differentijs, quarum quæuis per se latius patet quam definitum; alter, vnica sumpta quæ cum specie conuertatur; hic quidem posterior melior est & certior, sed difficilior; prior magis est obuius & facilis, sed non ita accuratus. Aristoteles igitur præsertim *in Top*. vbi multa ad vulgi opinionem accommodatè præcipit, meminit ferè semper prioris definiendi modi: libris autem posterioribus eundem vt sufficientem ponit, non tamen reiecto posteriori; etiam vehementer approbato, vt patet ex locis quos pro nobis attulimus. Vel etiam quod sæpè alijs in rebus facit, sequi voluit opinionem, quæ suo tempore vigebat, nõ dari vltimas differentias. Quocirca 6. *Top*. *loco*

loco 41. hanc quæstionem proponit, sed allatis hinc inde rationibus insolutam relinquit. Libris verò Met. vbi magis scientificè progreditur, sæpè docet quod volumus. *Et lib. 7. text.* 43. dicamus, inquit, de definitione, vt non est dictum in analyticis, id est, accuratius; quo eodem loco, & textu sequenti docet dari vltimas differentias. Ad Porphyrium quod attinet, is testatur citato dial. de interr. & respons. se tantum de differentijs vt plurimum receptis locutum esse, facit enim expressè hāc interrogationem, quando dixisti differentiam prædicari de pluribus specie differentibus in quale quid, rem ita se se habere explicuisti? Respondet, Non planè ita, sed vt in plurimum consueuit, dantur enim vltimæ differentiæ conuertibiles cum suis speciebus. Ex quo sequitur, tum immeritò Caiet & Sotum dicere Porphyrio ignotas fuisse vltimas differentias, tum quam ob causam solam mediam differentiam definierit, tum denique dari vltimas differentias; vnde etiam immeritò Alb. tidet hanc nostram responsionem, non esse definitas infimas differentias, quod istæ nos vt plurimum lateant. De qua re lege Scalig. *exercita.* 112.

QVÆSTIO QVARTA.

An differentiæ intendantur, aut remittantur?

MAgis est hæc quæstio Metaphysica, quam Logica, tamen quia autor noster docet non intendi, vel remitti differentias maximè proprias, explicandum est breuiter, quemadmodum id verum sit. Etsi enim nullus quod sciam, id negeti aliqui tamen nonnulla dicunt, ex quibus consequens est differentias maximè intendi & remitti. Atque vt de Auerr. nihil dicam, cuius est sententia, formas elementorum magis & minus recipere, quod ad librum de generatione spectat; Caietanus 1. *part. quæst.* 85. *art.* 7. tuetur, animam rationalem, cùm primum in corpus infunditur, aliam alia perfectiorem substantialiter esse, Eadem videtur sententia *cap. a. s. dist.* 32. *quæst.* 1. Ferrariensis 1. *contra Gentes, cap.* 3. *Ratio ipsorum est.* Quia anima ordinem dicit ad corpus ratione complexionis, sed hæc non consistit in indiuisibili, ergo neque anima ipsa. *Confirmatur ex* 2. *de anima. text.* 27. vbi Aristoteles inquit: Actus actiuorum in materia disposita recipit. *Confirmatur* idem, ac potissimùm quidem experientia, cuius contendunt causam reddi non posse ad sola organa corporea, nisi intrinsecè dicatur anima ipsa esse perfectior. Volunt idem Autores pro se esse, D. Thom. 1. *part* & 2. *sent. dist.* 22. *quæst* 2 *art.* 3 Hinc facere videtur illud Salomonis de seipso; Puer autem erat ingeniosus, & sortitus erat animam bonam. Sed ne pluribus hæc disputem: Sentio, id nullo modo defendi posse, nec verò D. Thomam in ea esse sententia. Et quod ad rem nostram facit, ex illa opinione sequi differentias maximè proprias intendi & remitti, quod tamen ipsi non concedunt. *Probatur hoc vltimum.* Quia substantia illi cui dat esse, dat etiam denominationem formalem & essentialem, si ergo ipsa in se intenditur & remittitur, dicetur, quod ex ipsa cōstituitur magis aut minus substantialiter tale, quare sicut quia calor in se habet gradus, plus, vel minus caloris in subiecto, ipsum denominat magis aut minus calidum, ita substantia magis vel minus perfecta, denominabit id cui tribuitur, magis vel minus essentialiter, seu substātialiter perfectum, vnde dicetur homo alter altero magis homo. *Probatur etiam primum.* Nam prius est animam habere suam entitatem, quam infundi à Deo in corpus, ergo prius est in se perfecta, quam ratione complexionis quæ est in corpore. *Confirmatur.* Quia si in corpore essent dispositiones ad stultitiam, stulta quoque dicenda esset substantialiter anima illa; quod dicere stultissimum est. *Confirmatur.* Nam eadem ratio est de quauis forma substantiali, siquidē omnis forma certas quasdam requirit in subiecto dispositiones, quæ quoque non consistunt in indiuisibili. *Denique* Aristoteles *cap. de substantia* apertè docet, nullam substantiā recipere magis & minus, omnis igitur maior perfectio quę in humanis operibus reperitur, tota referenda est ad meliorem corporis habitudinem. Vnde illud Aristo-

telis 2. *de anima*, *text.* 94. molles carne aptos esse ad disciplinas. In quam sententiam multa habet in problem. & physiognomia. Eædem hæ rationes idem euincunt de formis elementorum. De qua tamen re nihil in præsentia. Et in genere nullam differentiam maximè propriam etiam accidentium, intendi & remitti. *Probatur* ex ratione Porphyrij. Quia rerum essentia eodem se semper modo habet. Et vt Aristoteles 8. *Met. text.* 10. similis est numeris.

QVÆSTIO QVINTA.

An Genus diuidendum sit immediatè per multas differentias?

Dicitur Soto existimare, esse diuidendum immediatè in plures differentias, quod tamen apud eum non reperi. *Sed dicendum est*, Vt recta sit generis diuisio, fieri immediatè debere in duas maximè communes & oppositas, vt docet Aristoteles 6. *Top. cap.* 3. Auer. 7. *Met. text.* 42. Quod etiam obseruauit Aristoteles diuidens quantitatem in continuam & discretam. Si quando verò non habet altera ex his differentijs nomen proprium, vtendum erit terminis priuatiuis, aut etiam contradictorijs, vt substantia alia corporea, alia incorporea; quod vbi hæc causa non subest, vitandum monet Aristoteles 1. *de part. cap* 3. *& Top cap.* 3. *&* Boët *lib. de diuisionibus.* Legenda sunt quæ diximus in compendio de diuisione. *Hinc sequitur refutatio opinionis* Speusippi, qui vt testantur Them. & Philop. 2 *Post. text.* 20. dicebant, non posse rectè de re vlla tradi definitionem, quia cùm sit explicanda per differentiam, non potest rei differentia cognosci, nisi simul cognoscantur ea omnia, à quibus res differt, quæ penè sunt infinita. *Ex dictis itaque refutatur hæc sententia.* Atque ab Aristotele 2. *Post. text.* 20. Sufficit enim, si cognoscamus rem quæ definitur, esse sub opposito membro vnius differentiæ, quæ simul cum altera genus diuisit; tunc enim eadem opera cognoscetur, differre hanc rem ab omnibus alijs quæ sunt sub opposito membro, nec enim necesse illa omnia sigillatim & distinctè cognosci.

Aliæ quæstiones quæ hoc loco tractari possent, posset hoc loco esse quæstio sexta. Quomodo differentia dicatur in quale quid. De qua cap. de genere dictum est. *Id solum est notandum.* Vocari ab Aristotele differentiam qualitatem 5. *Met. text.* 26. 5. *Phys. text.* 28. Dici etiam ab eodem, prædicari in quid. 2. *Post. text.* 20. 7. *Top. cap.* 4. *&* 8. *Vtriusque ratio est*; quia similis est differentia formæ, quæ qualitas dicitur, & est substantialis forma, & propterea in quid prædicatur. Vnde errauit Bald. hoc loco, qui differentiam non vltimam dicit prædicari in quid & non in quale, differentiã verò solam vltimam in quale, propter locum quendam Auer. 5. *Met. text.* 19. qui tamen mendosus est, vt notat Zimara in tabula, verbo, differentia, eumque ipse restituit.

Septima quæstio esse potest. An differentia sumatur ex tota forma, vel ex vltima formæ entitate. Scotus enim 1. *sent. dist.* 3. *quæst.* 3. sentit non vltimam differentiam sumi à tota entitate formæ, vltimam autem ab vltima realitate formæ. Sed hæc quæstio pertinet ad Metaphys. De quo legi possunt, quæ obiter habet Fonseca *lib.* 4. *Met. cap.* 2. *quæst.* 3. *sect.* 1. *&* 2. Videtur autem certum, sumi differentiam quamcumque ab aliquo præciso gradu, quamuis in concreto dicere possit totum quod est in aliqua specie.

Octaua quæstio esse potest. An superior differentia per se dicatur de inferiori? De qua disputandum est 7. *Met. Patet autem ex dictis* cap. de genere, non prædicari per se, quod etiam indicat Aristoteles 4. *Top. &* 7. *Met. locis citat. Confirmatur.* Quia si de rationali diceretur per se sentiés in hac prædicatione, homo est animal rationale, bis poneretur sentiens, semel in animali, & semel in rationali, si per se de animali dicitur sentiens.

Nona quæstio. An genus actu contineat differentias. *Et decima.* An de ijs per se prædicetur. De quibus cap. de genere.

Vndecima. An differentiæ sint per se & verè oppositæ. *Dicendum enim est.* Esse inter se contrarias; vt testatur Aristoteles 10. *Met. text.* 24. non tamen contrarietate proprie dicta, quæ solum in accidentibus reperitur.

petitur. Substantiæ enim nihil est contrarium. Quod autem ad contrarietatem differentiarum oppositio referri debeat, patet, quia non sunt oppositæ relatiuè, nec contradictoriè, nec priuatiuè, nec sunt iãtum disparatæ, quia maiorem oppositionem rationale & irrationale dicunt, quam aliquot differentiæ irrationales. *Huc referri debet*, an possint differentiæ aliquæ sub eodem genere esse æquè perfectæ, videtur enim id nullo modo dici posse, & patet ex analogia inter numeros.

Ex dictis ergo sequitur. Differentiã esse id quod speciem constituit, & illa mediante de pluribus prædicatur; ita vt magis sit de illius ratione speciem constituere quam genus diuidere, & cùm rei essentiam ingrediatur, debet necessariò in indiuisibili consistere, estque vnicum prædicabile, siue cum media, siue cum infima specie comparetur; quia eandem rationem differentiæ vtrobique habet.

IN CAPVT DE *Proprio.*

HActenus Porphyrius de ijs prædicabilibus egit, quæ vel essentiam componunt, vel sunt ipsamet essentia. Consequẽs videretur, vt de definitione dissereret, quæ est explicatio essentiæ rei, continens speciem tanquam definitum, genus autem & differentiam tanquam definiti partes. Vnde id quidam hoc loco faciunt, id tamen prætermisit Porphyr. tum quia solum de incomplexis prædicabilibus agere instituerat, tum quia nihil facit definitio ad seriem prædicamentalem constituendam, quò tamen potissimum hæc tractatio refertur. Postquam igitur de essentia, & essentiæ partibus disputauit, accedit ad ea quæ essentiæ iam constitutæ aduenıunt. *Primo tamen loco de Proprio disserit*, quia vt inquit Boët. manat de essentialibus speciei. Explicat igitur Porph. hoc cap. Proprij acceptiones, definiens Propriũ quarto modo esse maximè proprium, quodque constituat quartum prædicabile, & quia hoc caput nihil prætereà continet, non est plures in partes à nobis tribuatur. *Prima acceptio Proprij est*, Vt significet id quod conuenit soli sed non omni, vt esse geometram. *Secunda*, Quod omni sed non soli, vt esse bipedem. *Tertia*, Quod soli omni, sed non semper, vt canescere in senectute, homini conuenit. *Quar. 4.* Quæ omni soli, & semper couenit, vt homini esse risibile; etsi enim non semper rideat, semper tamen aptus est ad ridendum.

EXPLICATIO VERBORVM.

VT homini medicum esse, vel geometram. Hinc colligunt quidam non sumi ista pro aptitudine, quia sic conueniret quarto modo homini, sed tantum propensione quadam; quia nonnulli ad vnam artem potius quam ad aliam nati esse videntur. Verum dictiones græcæ significant actum ipsum, & hoc modo sine dubio est proprijũ primo modo, quo etiam modo Proprium esse potest, prout dicit dictam illam propensionem, vel quatenus dicit informari his habitibus. *Esse bipedem*, Aristoteles sæpè bipedis nomine vtitur pro differentia essentiali, vt *cap. 3. prædic. lib. 1. de Interpret. cap. 4.* & non semel 2. *Poster.* sed exempli tantum loco, non autem reuera intelligẽdus est. Homini in senectute canescere. Paulus Ven. intelligit canescere de potentia, quod tamen repugnat textui; nec vult tamen esse Proprium quarto modo, quia inquit, non semper potest homo canescere, sed stato tantum tempore, quando videlicet cerebrum non potest digerere humidum naturale, quo fit vt humidum putrefiat, & albefiat. Tamen si verũ est quod Porphyrius indicat, soli homini conuenire, & si canescere significat potestatem ad canescendum; vt vult Ven. non video quo minus Proprium quarto modo respectu hominis, atque risibile respectu eiusdem, nam semper homo potest canescere, suo tempore, & solus. Nihilominus non solum hominem canescere, sed etiam equum, testatur Aristoteles 1. *de gen. animalium, cap. 5.* etsi dicat non omninò, sed similitudine quadam. Idem tradit de lupo & canibus. Plin. *lib. 11. naturalis hist. cap 37.* De tempore autem canitiei legendus est Aristoteles 5. *de generat. animalium, cap. 4. & sect. 10.*

problemat. 61. Mirum tamen est quod Plinius narrat *lib. 7. cap.* 1. ex Autoritate Isigoni Nicæensis, in Albania gigni quosdã à pueritia canos, *&* *cap.* 2. alios dicit esse, quos Thesias appellat, in *pandore cum valide suos*, qui ducentos annos annos viuant, & sint in iuuenta candido capillo, ad senectutem autem dum accedunt, nigrescant. Quod idem de gruibus traditur. *Nã etsi non semper rideat.*) Imò verò Plinius *lib. 7. naturalis hist.* in proœmio scribit, non concedi vlli homini ridere ante 41. diem, sed *cap.* 16. solum Zoroastrem memorat, ipso die quo genitus est risisse, *&* *c.* 19. Crassum auum Crassi in Parthis interempti nunquam risisse; ideoque appellatum fuisse Agelaston. Dicitur etiam Heraclitus semper fleuisse miseram hominum conditionem, & contra semper risisse Democritus. Deniq; Val. Max. narrat Philemoni cuidam vim nimiã risus vitam exhausisse.

NOTANDA CIRCA *hanc partem.*

NOtandum primò. Aliter videtur apud Aristotelem *in Top* Proprij nomen vsurpari, nam *lib* 1 *cap.* 3. sumit aliquando Proprium pro complexo totam rei essentiam explicante, id est, pro definitione, sic enim a *Post. text.* 3. dicens, solam definitionem cum definito reciprocari, ideoque illius Proprium esse. Ibid. etiam dicit, definitionem ex genere & differentia constantem componi ex Proprijs, vbi Proprij nomen ad definitionis quoque partes extenditur. *Secundò* sumit Proprij nomen pro eo quod cum re reciprocatur, non tamen dicitur in quid. Ita sæpè *in Top* & præsertim *lib.* 7. *loco* 36. Quo etiam loco hoc Proprium modo complexo sumit, quatenus æquiualet descriptioni. Nos tamen eum Porphyr. de solo incomplexo loquimur, nisi forrè complexi nomine etiam intelligamus proprietatem, quæ sub disiunctione alicui conuenit, vt numero, esse parem, vel imparem.

Notandum secundò. Hoc Proprium Incomplexum aliter diuidit Aristot. 1. *Top. cap.* 4. prout videlicet comprehendit omnes acceptiones à Porphyrio explicatas, sic etiam *lib.* 5. *loco* 3. hoc modo Proprium diuidit. *Primò* Quod absolutè & simpliciter rei conuenit, vt homini aptitudo ad scientiam. *Secundò*, Quod aliquando conuenit, vt dormire animali. *Tertiò*, Ad aliquid, id est, quod vni dicitur esse Propriũ respectu alterius cui non conuenit, vt homini esse bipedem respectu quadrupedũ. *Tamen hæ quatuor acceptiones* Porphyr. quæ clariùs & distinctiùs Proprium explicant, facilè ad tres illas reuocari possunt. *Nam primum illud Proprium* apud Aristotel. est Proprium quarto modo. *Secundum* est Proprium tertio modo. *Tertium autem*, si competat omni sed non soli, est Proprium secundo modo. Si soli sed nõ omni, est Proprium primo modo. Cæterum hæc diuisio Proprij non est, vt Burl. dicit, æquiuoci in sua significata, sed vt Alb docet, analogi in analogata. Ideò Aristoteles loco citato Proprium illud suum primum, quod est Proprium quarto modo apud Porphyr, appellat simpliciter, absolutè, & per se Proprium, significans alia esse tantum secundùm quid Proprium.

De sufficientia autem huius diuisionis in has quatuor acceptiones, lege Albertum hîc.

Notandum tertiò. In definitione Proprij esse supplendum, quod initio capitis dicit Porphyr. nempè esse id quod rei accidit; alioquin posset definitio definitioni essentiali conuenire, siquidem soli, omni & semper conuenit, & cum re cuius est conuertitur. Vnde 1. *Top cap.* 4. Aristotel. Proprium, inquit, est, quod non indicat quid est esse rei, soli autẽ inest, & conuersim de re prædicatur. Quod autem dicit non indicare Proprium, quid est esse rei, intelligendum est de significatione immediata & expressa; alioquin enim, vt suprà dixi capite de differentia, etsi Proprium non faciat aliud, ac propterea non significat quid esse rei, tamen infert aliud, ac proinde in hoc sensu indicat quid esse alterius, id est, implicitè & mediatè. Quod prætereà apertè docet Aristot. 4. *Phys* tradens definitionem Logicæ. Sic etiam 1. *de anima*, *text.* 11. plurimum valere dicit, rei proprietates ad quidditatem cognoscendam.

Notandum quartò. Quod dicit Porphyr. proprium significare tantum potestatem, dicens,

dicens, ideò risibile esse proprietatem hominis, non quia homo actu semper rideat, sed quod aptus sit ad ridendum: non est absolutè verum; siquidem aliquæ sunt proprietates, quæ in ipso actu consistunt, cuiusmodi est perpetuitas motus in cælis. Quod etiam significat Alex. 1. *Top. cap.* 4.

DISPVTATIO IN Caput de Proprio.

Omissis aliquot quæstionibus, quæ sunt Proprio cum alijs prædicabilibus communes: vt: An proprium habeat perfectam Vniuersalis rationem, quod dicit Alb. nos autem cum cæteris alijs negamus, quia non prædicatur immediatè de inferioribus. Qualis etiam est: Cùm proprium nõ modo infimæ speciei, sed interiectæ etiam, & generi conueniat, nũ constituat distincta prædicabilia? *Ratio enim horum duorum eadem est*, quæ assignata est, dum de differentia ageremus. Itẽ quæstio illa, An proprium verè definiatur, dissoluta manet ex dictis de genere. Nec enim potest propriè definiri, ob causam dictam, vbi miror Am. And. qui cùm asseueratè dicat, genus aliasque præcedentes species perfectè definiri, id tamẽ negat de proprio. *Omissis*, inquã, *his quæstionibus, alijsque similibus*. Supposito etiam quod detur Proprium; quod vel experientia patet, & euidenti ratione, & affirmat Aristoteles 4. *Phys.* in definitione loci, *1. de anima, text.* 11. *lib.* 2. *text.* 12. & *1. de part. animalium, cap.* 12. Hæ sequentes quæstiones aliquam potissimum difficultatem continent.

QVÆSTIO PRIMA. *Cui conueniat Proprium?*

ID est, de qua re dici possit Proprium? seu quodnam sit proprij subiectum?

Prima Propositio. Proprium non conuenit Indiuiduo. *Ratio.* Quia proprium est quid fluens ex rei essentia; ex Indiuiduo autem quatenus tale, non potest proprium profluere, quia non conuenit illi per se essentia, sed tantum ratione naturæ quam in se habet, tamen aliquando quæ aliquibus Indiuiduis peculiaria sunt, solent appellari propria, vt vidimus *c. de differẽtia*, vt Lucullus apud Cic. 2. Acad. quæst. editione 1. dicit, dilucidè tradi à politioribus Physicis, singulatium etiam rerum, id est, indiuiduarum singulas esse proprietates. *Ratio etiam est.* Quia Indiuiduum solum esse potest proprium subiectum accidentium communium, vt Aristot. 10. *Met. text* 35. & ibidem Auer. & D. Tho. & idem D. Tho. *opusc.* 48. *cap.* 7. & *de Ente & essentia, cap.* 4. Alb. *tract.* 7. *in prædicab.* Porphyr. *in cap. de communitatibus & differentijs.*

Secunda Propositio. Entis vt communissimè sumitur, non possunt propriè dici aliquæ esse passiones aut proprietates. *Probatur.* Quia ens hoc modo dictum, dicitur quidditatiuè de quouis habente entitatem; ob quam causam negat Aristot. vt dixi in 3. *Met.* Ens esse genus, quia caret differentijs. & differẽtijs carere, quia de quouis Ente quidditatiuè prædicatur.

Tertia Propositio. Nullum analogum potest simpliciter dici habere proprietates, prout proprium hîc dicitur tanquam prædicabile. *Ratio est.* Quia de ratione prædicabilis & Vniuersalis est, dici vniuocè de suis inferioribus, quod est contra rationem analogi.

Quarta Propositio Proprium conuenit omni rei quæ dicit aliquam naturam simpliciter vnam, vel non æquiuocam, aut analogam. *Ratio est.* Quia ex quauis natura potest aliqua proprietas & passio fluere, & hoc requiritur vt sit proprium quarto modo sub ratione prædicabilis, alioquin quod Entis, quatenus dicit aliquid completum, esse possint aliquæ passiones, docent cum Aristot. omnes Philosophi, enumerãtes has Entis proprietates, vnum, verum, bonum.

Quinta Propositio. Proprium vt est quartum prædicabile, cõuenit non modo speciei infimæ, sed etiam mediæ, atque etiam summo generi. Satis enim est ad rationem proprij, de subiecto suo immediatè prædicari, & de cõtentis sub illo, secundùm eundem prædicationis modum vniuocè prædicari, at hoc reperitur in his omnibus. Hinc est quod Aristoteles in prædicamentis semper affert cuiuslibet prædicamenti

proprietates, Cùm igitur dicitur propriũ aduenire essentiæ constitutæ, non debet essentia illa concipi vt constituta ex genere & differentia, sed satis est quod adueniat essentiæ completæ.

Sexta Propositio. Porphyrius rationem proprij solummodo explicauit, vt conuenit speciei infimæ. Quia vt notant Albert. & Boët. *species infima est id*, cuius ratione proprium perfectè dici possit, quia nomine proprij intelligi solet id, quod accedit ad essentiam completam, & quod vni soli conuenit: *Species verò infima* perfectissimè inter omnia est completa in essentia, & cùm vlterius diuidi non possit in plures quidditates, perfectè dicitur proprium ratione illius proprium, quia perfectè illi soli conuenit, quamuis etiam cuiuslibet alterius respectu, etiam summi generis dicitur proprium soli conuenire, quia quæ sub genere continentur, non ponunt, vt dicunt in numerum, respectu essentiæ generis & proprietatum, ita enim plures species simul sunt vnum genus, sicut vt dicebat Porphyr. *cap. de specie*, plures homines sunt vnꝰ homo; & propterea sicut propriũ, quod conuenit speciei infimæ, verè dicitur proprium, etiamsi conueniat plurimis Indiuiduis eiusdem speciei, quia illa Indiuidua non ponunt in numero cum specie, ita etiam verè dicetur proprium quod conuenit alicui generi, etsi conueniat pluribus speciebus contentis sub illo genere.

Septima Propositio. Proprium quod conuenit substantiæ, non est substantia, sed accidens. *Hæc est communis omnium opinio*, præter vnum Flamin. *in quæst. Log. cap.* 3. Qui contendit proprietates substantiæ esse substantias, sed nulla quæ alicuius momenti sit, ratione ductus, nec etiam pro illo facit Eust. 2. *Post. com.* 127. Quare non alia indiget refutatione. Id solum concedi posset, de quibusdam quæ substantiæ conueniunt, tãquam intrinseci illius modi, qualis est existentia & subsistentia, quæ si proprietates appellentur, quæstio erit tantum de nomine.

Octaua Propositio. Eidem vni rei possunt multa propria conuenire. Patet exemplo in omnibus rebus, vt in homine, esse risibile, admiratiuum. Nec oppositum est apud Aristotelem *lib.* 4. *Top. cap.* 3. nam locus ille corruptus esse videtur. Et in veteribus codicibus græcis ita habetur, impossibile est, idem multorum esse proprium; quod tamen intelligendum est ad sensum præcedente propositione explicatum, id est, vt non possit idem esse proprium multis tanquam immediate subiectis.

Vltima Propositio. Proprium quarto modo non potest esse propriũ alijs rebus, modis proprij. *Primo, secundo, vel tertio. Probatur.* Quia Proprium quarto modo adæquatè respicit subiectum, cui conuenit essentia, ex qua ipsũ fluit. Sicut ergo illiꝰ rei vnica est essentia, nec potest pluribus communicari, nisi quatenus illa se habent per modum vnius, ita non potest proprium quarto modo quod ab essentia fluit, ijs cõmunicari, quib. essentia non cõmunicatur. Si tamen consideretur aliquod vnum inferius, cui conueniat affectio essentiæ, poterit hoc modo respectu illius dici propriũ sub ratione alia, vt esse risibile respectu particularis hominis dici poterit propriũ secundo modo, quia conuenit illi & semper; sic etiam proprium, quod conuenit naturæ genericæ respectu alicuius speciei dici poterit proprium secundo modo. Atque per hæc conciliatur Burl. & Am. And. cum alijs, Quorum ille affirmat posse speciem quarto modo respectu diuersorum esse speciem sub alijs modis. Isti autem id negant; vtrique enim verum dicunt. Burleus si de mediato aliquo subiecto præcisè loquatur, alij autem si de immediato subiecto. *Hinc tamen notandum est*, magis propriè solere appellari proprietates ea accidentia, quæ conueniunt substantijs, & fluunt ex ipsarum essentia, quam affectiones illas quæ promanant ex alijs accidentibus. Vnde sicut accidentia realiter distincta, accidunt substantijs, nec sunt semper substantiarum propriæ passiones, ita etiam dictorum accidentium passiones dici possunt accidere substantijs, quæ tamen non habent pro proprio subiecto respectu cuius dicantur passiones, ipsas substantias, sed accidentia.

QVÆSTIO

QVÆSTIO SECVNDA.
An Proprium recipiat magis & minus?

RESPONDEO, Non recipere magis & minus, quatenus formaliter est Propriū *Ratio*. Quia de ratione Proprij est prouenire ex rei essentia, sicut ergo essentia consistit in indiuisibili, ita Proprium dicitur esse expers intensionis & remissionis. Nihilominus duobus modis posset concedi Proprium intendi & remitti. *Primò*, Per accidens & ratione extrinsecæ operationis. Quo pacto videmus aliquos esse magis faciles ad risum, & id est quod suprà dixi de differentia: dum ageremus de anima rationali contra Caietanum. *Secundò*, Entitatiuè & materialiter, id est, ratione accidentis quod intenditur & remittitur, cui cōueniunt aliquæ proprietates, verbi gratia, albi proprium esse disgregatiuum visus, nec enim est differentia magis propria, vt probat D. Thom. *opusc. 42. cap. 6.* Sicut igitur ipsa albedo entitatiuè intenditur & remittitur: non tamen quo ad propriam essentiam, ita seruata proportione esse disgregatiuum visus, quæ est illius proprietas, intendi dicetur & remitti. Hoc autem peculiare est in proprietatibus substantiæ, vt neque etiam secundùm entitatem, & gradus reales intendi possint, si verum est, substantias ipsas intendi non posse nec remitti. Contrarium sentire videtur Auer. Alb. Paul. Ven. & Burl. dicentes, etiam risibile suscipere magis & minus. Sed apertè id negat Porphyr. *cap. de communitatibus & differentijs*, quare cum *cap. de differentia*, proprias differentias asseruit intendi & remitti, intelligendum est, non de Proprio quarto modo, sed quibusdam alijs accidentibus, quæ si cum communissimis cōferantur, propria dicuntur, etsi reuera non sint huiusmodi. lege Zimar *theor. 54.*

QVÆSTIO TERTIA.
Quomodo se habet subiectum respectu Proprij?

ID est, in quo genere causæ cum Proprio conferatur. Auer. 4. *Met text. 2.* affirmat se habere subiectum respectu proprij solum vt causam materialem: Quam sententiam fusè explicat Zim. propositioe 52. *Probatur* Autoritate Aristotelis, qui 1. *Phys. text.* 8c. materiam & subiectum confert in ordine ad accidentia materialia, at eiusdem sententiæ est libris de generat. animalium, in generatione humana habere tantum locum principij materialis, vel causæ. D. Thom. 1. *Phys. lect. 3. 1. part. quæst. 77. art. 6. ad 3 opusc. 48 cap. 6 1. sent. dist. 17. quæst. 1. art. 2. ad 2. quæstionibus de malo, quæst. 4. art. 2. ad 9.* docet habere subiectū respectu proprietatum rationem causæ formalis, finalis, & efficientis. Quod etiā probat ibidem Caiet. 1. *part.* Etiam Am. Auer. qui inquit, solum locutus est in communi de subiecto in ordine ad accidentia, non autem in ordine ad talia accidentia *Notandum est* Subiectum aliud appellari inhæsionis, aliud attributionis. *Subiectum inhæsionis est*, cui accidens inhæret. *Subiectū attributionis est*, de quo accidens prædicatur, vt albedo verè inest soli materiæ primæ, tamen attribuitur & prædicatur de toto composito. An autem aliqua sint accidentia, siue propria, siue communia, quæ subiectum inhæsionis habeant totū compositum, quæstio est sed in lib. de anima examinanda.

Notandum secundò. Aliud esse subiectum, cui inhæret accidens. Aliud autem esse id ratione cuius accidens inhæret. Etsi enim materiæ inhæreant accidentia, non tamen inhærent, nisi ratione formæ, quæ talia accidentia requirit in subiecto, vt possit informare & conseruari in materia. Quāuis autem ista accidentia realiter distincta à forma, possint intendi & remitti; tamen ille ordo quem habet forma ad materiam cum talibus accidentibus requisitis, non recipit magis & minus.

Prima Propositio. Omne accidens quodcunque sit, dicit ordinem ad subiectum & materiam, tanquam ad causam materialem, & finalem, tanquam ad materialem, quia subiectum est materia recipiens accidens ipsum, quod est esse causam materialem, tanquam ad finalem, quia cùm accidens sit ens imperfectum, ordinatur ex se ad substantiam tanquam ad finem, vt in ea inhæreat, & propterea appellatur Entis ens.

Secunda Propositio, Certum est subiectum respe-

respectu propriarum passionũ habere peculiarem quendam ordinem & causalitatis modum, præter eum quem habet ad accidentia communia. *Hinc enim est, quod poni dicitur in definitione proprietatum suarum*, quia Proprium de ipso subiecto dicitur in secundo modo dicendi per se, vt Aristot. 1. *Post.* & D. Tho. *ibid. lect.* 10. Auer. 7. *Met. text.* 17.

Tertia Propositio. Hinc sequitur, vt benè D. Thom. dicit *opusc.* 48. *cap.* 6. non tantum se habere subiectum respectu Proprij, vt receptiuum, nec tantum vt finem, quod habet respectu cuiuslibet alterius accidentis, sed etiam vt efficiens & imponens necessitatem tali enti vt sit. *Ratio etiam esse potest*: Quia quando aliqua sunt inuicem per se subordinata, id quod est prius se habet per modum causæ efficientis respectu posterioris. *Et cõfirmatur.* Quia passiones non fiunt ab agente naturali in re, nisi mediante forma quam producit, ergo forma se habet per modum causæ efficientis respectu passionum. Hæc tamen efficientia non est absolutè appellanda efficientia, quasi forma habeat actionem quãdam realem, qua producat passiones, hanc enim non est necesse dicere quod habeat; præterquã quod multi negant, posse substantiam esse immediatum principium effectiuum rei alicuius. De qua re *in lib. de generat.* Sed est dicenda cum D. Thom. hæc efficientiæ ratio resultantia & emanatio quædam.

QVÆSTIO QVARTA.

An Proprium distinguatur realiter à subiecto?

HÆc quæstio, vt benè monet Soto *cap.* 2. excedit limites Logicos, vnde nos etiam nihil hoc loco dicemus. Est enim grauissima controuersia inter D. Thom. & alios, An potentiæ animæ distinguantur ab anima nec ne. Sed proprius locus in libris de anima est.

QVÆSTIO QVINTA.

Quotuplex sit Proprium?

LOquimur de Proprio quarto modo. Vt autem omittam materiales diuisiones, & quæ sunt omninò per accidens, quales sunt quæ conueniunt rebus corruptibilibus, & incorruptibilibus, corporeis & incorporeis & alias multas quæ hoc loco coaceruari solent. *Prima Diuisio* est in Proprium, quod dicit tantum potentiam, & in Proprium quod dicit actum. Prioris exemplum est vt risibile; de quo tantum locutus esse videtur Porphyr. etsi aliud non excluserit. Posterioris exemplum est motus cælestis perpetuitas, vt suprà notatur ex Alex. 1. *Top. cap.* 4. *Secunda Diuisio.* Aliud Proprium est simplex, aliud veluti complexum & compositum. *Simplex*, vt esse risibile. *Complexum*, vt esse par, aut impar, esse rectum, vel curuum respectu lineæ. *Tertia Diuisio.* Alia distinguuntur realiter à suis subiectis, vt qualitas à materia, alia tantum formaliter, vt potentiæ animæ; Intellectus, memoria, &c. secũdùm satis probabilẽ opinionem. De qua re hîc disputat Soto *q.* 2. *Quarta Diuisio.* Aliud dicit quandam perfectionẽ, vt aptitudo ad sciẽtiam; aliud dicit imperfectionẽ, vt esse corruptibile. *Quinta Diuisio.* Aliud dicit solam formam simpliciter & per se, vt esse discursiuum, aliud dicit formam in ordine ad materiam, vt potentia vegetatiua, esse risibile. *Vbi tamen notandum est*, in materia illud accidens, quod necessariò requiritur ad exercitium proprietatis dicentis ordinem ad ipsam, posse appellari Proprium, respectu totius, vt si soli homini proprium est canescere, seu posse canescere, illud accidens materiale, quod requiritur ad canitiem efficiendam dici poterit proprium hominis. *Sexta Diuisio.* Aliud est proprium genericum, aliud specificum, siue species sit intermedia, siue infima.

Ex dictis sequitur, Propriũ quod est quartum prædicabile, esse accidens fluens ex rei essentia, & quod reciprocè de subiecto prædicatur, quod subiectum esse potest quæuis vna natura, modo sit vniuoca, quamuis sit summum genus, habetque respectu proprij subiectum, causalitatem nõ modo materialẽ & finalem, sed etiam quodammodo efficientem, formalem verò eo modo, quo materialem & finalem, id est, respectu cuiuslibet accidentis; quia videlicet ponitur in eius definitione. Denique

cum

cum sint multæ species Proprij, omnes tamen hoc habent commune, quod intendi & remitti propriè nequeūt, & prædicabilis rationem non nisi imperfectam habent & mediatam.

IN CAPUT DE *Accidente.*

ARist. 1. *Top cap.* 4. monet prius aliarum vocum præmittendam explicationem fuisse, quam Accidentis notio exponeretur, vt patet ex definitione Accidentis, quæ vltimo loco ab Authore nostro ponitur, & est *ibid. apud Arist.* Ratio etiam est, quia Accidens deterius omnibus præcedentibus prædicabilibus prędicationis rationem habet, vnde supponit quodammodo essentiam ipsam, & quæ ex essentia fluit. Hoc caput breuissimum est, quare non est quod plures in partes diuidatur. Hæc autem sunt potissimum quæ à Porphyrio docentur. Primo definit Accidens, *quod adest & abest sine subiecti corruptione.* Secundo diuidit Accidens *in separabile & inseparabile.* Tertio dicit, cogitatione posse intelligi subiectū sine accidente, quod *inseparabile* appellatur. Quarto ponit secundam definitionē accidentis, *quod contingit eidem inesse & nō inesse.* Quinto affert tertiam definitionē, *quod neque genus est, neque species, neque differentia, neque proprium, semper autem est in subiecto subsistens.*

EXPLICATIO VERBORUM.

Nigrum verò esse inseparabiliter coruo & Aethiopi?

Nigredo (quæ inseparabiliter est in subiecto, Authore Aristotelo lib. *de causis prop. elementorum*, si tamen eius libri author est Arist.) ex eo fit, quia semen in matrice decoquitur forti decoctione, & ideò resoluitur humidū clarum, & restat nigrum. Ideò igitur coruus inseparabiliter niger est, nempè propter complexionem; Aethiopes verò tum propter hanc causam, tum etiam propter clima. Lege Arist in *lib. de coloribus.* Tamen Alb. hic affirmat, quod si nidus coruorum esset in frigidis montibus, & ouum corum circumliniretur argento viuo, & humore viscoso anseris & catti, qui est frigidissimus, futuros tunc coruos albos, dicitque se id expertum esse.

NOTANDA.

NOtandū primo. Prima definitio Accidentis dicitur à nonnullis esse apud Arist. 1. *Top cap.* 4 reuera tamen nō prima, sed secunda est, vult tamē Amm. And. esse definitionem Plat. in qua *adesse* & *abesse* non dicuntur accipi simul, sed sub successione, & successiuè; sunt enim hęc inter se opposita, quod eidem simul inesse nequeant.

Notandum secundo. Videtur Porphyr. perturbatum ordinem secutus, dum ante duas illas Accidentis definitiones, eius̃ subiecit diuisionem. Sed id ideò fecit, vt definitionem primam explicaret, & vt etiam obiectioni occurreret, qua quis poterat contra definitionem argumentari: Dicitur vulgò Accidens esse quoddam inseparabile, non ergo adesse potest & abesse. Respondetur, esse quidem bonam illam Accidentis diuisionem, tamē quamuis aliquod Accidens re ipsa separari non possit, cogitatione tamen & mente separari posse. Cæterum hęc diuisio est apud Arist. 5. *Met. cap. vlt.*

Notandum tertio. Secunda definitio est, vt dixi, apud Arist. 1. *Top. cap.* 4. & 1. *Phys. t.* 28 quæ videtur quam præcedens esse melior; melius enim Accidentis natura explicatur per *inesse*, quam per *adesse*, quia Accidentis essentia saltem consistit in aptitudinali inhærentia, vbi etiam verbum illud (*contingit*) explicat, quod dixi in præcedenti definitione *inesse & non inesse*, successiuè accipi debere.

Notandum quarto. Definitio tertia Accidentis est apud Arist. *in Top.* sed inter cæteras minimè videtur esse accurata, quod idem Arist. testatur; traditur enim per negationem, quod est infimum & improprium definiendi genus, quo etiam non entia definiri possent; vt si diceremus, Chimæram non esse hominem, nec equum, nec quicquam cæterorum. Vnde nisi aliud quid positiuum addatur, negatoria est definitio, hic autē additur, quod

semper sit in subiecto subsistens, nō quod separari non possit, quia dum est, ne. essariò est & semper in subiecto. Lege Arist. *6. Top cap.2.* Vbi dictam definiendi rationem reijcit, quia negatio potius quod res non sit explicat, quam quod sit. Nihilominus solemus huiusmodi definitiones adhibere, dum vel rem maximè imperfectam, vel perfectam explicare solemus. Vnde Arist. *7. Met. Materia*, inquit, *neque est quod, neque quale, neque quantū, nec quippiam caeterorum.* Sic etiam Deu Opt. Max. definite volentes, Authore B. Dionysio, *lib. De diuinis nominibus*, dicere solemus, Nec esse substantiam, nec qualitatem, nec quantitatem, sed supra substantiam. Vbi miror Alex. qui hanc definitionem Accidentis maximè probat. Quia autem hæc definitio negationem includit aliorum prædicabilium, ideò Arist. agendum dixit de Accidente post alia prædicabilia.

Notandum quinto. Auic. & alij Arabes apud Albet. reprehendunt Porphyrium, quod non prius Accidentis acceptiones posuerit, quam ad definitionem eiusdem veneric. Cæteri & Amm. conantur excusare. Verum vt nihil desideretur, subijciemus Accidentis acceptiones, quæ tamen satis colligi possunt ex his quæ dixit Porphyt. *cap. de differentia & proprio.* Primo igitur Accidens significat id omne quod alteri inhæret, hoc est, adiacet, seu quod est distinctum à substantia, nec significat subsistendi modum. Ita D. Thom. *cp.48. sap vlt.* Alb. & Scot. *hoc loco.* Auic. *cap 11. Log.* vbi etiam vult à Porphyrio sumi Accidens vt distinguitur contra substantiā. Et hoc modo potest Accidentis ratio, vt est prædicabile, cuilibet generi Entis cōuenire, etiam generi accidentium, sicut generis & aliorum prædicabilium rationem in ijs reperiri. Quod præterea expressè habet Arist. *1. Top. cap.4.* inquiens: Omnia prædicata, vt genus, differentiam &c. in omnibus prædicamentis reperiri. Fateor nihilominus, sicuti supra de Proprio dixi, non ita propriè dici vnum accidens habere accidentia, atque substantiam, quia vt Auer. monet *4. Met. Tex. 14.* tandem accidens quod accidenti accidit, substantiæ accidit, cui prius accidens accidebat. Idem docet D. Thom. *de spiritual. creat. art. vlt. & 1. part. quæst.77. art 1. ad Sum.* Secundo significat Accidens quicquid est extra essentiam rei, quo pacto substantia etiam respectu alterius substātiæ potest appellari accidens: quo etiam modo supra diximus ex Arist. accidere differentias generi. Tertio significat Accidens casum fortuitum, cuiusque nulla sit determinata causa. Ita Arist *5. Met. Tex. 35 li.6. Tex.5. 1. par ca 24.* vt inuentio thesauri. Quarto dicitur Accidens id quod opponitur prædicato per se, siue cū quidditas prædicatur, siue etiam propria passio, siue denique, vt opponitur quatuor illis modis dicendi *per se*, de quibus Arist. *1 Post.* Ita vsurpat Arist *eodem lib ca.2. & 5.* dicens, Sophistarum autem versari circa accidens. Quinto & vltimo propriè significat Accidens id quod rei accidit, nec fluit ex essentia, nec reciproce dicitur de subiecto. An autem Porphyr. acceperit Accidens hoc ea. hoc modo, hoc est, proue etiam extenditur ad substantias, dicemus in Disputatione.

DISPVTATIO IN Caput de Accidente.

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodo Accidens sit quintum prædicabile.

Mvltæ sunt Accidentis, vt in text explicui, acceptiones. Quæstio est sub qua ex his Accidens habeat prædicabilis rationem. Auicenna alijque Arabes hoc nomine reprehendūt Porphyrium, quod de Accidente solum locutus sit prout à substantia distinguitur. Vnde volunt Accidens, vt quintum Prædicabile, comprehendere quamliber prædicationem accidentalem, quatenus hæc distinguitur à prædicatione essentiali. Eadem videtur esse sententia D. Thom. *de spiritualis creat. art. vlt.* vt expressè eum interpretatur & sequitur Ferrar. *2 con. Gent. ca. 81.* & recentior Philalpand *In hunc locum.* Quod etiā probat Au. Alex. *1. naturalium quæst. q 17.* & Amm. *in hunc locum.* Confirmatur etiā Authore

Authore Arist. qui 1. *Top. cap.* 4. dicit omnia prædicata reperiri in omnibus prædicamentis, ergo etiam in substantia reperitur prædicatio accidentalis, quâ vna de alia prædicetur. Idem docet Alb. & aiet. Contraria sententia videtur esse magis communis, & disertè eam defendit Bitol. in hunc locum.

Dicendum est, sine dubio Porphyr. esse hoc capite locutum de Accidente quod à substantia distinguitur: Nam dixit, esse id *quod contingit inesse, & non inesse*, id est inhærere, & non inhærere, quod nullo modo substantiæ conuenire potest. Videtur etiam eadem Arist. sententia; nam vt supra docuimus, fuit hæc definitio ex ipso decerpta. Ratio etiam est, quia substantiæ de alia substantia prædicatio, si non fit essentialis & quidditatiua, quomodo tunc refertur ad genus, speciem, vel differentiã, non est directa & naturalis. Quare quãuis dici possit, modo lato Accidentalis prædicatio, tamen non est dicenda huiusmodi prędicatio ad hoc prędicabile propriè pertinere, sed reductiuè tantum, quia hæc prædicabilia omnia continẽt prædicationes naturales & directas.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quomodo differat Proprium ab Accidente?

Frustra, dicat aliquis, instituitur hoc loco quæstio ista; siquidem ex vtriusque definitione patet, quod sit inter vtrumque discrimen Nihilominus est quædam peculiaris difficultas, quę hic videtur esse necessario explicanda: Cum enim dictum sit, Proprium esse id, quod ex se certum & determinatum sibi subiectum vendicat, videtur etiam Accidens esse Proprium, eandem ob causam: nam requirit Accidens quodlibet subiectum determinatum. Confirmatur: quia quoduis Accidens definitur per subiectum. De Accidente etiam potest esse scientia & demonstratio: at demonstratio est de Passione, seu Proprio, vt inquit Arist. 1 *Post. t.* 2.

Notandum est. Hic quærimus, an Accidẽs dicat ordinem ad subiectum, quod respectu illius sit determinatum, & Proprium quarto modo.

Notandum secundo. Subiectum potest esse duplex: *Quod, & quo*. Per subiectum *Quod*, hic tantum intelligimus id cui accidens inhæret, & quod sustentat accidens. Per subiectum *Quo*, intelligimus rationem quandam determinatam, propter quam hoc accidens insit subiecto.

Notandum tertio. Accidens ad subiectum triplicem ordinem habet. Primo vt ad sustentans. Secundo tanquam actus ad potentiam. Tertio, tanquam effectus quidam ad causam efficientem, modo supra explicato Tract. de Proprio. Qui triplex ordo colligitur ex D. Thom. *q.* 1. *de virt. art.* 3.

Notandum quarto. Constat, Accidens respectu subiecti vt sustentatiui, nullum determinat im requirere. Verbi gratia, albedo potest esse in multis subiectis. Certum etiam est, ratione potentiæ, etsi subiectum materialiter idem sit, tamen diuersa accidentia diuersas in subiecto respicere potentias. Hoc patet ex Arist. 12. *Met.* vbi dicit, particulares actus ordinem dicere ad particulares potentias, & 3 *Phys. Tex.* 10. dicit, potentiam ad sanitatem & infirmitatem esse diuersas, quia diuersi sunt isti actus. Difficultas solũ est de subiecto causalitatis, id est, an in subiecto sit aliquod principium, ad quod necessariò sequitur Accidens, quod appellare possumus, iuxta præcedentia, subiectum *Quod*. Prima opinio est quorundam recentiorum, Accidens intentionale quales sunt species sensibiles nullũ huiusmodi subiectum requirere (nam exempli causa species sensibilis albedinis potest esse & in aëre, & in aqua) accidens autem reale semper requirere tale aliquod subiectum, vt albedo postulat in subiecto certam aliquam temperiem & mixtionem, ex qua resultet. Rationes ipsorum sunt illæ quas initio adduximus. Secunda opinio communis aliorum omnium. De qua rectè Caiet *de Ente & Essen quæst* vlt qua negat quodlibet Accidens etiam reale, requirere subiectum determinatum. Ratio est, quia nõ quodlibet Accidens est in subiecto habente influxum respectu illius, ac veluti imponente necessitatem, vt D.

Thomas supra loquebatur, essendi.

Prima Propositio. Etsi Proprium & Accidens conueniant in hoc, quod sint accidens distinctum à substantia, tamen differunt primo, quia Proprium immediatè conuenit speciei, Accidens autem indiuiduo, vt supra ostendimus ex Arist. 10 *Met.* D.Thom. Porphyr. &c. Secundo. Quia non potest Proprium eo modo separari à subiecto, quo Accidens potest, vt paulò infra videbimus. Tertio, Quia Proprium requirit subiectum, quod habeat veluti efficientiam respectu illius, & ex cuius essentia fluit, vt patet ex dictis de Proprio; & mox etiam magis dicetur.

Secunda Propositio. Aliqua Accidentia communia habēt subiectū quodā determinatum & proprium quarto modo. Ratio est, quia albedo, verbi gratia, semper necessario resultat ex tali mixtione & temperie, vt bene aduersarij argumentabantur. Dicuntur nihilominus talia Accidentia communia respectu subiecti *Quod*; quoniam ipsum non est aliquid determinatum, sed modò hoc, modò illud esse potest, vt patet in albedine. Quod si albedo, & alia huiusmodi accidentia conferantur cum subiecto *Quo*, possunt dici propriè respectu illius.

Tertia Propositio. Non omne Accidens requirit determinatum subiectum. Quod patet; nam odor potest esse & in pomo, & in aëre. Imo & quædam sunt subiecta, quæ respectu subiecti se habent merè passiuè, vt cælum respectu sui motus, si verum est, moueri cælum ab intelligentijs.

Quarta Propositio. Eadem videtur esse ratio Accidentis intentionalis & realis: nam rationes suprapositæ æque de vtroque probant, & à posteriori, quodlibet Accidens intentionale prærequirit in subiecto, vnde realiter fluit, dictam mixtionem & temperiem in accidente reali, cuius est species intentionalis.

Quinta Propositio. Accidens quod determinat sibi subiectū, & contra, cum subiectum sibi determinat illud accidens, tum est proprium Accidens, vt *visibile*. Cum autem Accidens determinat sibi subiectum, sed non contra, subiectum determinat sibi illud Accidens. Vel deniq; cum neque Accidens subiectum, nec subiectū sibi determinat Accidens, est tantum Accidens commune. Exemplum est in simitate respectu nasi. Hęc distinctio est apud Arist. 7. *Met. text.* 2. Ad rationem igitur initio dictam patet, quid sit dicendum. Ad confirmationem, etiam sequeretur subiectum vt est sustentatiuum, aliquod determinatum requiri, respectu cuiuslibet accidentis, quia etiā vt sic ingreditur accidētis definitionē. Et cōsequenter demonstrationē, vel scientiam de accidente esse posse, quod tamen aduersarij nō concedunt. Arist. autem, vt rectè obseruat Caieta. 1. *post. cap.* 1. per passionem non intelligit propriè dictam passionem, quæ est, Proprium quarto modo, sed quodlibet prædicatum, quod de re quauis prædicatur.

QVÆSTIO TERTIA.

Quodnam sit subiectum Accidentis?

IN disputatione de Proprio significauimus, materiam posse esse subiectum Proprij, quod multò magis verum videtur de Accidente. Sunt tamen qui dubitent, possitne Accidētis subiectum, prout de eo hic agitur, esse solum materia an totum compositum? Hic etiam supponendum est, non tantum res corporeas & materiales, sed etiam incorporeas posse esse subiectum Accidentis; quæstio tamē est, an Accidens, de quo est sermo hic, cōueniat corporeis tantum, an etiam & incorporeis? Opinio D.Thom. 2. *contra Gentes. ca* 81 *& ibi. Ferr. &c.* est, definitionem Accidentis solum conuenire composito ex materia & forma. Quod idem videtur confirmari posse authoritate Alex. 1. *quæst. natural cap.* 17. *& in antepræd* quo loco idē sentit Amm. & Philad. Potest hæc opinio duobus modis intelligi; Vel quod solum Accidens materiale inhæreat in toto cōposito, vel quod tantum definiatur Accidens hic quatenus inhærens toti composito. Dicendum est, Primo definitur hoc loco Accidens, quod conuenit rebus etiā non materialibus. Probatur exemplis

Porph.

Porph. *in cap. de differentia, & ca. de proprio.* verbi gratia, esse visibilem, esse geometrã, &c. Secundo dicendum est, etiamsi Porphyrius egisset de accidentibus materialibus tantum, non continuo sequitur egisse tantum de illis quæ toti composito inhærent; nam hoc ipsum est valdè controuersum, & pars negans fortasse est verior, id est, posse etiam ipsi materiæ inhærere Accidentia. Vltimo dicendum est: Locutus est Porphyrius de Accidentibus quæ toti composito tribuuntur, quod ad prædicationem spectat, siue accidentia ista de cõposito dicantur ratione materiæ, siue etiã ratione partis spiritualis. Ratio est: Quia propriè solum prædicari solent Accidentia de ijs quæ denominant: hæc autem propriè loquendo sunt composita ipsa. Et confirmatur; quia *cap.* 1. *de communicat.* docet Porph. accidentia primo & per se cõuenire indiuiduis. Indiuiduum autem est, totum compositum dicit.

QVÆSTIO QVARTA.
An de essentia Accidentis sit inhærentia in subiecto?

Videtur Porph. vtrumque affirmare, & esse de essentia, & non esse; nam *extremo cap.* dicit, Accidens esse semper subsistens in subiecto, vnde sequi videtur, esse de essentia accidentis, semper inhærere. Quo loco immeritò Auicenna reprehendit hanc definitionem, quod subsistere dicat oppositam rationem accidentis, cuius non est subsistere, sed inhærere. Nam subsistere non significat hoc loco per se stare, sed in alio esse. Præterea dum dicit in duabus primis definitionibus, Accidens posse adesse & abesse, contingere inesse & nõ inesse, significare videtur, non esse de essentia Accidentis adesse & inesse, id est inhærentiam ipsam. Respondeo, Cum ait Porphyrius, Accidens semper subsistere in subiecto, sensus est, quod naturaliter loquendo, vt fit in rerum natura, debet in subiecto inesse, quomodo potest dici quodlibet accidens inseparabile. Cum autem dicit, posse adesse, & abesse, inesse, & non inesse, non est sensus quod possit abesse, & non inesse, conseruando suam entitatem, sed posse adesse & inesse subiecto, communicando suum esse subiecto, & illud tantum conseruando in ipso. Abesse vero, & nõ inesse; quia vel potest nunquam subiecto suum esse communicare, vel quamuis semel communicauerit, potest aliquando non communicare, non tamen illud in se retinendo. Et hæc satis sunt nostro instituto: nam quæstio proposita ad Metaphysicam pertinet, & si sequamur tantum naturale lumen, non absurdè sentit Auer. 7. *Met. quæst.* 1. esse de essentia accidentis actualem inhærentiã; quæ etiam Arist. esse videtur sententia. Si autem fide imbuti de accidentis natura loquamur, dicere possumus, vel esse quid de natura accidentis, aptitudinalem inhærentiam, vt loquitur D. Thom. 4. *s. dist.* 12. *quæst.* 1. & omnes Thomistæ: vel cum Scoto, esse ipsammet essentiam accidentis, quod etiam affirmat Zons. 7. *Met.*

QVÆSTIO QVINTA.
Circa duas definitiones Accidentis primas.

Definitum est Accidens, tum quod potest adesse & abesse, tum quod contingit inesse, & non inesse, præter subiecti corruptionem. Ratio dubitandi est, quæ ex ipsomet Porphyrio colligitur, quia aliquando Accidens dicitur esse inseparabile, non ergo aliquando Accidens est, quod abesse possit præter subiecti corruptionẽ. Secundo quia experientia docet, multa esse accidentia quæ subiectis, quibus insunt, afferunt interitum, vt morbus & mors. Tertio videtur hæc definitio conuenire substantijs; nam anima rationalis adest & abest à materia præter materiæ corruptionem. Propterea Arabes reprehendunt hanc definitionem. Auer. autem affirmat primam definitionem omni Accidenti conuenire; secundam autem tantũ separab li, sed tamẽ nullo nititur fundamento. Caietanus & alij volunt vtraq; definitione vtrumq; Accidens esse comprehensum. De difficultate autem proposita prima est opinio eiusdem Caietani, hæc verba, *Adesse & abesse, inesse & non inesse,* accipi debere non realiter, sed logicè,

 & inten-

& intentionaliter, id est, accidēs esse quod potest non modo concipi & apprehendi, esse vel non esse in subiecto, præter subiecti corruptionem, id est, sine essentiæ detrimento, sed etiam quod potest affirmari & negari de subiecto. etiamsi realiter sit, vel nō sit in subiecto, sine eiusdem subiecti detrimento. Et hoc non distinguitur à proprio; quia etsi apprehendi possit essentia sine proprietatibus, non tamen affirmari potest rem talis essentiæ carere proprietate, sine ipsius essentiæ detrimento, quia essentia est eiusmodi ex qua fluunt necessario proprietates; vnde dicere, hominem non esse risibilem, est dicere, hominem non esse rationalem; at dicere coruum non esse nigrum, non est negare essentiam corui. Imò affirmare coruum esse album, stare potest, salua & integra manente corui essentia. Hæc distinctio de rei apprehensione sine altera, & de affirmatione, vel negatione eius quod est in subiecto, vel non est, est apud D. Thom. 1. S. d. 26. *in expositione litt* & *op* 48. *cap*. 8. Quod autem affirmari possit de re oppositum accidenti inseparabiliter, docet Ægid. 1 *post*. *c*. 6. Scot. & An. And. *hic*, D. Tho *de spir. crea*, *art. vlt. ad* 7. Dices: Ex eo quod res est, vel nō est, dicitur propositio vera, vel falsa. Ergo si subiectum aliquod est nigrum, non potest vere affirmari quod sit album. Respōdeo: Idem argumentum est contra accidens separabile. Quod autem attinet ad accidens inseparabile, cum affirmamus coruum esse album, sensus est, corui essentiam esse talem, vt ex se non repugnet coruo esse album, si tantum essentiæ ratio habeatur.

Secunda Opinio. Esse has definitiones intelligendas physicè & realiter. Authorem infra citabo.

Notandum primo. Aliud est subiectū inhæsionis, aliud denominationis, hoc est, aliud cui accidens inhæret, aliud quod ab accidente denominatur.

Notandum secundo. Subiectum in his definitionibus Porphyrij sumitur pro subiecto denominationis, id est, pro toto composito, siue ipsum subiectum totum sit etiam inhæsionis, siue non. Probatur; quia dicit, Accidēs per se inhærere indiuiduis, quod etiam habet Arist. *cap. de substantia*.

Notandum tertio. Corruptio dupliciter sumi potest: Vel pro reali & physica, quæ fit per mortem, vel pro mutatione essentiæ secundum veros aut falsos conceptus nostros.

Notandum quarto. Vt supra dictum est, Accidens dicitur esse separabile, quod de facto à subiecto separari potest, amittendo tunc de facto suum esse; nam in hoc sensu omne accidēs est inseparabile, quaten' requirit, vt sit, subiecto inesse, ideoque Arist. omne accidens vocat inseparabile 7. *Met. Top*. 4 *li*. 12. *t*. 3. 1 *Phys t*. 14.

Prima Propositio. Porph. dicens, Accidens aliquod esse inseparabile, & posse adesse, & abesse, & inesse, & non inesse, per inseparabilitatem intelligit inseparabilitatem secundum cogitationem, ad modū primæ opinionis, Prob. Nam hoc ipso capite post primam definitionem, quasi occurrerit obiectioni, subdit, nigrum ita esse inseparabiliter in coruo, vt tamen intelligi possit coruus albus. At hoc nihil aliud est, quam cogitatio, omne accidens esse separabile, nullum autem inseparabile, re ipsa autē aliquod esse inseparabile.

Secunda Propositio. Hic dicendi modus est quidem verus, tamen non videtur esse secundum intentionē Aristotelis, ex quo 1. *Top. ca*. 4. hæ definitiones sumptæ sunt. Vnde dicēdū videtur, Accidens esse quod potest adesse & abesse præter subiecti corruptionem, realiter & physicè loquendo. Quo autem modo possit id esse verum, posito aliquo accidenti inseparabili realiter, paulò post dicetur. Ista sententia est Alb *hoc l. co*. D. Thomæ 2. *cont Gent ca*. 80. & 81. Boet *apud Simplic. cap de substant*. Alex. 1. *Top. cap*. 4. qui tamen in hoc fallitur, quod definitiones istas soli Accidenti separabili conuenire vult, ideoq; meliorem esse tertiam, quod nos supra in textu explicato refellimus authoritate Aristot. *ibid*. Probatur hæc sententia; quia inesse & non inesse sunt modi reales. Ergo definitio debet intelligi realiter. Modus tamē explicandi hanc sententiam diuersus est. Primus modus est Boetij, qui ideo dicit accidens

accidens posse adesse & abesse, & realiter esse separabile, quia intendi potest & remitti sine subiecti corruptione. Videmus enim non modo vnum coruum esse magis nigrum altero, sed etiam vnum & eundem interdum magis, interdum minus esse nigrum. Albertus dicit omne accidens adesse & abesse, quia quamuis dicatur aliquod esse inseparabile, potest tamen reipsa separari, quoniam causa talis accidentis ab ipso distincta est, & tolli potest; vnde, inquit, in partibus septentrionalibus corui albi visuntur. Nihilominus vt nostram sententiam de his modis afferamus, sit tertia propositio.

Tertia Propositio. Fuit Accidens definitum ab Aristotele (est enim hæc definitio etiam Aristotelis) non modo separabile, sed etiam inseparabile. Ratio est; quia nulla alia est apud Aristotelem aut Porphyrium Accidentis definitio, & tertia illa cum sit mere negatiua, etiam conuenit Accidenti separabili & inseparabili, quatenus vtrumque nec est genus, nec differentia &c. & vtrique commune est esse aliquid semper in subiecto subsistens; nec verò sufficit vt Accidens inseparabile his definitionibus comprehendi dicatur, quod intendatur vel remittatur; hoc enim non est Accidens simpliciter adesse, vel abesse, & antequam intendatur, vel remittatur, adhuc est verè Accidens, & est inseparabile. Ergo etiam vt sic, comprehendi debet sub his definitionibus. Quod si verum est quod Albertus dicit, Accidens inseparabile posse aliquando realiter separari, iam non est amplius Accidens inseparabile; & dicere accidens inseparabile separari posse, est implicatio.

Quarta Propositio. Hæ definitiones comprehendunt vtrumque Accidens, etiam inseparabile, de quo difficultas est, in hoc sensu, vt quodlibet Accidens, quantum est ex se & natura sua, possit & in subiecto esse, & ab eodem realiter separari, quamuis aliquando contingat in aliquo determinato subiecto esse aliquam conditionem materialem, ratione cuius de facto separari nequeat; vt nigredo ex se & natura sua est huiusmodi accidēs, vt illi non repugnet tum afficere aliquod subiectum, tum etiam ab eodem separari, quamuis aliquando reperiatur in tali aliquo subiecto, à quo propter conditionē materialem determinatæ huius complexionis non possit re ipsa aueili, & in hoc plurimum differt Accidens inseparabile à Proprio, etiam realiter loquendo, quia Proprium est huiusmodi accidens, quod cum fluat ex essentia rei, simul est inseparabiliter cum essentia, & quia repugnat tolli essentiam re non interemptâ, id est, esse rem sine sua essentia, ita etiam per se & intrinsecè repugnat esse rem sine proprietate essentiam consequente, & tolli proprietatem non ablatâ essentia vnde fluit, & consequenter, re non corruptâ. Hæc sententia est Them. 1. *post. cap.* 14. Alex. 1. *Top. ca.* 4. Et confirmatur ex eodem Arist. *tum ibi tum* 1. *Phys. t.* 28. *& præterea ex cap.* 1 *lib.* 1 *Top. loco* 3. *&* 4. vbi quærens, an album sit genus niuis, concludit non esse, quia, inquit, potest album inesse, & non inesse. Ergo vult Arist. hoc modo intelligi. Ex hoc loco sic argumentor: Album etsi sit inseparabile à niue, tamen quia ab ijs, in quibus repetitur, potest aliquando realiter separari, ideò concludit Aristot. non esse genus, sed tantum Accidens niuis, quia potest inesse & non inesse. Ergo vult Aristoteles hoc modo intelligi Accidens adesse & abesse, quia ex natura sua non repugnat Accidenti ita in subiecto esse, vt ab eodem abesse possit, etsi interdum ita inhæreat in aliquo subiecto, vt ab eo sit inseparabile, vt patet in exemplo niuis. Idem dicere possumus de quibusdam Accidentibus, quæ quamuis secundum gradum aliquem summum subiectum de facto corrumpant, qualis est nimius calor, vel nimium frigus, tamen ex natura sua possunt vel minus intensa in eodem subiecto esse sine vlla illius corruptione, vel fortasse etiā in eodē gradu in aliquo alio subiecto, illud quoq; non corrumpentia. Confirmatur à simili: Nam 7. *Met. t.* 4. docet Arist. Accidens esse posterius tempore substantia, & tamen

tamen id absolutè & simpliciter loquendo falsum est, quia propriæ passiones simul sunt tempore cum suo subiecto, etiãsi subiectum habeat quendam prioritatem naturæ. Vt ergo sit verum dictum Aristotelis, debet intelligi per non repugnantia, hoc est, quod non repugnet accidenti vt sic, esse subiecto posterius. Imò vero non repugnat subiectum ita esse prius aliquo accidenti, vt non modo tempore illud antecedat, sed nunquam etiam illud in se recipiat. Ita igitur dicetur Accidens posse adesse, vel abesse, quia nulli accidenti, etiã inseparabili repugnat ex natura sua ita esse in subiecto, vt ab eodem separari nequeat, alioquin vbicunque esset, inseparabiliter esset.

Ad primum argumentum, Patet ex dictis; nam Accidẽs est separabile ab aliquo subiecto quantum est ex se & natura sua, quamuis per accidens & materialiter nõ possit aliquando de facto separari. Cum ergo Porphyrius dicit, Accidens posse adesse & abesse, vel potest intelligi realiter, & tunc sensus erit, Nulli accidenti, quantum est ex se, repugnare, vt absit à subiecto cui prius inerat; tunc autem cum subdit, Accidens aliquod esse inseparabile, intellige, esse inseparabile non ex natura sua, sed ratione alicuius conditionis repertę in subiecto. Vel intelligi potest Porphyrius, Accidens posse adesse & abesse, hoc est, posse affirmari & negari de subiecto, etiamsi realiter aliquando sit inseparabile; huiusmodi enim prædicationes s. h. l tollũt de essentia & quidditate subiecti; tunc autem cum addit, aliquod Accidens esse inseparabile, intelligi debet de inseparabilitate reali, ex parte, vt dixi, conditionis materialis. Et hæc posterior explicatio videtur esse magis ad mentem Porphyrii; sic enim seipsum explicat, dicens, intelligi posse coruum cum albedine. Et ratio etiam est, quia hic agit de Prædicabilibus, vt formaliter Prædicabilia sunt, & non secundum id quod illis conuenit realiter. Id etiam quod dictum est in præcedenti explicatione, potest confirmari ex Arist. 1. *Phys.* Text. 28. Est enim, vt dixi, hæc explicatio magis ad rem ipsam & mentem Aristotelis; ibi enim dat exemplum Accidentis separabilis, *sedere*, Accidentis autem inseparabilis, *simitatē*, de cuius ratione dicit esse id cui accidit, nempe nasum, quia non potest in alio subiecto esse, nec ab illo realiter separari, & tamen certum est hoc accidens, si per se sumatur, ratione solius curuitatis non esse inseparabile à quolibet subiecto, nec etiam determinare sibi pro subiecto solũ nasum: Imò etiam idem illud subiectum non sibi necessario determinat tale accidens, quæ duæ conditiones requiruntur ad hoc, vt possit Accidens aliquod Proprium appellari, vt patet ex 7. *Met.* *Top* 2. Idem de hoc accidente dicit Alex. 1. *Top.* *cap* 4.

Ad secundum Respondet Burl. in hac definitione, hæc verba: *Præter subiecti corruptionem*, determinare verbum *abesse*, non autem verbum *adesse*. vt sensus sit; Accidens non quidem adesse, sed tamen abesse potest præter subiecti corruptionem. Sed friuola est hæc interpretatio, æque enim illimitatè ponitur in definitione, adesse præter subiecti corruptionem, & abesse. Vnde dicendum est primo, mortem, morbum, & alia huiusmodi prout formaliter dicunt solam priuationem, non esse accidentia, priuatio enim formaliter sumpta non est ens, quare prædicationes ipsarum priuationum reducendæ sunt ad prædicabilia habituum oppositorum, hoc est priuatio substantiæ ad substantiam, accidentis ad accidens. Secundo, si accipiantur ista eadem ratione qualitatum positiuarum, quæ causant interitum, tunc idem est dicendum quod supra dixi de nimio calore, vel frigore. Adde quod quãdiu sunt in subiecto, non corrumpunt illud. Ad illud autem de morte, si accipiatur vt est priuatio vitæ, præterquam quod priuatio est, & non accidens positiuum, tamen dicitur esse in subiecto sine subiecti corruptione, quia id quo propriè anima priuatur & vita, est materia quæ incorrupta manet, quod si accipitur mors vt totum denominat, quatenus dicitur homo mortuus, etiam tunc mors nõ continet prædicationem accidentalem, nam

vnde

vt sit vera propositio, *homo est mortuus* debet suppositio hominis esse, non pro homine existente, sed pro homine qui fuit, Accidentalis autē prædicatio est de subiecto actu existente, cui accidens inhæreat.

Ad tertium. Propter hoc argumentum D. Thom. vt supra diximus, 1. *cont. Gent. cap. 81. ad 4.* & cum ipso Ferrar. volunt subiectum, cui adesse & à quo abesse dicitur Accidens, esse non materiam solum, sed totum compositum, ideoque etiam non definiri hîc accidentia nisi corpora, quæ toti composito ex materia & forma conuenire possint. Verum hanc sententiā satis supra improbauimus. Nunc autem quod ad argumentū spectat, Respondeo: Ideò animam rationalem non habere definitionem accidentis, quia non perfectè inest subiecto, imò verò nullo modo, cū sit substantia, & non accidens. Ex dictis de accidente sequitur, Accidens, vt quintum prædicabile, esse id quod immediatè prædicatur de Indiuiduis, quibus inesse vel adesse, & à quibus abesse & non inesse potest, vel secundum abstractionem intellectus nō modo præcisiuam, sed etiam negatiuam, imò etiam cum affirmatione oppositi accidentis; vel Accidens est, quod non potest separari ab aliquo subiecto de facto realiter, tamen quantum est ex se & natura sua, nullum est quod non realiter separari possit, quia non habet necessariā cum subiecto connexionem. Potest autē Accidens conuenire subiecto etiam incorporeo, & corporeo, tum ratione formæ, tum ratione materiæ, quibus propriè Accidens immediatè inhæreat. Denique de ratione accidentis est, nullum habere determinatum subiectum *Quod*, & saltem de eius essentia, vel illius proprietatem esse, posse subiecto inhærere.

IN CAPVT DE *Communitatibus.*

HÆc habui quæ dicerem de quinque Vocibus, nam quæ capite sequenti continentur, vel, secundum aliorum partitionem, in alijs decem sequentibus capitibus, & nimis prolixa sunt, & minimè, vt videtur, necessaria, Siquidem ex dictis de vnoquoque Prædicabili seorsim & sigillatim patet, quo pacto vel inter se cōueniant, vel inuicem discrepent; ne tamen intactum hoc caput planè reliquisse videamur, ea tantum breuiter notabimus quæ sunt magis scitu digna. Sciendum est ergo conferre primum Porphyrium omnia prædicabilia simul in his, in quibus conueniunt. Secundo, Comparat genus ratione communitatis & differentiæ ad alias quatuor species. Tertio Differentiā ad alias tres, prætermisso ordine, quem obseruarat dum de singulis disputaret, vel potius repetita methodo, qua initio prooemij omnes ordine species prædicabiles enumerarat; differentia enim prior natura est quam species, & præterea plura sunt quibus conueniat generi cum differentia, quam cum specie. Quarto, Confert speciem ad Proprium & Accidens. Quinto, Proprium cum Accidente.

Circa communitatem omnium prædicabilium. *Notandum est secundo*, id quod habetur in istis verbis: *Sed principaliter quidem de Indiuiduis*, nempe Accidens primario & per se de indiuiduis prędicari, quod supra probauimus authoritate Aristotelis 10. *Met. t. 35. & c. de substantia*, & authoritate aliorum Philosophorum. Idem reperit Porphyrius infrà in definitione Generis & Accidentis, quod intelligendum est de Accidentibus tantum realibus, nam Accidentia notionalia, siue notiones sæpè conueniunt primo & per se naturis, nō autem indiuiduis, vt nouæ speciei, & noui generis.

Notandum tertio, circa differentiam generis & Differentiæ, id quod continetur istis verbis: *Proprium est generi de pluribus prædicari quam differentia & species*; De specie id certum est, idemque habet paulò post in collatione generis cum specie. De differentia autem non videtur absolutè verum; nam quatenus differentia potest genus non modo medium, sed etiā summum constituere, æque de multis prædicatur, atque genus ipsum. Id ergo solum verum erit de differentijs quatenus sunt generis diuisiuæ, quod, veluti occurrens obiectioni, paulò infrà indicat, dicens:

Oportet autem differentias accipere, quibus diuiditur genus, etsi tantum exemplum afferat in genere medio, hoc est, animali. *Obijcies*: Species dicitur de indiuiduis, genus de speciebus; sed plura sunt indiuidua quam species, de pluribus ergo dicitur species quam genus. Hoc argumentum quasi præsentiens Porphyr. initio huius capitis, dicit esse quidem commune omnibus prædicabilibus de pluribus dici, genus tamen prædicari de his quæ sub se sunt speciebus & indiuiduis.

Notandum quarto. Id quod est in illis verbis eodem loco: *Amplius genus continet differentiam potestate*, vbi etiam subdit, habere se genus vt materiam, differentiam vt formam, quod ante capite de differentia dixerat, & nos satis de hac sententia disputatione de genere.

Notandum quinto. Ibidem notanda sunt hæc verba: *Etsi omnes interimantur*, hoc est etsi, inquit, de medio tollatur omnes differentiæ adhuc genus restabit, quod sanè intelligi potest de genere quoad suã existentiam; nam vnam saltem differentiam requiri vt existat, quo pacto capite de Substantia dicit Arist. sublatis primis substantijs tolli & secundas. Et Porphyr. sub finem capitis inquit, Commune esse Proprio & Accidenti vt sine illis interimant ea in quibus esse considerantur. Si tamen sermo sit de Genere tantum secundum essentiam, potest sublata quauis differentia actuali formari vera generis notio tãquam multis communicabilis.

Notandum sexto. Quod dicitur illis verbis ibid. *Differentiæ verò plures sunt*, id est, vnius speciei vnum genus est, multæ verò differentiæ, hoc enim non debet intelligi de differentijs subordinatis, nam species infima, & multæ aliæ supra infimam possunt habere differentias multas, nempè generum subalternatim positorum, quo pacto non negaret Porphyrius vnius speciei multa esse genera. Sed præterea falsum est, secundum veritatem vnius speciei multas esse differentias, non subalternatas, quod necessario asserere debet Porphyrius, vt sibi constet, id tamen, vt diximus, solum Porph. dixit secundum vulgi opinionem; nam alibi apertè fatetur est dari infimas differentias.

Notandum septimo. Circa communitatem Generis & Proprij, sensus illorũ verborum est. *Generis & Proprij commune est sequi species*, nempe species interit tum Genus, tum Proprium: Si enim homo est, animal est, & si homo est, risibilis est. Eodē etiam loco nota quod dixit, Propriũ prædicari æqualiter, hinc enim sequitur Proprium nec intendi, nec remitti.

Notandum octauo. Ibid. cum inquit; *Proprium de vna solum specie dici cuius est Proprium*, debet intelligi ad modum in disputatione de proprio explicatum; absolutè enim falsum est, Proprium soli vni speciei infimæ conuenire.

Notandum nono. Circa illa verba: *Genus igitur &c* Notandum est, sensum horum omnium esse, quod cum sint quinq; prædicabilia, si quodvis ad aliud comparetur, viginti fient cõparationes, quia quater quinquies viginti numerum conficiunt Vel quia idem est conferre Genus cum Differentia, & vicissim Differentiã cum Genere, & sic de alijs: Ideo genus confertur tantum cum quatuor Prædicabilibus, nec necesse est vicissim illa eum eodem conferri, Differentia eum tribus, Species cum duobus, Propriũ cum vno, quare consurgent decem tantum comparationes, quibus si adiũgas illam qua omnia simul conferuntur, vndecim omninò erunt.

Notandum decimo Circa illa verba: *Commune est differentiæ & speciei æqualiter participari*. Ergo differentia non intenditur & remittitur: Idem habet in communitate Differentiæ cum Proprio, imo in differentia Differentiæ & Accidentis, apertè dicit Differentiam esse inintensibilem & inremissibilem.

Notandum vndecimo. Notanda sunt illa verba (*in pluribus sæpè speciebus*, nempè differentia est) sæpè dixi, indicans, quod sæpè notauimus, locutum fuisse Porphyr. ca. de Differentia, eam definiendo, secũdum communem opinionem, & secundũ id quod vt plurimum est. Idem habet in differentia Differentiæ & Proprij.

Notandum

Notandum duodecimo. In communitate Speciei & Differentiæ, quod illis verbis continetur: *Species speciei non componitur.* Hinc infertur celebre illud axioma: non posse speciem aliquam vnam ex duabus speciebus componi, quæ sunt sub eodem genere immediato, quamuis, vt hic etiam notat. Porph. possint aliqua diuersarum specierum concurrere ad generationem distincti speciei, vt equa & asinus ad generationem muli, quod etiam intelligi debet de speciebus completis: nam materia & forma, quæ aliquo modo incompletè sunt species, concurrunt ad vnius compositionem.

Notandum decimotertio. In communitate Differentiæ & Proprij notandum est, quod dixi, Esse commune vtrique æqualiter participari. Ergo nec Differentia nec Proprium intenditur vel remittitur. Idem habet de communitate Speciei & Proprij, vbi etiam addit, Accidens dici secundum maius & minus.

Notandum vltimo quod inquit: *Propriū verò aliquando potestate,* quibus verbis indicat, quod supra docuimus, non semper Proprium dicere qualitatem cum potentia, sed etiam aliquando consistere Proprij rationem in actu quodam, vt patet ex continuitate motus cælestis.

IN LIBRVM PRÆDICAMENTORVM ARISTOTELIS.

PROLEGOMENA.

QVod initio Porphyrij mentionē fecimus, vt Quæstiones tanquā fundamēta quadā premitteremus, quibus quæ ab Authore dicenda erant, intelligerētur, idē nunc ac potiori etiam iure Aristotelem interpretari aggressi facere debemus, vt antequam ad textus explicationem veniamus, nonnullas quæstiones, quæ ad totum librum pertinent, explicemus, quæ, vt testantur Interpretes, Græci præsertim & Auerroes esse potissimum solent de intentione, vtilitate, ordine diuisione, via doctrinæ nomine & Authore libri. Quibus etsi fortasse non eadem methodo discutiemus, addemus & istas. an pertineat ad Logicam hæc Prædicamentorum tractatio, & has omnes Quæstiones prima disputationis nostræ pars continebit. Addemus in secunda parte quænam in Prædicamentis ponātur, quænam etiam ab ijsdem excludantur. Denique quomodo colligi possit denarij Prædicamentorum numeri sufficientia. &c.

PRIMA PARS.
De Authoritate libri.

QVÆSTIO PRIMA.

NOtandum primo. Arist. Peripateticę sectæ parens fuit, quæ secta vnde nomē traxerit, & quam ob causam, supra dixi, explicans procemium Porphyrij: nempè dicti sunt *Peripatetici*, ἀπὸ τοῦ περιπατεῖν, hoc est deambulando. Sciendum enim est alias fere omnes sectas nomen esse sortitas ob aliquam vnam ex his caussis, de quibus Amm. in procemio ad hunc librū. Primo ab actione quadam, vt diximus, quam inter docendum obseruare solerēt. Secundo ab Authore, hoc modo dicti sūt Platonici à Platone. Tertio à patria. Ita Cyrenaici dicti sunt à Cyrene oppido Lybiæ, vnde Aristippus huius sectæ author erat. Quarto à loco in quo docebatur. Inde Stoici, à Stoa porticu, Academici ab Academia. Quinto ex viuendi modo, propterea Cynici vel vt Am. quod hi Philosophi canum more bonis blandiri solerent, malos autem mordere, & allatrare, vel vt Lactant. Firm. quod canem in verecundia imitarentur. Sexto ab vltimo fine quem sibi secta proponebat. Inde secta ἡδονική, hoc est, voluptuaria, quia Epicurei summum bonum in voluptate

ptate ponerent, vel corporis, vt Cic. 1 *de fin & l. 2. & 3. Instit. Christian. cap.* 4. Vel in voluptate animi, vt alijs placet. Septimo à modo Philosophandi. Inde Philosophi illi qui in rebus omnibus assensum suspendendum esse arbitrabantur, hi Ephectici, hoc est hæsitantes dicti, de quibus Arist. 4. *Met. t.* 22 & Cic. in Acad.

Notandum secundo, Libros Arist. ad 400. ferè enumerat in Aristotele Diogenes, nunc autem sunt 120. de quorum librorum corruptela & amissione multa habetur apud Amm. præter Strab. & Macrob. Solent autem omnes libri tripartitè potissimum diuidi, vt Am. eodem loco. Primo in particulares, vt sunt Epistolæ priuatis scriptæ. Secundo Vniuersales, qui commune aliquod argumentum tractat. Tertio Mixti, qui partim de re in vniuersum, partim etiam de rebus particularibus agunt, vt sunt libri *de hist. Animalium*. Rursus. Secundo Vniuersales alij appellantur Commentarij, & Memoratiui, in quibus nihil exactè disputat Arist. sed summa tantum rerum capita attingit, & in quos tanquam in aduersaria & locos communes refert, quæ apud alios Authores de re quapiam reperit. Sunt autem vel de re vna, vel de alijs rebus: Alij dicuntur συγκαταγματικοὶ, hoc est ordine quodam scripti. Tertio Syntagmatici, vel Autoprosopi, hoc est ex propria Authoris persona, siuè ἀκροαματικοὶ, hoc est auscultatorij, vel διαλογικοὶ, hoc est collocutorij, & Exoterici, hoc est extranei. Quid autem hęc significent, paulò post dicetur. Quarto Autoprosopi diuiduntur in Contemplatiuos, Actiuos, & Instrumentarios. Quinto Contemplatiui in Physicos, Mathematicos, & Theologicos, seu Metaphysicos. Actiui in Ethica, Politica, Oeconomica. Instrumentarij sunt de rebus Logicis, quos diuidit Am. in eos qui præcedunt libros de Demonstratione, quos vocat finem totius Dialecticæ, & in eos qui sequuntur, in quibus ponit Rhetoricam & Poeticam Aristotelis. Hæc ferè ex Am. Alij communiter duas tantum in partes Aristotelis libros distribuunt: In Acroamaticos & Exotericos. Huius diuisionis meminit Cic. 5. *de fin & lib.* 4. *Epist. ad Attic. Epist* 1, Gal *in frag. de substant. natur facul.* Clem. Alexandrin 5 *Strom* Plutarch *in Alex.* Gell. *lib* 2 *cap* 4. & ex recentioribus Ioan. Sepulueda *in tertium lib. Polit ad c.* 4. Fons. 1. *Met. in Proœm. ca.* 2. Perer. *lib.* 2 *de pot nat. cap.* 10. Pet. Perpin. *in Epist. ad M. Ant Muret. quæ est inter epistolas Mureti*, vbi interrogat Muretum huius diuisionis causam, ablatis dubitandi causis: vt omittam antiquiores interpretes, qui ferè omnes *ad init.* 1. *Phys.* hanc distributionem agnoscunt, præsertim Simpl. & Them. Alb D. Thom. Ægid. Auer. Dubitatur autem, quid intelligatur per libros tum Exotericos, tum Acroamaticos? Hoc constat, meminisse Aristotelem non semel librorum Exotericorum, vt 1. *Eth. cap.* 13. 1. *ad End cap.* 5. 1. *de anima. t.* 54. quibus locis & alijs vocat tum ἐξωτερικὰ, tū ἐν κοινῷ λόγοις, hoc est *vulgares sermones*, tum, *circulares rationes* etiam vocat. De Acroamaticis autē non extat locus quod sciam apud Aristotelem. Prima Opinio dicit lib. Exotericos, qui sunt libri de rebus facilioribus, Indicat Arist. *Epist. ad Alex. Maced.* quæ est apud Plut. *in Alex* apud Them & Gell. *loc cit.* vbi Arist. conquerenti Alexandro quod libros edidisset de Philosophia, ijsque de rebus quas se priuatim docuerat, respondit, hos libros & esse editos, & esse non editos, quia, inquit, non possunt intelligi nisi ab ijs qui nos audierint. Per quos libros Plutarchus intelligit Metaphysicos, Simpl. Physicos, in quibus titulus *De naturali auscultatione* præfertur, vel omnes libros accuratos, præsertim autem Physicos & Metaphysicos, vt Them. placet. Gell. *loc. cit.* per libros Acroamaticos intelligit eos qui continerent doctrinam, quam Arist. delectis tantum aliquibus auditoribus in matutina deambulatione traderet. Exotericos autem qui doctrinam continerent, quam idē in pomeridiana deambulatione cuiuis sine discrimine traderet. Secūda Opinio. Per Acroamaticos intelligi eos qui sunt de ijs tantum rebus quæ audiri debeant, probari non item. ita Alb. *tract* 1. *in Phys. cap.* 4. & Ægid. *ibid.* Quanquam illi de so-

lis

his libris Physicis loquantur, causam reddentes, cur inscribantur *De naturali auscultatione*, nempè quia sunt de principijs, quę non demonstrantur. Tertia Opinio Auer. & Philosophorum, hi etiam loquuntur de libris Physicis, idem esse libros de auscultatione, & Acroamaticos, quod de quauis re quæ sermone tractetur, videtur, quia sermo auditu percipitur. Accedit D. Thom. dicens, pro eodem sumi libros *De auscultatione*. & *De doctrina*. Quarta Opinio Sepuluedę, *lo. cit.* dici libros Exotericos qui in aliquo libro tanquam ad rem præsentem non pertinentes citantur. Quinta Opinio, libros Acroamaticos esse eos, qui scribuntur de doctrina tradita ab Aristotele discipulis ad cōmune Gymnasium conuenientibus, & tanquam proprijs auditoribus; Exotericos autem, qui priuatæ alicui personæ de priuato aliquo negotio ab eadem requisito eduntur, quasi extra Gymnasium & publicum auditorium. Sexta Opinio, appellari libros Exotericos quoscunque, in quibus Arist. aliorum personā inducit, quomodo Plato in suis Dialogis, & propterea appellabat Ammo. hos eosdem libros Dialogicos & Collocutorios, etiamsi aliquando exactè scribantur; Acroamaticos autem esse eos in quibus ex propria persona loquitur. Addit etiam, ideò vocari exotericos, quia ad publicam vtilitatem ordinantur. Vltima Opinio, Hanc diuisionem librorum fuisse inductam ab Interpretibus, re autē vera apud Arist. non inueniri: quamuis enim, vt diximus, meminerit aliquando Exotericorum, nunquam tamen Acroamaticorum. Vnde volunt inscriptionem Physicam, *De naturali Auditu*, non esse Aristotelis. Verum quid de inscriptione librorum physicorum censendum sit, suo loco dicemus. Quod autem attinet ad rem præsentem, satis sunt probabiles recitatæ omnes opiniones, præter secūdam & tertiam. Hæc etiam vltima, quæ est Perpin. & Pererij maximè videtur probabilis, quod confirmo ex eo, quia Diog. accuratissimè enumerans libros Aristotelis, nullam facit huius distributionis mentionem. Ratio est; quia si libri dicuntur Acroamatici, quia sunt de sermone qui auditur, quatenus auscultatio aliquando sumitur pro doctrina, nihil prohibet omnes libros Aristotelis sic appellari, quamuis *auscultatio* apud Arist. 2. *Met. t.* 14. significet aliquando doctrinam, non tamen prout hi libri distinguuntur in Acroamaticos & Exotericos.

Notandum tertio. Hi libri quo ordine disponi debeant, hoc est an primum locum *Contemplatiui, Actiui*, vel *Instrumentarij* tenere debeant, partim aliquid dixi in Prolegomenis, partim plura dicentur *tract. de scient.* Vt ergo propius ad rem accedamus:

Notandum quarto. De aliquo Aristotelis libro, sitne Aristotelis liber, necne, hæ solent esse dubitandi potissimæ rationes. Prima. Quod octo celebres huius nominis Gręcia tulerit, vt Diogen. Laërt. *in vita Aristotelis*, Plutar. *in vita Plat.* Amm. *hoc loco*. Secunda. Quod plurimi libri Aristotelis nomine circumferentur, vt quæstum facerent homines apud Ptolemæum Philadelphum Ægyptiorum Regem, qui vt suam illam toto orbe celeberrimam Bibliothecam instrueret, studiosissimè conquirebat Aristotelis libros. Quo factum est vt multi Aristotelis libri ementiti essent, ideoque solum resolutorij 40. esse dicerentur in dicta Bibliotheca, vt Am. Tertia. Quia multi ex discipulis Aristotelis magistrum æmulati, idem argumentum tractare sunt aggressi, præsertim Theoph. Phanias, & Eudemus. Vltimo addi potest styli & inscriptionis ratio, nēpè an in vno libro consentiant cum stylo aliorum librorum. Prima opinio Bald. *quæst.* 4. *arg.* 8. is negat esse authorē huius libri Aristotelem, quem secutus est illius discipulus Aug. Thius *in suis Pracog.* Rationes potissimę hę sunt. Primo. Quia, inquit Bald. caret hic liber Procemio, at Aristotelis præceptum est 3. *Rhet. cap.* 14. in omni tractatione duas saltem partes esse debere: Procemium, & Tractatum ipsum. Secundo, Quia, inquit Au. huius libri stylus facilis est, præter Aristotelis morem. Tertio. Quia duo feruntur fuisse Arist. libri de Pręd[i]camentis, vt testatur Simpl. ex

Ant. Adrasti Aphrodisei, in libro quem scripsit *de ordine librorum Aristotelicorum.* Et Boët *hic.* Non est ergo cur potius dicamus esse Aristotelis librum, quam alium qui non est. Vltimo; nam Architas ante Aristotelem librum scripsit *De prædicamentis*, illum igitur potius huius libri Authorem fuisse fatendum est, quam Aristotelem. Refertur pro hac sententia Iamblichus, qui tamen potius est à secunda sententia, vt dicemus.

Secunda Opinio est veterorum omnium, quod non etiam diffitentur aduersarij, ideoq; vel hoc solū nomine eam amplecti debemus; nam in rebus quæ ad historiam & antiquitatem pertinent, fides maximè debet esse penes scriptores & historicos, omnes autem vno ore fatentur scripsisse Aristotelem librum *De Prædicamentis*, vnde in eum scripsit Commentaria Alex. Porph. Dexippus, Syrianus, Themistius, Athenodorus, Simplicius, Iamblichus, Lucius, Lycostratus, Ammonius, Adrastus, Maximus, Boëtius; vt omittam Arabes omnes & Latinos, qui Græcos hos secuti sunt. Et Boëtium. Primo qui Græcorū ætate floruit. Secundo probatur. Quia contra hunc librum scripserunt, teste Dexippo, Stoici, & Platonici. Quarè rectè cum Boëtio nobis concludere licet: Aristotelis, nec vllius alterius hic liber est, id circò quod in omni Philosophia sibi ipse de huius operis disputatione consentit, & breuitas ipsa, atq; subtilitas ab Aristotele non discrepat, alioquin interruptum imperfectumque opus edidisse videretur, q de Syllogismis scripsit, si aut de propositionibus, aut de primis vocibus tractatum prætermisisset, quibus ipsæ primæ propositiones continentur. Hęc Boëtius, ex quo testimonio triplex etiam ratio colligitur. Prima. Quod alibi Arist. huius operis meminerit, quod etiam testatur Simpl. & Amm. Fateor tamen difficile esse, reperire loca, in quibus id Arist. expresserit. Indicat rectè 1. *de anima, t.6.* vbi inuestigans animæ definitionem, quærendum esse dicit, an anima sit quid, hoc est substantia, an qualitas, an quantitas, aut quoddam, inquit, aliud diuersorū prędicamentorum; vbi cum diuisa prædicamenta dicit, innuit procul dubio librū, in quo hæc Prædicamentorum diuisio continetur. Id etiam indicat 2. *Phys.* in definitione Motus, aliisq; locis. Secunda Ratio quæ ex Boëtio colligitur est, quia hic liber sapit breuitatem & subtilitatem styli Aristotelici. Idem dicit Simpl. Qua in re nemo dubitat, quin pluris sit faciendum Græcorum interpretum in Græca lingua versatorum iudicium, quam vnius aut alterius, qui haud scio quam multū Græce nouerint. Nihilominus fateor Aristotelem hoc in libro, solito esse faciliorē, de qua re paulò post. Tertia Ratio ex Boëtio quia alioquin desideraretur in Aristotele opus maximè necessarium ad propositiones & Syllogismos. Hoc eodē argumento vtitur Simpl. nec modo id asserunt Philosophi, sed ex Rhetoribus etiam Quintil. *lib* 3. *ca.* 7. & Mar. Victor. *in Cic.* 1. *de inuent.* Vltimo, Probatur hæc sententia, nā quas initio diximus esse dubitandi rationes de aliquo Aristotelis opere, harum nulla in hoc libro locum habet, non quidem vltima, vt ex secunda ratione ante posita patet. Quod autem attinet ad primam, dicendum est, nullum alium Aristotelem de Categoriis scripsisse. Adde quod maxima fuit Aristarchi diligentia in censendis & discernendis germanis Aristotelis libris, quin etiā Demet. Phaler. qui Bibliothecæ Ptolomæi præfectus fuit, eamque quingentis millibus librorū exornauit, & cuius suasu missi sunt ab Eleazaro Pontifice Iudæorum ad Ptolemæum. Septimo, illi tota ecclesia celeberrimi interpretes, vt sacros codices veteris Testamenti ex Hebræa in Græcam linguam conuerterent, quod, inquam, Demet. Phalereus certa fama cognoscere potuit de libris Aristotelis, quinam genuini essent: nam fuit Demetrius Theophili discipulus, Theophilus autem Aristotelis in Gymnasio successor. vt Gell. *lib.* 13. *cap.* 5.

Ad primum argumētum respondet ipse Bald. ex Auer. primam partem huius libri esse veluti Procemiū, quod tamen ipse infringere conatur. Sed quicquid sit de hac re, nō est necesse ex eo negari librū aliquē habere

habere Authorem Aristotelē, quod procemio careat; sic enim libri *De hist animal.* non essent Arist. quia procemio carent. Cum autē Arist 3 *Rhet.c.14.* dicit duabus partibus constare debere tractatū: Procemio, & Tractatu ipso; vel locutus est de eo quod consentaneum est fieri, vel certè locutus est de causis & orationibus, vt totum caput legenti parere potest.

Ad secundum iam dictum est in secunda ratione non esse alienum ab Arist. huius libri stylum.

Ad tertium Boët. illum alium librum *De Prædicamentis*, qui Aristotelis nomine circumferebatur, longè dicit oratione esse diuersum ab hoc & alijs libris Aristotelis. Amm. autem hunc librum vt legitimum Arist. opus ab omnibus interpretibus iudicatum esse, testatur tum ex verbis, tum ex sententijs.

Ad quartum tribuitur Architæ, non hic liber, sed prima argumenti huius libri inuentio, hoc est, diuisio rerum omnium in decē summa genera. Et hoc solū est quod scribit Iamblichus, qui ad præcedentem sententiam malè propterea trahitur. Boët. etiam hoc ipsum tradit & Simplicius, qui dicunt scripsisse Architam duos libros, quos inscripsit καθ' ὅλε λόγες, hoc est, *Vniuersales sermones* Addit Simplicius videri in omnibus Aristotelem Architæ doctrinā sequi; Themistius tamē apud B ëtium negat fuisse hunc Architam Tarētinum ex Pythagorica secta, qui cum Platone aliquamdiu vixerit, sed quempiam alium Peripateticum, qui nouo operi vetustate nominis authoritatē condere voluerit. Vnde Diog. li. 8. scribēs de Archita, non asscribit illi hanc tractationē. Difficultatem tantum parit, quod ex quinque, qui hoc nomē habuerunt, authore Diog. nemo fuerit Peripateticus; sed vtvt se res habeat, maneat verum, huius nostri libri Authorē esse Aristotelem Hęc ideò paulò fusius à me dicta sunt, tum vt paucorū illorum recentiorum, qui se communi sententiæ opponere ausi sunt, rationes conuellerē; tum etiam, quia, vt ait Simpl. afficimur solemus opinione personarū; quia enim non valemus verum discernere, amamus quosdam meliores sequi. Atq; hunc certè imprimis, cuius de laudibus, præter ea quæ paucis dicta sunt, in Prolegomenis, hoc solum Plinij testimoniū adiungo; is enim *lib. 8 nat hist. c. 16 & li. 18 c. 34.* summum in omni scientia virum, & immensæ subtilitatis Aristotelem appellat.

QVÆSTIO SECVNDA.
De obiecto huius libri.

Prima *Opinio* est Simplicij, Alexandri apud eund. Porphirij, Iamblichi, Syriani, Boetij, Alexandri, Aegei, Cornuti, & t. Athenodori obiectum huius libri esse *Voces.* Ratio ipsorum est, quia explicantur Prædicamenta per dici de alio & significari, hoc autem proprium est vocum.

Secunda Opinio Eustachij apud Am. obiectū esse *Res ipsas*, quod eū alij varijs modis interpretentur, vt nō sint res simpliciter & nudè sumptæ, sed sub aliqua cōsideratione, tamē Mitan. *in sua Instit Log. & in com. & in lib. Apolog.* dicit, esse Res ipsas secundum se, vt sunt quædam species entis.

Tertia Opinio. Esse *Conceptus mentis.* Tribuit hanc sententiam Ammonius Porphyrio, tamen, vt diximus, primam sententiā secutus est, vt patet ex *cap. 3. Dialogi sui in prædicamenta.* Hanc vero sententiā refert Simplicius sine nomine; videtur aūt Dexippi, à nonnullis etiam Boëtio tribuitur.

Quarta Opinio. Apud Ammonium, quod Voces sint obiectum, prout sunt rerum significatiuæ, conceptibus intercedentibus, cuius authorem facit Iamblichum, eamq; ipse sequitur; sed meo quidem iudicio non differt hæc sententia à prima: nemo enim dubitat non esse voces rerum significatiuas, nisi per medios conceptus, siue per se significent & immediatè voces res ipsas, siue conceptus, de qua re disputabimus *in lib. de interpret.* Atque ita Porphyrius, qui est in prima sententia, id expressè docet de vocibus *in cap. 4.* citans Herm.

Quinta Opinio. Obiectum esse *Decē summa genera*, vt substant secundis intentionibus generis & specierum sub ipsis positarū. Docet hoc Sco. *quæst. 2. in prædicamēta*, Caieta. & Zons. *hic* Alb. *tr. 1. prædica. c. 2.* Indicat

Indicat D. Thom op. 48 cap. 1. Auct. in 6 pii log. cap vlt.

Sexta Opinio (licitur ex D. Thom. 1. Periherm. & 1. Post in init. obiectum esse *primam operationem intellectus*.

Septima opinio Infertur ex quadam sententia, quam recitat Simplicius explicans diuisionem huius libri. Quidam enim, inquit, existimauit esse hunc librum aliud nihil, nisi aceruum quendam & cumulum variorum theorematum, tum logicorum, tum naturalium, tum moraliū, tum denique theologalium, siue Metaphysicalium. Logica quidem Theoremata sunt, quæ explicantur in æquiuocis, analogis, vniuocis. Naturalia quæ explicantur in Postprædicamentis de motu. Moralia, quæ de virtute & vitio dicūtur, tum in cap. de qual. tum in Postprædicamentis cap. de oppos. Metaphysica sunt, quæ cōtinentur in tota tractatione *Decem generum*, quæ sunt veluti species entis.

Notandum primo. Eget prima operatio intellectus, sicut & reliquæ duæ, directione quadam; potest enim errare, in apprehendendo, vt dictum est in Prolegomenis ad totam Logicam.

Notandum secundo. Sicut ibidem dixi, potest prima operatio dupliciter spectari: Vel in se & seorsim, vel quatenus vsui esse potest secundæ & tertiæ.

Notandum tertio. Constat inter omnes, referri hanc tractationem Prædicamentorum primo & per se ad directionem primæ operationis; inter eos, inquam, qui quoquomodo concedunt pertinere hūc librum ad Logicam, quod postea examinabimus. De qua re lege D. Thom. *locis cit.* & Doctores Louan. *hic.*

Prima Propositio. Obiectum huius libri non possunt esse voces, conceptus, intentiones, vel res secundum se. Patet probatio huius propositionis ex dictis *in Prolegomenis Quæstionis de obiecto.* Eadem enim ratio est in scientijs totalis scientiæ, & partis eiusdem, vel certè eius quod ad scientiam pertinet. Quarè non debet discrepare obiectum partis, vel eius quod ad sciētiam pertinet, ab obiecto totalis scientiæ. Ratio verò breuiter est, quia nec intentio nec conceptus, nec vox per se dirigit operationem. Et propria præterea ratio est, quia nihil horum propriè habet rationē prædicati, quo tamen modo considerantur Prædicamenta, saltem conditionaliter; nec Res possunt esse obiectum, quia eiusdem scientiæ est considerare species aliquas, cuius est & considerare genus. Est autem Metaphysicæ agere de Ente. Ratio etiam communis est huic tractationi cū tota logica, quia definitum est, obiectum Logicæ non esse Res ipsas.

Secunda Propositio Prima operatio intellectus in se & secundum se considerata, non est propriè dicenda obiectum huius libri. Ratio est, quia in hoc libro agitur de Prædicamentis, quod vel nomen ipsum indicat, quatenus de altero dicuntur & prædicantur, etsi, vt dixi, tantū conditionaliter. At in prima operatione nulla prædicatio attenditur. Ergo.

Tertia Propositio Obiectum huius libri dici possunt Decem summa genera realia, seu decem res communes, quatenus leuis quædam ac rudis rerum cognitio maximè vtilis est ad apprehensionem, ad iudicium seu propositiones, ad Syllogismos & Demonstrationem. Ratio est, quia hoc est commune omni disciplinæ operatricí, vt quamuis non quærat perfectam subiecti cognitionem, seu materiæ circa quam, debeat tamē aliquam leuem saltem eiusdem cognitionem habere, vt patet in artibus fabrilibus. Et confirmatur ratione illa quam supra ex Boët. diximus, cum nempè huius libri author Arist. esse diceretur, ne videlicet ignorata natura rerum, non posset deinde tradi cognitio de propositionibus, quæ componuntur ex rebus simplicibus.

Quarta Propositio. Si attendatur finis vltimus, ad quem refertur hæc Prædicamētorum tractatio, dici potest obiectum huius libri esse primam operationem, non tamen nisi prout refertur ad tertiam, & specialiter ad Demonstrationem. Ratio est, quia vt dictum est *in Prolegomenis*, Aristotelicæ Dialecticæ finis est vel tertia operatio, vel Demonstratio, vt testatur 1. *Post. 2. & 1. Po. t. 26.* Probatur, quia in hoc libro

libro etsi tradantur cognitiones rerum simplicium, quæ primariò & per se primã operationem dirigere possunt, non tamẽ ibi sistitur, sed considerantur istæ eædem res, quatenus vna de altera prædicari potest, quod est, referri hanc tractationem ad alias operationes. Ex his patet quid dicendum sit ad argumenta, quæ pro alijs opinionib. afferri possent. Et item huius quæstionis decisio manifestior euadet ex quæstione, in qua examinabimus, An pertineat ad Logicam hic liber. Interim legat qui vult Iac. Zabarell. *lib. 2. de nat. Log. cap. 2.*

QVÆSTIO TERTIA.

De Inscriptione huius libri.

ADrastus, teste Simplicio, *hic*, & Porph. *cap. 2 D. al* voluit inscribi hunc librũ *AnteTopica*, quia illius optimo fuisi libros Topicorũ immediatè post hunc librum collocandos esse. Sed hoc fundamentum iam pridem a nobis euersum est & magis etiam ex sequentibus falsum esse patebit. Plotinus *lib. 1. Enn. 6.* disputans contra ea quæ hoc libro continentur, illum inscribit, *De summis decem generibus*. Idem tribuitur Dexippo. Alię sunt apud Authores huius libri inscriptiones, sed omnium optima illa esse videtur, vt titulus sit. *liber de Categorijs, seu Prædicamentis*, quid tamen Categoriæ nomine intelligatur, non constat apud Authores. Porphyrius refert Crassum Ebetium nomine Categoriæ intellexisse omnem dictionem significatiuam quæ de aliquo quouis modo prædicetur; quod optimè refellit Simplicius. Hinc enim sequeretur, penè infinitas esse Categorias, imò etiam posse dici Socratem Categoriam vnam, potest enim saltem de seipso prędicari. Simplicius & Ammonius Categoriam volunt significare summum genus, quod etiam indicat Plot. *loc. cit* appellans librum *De summis generibus*. Vt res melius intelligatur, sciendum est, Categoriam dici à κατηγορῶ, quod propriè *Accusare* significat, & *Categoria* etiam significat *accusationem*. Quod vocabulum ex causis forensibus ad Philosophiam primus Arist. transtulit teste Diogen. *in vita Zenonis*, & Porphyrio, atque Ammonio *in hunc locum*. Sicut & idem Aristoteles pleraque alia vocabula innouauit, quale est illud Entelechia, quasi perfectè habẽs. Volunt ergo Simplicius & Ammonius Categoriam summum genus, quia solum habet quod prædicetur, ac veluti quod accusationem inferioribus intentet; inferiora autem respectu generis summi, tantum habent quod subjiciantur, ac veluti crimen tantum sustineant. Videtur ad hãc sententiam accedere Architas, qui, vt supra dixi, librum suum De Prædicamentis inscripsit καθ᾽ ὅλε λόγες, hoc est, *vniuersales sermones*. Nihilominus Porph. cũ *hic*, tũ *ca de Specie*, nomine Categoriæ nõ solũ summa genera, sed totam coordinationẽ indiuiduorum & specierum sub summo genere intellexit. Et hæc videtur esse sententia Aristotelis 1. *Top. cap. 7.* 1 *Post. t. 32.* vbi aperte nominat *coordinationes prædicamentales*. Et 5. *Met. cap. de vno*, vbi inquit, esse eadem quæ eandem habent prædicamenti figuram, id est, seriem & coordinationem. Idem habet 10. *Met t. 13.* Dici etiam potest, sumptam esse Categoriam ab Aristotele, supposita tamen hac significatione, quatenus κατηγορία dicitur à præpositione κατὰ, quę non tantum significat *contra*, sed etiam *de*, vt Categoria sit, *Prædicatio de altero.*

QVÆSTIO QVARTA.

An hic liber pertineat ad Logicam?

EX quæstione secũda facilè potest huic controuersiæ satis fieri; nec sanè opus esset alia probatione, nisi vnus vel alter ex recentioribus contra conspirantẽ omnium sententiam docuisset, non spectare hunc librum ad Logicam. Hoc ex professo tradit Mirand. *in Instit. Log. & in Com. eiusdem*, & 8. *lib. Apol.* præsertim autem *li. 3. sect. 2.* Rationes potissimæ sunt istæ. Prima, quia & nobis fatentibus, agitur hoc in libro de Entibus realibus. Ad quod probandum, omnia ferè illius argumenta diriguntur. Sed eiusdem est agere de speciebus & genere continente species. Ergo Metaphysici est hæc Prædicamentorum tractatio, cum ad eum spectet agere de

Ente. Secundo. Hic liber nihil continet, quod ad Dialecticam si conferatur, habeat se vel vt pars eius, vel vt principium, vel vt passio. Quicquid autem ad scientiam spectat, vnum ex his esse debet. Tertio. Quia sicubi actum est de Prædicamentis, maximè *in lib. 5. Met.* vt eo in loco, inquit Mirandula, solum ponitur explicatio vocū. Igitur hic liber, in quo magis accuratè de Prædicamentis disseritur, ad Metaphysicam referendus est. Hæc sunt summa capita rationum Mirandulæ. Quod si obijcias: Atqui necessaria est cognitio Prædicamentorum ad rectè assignandas definitiones, diuisiones, &c. Respondet in suo *Com. sect. 9.* ideò Aristotelem seorsim vna in libro de Prædicamentis disseruisse, qui quidem collocandus sit post Logicam totam, immediatè autem ante Physicam, vt præhaberi possit aliqua rerum cognitio, quæ deinde vtilis ad obiecta particularium scientiarum cognoscenda. Si autem, cum propria sit hæc tractatio Metaphysicæ, in libris Metaphysicis hic liber ponendus sit, locum illius proprium esse ante septimum librum Metaphysicorum. Eadem videtur esse sententia P. Rami *in Animaduersionibus Aristotelis*, & Lud. Viuis. Bald. *in quæsito 5.* & Aug. Thius *in Præcog. in hunc librum.* affirmant, non esse quidem hunc librum Logicæ necessarium, esse tamen aliquo modo vtilem, qui hactenus benedicunt. Pergit autem. Bald dicitque hunc librum nullo certo loco inter Logicos constitui debere Aug. autem vult primo loco ponendum esse. Hæc quæstio, quæ fusissimè solet à nonnullis disputari, ita breuiter à nobis expediri potest.

Notandum primo, Duo in hac quæstione inuolui: An hic liber sit necessarius, & an sit pars Logicæ?

Notandum secundo. Necessarium & pars sumi possunt aut strictè & propriè, aut in ampla significatione. Id dicitur esse arti necessarium, atque eiusdem esse Pars; tum sine quo non potest ars illa finem suum consequi, vt colligitur ex 3. *Ca. cap. 6. & Auer. 7. Met. t. 23. & 2. Phys. t. 91.* Tum cum pars illa de re aliqua disputat sub eadem ratione formali communis obiecti: imperfectè autem aliquid dicitur in scientia pars, vel necessarium, quod aliquo modo confert ad scientiam.

Prima Propositio. Sine dubio vtilis est hæc tractatio ad Logicam. Hoc omnes affirmant, præter Auctores primæ opinionis, Mirandulam, Ramum, & Viuem, qui id præcisè negant. Et D. Aug. in lib. de Categ. hoc ostendit aliquibus rationibus: nam quod conducat hæc tractatio ad definitionem, patet ex *2. Post. t. 17. Ex 3. Phys. t. 8. Ex secundo de Animal. t. 2.* Ad diuisiones vtilis etiam est, vt patet *ex 2. Phys.* loco cit *& 5. Phys. t. 9.* Tertio. Ad Propositiones, vt supra probatum est ex Boëtio. Et consequenter ad Syllogismos, vt etiam patet ex *1. Top. cap. 7.*

Secunda Propositio. Non est hic liber simpliciter necessarius. Ratio est, quia descendit ad cognitionem rerum particularium; sufficit autem Logico, verbi gratia, de prima operatione percipere, (ad quam dicitur hic liber primariò referri) illius obiectum debere esse quidditatem, eamque constare ex partibus essentialibus, genere & differentia, aut æquiualentibus. Confirm. secundo. Nam morali Philosophiæ ad dirigendas voluntatis operationes non est necesse disputare de particulari voluntatis obiecto. Et confirmatur tertio. Alioquin agendum etiam esset Dialectico de obiecto secundæ & tertiæ operationis. Denique quia operatio prima in se satis dirigi potest ex his, quæ docet Arist. 2. *Post* de definitione. Vel cum tantum disputat Arist. de directione tertiæ, & de alijs prout ad hanc referuntur, satis sunt quæ ad primam operationem pertinent in libris *Perihermenias* explicata. Atque id eò magis, quod continent illi libri simpliciora principia primæ operationis, quam hic liber, nempe Nomen & Verbum, ad quæ potius reuocanda sunt Prædicamenta, quatenus habent rationem prædicationis, quam contrà illa ad prædicamenta.

Tertia Proposit. Hic liber ratione obiecti materialis, quod continet, hoc est ratione generum

generum realium, vt perfectè explicetur, & ex professo, pertinet ad Metaphysicam. Hoc satis probant argumenta Mirandulani.

Quarta Propositio. Logica vt aptè possit dirigere operationes intellectus, supponit leuem aliquam rerum cognitionem; hoc enim modo de Dialectica cum alijs scientijs collata dici potest, quod de omnibus vulgò dicitur, Mutuò se scientias iuuare, ideoque quadam ratione præcedunt cæteræ scientiæ Dialecticam, vt in Prolegomenis dictum est. Ideò autem hæc cognitio supponi debet a Logica, quia est vniuersalis modus, & instrumentum omnium scientiarum: quare debet saltem leuiter cognoscere quæ ab alijs scientijs cognosci possunt.

Quinta Propositio. Hac de causa meritò hic liber initio Logicæ ponitur, quia cōtinet cognitionem eorum, quæ ad omnia Logicæ instrumenta plurimum conferre possunt, & quæ primo & per se maximè conducunt ad primam operationem, etsi hæc deinde ad alias referatur. Hæc est cōmunis omnium sententia, & expressè Ammonij *in præfat. in hunc lib.* Quod immeritò Mirandula negat *lib. 5. Apol sect. 19.* Ammonius enim disertis verbis dicit: Instrumentales Aristotelis libros, hoc est, eos qui sunt de Logica, hoc ordine esse dispositos, vt libri *De Demonstratione* sint omnium finis, illos autem aliqui partim præcedat, partim sequātur; inter eos verò qui præcedunt, primo loco ponit hūc librū.

Sexta Propositio. Potest hic liber appellari prima pars Logicæ, si de parte amplè loquamur, quatenus videtur id omne significare quod ad scientiam vtile est. Ideò autem seorsim scriptus est hic liber, & positus initio Dialecticæ, quia si proprium locum in Metaphysica teneret, expectandum esset donec ad vltimam scientiam veniretur, quę est Metaphysica, ex qua peteretur hæc rerum cognitio quæ est maximè vtilis.

Septima Propositio. Absolutè & simpliciter loquendo satius est appellare hunc librum, *Introductionem Logicæ.* Colligitur ex dictis. Et confirmatur, quia multa in hac tractatione omissa sunt, quæ ad exactam prædicamentorū cognitionem necessaria sunt, vt sunt de Intelligentijs, de Cælis, alijsque multis, secundum multorum opinionem. Multa etiam accommodatè ad Logicam dicuntur, cuiusmodi sunt de Aequiuocis, Vniuocis, Analogis. Et hoc expresè sensisse videtur Boet. qui *cap. de qual.* ante explicationem proprietatum, vocat hunc librum *Elementum, aditū, pontem, & introitum ad altiora Philosophia.* Tandem multa dicit, hoc in libro Arist. secundum vulgi opinionem, vt notauit Auer. *5. Met. t.* 18 *& in Epi Log. & in serm. de reb. corrup. & in serm. de prædicam.* apertè fatetur non esse hunc librum necessariū. Ex his sequitur Primo quomodo intelligendi sint Authores, cum dicunt esse hūc librum vel necessarium, vel partem. Secundo, quomodo sit respondendum ad rationes Mirandulani. Tertio sequitur, primam partem Logicæ apud Aristotelem inchoari à libris Perihermenias, quāuis si secundum se consideretur Dialectica, forrasè aliqua desideratur, quæ sit de simplicibus terminis, definitione, & diuisione, vt in Prolegomenis diximus. Vltimo sequitur, quid dicendum sit de ordine huius libri, & vtilitate, quæ duo inter alia initio explicanda proposuimus.

QVÆSTIO QVINTA.

De via & modo doctrinæ Aristotelis.

NOtandum primo Arist. in genere hanc seruat in suis operibus docendi viā, vt in rebus quam difficillimis breuis sit & concisus, in rebus contrà facilibus plus iusto longus & prolixus, vt inductione patet tum in libris Physicis & Metaphysicis, qui sunt reconditioris doctrinæ, tum in libris Ethicis, qui sunt de rebus facilioribus. Huius rei aliquot causæ ab Interpretibus redduntur. Prima apud Ammonium & Simplicium: quia noluit Aristoteles sapientiam omnibus esse obuiā, ne parui à vulgo fieret: quod indicat ipse *in Epi. citata ad Alexandrum*; quod ipsū veteres omnes Philosophos obseruasse testatur Gal. *t. de vsu partium*; Quo factum, est vt suā doctrinā ænigmatib. & fabulis

contegerent, vt Pythagoriæ, teste Dioge. Laertio in *Pythag. & Platone*. Cic. 1. *De nat. Deor*, & Macrob. *lib* 1. *in som. Scip. cap* 2. Philo *in lib. quod omnis probus sit liber*. Bessar. Card. *lib*. 1. *cont. Calumn. Pl. t. cap*. 2. Secunda Ratio est apud Ammonium & Simplicium, vt studiosos magis inflammaret ad sapientiæ studium: quæ enim difficilia sunt, vbi fuerint semel animo comprehēsa, tenacius hærent. Tertio. Quia multa Aristoteles primus inuenit, quæ sua ipsa difficultate non ita potuerunt clarè explicari. Quarto. Ex Ammonio, & Mirandula, *lib*. 5. *de conuers. sing. cert. sect*. 15. quia quamplurima ab Aristotele tractata sunt, quæ si omnia sigillatim pluribus explicare voluisset, in immensum illius opera excreuissent. Quinto. Erat Aristoteles, sicut & cæteri, gloriæ appetens, cumque multa addubitaret, perplexè loqui voluit, ne ab alijs redargui posset. Indicat hanc causam *Eust. t. Ethic cap. 6*. D. Thom. 3 *Met. lect* 11. 1. *de cælo lect* 22. 1. *de anima lect*. 8. Denique & est hæc ratio apud Ammoniū & Simplicium, cum sapientiam, vt dixi, occultare decreuisset, noluit aliorum Philosophorum more fabulis & ænigmatibus vti, quæ in quamuis partem nullo negotio detorqueri possunt; sed concisā dicendi forma, quæ non nisi ab intelligentibus potest comprehēdi. Hinc est quod 3. *Met*. t 15. inuehitur in Philosophos, de qua re lege Macrob. *loc. cit*. vbi docet, quatenus his fabulis & ænigmatibus Philosophis vti liceat. Propter hanc causam obseruat Simplicius aliique magis, solere ab Aristotele reprehendi Philosophos, & imprimis Platonem hoc nomine, quā quod in reipsa ab ijsdem dissentiret. Quod igitur ad nostrum librum attinet; is videtur esse reponendus inter eos, qui faciliori stylo scripti sunt, quod vel legenti patet. Et ratio est, quia, vt diximus, scriptus est hic liber more introductorio, vt tantum suppeditaret nobis Aristoteles quandam rerum intelligibilium supellectilē; ideoq; secutus dicitur Aristoteles in his ferè omnibus Architam, vt notat Simplicius. Multa etiam tradit secundum vulgi opinionem, vt ex Auerroe & alijs suprà notauimus. Vnde aliquot recenset hic species prædicamentorum, quarum vel in Metaphysica non meminit, vel certè etiā reijcit. Vbi notandum est, non videri sibi constare Simplicium, qui *in cap. de substant*. dicit Aristotelem hoc libro, nihil quærendo, vel dubitando, sed asserendo cum fiducia scientiæ omnia tractare, & procedere per ea quæ sermoni verbisque sint maximè necessaria.

QVÆSTIO SEXTA.

De diuisione huius Libri.

Diuidunt Interpretes omnes hunc librum in tres partes. In prima ponuntur tres definitiones, diuisiones duæ, totidemque regulæ & vocantur *Antepradicamenta*; qua in re imitatus est Aristoteles Geometras, vt obseruat Ammonius, qui initio solent aliqua explicare quæ pertinent ad prima principia rerum demonstrandarum; vt quid sit punctum, quid linea &c Quod etiam faciendum monet Arist. 8. *Top cap. vlt*. Secunda pars versatur in ipsa tractatione *Prædicamētorum*. Tertia, quam appellant *Postpradicamenta*, continet quarundam vocum declarationem quarum inter disputandum frequens mentio inciderat. Quod si quæras: Quid ita Aristoteles hanc eandem explicationem non principio posuit? Vel, cur quæ in Antepræd camentis sunt, in vltimum locum reiecit? Respondet Porphyrius, Simplicius, & alij, quia quæ in initio explicantur, magis obscura erant, magisque necessaria ad Prædicamenta cognoscenda; quæ autem postremò docentur, aliquantò notiora, etsi non ita planè comperta, quin aliqua adhuc egerent explicatione.

Secunda pars.

Vidimus parte præcedente quę ad huius libri notionem spectabant; sequitur vt ad remipsam magis descendentes, explicemus quænam in Categoria ponantur, quænam ab eadem excludantur, vbi vt certa ab incertis secernantur, primo agemus de ijs quæ sine controuersia sunt extra Prædicamenta. Secundo. Examinabimus

bimus ea quæ peculiarem habent difficultatem.

QVÆSTIO PRIMA.

De ijs quæ non ponuntur in Prædicamento.

DE hac re tum alij, tum præsertim Simplicius in vltimam diuisionem multa disputat, vindicans Aristotelem à multis aliorum Philosophorum argumentis.

Notandum Prædicamentum, seu Categoria significat essentialem coordinationem aliquorum inter se sub vno aliquo. Vnde factum est, vt prædicamentum absolutè positum significet interdum solum prædicatum essentiale superioris de inferiori, vel æqualis de æquali, vt videre est apud Arist. 1 *Post. t.* 34.

Prima Propositio. Non entia, & entia fictitia non ponuntur in Prædicamento. Ratio est, quia Prædicamenta sunt veluti quædam species entis. Secundo. Non entia & entia fictitia sunt infinita & incerta, & nulli vsui sunt ad scientias.

Secunda Propositio. Negatio & priuatio non sunt in Prædicamento. Ratio, quia formaliter loquendo sunt nihil, seu non ens; reductiuè tamen poni possunt in prædicamentis, quorum sunt negationes, vel priuationes. Quod Simplicius testatur fecisse Aristotelem in quodam libro huius argumenti, vel certè aliquem alium de schola Peripatetica.

Tertia Propositio Entia rationis non sunt in Prædicamento. Primo, quia vagantur per omnia Prædicamenta. Secundo. Quia diuisio in decem Prædicamenta, ex Arist. *in* 5. *Met.* est entis realis. Imò *lib.* 6. *t.* 8. reijcit ens rationis à consideratione Metaphysica, quoniam illius obiectum est Ens, vt Ens, hoc est reale. Et confirmatur; Quia fiunt tantum ab intellectu, in quo solum sunt obiectiuè. Deniq; confirmatur authoritate Græcorum omnium, qui etsi dicant, Voces esse obiectū huius libri, loquuntur tamen de vocibus primæ impositionis, hoc est, quæ entia realia significant; quæ ipsæ voces cum formaliter sint entia rationis quatenus significatiuæ sunt, eadem de causa nō sunt in prædicamento.

Notandum tamen, Entia rationis esse conditiones quasdam sine quibus nō ponerentur res in prædicamento: ponuntur enim aut genera, aut species. Quemadmodum etiam modus indiuiduationis non ponitur directè in prædicamento, sed est tamen conditio cur prima substantia in ea ponatur. Hæc propositio est contra Buridanum *in hunc librum*, & contrà Iamblichum: 6 *Met quæst* 9. quorum ille vult poni entia rationis in prædicamento Ad aliquid, iste autem & alij quidam nouum quoddam genus & prædicamentum confinxerunt pro entibus rationis, etsi idem dicat posse ad prædicamentum Relationis referri, contra quem lege Zimaram ibid. Refert autem Ammonius, posse dici reuocari hæc entia rationis ad prædicamenta rerum quas afficiunt. Et Dexip. *lib.* 1. *cap* 34. & Simpl. dicunt Aristotelem in libro quodam de quibusdam regulis significandi egisse de hac entium rationis ad prædicamenta reductione.

Quarta Propositio. Transcendentia non ponuntur in prædicamento, hoc est, Ens, Vnum, Bonum, &c. Ratio est, quia sunt in omni prædicamento; nam substantia est Ens, Vnum, Bonum, &c. & sic de cæteris. Secundo. Quia Ens cæteraque transcendentia secundum probabilem opinionem dicuntur Analogicè de substantia & accidente, de qua re *in Met. & hic* Toler.

Quinta Propositio. Differentiæ, partes, initia, modi, & viæ non ponuntur in prædicamento. Ratio communis his omnibus est; quia sunt entia incomplexa & imperfecta. *Differentiæ* quidem, quia dicunt tantum partem essentiæ. *Partes*, vt materia & forma. *Initia*, vt punctum, vnitas, &c. *Modi*, vt in substantia, existentia, in quantitate, secundum communem opinionem, extensio; in qualitate, intensio, &c. *Viæ*, hoc est motus & mutationes, quas expressè hic Am. dicit non poni in prædicamēto per se, sed reduci ad eas res, quarum sunt viæ, hoc est productio, seu mutatio. Ratio autem peculiaris de differentia est, quia, vt dixi *tractatu de differentia*, prædicatur in quale; at quæcunq; sunt

directè in prædicamento, aut prædicantur in quid, aut recipiunt prædicationem in quid. Quare falsa est ratio quorundam apud Ammonium *ca. de substant.* non poni differentias directè in prædicamēto, quia quædam sunt quidem substantiales, aliæ tamen potius sunt accidētales, aliæ autem mixtæ ex substantia & accidente, vt rationale, differentiæ qualitatum, differētię elementorum; nec etiam valet aliorum ratio apud Simplicium, esse differentias compositas ex accidente & substantia, ideoque non poni in prædicamento; nam fundamenta harum opinionum falsissima sunt. Dices: Genus ponitur in prædicamento. Ergo & Differentia. Probatur consequentia. Nam si accipias genus pro præciso gradu communi, habet tantum rationem partis, quare vt sic non ponitur in prædicamento. Si autem vt in concreto significat etiam differētiam, ponetur quidem in prædicamento, sed eandē ob causam poni dicenda erit & differentia, quæ etsi præcisè dicat tantum partem quidditatis, tamen in concreto significat etiam genus ipsum. Respondeo. Differentia vt in concreto sumitur, non ponitur quidem in prædicamento reductiuè tanquā pars, quia non dicit solam partem, nec tamen ponitur directè, quia semper significat & prædicatur per modū qualitatis. At quicquid in prædicamento directè ponitur, debet vel prædicari in quid, vel directè recipere in se prædicatum in quid. Quare ponetur differentia hoc modo sumpta ad latus, non directè nec reductiuè, vt patet ex serie Prædicamenti substantię, quæ est apud Porph. *ca. de Specie.* Addi etiam potest, quod Genus ponitur in prædicamento non quatenus Genus est, sed quatenus est Species, quamuis rationem summi generis habeat tantum Genus, non autem Species, quod tamen habet rationē Prædicamenti quatenus dicit materiam aliquam quæ vniuocè & in quid de inferioribus prædicatur.

Sexta Propositio. Substantię in abstracto significatæ, etiamsi significent totam naturam rei, non tamen ponuntur vt sic in prædicamento. Ratio est, quia sub hac ratione non possunt esse substantiæ genera, vel species; non enim potest vnum de altero verè prædicari. Deniq; non habent substantię hoc modo modum substantię, qui est, per se standi. Quæ omnia patent ex dictis hic de vniuersalibus, quo pacto vnum vniuersale de suis inferioribus prædicetur.

Septima Propositio. Accidentia ècontrà prout in abstracto considerantur, solummodo propriè in prædicamento reponūtur, nō autem in concreto. Ratio est, quia accidens in cōcreto duo significat: Subiectum, seu substantiam, & formam accidentalem. Quod autem ex substantia & accidente est compositum, non potest vnum per se efficere; quia quicquid aduenit enti in actu constituto, facit ens per accidens, vt habetur 7. *Met. tex. 49. & lib. 8. t. 15.* Quæ sententia non modo locum habet quando accidens aduenit substātię, sed etiam quoties vnum ens completum & perfectum in suo genere alteri item cōpleto aduenire concipitur, aut etiam enti alterius generis. Vt enim fiat vnum ens per se, debet se habere alterum respectu alterius tanquam actus in ordine ad potentiam. Vnde Arist. docet, in omni prædicamento reperiri actum & potentiam, 5. *Met. t. 17. 1. de anima, t. 6.* Quod non debet ita intelligi, vt in quolibet prædicamento dicatur esse actus & potentia, quia quæuis natura quę in actu est, seu in re ipsa, quatenus hoc modo est, actu esse dicitur, & quia potest etiam esse in alio, dicitur esse in potentia. Verbi gratia, natura humana in Petro actu est, in Antichristo potentia. Nec etiam sensus huius sententię est, quia in quolibet prędicamento se habet vnum vt potentia, quia imperfectius est in ordine ad aliud, quod quia perfectius est, actus appellatur. Nec tertio ideò dicitur, in quolibet prædicamento esse actus & potentia; quia omne id quod est in prædicamento, potest esse, & potest non esse, vt quatenus est, actu esse dicatur, quatenus autem vel cum est desinere potest, vel cum non est, dicatur esse in potentia; quo modo sola corruptibilia in prædicamento collocarentur, quæ interpretatio

pretatio est Zimaræ t. 50. & probat *ex 3. Phys. t. 32 & 9. Met. t. 16.* vbi dicitur in rebus corruptibilibus idem esse, *esse & posse*. Sensus inquam huius recitatæ propositionis, etsi quoad duos priores modos, verus esse possit (nam tertio modo falsus est, vt infra videbimus) tamen ex mente Aristotelis, actum & potentiam in quolibet prædicamento esse, est, quicquid in prædicamento ponitur, ex genere constare & differentia: nam genus se habet vt potentia & vt materia, differentia vt actus & forma, quod maximè confirm. *ex 1. de anima. t. 6.* de qua re rectè Land. *5. Met. q. 38.* Cæterum hanc nostram conclusionem docet D. Tho. *op. 42 cap. 19.* Anic. *ca. 3. Met.* P. Ven. *in Antepredicam & ca. de quant.*

Obijcies. Ergo hoc aggregatum, *Animal rationale*, ponitur in prædicamento, nam significat vnum quid per se, quia alterum se habet vt actus, alterum vt potentia, & tamen Arist. *in Antepredicam. in vlt diuis.* Ens sine complexione diuidit in decem Prædicamenta. Respondeo. Ratione significati nihil obstat quo minus poni dicatur animal rationale in prædicamento, quia significat ipsum hominem. Verum quia modus significandi est, vt significentur partes distinctæ, non potest hoc aggregatum poni in Prædicamēto, nisi quatenus æquiualet simplici, vel composito ex his duobus.

Notandum autem primo. Eandem esse rationem de terminis quibusdam complexis, qui ob penuriam nominum ponuntur pro terminis simplicibus, vt corpus animatum dicitur esse in prædicamento quatenus est idem quod viuens. Talia sunt etiam exempla Aristotelis, esse armatum, esse calceatum. Dicuntur autem præterea sex vltima Prædicamenta esse quid complexum, quod accipi debet non vt in se sunt, sed quatenus conferuntur cum primis, *ex* quibus oriuntur. & ex quibus quodammodo componi dicuntur.

Notandum secundo. Solent, præsertim Græci formas simplices accidentium explicare nominibus concretis, quod interdum etiam Latini faciunt. Tunc autem adhuc poni dicuntur accidentia non in concreto, sed in abstracto, & cum etiam in concreto principaliter & formaliter significent formas ipsas accidentales, dicuntur interdum promiscuè poni concreta & abstracta, per concreta intelligendo formas ipsas. Ex his sequitur in prædicamento poni sola entia realia & completa. An autem hæc omnia ponantur, quæstio est. Dubitatur autem potissimū de incorruptibilibus. Et quanquam id soleat examinari *in ca. de substantia*, tamen quia non solum de substantia, verum etiam de accidentibus incorruptibilibus dubitari potest, ideo hoc loco hanc quæstionem expediemus.

QVÆSTIO SECVNDA.

An Deus ponatur in prædicamento?

PRimum locum inter incorruptibilia habet Deus Opt. Max. de quo tum secundum Aristotelem, tum multò magis secundum veritatem dicendum est, nullo modo propriè poni in prædicamento. Et quod ad veritatem quidem attinet, ratio est, quia est infinitus, est actus purissimus, est simplicissimus; denique est expers omnis compositionis, quod quia Arist. etiam 12. *Met.* docere videtur, potest etiam hæc ratio pro Aristotele afferri. Lege D. Thom. 1. *p. quæst. 3. art. 5.* Hinc sequitur non rectè Gabrielem 1. *sent. d. 8 quæst 6.* & Arim. *ibid. quæst. 3.* sensisse, Deum esse in prædicamento substantiæ, quod, ne quid grauius dicam, non vacat temeritate. Nec etiam placet Occam & Scotus, qui etsi id non asserant, videntur tamen aduersariorum rationibus tanquam insolubilibus manus dare. Hoc apertè docet D. Dionys. *lib. de Theol. Mystica, & de diuin. nominib. cap. 3. & 5.* D. Aug. *7 de Trinit. cap 5.* Quod si aliquando videtur Deum sub prædicamento substantiæ ponere, id abusiuè & in lata significatione intelligendum est, propter analogiam quandam & similitudinem eorum quæ in Deo sunt ad nomina prædicata. De qua re D. Thom. 1. *p quæst. 13.* Ita verò locutus est D. Aug. *lib. 7. ca. 8. ser. 35. de tem. & 38.* dicens quoq; esse in Deo actionē & relationē, quę nemo dubitat, si accipiātur

vt sunt

vt sunt quædam accidentia, nullo modo in Deum cadere posse: quicquid enim in Deo est, substantialiter Deus est. Hoc ferè modo intelligendus est Arist. cũ aliquando Deum appellat substantiam, eique tribuit genus, vel etiam definitionem, vt 2. *post. t* 1. *&* 7. 2 *Top. cap* 2. *lib.* 3. *cap.* 1. *loco* 11. *lib.* 4. *cap.* 2. *loco* 17. *&* 20. *lib.* 5. *cap.* 1. *& c.* 2. *loco* 36. *cap.* 3. *loco* 71 *&* 1. *Eth. cap* 6. Nam, vt dixi, vel abusiuè loquitur, vel exempli causa, vel ex Platonis sententia, vt quosdam velle diximus *cap. de specie*, sensisse Platonem. Quanquam is apertè *in Parmenone* id neget. Vel denique secundum vulgi sententiam, Themistius tamen *ca.* 9. 2. *Post*, videtur velle Deum propriè definire. Quod si ita est, genere profectò constabit; sed non fuit quod id colligeret ex *lib.* 7. Etsi enim Arist locutus sit ex propria sententia, tamen hoc tantum dicit aliud esse quęrere An Deus sit, aliud Quid sit. Per *Quid* intelligendam quamlibet descriptionem, & vtrumque non secundum se, sed in ordine ad nos. Sicut enim de alijs rebus interdum tantũ scimus An sint, interdum autem Quid sint, quæ duo verè sunt distincta in rebus ipsis: Ita de Deo aliquando cognoscere possumus An sit, aliquando etiam Quid sit; quamuis hæc in ipso sint planè idem. Non igitur rectè Ioan. Pic. Mirand. *lib* 4. *de vanitate doctrinæ, cap.* 1. *& lib.* 5. *cap* 8. vult, Deum, secundum Arist. esse Animal. lege Am. Bern. Mirand. *lib* 13. *de euers. sing. cert. sect.* 15 *& lib.* 16. *sect.* 1. Denique potest vtcunque dici cum D. Thom. *quæst.* 7. *de potent art* 3. *ad vlt. &* 1. *sent. d.* 8. *quæst* 4. *quæstiuncula* 2. Deum esse in prędicamento quodammodo reductiuè, hoc est, quatenus est causa & principium omnis perfectionis quæ est in prædicamentis. Simpliciter tamen & absolutè satius est dicere, nullo modo esse in prædicamento, quomodo loquitur ipse *in sua Summa*.

QVÆSTIO TERTIA.

An intelligentiæ ponantur in prædicamento?

SI veritatem spectemus, nullo modo dubitare licet; nam angeli sunt entia quædam finita, quæ conueniunt cum alijs substantijs in ratione substantiæ, differũt autem per suas proprias differentias. Hinc sequitur falsam esse opinionẽ Marsil. 2. *dist.* 2. negantis compositionem essentialem in angelis, & Durandi 2. *sent. li.* 1 *quæst.* 3. tollentis compositionem ex genere & differentia. De Aristotelis sententia magna dubitatio est, sed quia decisio huius dubitationis pendet ex illa quęstione: An angelus, secundum Arist sit actus primus nec ne, an à Deo pendeat in genere causæ non modo finalis, sed etiam efficientis quæ proprium locum habet in Metaphysica: Ideò absolutè loquendo de Aristotele, non videtur hæc quæstio hoc loco esse definienda. Solum sciendum est negare id Zimaram *th* 40. 41. 62 66 103. 105. 116. Iand. 10. *Met q.* 22. Auer. *in cap de specie* 2. *cæli t.* 49. 10. *Met.* Tex 12. *in destructione destructionum dist.* 7 Simpl. *in hoc ca.* Propter hanc causam, quia putat corruptibili & incorruptibili vnam rationem vniuocam dari non posse. Interim tamen quid de Arist. dicendum sit, quamuis non ex principijs & fundamentis, sic obiter accipiendum est

Prima Propositio. Secundum Aristotelẽ, absolutè loquendo, quantum colligi potest ex varijs locis, ponuntur Angeli in prædicamento. Probatur, Quia 2. *de anima. t* 6. vt explicaret animę definitionem, quærendum dixit An sit substantia, An aliud prædicamentum. At anima rationalis immortalis est, & propè accedit ad intelligentias, etsi simul habeat rationem formæ similem alijs formis rerum corruptibilium. Qui locus multò magis facit contra Auer. cuius opinio fuit, animam rationalem nihil aliud esse, quam formã assistentem, & intelligentiam: Præterea 1. *Phys. t.* 13. disputans contrà Parmen. qui sentiebat rerum naturalium vnicum esse principium immobile & incorruptibile, hoc modo ait: Vel est substantia, vel quãtitas, vel in alio prædicamento. Ergo vt aliquid concludat Arist. ponit res incorruptibiles sub prędicamento. Item 5. *Met. t.* 15. agens de substantia, exemplum ponit, *dæmonia*. Et 7. *Met. t* 5. *&* 6 *& lib* 8. *t.* 8. id idem apertè indicat, vbi lege Alexandrũ.

Obijcies, Primo Met. t. vlt, Corruptibile, inquit,

inquit, & incorruptibile genere differũt. Angeli sunt incorruptibiles, non igitur sunt sub eodem genere sub quo sunt res corruptibiles.

Secundo. Plerisque locis Arist. dicit in quolibet prædicamento esse actum & potentiam, at negat *in 9. Met. t.* 17. reperiri in angelis potentiam, *& lib. 12. Met. t. 26.* asserit in prædicamentis esse actum & priuationem, in angelis autem nõ potest priuatio locum habere, alioquin essent corruptibiles.

Tertio. 8. Met. t. 16. Quæ, inquit, non habent materiam, neque sensibilem, neque intelligibilem, illa sunt per idem Ens & Vnum, hoc est, non habent quod possint habere supra se genus, & per quod ab alijs differant. At certum est Angelos esse expertes omnis materiæ. Carent igitur genere.

Quarto. 10. Met. t. 12. Genere, inquit, differunt, quæ non sunt in materia, siuè quæ in materia non conueniunt, & quorum non est communis generatio. Ergo esto, angeli possint esse in prædicamento, tamen non in eodem in quo ponuntur res corruptibiles. Hæc sunt præcipua loca quę difficultatem faciunt.

Ad primum. Sensus est corruptibile & incorruptibile genere differre, hoc est genere interiecto, seu specie; Vt enim aliàs monuimus, nonnunquam pro eodem sumuntur genus & species. Quod autem ita sit intelligẽdus Arist. patet ex eo, quod ibi disputet contrà Platonem inducentẽ Ideas. Si, inquit Arist. datur Idea hominis distincta à Socrate: Ergo Socrates specie differt ab illa Idea: nam est corruptibilis Socrates, Idea autem incorruptibilis. Corruptibile verò & incorruptibile genere differunt. Et confirmatur: Quia idẽ probat, quod corruptibile & incorruptibile contraria sunt; sed contraria sunt sub eodem genere, vt patet *ex c. de oppos.* Non ergo voluit, corruptibile & incorruptibile toto genere differre. Dices: Addit Arist. Differre plus quam specie. Ergo vult differre toto genere, ita vt sint distincta duo summa genera. Respondeo: Differunt plus quam specie, quia differunt genere interiecto, & maxima differentia quę esse potest: siquidem differunt oppositis differentijs, ita vt non possit vnum sub altero collocari. At quæ solum specie differunt, possunt & specie differre, quæ tantum sit species, & possunt eædem poni sub aliquo vno, & vna sub alia.

Ad secundum. Dicit Arist. reperiri priuationem & formam in omnibus prædicamentis proportionaliter, vnde eodem loco admittit esse in sole & in circulo obliquo. Potest igitur admitti in angelis priuatio, non in ordine ad esse, sed habita ratione operationum: siquidem potest angelus modo operari, cum ante non operaretur, vel cum modo operetur, paulò post desinere operari, & propterea *9. Met. t. 17.* expressè solum loquitur de potentia ad esse, quo pacto etiam *2. Phys. t. 32.* in genere dixit, incorruptibilibus idem esse, esse & posse. Et *12. Met. t. 30.* negat in angelis esse potentiam physicam, hoc est, materiam. Si tamen per actum & potentiam, vt diximus suprà, intelligamus genus & differentiam, non negauit Arist. esse in angelis actum & potentiam; Imò verò id indicat *loco citato, præsertim 7 Met.* dicens, hæc duo nõ eodem modo in omnibus reperiri; tum verò subdit exempla in rebus corruptibilibus, significans profectò etiam in incorruptibilibus hæc duo reperiri.

Ad tertium. Loquitur Arist. eo loco de generibus generalissimis, quæ non habẽt materiam intelligibilem, hoc est, genus, vt sup. diximus *disput. de genere*: Nec materiam sensibilem, quia, vt acutè notat Alex. non solum reperitur genus generalissimum in rebus sensibilibus & corruptibilibus, verum etiam in incorruptibilibus. Ex quo etiam nostra sententia confirmatur.

Ad quartum, Primo. Si per materiam intelligatur materia prima, hinc apertè sequitur quamplurima prædicamenta non esse distincta, imò verò duo tantum reperiri; nam omnia accidentia conueniunt in materia, quia ordinem dicunt ad illam, vt in ea recipiantur. Si autem malumus intelligere materiam secundam, sequitur

quitur longè plura esse prædicamenta quam quæ vulgò numerantur: Vnde calor erit aliud prædicamentum distinctum à calore solis, &c. quia aliud est subiectũ secundum, seu materia secunda solis, aliud caloris. Non igitur potest intelligi Arist. de materia Physica reali, sed de materia analogica, & proportionali, vel de genere quod simile esse dicitur materiæ. Hinc est quod statim subdit: *Quorum alia est prædicationis figura.* Sunt igitur genere diuersa, quæ in materia non conueniunt vel quæ supra se non habent aliud genus, & quorum non est communis generatio & transmutatio, hoc est, cum differentia quæ est in vno, non potest veluti transmutare alterum, vel non potest accidere alteri generi, tanquam ipsum contrahens & informans, sicut secundum satis probabilem opinionem, dicuntur materia cæli & horum inferiorum genere physico differre, quia non potest forma horum inferiorum & corruptibilium informare & recipi in materia superiorum, nec vicissim forma cœlestium materiam horum inferiorum. Potest & hæc expositio non incommodè afferri, vt dicamus genere differre quæ non conueniunt in materia, non ibi sistendo, sed quorum non est communis trãsmutatio. Et in hoc sensu sola suprema genera dicuntur genere differre, quia non conueniunt in materia, ita vt possit vnum in aliud transmutari: nã ex quãto nõ potest fieri quale. Confirmatur hæc sententia de Intelligẽtijs authoritate ferè omniũ Interpretum.

Secunda Propositio. Probabile est, si sermo sit de his quæ ab Arist. hoc in libro docentur, non poni Intelligentias in prædicamento. Ratio est, quia solum videtur esse locutus de rebus corruptibilibus, vnde & hoc dicit ad finem capitis, esse maximè proprietatem substantiæ, vt vna & eadem numero possit in se contraria recipere, contraria autem propriè dicta res solum corruptibilis recipere potest. Hæc est sententia omnium ferè Græcorum, Iamblich. Syriani, & Boëtii apud Simplicium, Porph. *lib. de interrog. & respons;* Dexippus & Ammonius *in hunc locum*, & aliorum, quæ ita Aristotelem purgant à calumnijs aduersariorum, Plotini, Lycost. Athenod. Lucij, qui hoc nomine potissimum hunc librum labefactabant, quia in eo non ageretur de præstantissimis substantiæ speciebus, id est, de Intelligentijs, alijsque incorruptibilibus. Boëtius etiam ex Latinis, *cap. de substant.* dicit loqui tantum Aristotelem hoc in capite de substantia composita ex materia & forma. Albert. *ibid. & in diuis. vltim.* Auer. locis *cit. sup.* Ratio autem potest esse, quia hic liber est tantum introductio quædam, in qua solent tractari tantum quæ faciliora sunt: sunt autem Intelligẽtiæ cognitu difficillimæ. Secundo, Propter illã quam diximus ab Arist. allatam substantiæ proprietatẽ.

Tertia Propositio. Idem est iudicium de accidentibus spiritualibus incorruptibilibus, vel etiam in communi de accidentibus spiritualibus, quæcunque sint illa. Ratio est, quia etiam sententia quædam determinata & quæ admittere possint hanc compositionem ex genere & differentia.

QVÆSTIO QVARTA.

An cæli ponantur in prædicamento?

DE re ipsa nullus potest esse controuersiæ locus; si enim Intelligentiæ ponuntur, entia multo perfectiora & simpliciora, priori iure etiã cæli in prædicamẽto collocabuntur. Hoc tamen negare videtur Auer. *locis cit.* volens esse distinctum quoddam genus etiam summum, pro corruptibilibus & incorruptibilibus, quem videntur sequi Z m. *t. 62.* & Nyphus 10 *Met* Simpl. etiam *hic.* Quanquam suspicer saltem Simpl. locutum esse de mente Arist. in hoc libro.

Prima Propositio. Quare quod ad Aristotelem attinet, de quo omnis quæstio est, dicendum, Primo videtur, absolutè loquendo ponuntur cæli in prædicamento secundum illius sententiam. Hoc probãt rationes omnes factæ pro intelligentia *quæst. præcedentis.* Præterea, quia 3 *Phys. t.* 3. definit Motum, quam definitionem omnes Interpretes volunt etiam in cælestem conuenire, & 2. *de anima t. 68.* ætĩ, inquit, aqua, cælum perspicua sunt, nõ quatenus

tenus talia, sed quatenus vnam habent naturam. Denique, quorum accidentia conueniunt vniuocè in aliquo, possunt & substantiæ conuenire: nec enim videtur maior esse ratio vnius quam alterius. Sed cæli & horum inferiorum accidentia sunt vnius rationis, seu essentiæ. Ergo & substantiæ ipsę. Secundo. Probatur ex ijs omnibus locis, in quibus Arist. vult de cælo & astris esse scientiam. At scientia propriè dicta non potest esse nisi eorum quorum est definitio. Rursus definitio eorum tantum est quæ genere constant. Ergo cœli genere constant. Loca sunt præsertim ista 7. *Met. t.* 55. vbi etiam apertè cælum vocat substantiam. 1 *Post. c.* 18. & 32. 1. *de cælo, t.* 91. 92. 93. & *in* 94. dicit aliud esse cœlum, aliud hoc cœlum, vbi etiam ponit in cœlis species quasdam. Quamuis autem concedatur cœlum non esse compositũ ex materia & forma, quo potissimum argumento nituntur aduersarij, & ita sentit Auer. de quo suo loco: tamen negari non potest esse in cælo compositionẽ Metaphysicã ex materia & forma, vel genere & differẽtia: siquidẽ id, vt dixi, etiam angelis tribuitur, qui longo interuallo sunt simpliciores. Hæc sententia est communis omnium Interpretum, pręsertim autem D. Tho. 10. *Met lect. vlt.* & Doctorum Parisiensium. Obiectiones quæ contra hanc propositionem afferri possunt, difficiliores sumuntur ex locis quæstione præcedenti explicatis, pręsertim ex 10. *Met. t. vlt.* vbi Arist. dicit, corruptibile & incorruptibile genere differre, & ex eo loco, vbi Arist. in prædicamentis dicit esse actum & potentiam; siue actum & priuationem. Lege Alex. 7. *Met. t* 55 Them. 1. *p. cap.* 13. Et eadem est sententia Architæ & Platonis, teste Simpl. in hunc locum.

Secunda Propositio. Probabile est non poni cœlum in prædicamento substantiæ, prout de prædicamentis hoc libro disputat Aristot. Hæc est sententia Græcorum citatorum, qui solum volunt agi dum esse hoc loco ab Aristotele de corruptibilibus substantijs. Ratio etiam potest ex vlt. propr etate substantię peti, quę est, vt vna & eadem numero contraria recipere possit; quod, vt dixi quæst. præcedenti, propriè loquendo soli non potest cõuenire rebus corruptibilibus. Quę tamen ratio non planè conuincit: posset enim hoc modo facilè ab aduersarijs eludi, si dicerent, conuenire quidem id substantiæ, non tamen omni substantiæ, vel certè etiam omni substantiæ conuenire, ita tamen, vt intelligatur non de contrarijs propriè, sed de his quæ aliquo modo cõtrarietatem habere dicuntur. Verum ijdẽ Græci volunt hanc proprietatem omni substantiæ primę conuenire. Ideoque meritò dictam ab Aristotele esse, maximè propriam affectionem. Ex quo concluditur actum esse tantum ab Aristotele de corruptibilibus substantijs. Adde, quod contrarietatem impropriè sumptam, possunt & alia pręter substantiã recipere, hoc est oppositionem relatiuã, priuatiuã, &c.

Tertia Propositio. Hinc etiam patet quid sit dicendum de accidentibus corporeis incorruptibilibus: nam ponuntur etiam ipsa propriè in prædicamento. Secundũ quidem veritatem absque vlla dubitatione, secundum verò Aristotelem ad eum modum, quo de substantijs diximus.

QVÆSTIO QVINTA.

Quæ distinctio requiratur ad diuersa prædicamenta?

Diximus quænam in prædicamento locum habeant, quæque ab eodem reijciantur; sequitur vt ad ipsam prædicamentorum distinctionem, numerumque peruestigandum accedamus. Cum igitur plura esse prædicamenta dicantur, de quo tamen postea, quærimus, quænam esse debeat distinctio, quæ satis sit ad prædicamenta distincta efficienda? Supponendum est (quod alias obiter responsũ, & proprius locus est in Metaph.) dari duplicẽ in genere loquendo distinctionẽ: Rei, & rationis, vel quę a parte rei est, vel quę tantũ opera intellect' cõfingitur, siue sit aliquod fundamentũ in reb. ne planè conficta distinctio esse dicatur, siue nullũ sit. Omissa autẽ distinctione rationis, distinctio rei alia est realis, hoc est, rerũ distinctas per se existẽtias habẽtiũ, vt sunt duo indiuidua hominis, duæ albedines. Alia formalis,

quæ est diuersarum essentiarum, etiamsi non possint seorsim existere, etiam per potentiam Dei. Vltima est Modalis, hoc est, modi intrinseci à re cuius est modus.

Prima Propositio. Plura prædicamenta quam duo distinguuntur realiter. Est cōtra quandam opinionem, cuius meminit Bitol. *in Antepredicam.* dicentium, solam substantiam & qualitatem distingui realiter; sed supposita veritate, de qua in Physic. quantitatem distingui realiter à substantia, patet, vt minimum tria prædicamenta distingui realiter: Alij enim plura etiam distingui realiter admittunt, & inter cætera Relationem, de quo *in Tract. de Relatione.*

Secunda Propositio. Ad distinctionem prædicamentorum sufficit diuersitas formalitatum. Probatur; nam ex Aristotele in 3. Phys. actio & passio sunt idem re & subiecto, & tamen actio & passio sunt distincta prædicamenta. Igitur distinguuntur tantum formaliter: nam quod hæc saltem distinctio requiratur, vel ex eo liquet, quoniam diuisio & distinctio prædicamentorum est diuisio & distinctio entis in entia realia. Ad hunc modum intelligi debet Arist. cum 2. *post. cap.* 11. dicit, debere summa genera esse impermixta, & cum *lib.* 5. *Met* & *lib.* 10. alijsque locis passim affirmat, debere prædicamenta esse maximè diuersa. Hinc sequitur malè Durand. 1 *sent. d.* 30. *q.* 2 *ad* 1. *num* 20. asserere, diuisionem in decem non esse entis extra animam secundum formales eorum rationes, quia, inquit, nullum prædicamentum in se constituitur, vel ab alio distinguitur, nisi concurrente operatione intellectus, dicunt enim rationem prædicabilitatis & prædicationis, sub ratione generis, speciei, & differentiæ, quæ est relatio rationis. Est tamen, inquit, fundamentum in rebus ipsis ex modis diuersis prædicandi, ob quod non est ficta planè distinctio. Errat Durandus. Quia etiamsi verum sit, prædicamentum, vt dicit formaliter rationem prædicabilitatis, esse solummodo huiusmodi per rationem, tamen diuersitas ipsa generum realium non fit opera intellectus, sed est de facto in rebus ipsis, & prædicatio est de ratione rerum ipsarū.

QVÆSTIO SEXTA.

De numero prædicamentorum.

PRima Opinio. Est asserentium longè plura esse prædicamenta. Est illorum omnium, qui propter ea quæ à nobis reiecta sunt, hunc denarium numerum prædicamentorum reprehendebāt, contra quos lege præsertim Simpl. *præfatione in hunc librum.* Am. *ibid.* Dexip. & Porph.

Secunda Opinio. Pythagoræ & Speusippi, qui viginti faciebant rerum omnium suprema initia, quæ συσοιχίας, id est, *coordinationes* appellabāt, vt refert Arist. 1. *Eth.* *cap* 6. 1. *Met. sum* 2. *cap* 3. decem erunt rerū inexistentium & imperfectarum, decem autem rerum perfectarum, vel decem rerum bonarum, totidem rerum malarum. Ordo bonorum hæc continebat: *Vnum, mas, finitum, dextrum, quies, rectum, lux impar, quadratum, bonum.* Ordo malorum hęc comprehendebat opposita: *Multiplex, fœmina, infinitum, motus, curuum, tenebræ, par, altera parte longius, malum.* De qua opinione vide Plut. *de Pla. Phylosophorum cap* 3. Cæl. Rodig *lib.* 22. *var. lect cap.* 7. Ex hac sententia ortus creditur error Manichæorum, qui duo esse dicebant principia rerū omnium, æquè prima, & æquè potentia: Vnum rerum bonorum, alterum rerum malorum. Quem errorem passim D. Aug. confutat, præsertim *libris duobus de Gen. contrà Manicheos.* Aliæ sunt opiniones quę affirmant pauciora prædicamenta, vnde est tertia opinio.

Tertia Opinio. Esse vnum tantum prædicamentum. Quam opinionem recitat absque nomine Porph. *cap. de specie*, vbi refellit eos qui dicebant Ens esse summum genus, ex quo sanè sequeretur hæc nostra decem prędicamenta potius commoditatis causa, quam re ipsa distincta esse: Tribuitur hæc opinio Platoni, cuius erat illud exemplum, quod ibidem ponit Porphyrius supremi vnius principij in familijs, quę tandem omnes ad Iouem reuocabantur, quem ideò Homerus Regem appellat & hominum & Deorum, & Virgil. *Diuum patrem, atque hominum Regem.* Hāc sententiam

sententiam etiam absque nomine refert Philop. *in Pr. sect. 2. cap. 1.* Ad quam etiam reuocanda est, quæ ibid. ab eodem ponitur, vnum esse supremum genus. Eodem reuocari potest opinio, quam ponit ibid. Philop. dicentium rerum omnium vnum esse principium aliquod ex quatuor elementis. De qua re disputatum est in Physica: nam, inquit Philop. id vt genus de decem prædicamentis, dubio procul prædicabatur, qui hoc sentiunt, quę tamē cōsequentia nō videtur esse necessaria. Scotus in hac videtur esse sententia, vti saltē ex his quæ docet potest id facilè contrà ipsum colligi, sentit enim Ens esse vniuocum quid ad substantiam, quarè non erūt decem prædicamenta, nisi commodioris distinctionis causa.

Quarta Opinio. Tribuitur Xenocrati, & Andronico, duo tantum esse summa genera: Substantiam, & Accidens, quia habet accidens, vt in communi sumitur rationem quandam vniuocam ad decem genera. Quæ ratio affertur à Soto *in Antepraedicamentis quæst. 2.* Etsi ipse non doceat duo tantum esse prædicamenta. Idem quoad hanc rationem opinatus est *P. Ven. 2. pp in t. 25.* & est aliquorum recentiorum opinio.

Quinta Opinio. Tribuitur Stoicis, esse solummodo quatuor prædicamenta, ita vt sex vltima ad prædicamentum Relationis referantur.

Sexta Opinio. Est Aristotelis, & communis, esse decem quæ vulgò enumerantur prædicamenta. Alias opiniones vide apud Plot *in triplici tract. de decem summis generibus*, qui author negat Platonem existimasse Ens esse summum genus.

Prima Propositio. Quid sentiendum sit de Ente vt confertur cum substantia & accidente, & de accidente in ordine ad nouem prædicamenta, non est huius loci definire. Tamen etiamsi doceremus dici Ens vniuocè de substantia & accidente, & accidens de nouem prædicamentis, non sequitur habere rationem generis. Ratio est, quia de ratione generis est, vt dicat cōceptum quendam præcisum ab inferioribus & differentijs, ita vt non sit de ratione & quidditate differentiarum; sed Ens est de quidditate substantiæ & accidentis, etiam secundum proprias vtriusque differentias, & idem dicendum est de accidente in ordine ad nouem genera. Ergo neq; Ens in ordine ad substantiam habet rationem generis.

Secunda Propositio. Hæc diuisio decem prædicamentorum, quę ab Aristotele traditur, & ante ipsum ab Archyta, & est ferè omnium Philosophorum, patitur non paruas difficultates, ita vt Simpl. propè victus illis rationibus, fateatur non adeò esse exactam. Atque vt omittam alias dubitandi rationes, quæ sunt apud Simpl & alios, hæc videntur esse potissimæ. Primo. Quia si agere & pati faciūt distincta prędicamenta, Ergo etiam habere & haberi. Secundo. Esse candidum, verbi gratia, nō facit prædicamentum distinctum à candore, formaliter loquēdo, Ergo neq; esse locatum, & esse in tempore, quæ tamen dicere solum videntur Vbi & Quando. Tertio. Non est maior causa cur esse in loco faciat distinctum prædicamentum, quam esse in toto, esse in vase, & multi alij modi in alio essendi.

Tertia Propositio. Nihilominus quia vulgatis est & iam recepta hæc diuisio, à nobis etiam est comprobanda, præsertim cū sit difficilè meliorem inuenire. Vnde rectè Simpl. in hæc verba concludit: *Magis indulgendum est ipsi difficultati, quam turpiter & prauis dictis contra eam contendendo, cum grauiores aliter diuidentes culpas sint subituri.*

Quarta Propositio. Potest hic numerus hac ratione colligi. Primo. Ex Alb. *tra. 1. in prædicament. cap 7.* & ex D. Thom. *5. Met. lect. 7.* Diuiditur hac diuisione Ens. Porrò Ens perfectum & absolutum est substantia; Accidens autem est Ens incompletum, & dicens ordinem ad substātiam. Quare primum prædicamentum est Substantia. Accidentis autem summa genera peti debent ex varia habitudine eiusdem ad substantiam. Iam verò accidens tribus præsertim modis considerari potest: Vel vt se habet ad substātiam intrinsecè, vel extrinsecè, vel partim intrinsecè,

partim extrinsecè. Si primum; aut est accidens absolutum, aut relatiuum. Si intrinsecum absolutum, aut conuenit substãtiæ ratione materiæ, & est secundum prædicamentum, hoc est *Quantitas*; aut ratione formæ, & est tertium, hoc est *Qualitas*. Nam pro varietate formarum diuersę solent esse qualitates. Si est accidens intrinsecum respectiuum, consurgit quartum prædicamentum, hoc est, *Relatio*. Si secũdum, vel est mensura, vel non est. Si est mensura, aut est mensura quantitatis, aut durationis. Si quantitatis, vel in ordine ad totum, & est quintum prædicamentum, hoc est, *Vbi* vel in ordine ad partes, & est sextum, hoc est, *Situs*. Si est mensura durationis, est septimum, hoc est, *Quando*. Si denique non est mensura, est octauum, hoc est, *Habere*. Si tertium, oriũtur nonum & decimum, hoc est, *Agere & Pati*; nam actio oritur ex principio intrinseco, & pergit ad extrinsecum, passio autem recipitur in aliquo extrinseco. Hoc ordine enumerat Arist. prædicamenta in Antepredicamentis, quamuis in ipsa tractatione aliter ipsa disposuerit, disputans de actione & passione ante vltima quatuor prædicamenta, quia & maiorem inter se affinitatem habebant, & peculiarem difficultatem, reliqua autem vt faciliora exemplis tantum illustrauit. Aliam rationem huius numeri habet Ammonius, quæ est huiusmodi: Quatuor prima prædicamenta sunt veluti simplices Entis species, sex vltima veluti composita ex præcedentibus. Omne Ens aut est per se, & est substantia; aut in alio, & est accidens. Ens quod est in alio, aut consistit in sola relatione ad aliud, & est Relatio; aut si in se est aliquid absolutum, est id cui per se conuenit diuisio, & est Quãtitas; aut quod per aliud diuiditur, & est Qualitas. Reliqua sex hoc modo ex præcedentibus componuntur: Ex loco & tempore vnà cum substantia fit Vbi, Situs, & Quando. Ex qualitate cum substantia fit Actio & Passio; nam principium agendi est ab aliqua qualitate, quæ prout in alio recipitur, causat passionem. Ex varia autem habitudine vnius substantiæ ad aliam, fit vltimum prædicamentum. Habere, prout videlicet vna substantia alteri adhæret. Alias rationes alij afferunt, præsertim Burl. & P. Ven. in hunc locum. Solent autem memoriæ causa decem hæc genera hoc disticho comprehendi: *Arbor sex pueros ardore refrigerat vstos Rura cras stabo, nec tunicatus ero.* Vbi singulæ dictiones singulis prædicamentis respondent. Potest etiam comprehendi hoc alio disticho, quicquid à prædicamento secluditur: *Complexum, consignificans, fictum, polysemum.* Id est, termini complexi, Syncategorematici, entia fictitia, æquiuoca, & analoga, notiones, & Entia rationis, Deus, transcendentia, priuationes, & negationes, partes, & omnia entia incompleta. Ad rationes autem contra hunc numerum oppositas, nõ potest plenè hoc loco satisfieri.

Vltima Propositio. Non modo res vna potest habere diuersorum prædicamentorum rationem, quia, vt diximus, sufficit ad distinctionem prædicamentorum diuersitas qualitatum, sed etiam potest vna & eadem res habere in se omnia prædicamẽta. Exemplum: Petrus quatenus homo, est substantia, quatenus tricubitus, habet quantitatem; quatenus candidus, habet qualitatem; quatenus discipulus, habet relationem; quatenus scribit, habet actionem; quatenus vapulat, habet passionem; quatenus est in schola, habet vbi; quatenus est in anno 84. est in quando; quatenus sedet, habet situm; quatenus est togatus, habet Habere.

DE ANTEPRAEDICAMENTIS.

HÆc est prima pars libri Prædicamentorum. Quæ distinctio potius est ab Interpretibus introducta: nam in codicibus Græcis ponuntur in toto hoc libro 14. capita sub solo titulo Prædicamentorum. Cur autẽ præmiserit Arist. horũ Antepraedicamentorum explicationem, sup. de diuisione libri diximus. Sunt autẽ Antepredicamenta tria potissimũ: *Definitio, Diuisio, & Regula.* Definitio triplex: Diuisiones & Regulæ duæ. Vel vt placet P. Ven. Antepredicamenta sunt quinque: *Aequiuoca,*

Aequiuoca, Vniuoca, Denominatiua, Praedicatū, & Subiectum. De primis tribus assignātur tres diuisiones & regulae. Quod autē attinet ad Aequiuoca, Vniuoca, & Denominatiua, ideò Arist. de illis disputat, quoniā, vt inquit Alb. & Burl. possunt res praedicabiles triplicem respectū habere. Aut enim conferuntur ad Ens, aut ad res eiusdem praedicamenti, aut deniq; ad res diuersorum praedicamentorū. Propter primum respectum agendū fuit de aequiuocis, nam se habet Ens ad substantiā, & accidens tanquam quid Aequiuocum, vel Analogum. Propter secundum agendum fuit de Vniuocis, quia quae in vna sene vnius praedicamenti ponuntur, habēt vniuocam praedicationem & subiectionem. Tandem propter tertiū agendum fuit de Denominatiuis, quia praedicatio vnius praedicamenti de alio solum est Denominatiua. Ponit Caiet. hic aliam ratiōnē, petitam ex apprehensione, seu prima operatione, ad quam illius sententiā & D. Tho. hic libet potissimū referri. Addi potest, disputare de istis Aristotelem, quia posteà in praedicamentis dicturus erat commune esse omni substātiae secundae vniuocè praedicari, multa esse quae aequiuocè significent, qualitatem esse id à quo res denominantur quales. In nostra autem explicatione non sequemur diuisionem Textus in nostris codicibus positam, sed seorsim singula explicabuntur Antepraedicamēta.

TRACTATVS
De Aequiuocis.

PRius de Æquiuocis disputat Arist. etsi nobilius quid sint Vniuoca quā aequiuoca, quia, vt Simp. Aequiuoca sunt quid magis simplex, siquidem solu conueniūt in nomine. Vel etiam, vt notat Alb. quia Ens est primum & maximè cōmune praedicatum, quod tamen de suis inferioribus aequiuocè tantum, vel analogicè dicitur. Sic ergo Arist. aequiuoca definit. *Quorum nomen solum commune est secundum nomen substantiae ratio diuersa, vt animal de homine viuo & picto.*

Explicatio vocum.

AEquiuoca dicuntur) In plurali definiuit Arist. & in concreto: Quia, vt inquit Porphyr. *cap. 9. sui Dialogi in hunc librum*, non possunt aequiuoca in abstracto sine aequiuocis in concreto cognosci: & quia res vna vno nomine significata, nō potest aequiuocationis ratione habere Dixit autē Arist. Aequiuoca dicuntur, quod Graecè est ὁμώνυμα λέγεται, i. e. *dicitur*, nō solum quia apud Graecos nomen plurale gaudet verbo singulari, sed etiā, vt obseruat Am. etsi aequiuoca plura sint, tamen quatenus aequiuoca, vnū sunt ratione vnius nominis. Dixit etiā, *dicuntur*, quia res ipsae secūdum se nō habent aequiuocationē, sed solum, vt nominibus significantur. Caeterū hoc nomen, ὁμώνυμα, semper Cic. vertit *ambigua*, cum tamen non idem significent τὰ ἀμφίβολα & ὁμώνυμα.

Nomen) Id est, quaeuis dictio significatiua, & non solum nomen vt est peculiaris pars orationis, vt etiam dicemus.

Solum) hoc est, vt caeteras significationes omittam, de quibus Simpl. Am. Boet. sine compati & coniugato, vel sine definitione, quam vtplurimum nomen solet significare, quomodo dicere solemus, in prandio habuisse aliquē solum panē, vel in bello relictum esse aliquem cum sola hasta, nempè intelligendo comparantes ad haec vel ad alia obsonia, vel ad alia arma.

Commune.) De huius distinctionis significatis consulendi sunt iidem Authores. Hic autem significat id quod ex aequo omnibus conuenit.

Substantia ratio diuersa.) Carpentarius vertit, *essentiae ratio*. Petronius, *definitio naturae*. Rectè vterque: nam hoc modo melius intelligitur haec definitio, prout etiam conuenit accidentibus, latius enim quid pater naturae & essentiae significatio, quā substantiae, quamuis, vt alias diximus, soleat apud Aristotelem essentia & definitio rei appellari substantia. Id autē quod diximus, testantur omnes Interpretes, & Arist. ipse 1. *Top. cap. 15.* vbi affert exemplum *acuti*, vt dicitur *de saporibus, odoribus, &c.* Notat autem Porphyr. vt hoc ipsum magis confirmem, non fuisse in veteribus codicibus hoc nomen *substantia*, vnde, vt refert Simp. Boet. & Andron. id omiserūt.

Retinen-

Retinendum nihilominus est hoc vocabulum, inquit Porphyrius, vt dictio illa alia, *ratio*, quæ per se multa significat, ad notam significationem limitetur, & quia eam retinuit Herminus & alij. Est autem obseruandum, per substantiæ seu essentiæ rationem non esse intelligendam solum propriè dictam significationem, sed extendi etiam debet ad descriptionem, multa enim sunt quæ cum definiri perfectè nequeant, æquiuocationis tamen rationē suscipiunt, vt indiuidua.

Secundum nomen verò.) Dexippus & Speusippus apud Simpl. asserunt, hæc verba redundare, Sed malè: quia, vt bene argumentatur Simp. fieri potest vt ęquiuoca collata secundū aliud aliquod nomen, iam nō amplius habeant rationem æquiuocorum, vt quamuis canis marinus, cælestis & domesticus collati cum hoc nomine *canis*, dicantur esse æquiuoca quędā, tamen si comparentur ijdem cum nomine substantiæ, sunt vniuoca.

Notanda hic.

Notandum primo. Cur hæc definitio sit assignata in plurali & in connexo, diximus. Conuenit autem rebus ipsis nō quidem in se, sed quatenus vocibus significantur, nam voces non sunt ipsæ quę dicuntur, hoc est, quæ propriè loquendo, quatenus tales sunt, habeant definitionē essentialem: & per hæc conciliari possunt Auer. & Græci, quorum ille vult definiri res, isti autem voces. Vtrumque enim verum esse potest hoc modo; nam res sunt quæ dicuntur & significantur, voces autē sunt quæ dicunt & significant.

Notandum secundo. Ratio æquiuocorum orta est ex nominum penuria, vt testatur Arist. 2. *Elench.* quia enim diuersæ res diuersis nominibus significari non potuerunt, hinc factum est, vt vnum idemque nomen pluribus significandis imponeretur, propter quam causam in conceptionibus animi nostri non habet locum æquiuocatio; nam singulæ singulis rebus, proprijsque singularum conceptibus respondent.

Notandum tertio. Æquiuoca in abstracto, vel potius æquiuocatio sic definiri potest cum Ammonio: Est respectus, secundum quem res conueniunt in vno nomine, rerum autem essentiæ differunt; quæ tamen, vt diximus, teste Porph. tectius explicata fuerūt in concreto. Quod etiam testatur Simpl. fecisse Platonem in Sophista.

Notandum quarto. Debet in æquiuocis vnum esse nomen. Secundo, diuersæ definitiones rerum. Tertio, debent res habētes diuersas definitiones considerari, vt sub tali vno nomine dictarum diuersarū definitionum diuersitatem habeant; alioqui enim fieri poterit vt res duæ habentes idem nomen, vniuocationem habeant; sicut Petrus & Paulus considerati sub nomine hominis, item canis marinus & cælestis, si considerentur sub nomine Substantiæ & Corporis, iam nō sunt amplius æquiuoca.

Notandum quinto. Per nomen, vt diximus, nō debet intelligi peculiaris orationis pars, sed quæuis vox significatiua, vt notat Boët. Simpl. Am. & Porph. vnde etiam in verbis reperitur æquiuocatio, vt inquit Boët. *Complector te, vel à te.* Vnde per nomen accipienda est omnis rerum per vocem significatio.

Notandum sexto. Debet nomen esse vnum secundum vocem; nam hinc excluduntur quæ appellantur *polyonyma* & *heteronyma*. Illa sunt, quæ etsi plura sint secundum vocem, eandem tamē rem significant, vt ensis & gladius, vestis & indumentum, quæ à Grammaticis nonnunquam appellantur *Synonyma*, imò etiam ab Arist. in Poëtica; & dicuntur à Græcis *ἰσοδυνάμενα*, hoc est, *æquiualentia*, de quibus non egit Arist. authore Simpl. tū quia nulli sunt ad prædicamenta vsui, tū quia opponuntur æquiuocis, est autem oppositorum eadem disciplina. Idem iudicium esse debet de heteronymis, hoc est quæ nō modo secundum vocem diuersa sunt, sed diuersas etiam res significant, vt homo lapis &c. opponuntur enim vniuocis. De quibus Auie. & Algar. *in sua Logica*, & Damasc. *lib. de prædicamentis*, quem citat hic Alb, Denique, vt inquit Syrianus, spectant

potius

potius hæc nomina ad ornatum & Rhethoricam, quam ad vsum philosophicum.

Obijcies, cum Lycostrato: Vox significat rem, sed res non est communis æquiuocis. Ergo nomen non est commune. Respondeo. Nomen eo modo est commune, quomodo rē significat, & vice versa, rem communem significat in communi. Lege D. Thom *Quodlib*. 4. & Alb. *hic*

Notandum septimo. Debet nomen esse vnum secundum omnia accidentia grammatica, id est, secundum tonum siue accentum, secundum genus, secundum terminationem, secundum declinationem, &c. Huius enim defectu non potest propriè appellari nomen aliquod æquiuocū, &, vt diximus *in Compendio*, solent hanc ob causam multæ fallaciæ oriri. Exempla sunt apud Simplicium, nos hoc vno erimus contenti. Cum Martialem Cæcilianus quidam *risisset* quod *ficus* diceret, contrà illum Mart. hoc lepido Epigrammate r fit, quod est 30 in lib. 1.

Martialis.

Cum dixi ficus, rides quasi barbara verba,
Et dici ficos Cæciliane iubes.
Dicemus ficus quas scimus in arbore nasci;
Dicemus ficos Cæciliane tuos

Vbi nomen *ficus* non est ęquiuocum; nam idem & est secundæ declinationis, masculini generis, prout significat morbum, & est quartæ declinationis, fœminini generis, prout fructum significat.

Notandum octauo. Vitandi sunt in hac materia æquiuocorum duo extremi errores. Alter est Chrysippi apud Gellium *lib*. 11. *cap*. 12. dicentis omne nomen esse ęquiuocum, quoniam, inquit, potest vnum & idem pluribus adaptari. Alter est Diodori qui dicitur Crono, *vt ibid Gell*. qui existimabat nullum planè nomen esse æquiuocum, quia nemo dicit aut sentit nisi vnum aliquod, nec debet alius secus rem intelligere, quam ab eo, qui rem protulerit, fuerit intellecta. Sed errant grauiter ambo. Nam etsi potest quodlibet nomen pro hominum arbitratu pluribus rebus significandis imponi, tamē vbi constat vnum nomen rei vni determinatæ significandæ esse inditum, non est amplius dicendum esse æquiuocum. Item cum certum sit vnum aliquando nomen pluribus rebus attributum esse, negari non potest quin contineat in se ambiguitatem seu æquiuocationem, etiamsi verum sit quod Diodorus dicit, quod etiā suprà monuimus, in ipsis intellectus nostri cōceptibus nullam propriè inesse æquiuocationem. In hac eadē secunda sententia dicitur fuisse Pythagoras, quod sentiret omnia nomina à natura significare, de qua re *in lib. Periherm*. & ideirco non egit *in suo libro de prædicamentis* Archytas de æquiuocis, vniuocis, & Denominatiuis, vt referunt Simpl. & Dexip. quia vna cum Pythagora idem de vocibus opinabatur.

Notandum nono. Potest vnum & idem nomen æquiuocum fieri aliquando vniuocum, si videlicet accipiatur pro re aliqua determinata. Vnde Arist qui in definitione æquiuocorum posuit *animal* vt dicitur de homine viuo & picto, illud idem posuit in definitione Vniuocorum, vt dicitur de homine & bruto.

Notandum vltimo Multæ sunt Aequiuocorum species, quæ tamen omnes ad has duas velut classes reuocantur, hoc est, ad æquiuoca *à casu* & *à consilio*, vt hic notant Interpretes. Aequiuoca à casu significant nomina pluribus rebus imposita temerè & fortuitò, vt si quispiam Romæ appelletur Carolus, & etiam in Hispania. Omissis his, æquiuoca à consilio sunt, cū nomen rebus imponitur cum deliberatione, & ob aliquam causam, & hoc vel ex parte rei cui nomen imponitur, vel propter aliquam affinitatem & cognationem, quæ sit in rebus taliter appellatis: quo pacto dicuntur sana corporis exercitatio, ambulatio, lorium, medicina &c Vel ex parte imponētis, hoc est ob aliquam causam qua permotus is qui nomen vult indere, tale rei nomen imposuit. Quod iterum multipliciter fieri potest, & ideò aliqua dicuntur esse æquiuoca à memoria; vt si quis ad conseruandam maiorum memoriam, filio suo patris nomen imponat. Vel est ęquiuocum ab amore, vt si quę materfamilias ob pium affectum erga B. Virginem, filiæ Mariæ nomen imponat. Vel etiam à spe, si quis sperans euasurum

aliquem in magnum oratorem, Ciceronē appellet. Sed æquiuoca à consilio priore modo solēt vocari Analoga, de quib. quia peculiaris quędam difficultas est, etsi tota hæc tractatio magis videatur esse Metaphysica, aliquid seorsim dicendum est; de æquiuocis enim nihil aliud explicandum superest.

DISPVTATIO DE *Analogis*.

QVoniam Æquiuoca continent sub se Analoga, vt diximus in explicatione textus, & testantur hic Interpretes, ideò de his post explicationem horum Aequiuocorum aliquid agendum est.

QVÆSTIO PRIMA. *Quotuplex sit Analogum?*

NOtandum primò. Analogia est nomen Græcum, propriè autem si verbum verbo reddas, latinè sonat, *similitudinem*, vel *proportionem*, & vsurpari vt plurimum solet pro similitudine, quæ est in proportionib. mathematicis, quomodo dici solet eam esse proportionem quatuor ad duo, quæ est octo ad quatuor. Supponit igitur semper vt minimum quatuor terminos, quamuis etiā significet ipsas proportiones seorsim sumptas. Translatum autem est hoc nomen ad alias artes, vt apud Grāmaticos dicitur esse analogia, quæ est secundum Marcum Varronem, similis nominis, secundum similem rationem declinatio; vt iustus & iustitia. Est etiam in arte poëtica analogia, quomodo dicere solent, quod est Hesperus in die, id esse in vita senectutem. Tum in Rhetorica, vnde extant loci à proportionalitate; vt, si magni pueri habentur viri, ergo parui viri habebuntur pueri. Sic etiam in Ethica, vt Arist. 1. *Eth. cap.* 2. dicens, bonum habere analogiam; &, sicut se habet oculus ad corpus, ita mentem ad animum. Ad hæc in Logica, vt 2. *Post. t.* 23. subiectorum analogorum, analoga & proportionalia esse dicuntur principia. Denique in Metaphysica, qua ratione dicitur Ens esse quid analogum. Vltimo significat Analogia, vt ex dictis colligi potest, quamuis similitudinem, quę inter aliqua reperitur.

Notandum secundò. Hoc nomen *Analogia*, vt volūt Interpretes, pręsertim Simpl. & Porph, sumitur ab Arist. prout significat proportionem & similitudinem, quod etiam probari potest ex 5. *Met. t.* 12. vbi dicit, Analogiam esse *gubernatores*, & vt dicitur de naui & de gubernatore Reipublicæ. 12. *Met. t.* 22. ait, materiam, formam, & priuationem esse principia rerum secundum analogiam. 1. *Eth cap.* 6. distinguit ea, quæ habent ordinem ad vnum ab ijs, quæ dicuntur habere habitudinem similitudinis & proportionis. Etsi enim hæc ab alijs vocentur analoga, & verè sint eiusmodi, tamē indicat his locis, sumptum fuisse analogiæ nomen ab ipso proanalogis, quæ solam dicunt proportionē. Alia verò appellari solēt Analoga vel inęqualitatis, vel attributionis, vel ab vno ad vnum, vel duorum seu plurium ad vnum, vt videre est apud Arist. 1. *Eth. ca.* 6. 4. *Met. t.* 2. & 2. *Post. t.* 23.

Notandum tertio. Solēt Analoga hoc pacto diuidi. Primo. Dicunt quidā alia esse analoga Propria, alia Impropria. *Propria* sunt, cum ratio significata per nome non inest formaliter in omnib. secundum eandem rationē. Vel etiam cum dicuntur res significatę per nomē habere aliquā habitudinē ad id, quod principaliter per nomē significatur, etsi non habeant formaliter rem significatā per nomen, vt *Ens* dicitur primo modo analogum in ordine ad substantiam & accidens. Secundo modo, *Sanum* dicitur de animali, medicina, diæta, ambulatione, &c. *Impropria est*, cum aliqua participant idem nomen, & rationē etiam per nomen significatam, ita tamen vt ex illis vna dicatur altera esse perfectior, quo pacto equus & homo, vt de illis dicitur animal, dicuntur esse analoga, quia vtrumque animal est, homo tamen perfectius. Secundo. Alij rectius diuidunt in Analogiam *Inæqualitatis*, *Attributionis*, & *Proportionis*. Similem huic diuisionem habet D. Tho. 1 *sent d* 9. *q.* 5 *art* 2. *ad* 1. vbi aliam dicit esse analogiam secundū rem, sed non secundum intentionē, vel, quod idem est, secundum existentiā, sed nō secundum

cundum rationem & definitionē, & hæc est analogia inæqualitatis. Secunda est secundum intentionem, sed non secundum rem, & est cum res significata per nomen, non inest formaliter omnibus significatis per illud nomen, quale est *sanum*, in ordine ad animal &c. Tertia, Est secundum rē & intentionem, hoc est, cum inest formaliter res significata per nomen, vt Ens in ordine ad substantiam & accidens, vel substantia in ordine ad Deū & creaturas.

QVÆSTIO SECVNDA.
De Analogia Inæqualitatis.

QVid sit hęc Analogia, quæstione præcedenti dictum est. Est enim, cum aliqua participant idem nomen, & rem significatam per nomē in se formaliter habent, ita tamen, vt ratio illa rei significatæ, quamuis contracta sit ad res particulares, magis aut minus perfectas, tamē ex ęquo omnibus conueniat. Vnde sequitur, non tollere hanc Analogiam rationem vniuocationis. Exemplum: *Animal*, vt dicitur de homine & equo, dicitur secūdum idem nomen, & secundum significatum nominis, quod formaliter in vtroq; est, & secundum eandem rationem essentialiter loquendo. Quamuis quia differentia hominis est nobilior quam equi, dicatur homo perfectius animal quam equus; hinc est quod Arist. 7. *Phys. t.* 31. & 10. *Met t.* 26. inquit, In genere latere æquiuocationes: quod nos suprà diximus *tract. de Genere*. Hoc idem testatur Auer. 12. *Met. com.* 2. Et hæc Analogia solet à nonnullis appellari Analogia physica, sicut & discrimē quod reperitur inter aliquas species magis vel minus perfectas, diuersitas specierū specifica, qua etiam ratione suprà diximus corruptibilia & incorruptibilia genere physico differre. Reperitur igitur hæc analogia tū in generib. respectu suarum specierum, tum in speciebus collatis cum suis indiuiduis, tum deniq; in formis accidentalibus per ordinem ad suū subiectū: nam genus contractum ad speciem habentē differentiā nobiliorem, dicitur secundū maiorem quandam perfectionem de illa specie, vt *Substantia* contracta ad spiritualem, vt ad angelos, corporalis *Substantia* cōtracta ad viuentem viuens ad sentientē, sentiens ad rationalem; quia genus in specie contractum per differentiā, realiter idētificatur cum illa. Sic etiam *Homo* contractus quodāmodo ad hoc vel illud indiuiduū, quod melioribus dispositionibus præditum est, dicitur quadam ratione perfectior esse in vno, quam in alio, ita vt dicatur vnus esse perfectior homo quā alius, vel magis homo quam alius. Tandem accidentia dicūtur hoc modo in ordine ad varias subiecti dispositiones esse in vno, vel in alio perfectiora, etiamsi secundū æquales gradus intensionis in pluribus reperiantur; verbi gratia, Calor in aëre vt octo, & itē calor vt octo in ferro, dicitur esse perfectior in ferro quā in aëre, non secundum se, sed propter meliorem ferri dispositionem, quam aëris, ob quam citius agere potest calor in ferro, quam in aëre, videlicet propter densitatem ferri.

QVÆSTIO TERTIA.
De Analogia Attributionis.

IAm accedimus ad species Analogię magis proprias, quæ nimirū cum vniuocatione stare nequeunt, inter quas quia infimum locū habet Attributionis analogia, ideò priore loco de ea disputandū est. Est autem hæc Attributionis analogia quædam habitudo, quæ inter plura reperitur, quatenus inter se conferuntur, & ad vnū referuntur, ita tamen, vt non participent formalem rationem eius in quo comparantur. Exemplum est in *sano*, vt dicitur de animali, medicina, lotio, &c.

Secundo sciendum est, Analogiæ attributionis has potissimū esse diuisiones. Prima, alia esse dicitur *vnius ad alterū*. Altera, *duorū seu pluriū ad tertium*, seu, quod idē est, vna dicitur esse *ab vno ad vnū*, alia autem *multorum ad vnū*. Exemplum primæ, *Sanū*, quatenus dicitur de animali & alijs, nam omnia alia præter animal se habent per modum vnius, quatenus denominantur ab altero vno, quod est sanitas animalis. Exemplū secundę est, *Sanitas*, vel *sanum*, vt dicitur de medicina, de deambulatione, & alijs præter animal, quatenus inter se conferūtur, quę ideò dicūtur habere analogiā

duorum vel plurium ad vnum tertium, quia ſic inter ſe conferuntur, vt tandem iſta ad vnum tertium referantur. Lege D. Thom 1 *p q. 13. art. 5.* Secunda diuiſio eſt Analogiæ ſecundum quatuor cauſas, vel ſecūdum habitudines ad quatuor cauſas. De qua re Caiet *opuſculo de analogia Nominum*. Prima eſt, quæ reperitur in multis, prout referuntur ad cauſam efficientem, qualis eſt inſtrumentū medicorū & artis medicæ quatenus hāc medici denominationē habent, prout referūtur ad Medicū ipſum, qui eſt cauſa efficiens. Secunda eſt Analogicè in cauſa finali, vel multorum quæ talia eſſe dicuntur, prout ad vnum finem referuntur. Exemplum eſt in potione, deambulatione, & alias huiuſmodi ſalubribus rebus, prout referuntur ad ſanitatem animalis. Tertia eſt in genere cauſæ materialis, & eſt illorum quæ talia eſſe dicuntur, prout habent habitudinem ad cauſam materialem, ſeu ſubiectum vnū. Hoc modo dicitur *Ens* analogicè de ſubſtantia & accidente, quia competit accidenti Entis eſſe, prout habet habitudinē ad ſubſtantiam tanquam materiam & ſubiectum. Quarta eſt in genere cauſæ formalis, vel potius exemplaris, & eſt quādo aliquid tale eſſe dicitur propter ordinē & attributionem ad aliquod exemplar, quomodo dicitur homo pictus eſſe homo, vel ſecundum aliquos dicuntur eſſe res bonæ vel veræ propter exemplar bonitatis & veritatis quod in illo eſt. Tres primæ ſpecies Analogiæ ex Cauſis deſumptæ, ſunt apud Ariſtotelem 4 *Met. t. 2.* tum quia non meminit quartæ, exiſtimarunt quidam non eſſe propriè analogiam, in quibus eſt Auer *eo loco, & Iand. q. 1.* Tertia diuiſio eſt, in analogiam quæ conuenit multis ſecundum formalem rationem ſignificatam per nomen analogum, & in eā quæ non conuenit multis. Verum hæc diuiſio eſt per accidēs, quatenus euenire poteſt vt vna & eadem res non modo attributionis, ſed etiam proportionis analogiam habeat, de qua paulò poſt, ſicut eſt Ens in ordine ad ſubſtantiam & accidēs; vtrumque enim verè eſt Ens, & ſimul tamen habet accidens analogiam ad ſubſtantiam attributionis, vt diximus.

Tertio Sciendum eſt. Analogicæ attributionis hæ ſunt præcipuæ proprietates. Prima, vt principale Analogum ſit id, vnde alia recipiant ſuam denominationem, vt patet in omnibus *ſanis* collatis cum animali ſano. Secunda. Vt ponatur in definitione aliorum analogorum principale analogatum; ſi enim definire velis medicinam ſanam, neceſſario tibi ponendum erit in definitione medicinæ animal ſanum, ad quod medicina habet habitudinem prout ſana eſt. Aliqui tamen obſeruant, ſi quando contingat principale analogatum nobis eſſe ignotum, non eſſe opus vt in definitione ponatur, ſed potius contrà, ponitur interdum id quod eſt minus principale, ſed nobis notum, in definitione magis principalis ignoti. Vnde fit vt definire volentes ſubſtātiam prout nobis conuenit, non definiemus per ſubſtātiam diuinam, quæ perfectior eſt, & principale analogatum, ſed contrà potius, definire volentes diuinam ſubſtantiam, ad illius definitionem noſtram adhibere ſolemus, quia res diuinas non cognoſcimus niſi per habitudinem & ſimilitudinem ad noſtras, nec illis nomina imponūtur, niſi quæ primariò indita ſunt rebus noſtris. De qua re D. Tho. 1 *p. quæſt. 13 de diuin nominib & q. 2. de veritat art 11 & 1. contra gentes ca. 32. & 34. & ibid. Ferrar.* Tertia. Proprietas Analogum abſolutè poſitum ſtat & ſupponit pro principali analogato, vt qui abſolutè *Ens* dicit, ſubſtantiam intelligit, vel etiam Deum, & qui *Sanum*, animal intelligit. Quarta, Proprietas, Analogum non dicit conceptum aliquē obiectiuum præciſum, hoc eſt non ſignificat aliquid per ſe & in ſe vnum, ſeorſim ab ijs quibus conuenit, ſed in confuſo includit omnia ſua inferiora, ita vt non poſſimus deſignare quid ſit determinatè iſte conceptus, prout dicitur eſſe quid commune ſuis inferioribus, diſtinctum ab ijſdem inferioribus. Verbi gratia qui dicit *Ens*, non dicit conceptum aliquem qui ſit vnus & diſtinctus, ac veluti ſecretus & ſeiunctus à conceptu ſubſtantiæ & accidentis, etiāſi non vltimatè & perfectè, ſeu diſtinctè:

quod

quod tamen non est idem conceptu qui appellatur vniuocus, nam hic dicit aliquid verè distinctum, quod intelligi potest sine suis inferioribus etiam in confuso inclusis, vt Animal solam dicit præcisè naturam sensitiuam, sine vllo ordine ad rationale, vel irrationale, quamuis prout concipitur formaliter vt vniuersale, non possit intelligi nisi simul in confuso intelligantur inferiora. Exemplum esse potest etiam in principio, prout dicitur de fonte, corde, & puncto & alijs initijs, nam principium vt sic, nullum dicit conceptum distinctum à cōceptu cordis, fortis, puncti, & aliorum, quibus ex æquo conueniat. Simile etiam esse potest in exercitu, qui non dicit nisi conceptum quendam confusum, sub quo continetur hic vel ille homo, nec dicit quid vnum commune cuilibet homini. Itaque analogum dicit quidem conceptum, qui si consertatur cū hoc particulari analogato, habet se vt quid superius, non tamen vt superius vniuocum, sed vt quid quod indeterminatè dicit hoc vel illud, cum vtrumque tamen in suo conceptu includat. Quod quoniā diximus de Ente, sit dictum tātum exempli causa; quæstio enim propriè de hac re est in Metaphysica. Quinta, Proprietas, quæ ex præcedenti sequitur, est, vt analogum immediatè significet sua inferiora, quia non est distinctum quid ab illis. Hæc omnia quæ diximus de quarta & quinta proprietate, apertè docet Themistius 2. *de anima* to. 5. cuius verba sunt hæc: *En namque quæ ita inter se habent, vt priora hæc, posteriora sint illa, quanquā communem aliquā notionem habeant, quæ de ijs dicatur, fieri tamen nequit vt illa aut genus sit aut natura vna, ita vt sine ijs intelligi seorsim possint, de quibus indicatur; dicuntur.* Quamobrem huiusmodi definitiones admonitionem potius quandam & enumerationem continent, quam simplicem & generalem quandam rationem ostendant.

QVÆSTIO QVARTA.
De Analogia Proportionis.

Analoga Proportionis sunt illa, de quibus nomen aliquod commune dicitur, ratio autem per nomen significata, in ijsdem est secundum proportionem & similitudinem, ita vt verè illa ratio in illis esse dicatur, saltem ad eum modum, quo supra diximus non esse in Analogis attributionis significata. Diuiditur autem Analogia proportionis. Primo in propriam & impropriam. Propria est, cum ratio significata per nomen verè & propriè inest analogatis. Impropria est, cum non inest propriè & realiter. Secundo, Impropria alia est metaphorica, alia est inter non entia. Metaphorica, vt Ridere de homine & de prato; hæc enim analogia de prato etiam dicitur secundum aliquam rationē quæ illi insit, ob quam ridere dicatur. Analogia inter non entia est, verbi gratia, hæc: Sicut se habet vnum contradictorum respectu alterius, ita priuatio respectu habitus cui opponitur, & hæc analoga habent imperfectam analogiæ rationem. Tertio. Quædam sunt in quibus ratio significata per nomen, est realiter non in vno propter alterum, secundum nullā considerationem, vt principium de fonte, corde, puncto &c. Nec enim dicitur punctū principium propter habitudinem ad cor, vel ad fontem; Aliæ autem sunt quæ quāuis absolutè sint, & dicantur talia sine ordine ad aliud, si tamen inter se conferantur, vnum magis dicitur esse tale, quam aliud, & vnam habet denominationem per ordinem ad aliud, vt dicitur. Substantia absolutè de omnibus creaturis, & de Deo, si tamen conferantur creaturæ cum Deo, dicuntur secundum quid esse substantiæ, & per habitudinem ad Deum. Huius ratio assignari potest, quia quædam sunt quæ non modo habent analogiam Proportionis, sed etiam Attributionis, qualia sunt Substantia & Accidens vt comparantur cum Ente. Quarto. Alia est analogia, quæ nomine proprio exprimitur, vt, verbi gratia, Principium. Alia est innominata, seu carens nomine, quod fortasse etiam reperiri potest in analogia attributionis. Colligitur hæc diuisio ex Aristotele 2. *Post.* t. 23. vbi dicit, sepium, spinas, & os habere quandam analogiam nomine carentem. Quinto, Alia dicitur esse ana-

logia Simplex, alia autem Commutata. Simplex est, quæ fit inter terminos ordine dispositos, vt, sicut se habent quinque ad decem, ita viginti ad quadraginta: semper enim analogum proportionis est in quatuor terminis. Commutata est, cum fit ista comparatio & similitudo primi termini ad tertium, & secundi ad quartũ. Vt si dicas, sicut se habent quinque ad viginti, ita decem ad quadraginta. Quod attinet ad proprietates, eædem sunt quæ & Analogorum Attributionis, nisi quod circa definitionem obseruandum est, non esse vnum analogum definiendum per aliud, nisi vbi analoga fuerint impropria & metaphorica; vt enim definias punctũ quatenus principium est, non est necessè poni in illius definitione Fõtem, vel Cor; si tamen definiendum sit quid sit *Ridere* in pratis, ponenda erit in definitione Risibilitas hominis.

QVÆSTIO QVINTA.

De comparatione Analogorum inter se.

Explicatum est quæ sint & quot sint species analogorum: restat vt videamus quomodo illa inter se conferantur in ratione analogiæ. Primo certum est, omni analogiæ esse commune vt nomen dicat idem, rationem autem partim eandem, partim diuersam. Secundo, Analoga Inæqualitatis minimè omnium participant rationem analogiæ. Ratio est, quoniam secum comparantur vniuocationem. Tertio, Analoga Proportionis maximè propriam habent analogiæ rationem, vnde & absolutè loquendo analoga dicuntur, ipsumque analogiæ nomen per se illa tantummodo significat. Item quia hæc Analoga dicunt rationem, quæ singulis insit formaliter saltem, si propria sint: Analoga autem attributionis potius appellari solent *æquiuoca*, vnde Arist. exemplum attulit de homine viuo & picto, prout de illis animal dicitur, quæ tamen certum est habere quandam analogiam; vel dicuntur cum addito, *æquiuoca à consilio*, quamuis hæc ipsa non contineant omnia Analoga Attributionis, vt Alex. 4. *Met. t.* 2. Quarto, cum Analoga siue Attributionis, siue Proportionis medium quid sint inter vniuoca & æquiuoca, (participant enim de æquiuocis, quod nomen dicant commune, & rationes diuersas, de vniuocis, quod nomen commune, & rationes partim easdem) propterea aliquando appellantur Analoga Æquiuoca, aliquando autem Vniuoca. Æquiuoca quidem, vt ab Arist. 1. *Phys. t.* 13. & 16. vbi appellat *Ens multiplex*, seu *æquiuocum*, quod tamen explicans quemadmodum intelligeret. 2. *Elench. c.* 5. dicit Ens esse æquiuocũ habita ratione diuersitatis 4. *Met. t.* 2. dicit, Ens esse quidẽ multiplex, seu multipliciter dici, nõ tamen vniuocè. Idẽ dixit Porph. *c. de specie*. Ex quo sequitur, immeritò Scotũ, vt notat etiam Caiet. *op. de anal. nominum*, negare ab Arist. appellari aliquando Analoga, æquiuoca, quod vt dicit 1. *sent. d.* 3. *q.* 3. Appellat etiã Aristoteles interdum Analoga, vniuoca, vt 2. *Met. t.* 4 dicens, Ens & Vnum esse vniuoca, nisi fortè dicere voluit, esse vniuoca, vel æq; latè vtrumq; patere. Quinto, de Analogis siue Attributionis, siue Proportionis potest esse scientia. Ita Arist. 4. *Met. t.* 2. & 2. *Post. cap* 11 & 12. Et ratio est, quia, vt inquit Arist. ibidem, potest id quod est analogum, analogicè dictas habere passiones, & medium in demonstratione esse potest quid analogum. Hæc sententia est contra Scotum 1. *sent. dist.* 3. *q.* 1. Contra quem Caietanus *op. de analog. nominum*. De qua re pluribus agemus in tractatu de scientia, vel in Metaphysica. Interim si verum est, Ens esse quid analogum, cum ipsum sit obiectum Metaphysicæ, patet vel ipsa experientia, scientiam esse de Analogo. Sexto, ab Aristotele in hac definitione Aequiuocorum comprehensa sunt omnia Analoga, minimè tamen omnium quæ sunt Inæqualitatis, & propè dixerim nullo modo. Ita D. Thom. *op. de prædicam. cap.* 7. Alb. *hic.* Alex. 4. *Met. t.* 2. quod etiam suprà probauimus authoritate aliorum Interpretum. Vltimo, ex dictis colligitur, aliud esse æquiuocũ merè & simpliciter, quod vocatur *à casu*, & *à fortuna*, de quo diximus in explicatione textus, & cuius meminit Aristoteles 1. *Eth. cap.* 6. & 7. *Phys. t.* 31. cum dicit, aliqua esse æqui-

se ęquiuocationes multum distantes, quibus verbis simpliciter videntur intelligi hæc quæ nos vocamus purè æquiuoca. Aliud est non purum, sed quod dicitur *à consilio*, vel ex parte imponentis, de quo supra in explicatione textus; vel ex parte rerum quibus nomen impositum est. Sub hoc autem ęquiuoco continentur Analogi Inæqualitatis, quæ fortaßè significantur ab Aristotele ibidem per æquiuocationes propinquas, quæ, inquit, non videntur esse æquiuocationes, cum tamen sint. Præterea continentur Analoga tum Proportionis, tum Attributionis, quę fortaßè idem Aristot. intellexit per æquiuocationes, seu per ea quæ habent similitudinem quandam. Ex quibus omnibus potissimum Analoga dicuntur, quæ sunt Proportionis.

DE VNIVOCIS.

VNiuoca, inquit Aristot. dicuntur, quorum & nomen commune est, & eadē secundum nomen substantiæ ratio, vt animal, homo, & bos.

EXPLICATIO VERBORVM.

VNiuoca) Appellant græci Synonyma, quasi, vt inquit Porphy, dicantur esse simul cum nomine, vel quæ simul cum nomine dicunt id quod nomen significat, nempe essentiam & rationē eandem, quæ est veluti correlatiuum nominis, implicitè enim id nomen significat, quod explicitè definitio: quanquam dicuntur etiam, vt sup. notauim', Synonyma plura nomina idem significātia, quasi dicas, *cognomina*, vel, rei eiusdē nomina. Quo pacto pręter Authores citatos vsurpat etiā D. Aug.

Sciendum nomen.) Porph. lib. ad Gedalium, qui non extat, est tamen, vt Simplic. notat, alius ab eo qui inscribitur *de interr. & respon.* hæc verba non legit, sed supplimenda vult esse. Nihilominus Iambl. & Alex. ea retinēt, & etiā apud Sim. & Syriā.

Ratio substantiæ.) Porph. dictionem *substantiæ* omisit, tamen subintelligendā esse dixit, propter varias huius dictionis, *Ratio*, significationes, quod etiam in definitione Æquiuocationis notauimus Iamb. autem legit. Notandum autem sicut ibidem diximus, *rationem substantiæ* significare definitionem, vel descriptionem, imò verò *Ratio* absolutè posita non rarò apud Aristotelem essentiā significat, vt 2. *Phys. cap.* 3. vbi dicit, partes esse in ratione, vel in definitione, & 5. *Met. cap.* 8. Quidditas, inquit, est, cuius ratio est definitio, & hæc cuiusque substantia esse dicitur. Idem habet *li.* 8. *ad init. & lib.* 4. *ca.* 7. *ad fin.* Ratio, inquit, quā nomen significat, est definitio.

Notanda.

NOtandum primo. Simpl. Am. Boët. & alij obseruant, quæcunque dicta sunt de definitione æquiuocorum, eadem seruata proportione esse intelligenda de hac definitione; hoc .n. solū ęquiuoca ab vniuocis differūt, quod æquiuoca dicant rationes diuersas, vniuoca rationē eandem.

Notandum secundo. Ad æquiuocationem sufficit quæcunque diuersitas rationis, in rebus idem nomen participantibus; ad vniuocationem autem non sufficit quæcunque identitas, sed requiritur absoluta essentiæ per nomen significatæ vnitas: malum enim, vt inquit Aristoteles, ex quocunque defectu, bonum autem ex integra causa consurgit. Et præterea requiritur ad perfectam vniuocationem vt ratio per nomen significata, eodem modo secundum essentiam à rebus nomen participantibus habeatur, nec requiritur vt æqualiter dicatur esse perfecta in inferioribus, ad hunc sensum, vt non possit dici vnum perfectius esse altero. Etsi enim vna animalis species sit perfectior quam alia, & dicatur vnum animal perfectius quam aliud: quia tamen id non est præcisè ob rationem animalis perfectius aut imperfectius quidditatiuè participatam, ideò non tollitur propter hanc causam vniuocatio, vt suprà diximus. Vide de hoc D. Thom. 4. *Metaph. lect.* 1. 1. *de cælo t* 2. Quare nisi ad modum dictum intelligatur hæc Auic. & Alg. definitio, *Vniuoca sunt, quorum ratio est eadem æqualiter participata*, non est à nobis recipienda. Sic etiam non est audiendus Auer. 1. *Post.* ad explicationem illius principij, quod habet t. 5. *Propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Nec etiam Bald. ibid. dum dicunt, tolli

tolli vniuocationem per participationem rei alicuius maiorem, vel minorem; id enim præter ea quæ diximus, apertè falsum est in Accidentibus quæ intenduntur & remittuntur. Ex hoc patet etiam explicatio loci illius 7. *Physicor t.* 31. quem locum ita communiter omnes legunt, *sub genere latent æquiuocationes*; cum tamen id non habeat Arist. suis verbis, sed tantum, *Genus est quid vnū, sed ob hoc latent multa*, cuius loci hic sensus est, secundū Simp. vult Arist. eo loco agere de cōparatione motuū inter se; docet igitur nō esse faciendā comparationē inter ea quę sunt diuersa specie, quāuis genere conueniant, quia non est, inquit, genus vnum quid, nec species quatenus conueniunt in genere, sed est facienda comparatio in specie infima, quia est simplicissima, nec ad vllam aliam naturam distinctum à se ordinem dicit: Hinc autem arrepta occasione, Aristot. digreditur ad explicandum errorem, qui contingere potest in comparatione aliquorū, quæ quia habent similitudinem quandam, comparabilia esse videntur, nō sunt autem, quia æquiuoca sunt. Propter hanc autem doctrinam ab Aristotele traditam, Burl. hic affirmat, Genus non esse maximè propriè vniuocum quid, sed solam speciem infimam, quod tamen non est necesse nos dicere: Etsi enim sit species infima magis vnum quid, non tamē magis vniuocum, si conferatur hinc illa ad sua inferiora, & genus etiam ad sua inferiora.

Notandum tertio. In definitione Vniuocorum, quando dicitur *rationem secundum nomen esse eandem*, potest id intelligi duobus modis. Primo. Quomodolibet, hoc est, vt quoties nomen aliquod de re aliqua dicitur, dicatur etiam & ratio per nomen significata; & si iterum idem nomen de alia re dicatur, dicatur etiam secundum eundem modum ratio per nomen significata, siue ratio illa sit de quidditate rei cui tribuitur, siuè non sit. Secūdo. Vt ratio quæ simul cum nomine de re dicitur, sit vel tota quidditas rei, vel pars quidditatis eiusdem. Denique vt sit de essentia rei. Secundum primum modum possunt appellari vniuoca etiam accidentia, prout de subiectis dicuntur: nam albedo, verbi gratia, in concreto dicitur de pariete, de niue, & de alijs, non modo secundum nomen, sed etiam secundum rationem per nomen significatam, & codē planè modo tam nomen quam ratio de vno dicitur atque de alijs. Secundum posteriorem modum conuenit hęc definitio ijs solis prædicatis, quæ de rebus essentialiter & quidditatiuè dicuntur. An autem Arist. sub hac sua definitione vtraq; hæc vniuoca cōprehendere voluerit, diuersæ sunt Authorum opiniones. Alb. Auic. & Algar. asserunt, omne accidēs quinti prædicabilis dici vniuocè de suis subiectis, ac proinde posse sub hac definitione vniuocorum comprehendi. Caiet. etsi vtramq; hanc definitionis intelligentiam Aristotelis intentione dignam esse dicat, concludit tamen voluisse solum Aristotelem rerum vniuocarū definitionem tradere, quæ sunt de quidditate eorum de quibus dicuntur; nobis autem sic esse dicendum videtur. Primo. Arist. sine dubio vniuoca solum definiuit, quæ rebus de quibus dicuntur essentialiter insunt. Hoc docent Caiet. & Scotus, qui definitionem ita interpretantur: *& eadem substantiæ ratio*, hoc est, quæ ratio est essentialis vniuocatis. Idem sentit And. And. & confirmatur ex Aristot. quia hoc loco ponit tantū exemplum huiusmodi vniuocorum, vt Animal quatenus de homine & boue dicitur, de quibus sine dubio essentialiter dicitur. Secundo dico: Modus quo accidens dicitur de suis subiectis, est eiusdem rationis, & potest hoc modo appellari vniuocus; nam vt ante dicebamus, secundum eandem rationem, sicut & secundum idem nomen dicitur album de pariete, niue, & alijs: nihilominus non censentur ideò accidentia esse vniuoca, quia non respiciūt subiecta tanquam propria inferiora. Vnde Arist. *cap. de substantia*, dicit, Secundam substantiam dici de suis inferioribus secundum nomen & rationem; Accidentia non item, sed tantum de subiecto: hæc est autem definitio vniuocorum. Idem dicit 2. *Top. cap.* 2. Tertio dico: Si consideretur acci-

accidens in ordine ad propria sua inferiora, potest habere respectu illorum vniuocam prædicationem. Patet ex his quæ sæpè diximus de accidentibus, in ordine ad sua inferiora, verè locum habere generis, differentiæ, &c. Et prætereà suprà notauimus, in hac definitione vniuocorum, *rationem substantiæ* non significare substãtiam, vt ab accidente distinguitur, sed solummodo definitionem, vel descriptionẽ. Quare nihil prohibet quo minus accidẽtia sub hac definitione vniuocorum comprehendantur.

Notandum vltimo. Vniuoca non solum supponunt plura coniunctiuè & materialiter, sed etiam formaliter participantia rationem per nomẽ significatam. Æquiuoca autem solum dicebant nomen, res autem non communicantes rationem eãdem per nomen significatam. Et quidem ratio significata per nomen, quatenus est quid communicabile à multis, appellatur vniuocum, vniuocans, & participatũ, quatenus autem multa sunt quæ eadem ratione participant, dicuntur vniuoca vniuocata & participantia; quæ vtraque in definitione Aristotelis comprehensa esse docet Boëtius. Quamuis solum Aristoteles posuerit exemplum in vniuocis vniuocatis, hoc est, in homine & boue, vt participant rationem animalis, cuius rei, inquit Ant. And. ratio est, quia vniuoca sunt nobis notiora, fortassè tamen dum animal posuit, intellexit etiam vniuocum vniuocans, nam animal dicit rationem quandam communicabilem eodem modo multis.

DE DENOMINATIVIS.

DEnominatiua definiuntur ab Aristotele, quæcunq; ab aliquo differentia casu, secundum nomen habent appellationem, vt fortis, à fortitudine.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

DEnominatiua.) Hanc dictionem alij mutant, illius loco substituentes definitionem cõiugatorum, vt post dicemus, Posuit autem Aristot. Denominatiua in plurali, non quod necesse sit denominationem inter plura reperiri, potest enim, vt notat Caiet. etiam in vna re esse; sed vel vt tenorem aliarum definitionum obseruaret, vel quia, vt Caiet. & Aug. *lib. de prædicamentis*, potest denominatiuũ plura denominare: sic enim dicitur non solum homo sapiens, sed etiam sermo, consiliũ, &c. Dicuntur autem Denominatiua græcè *Paronyma*, vel quasi mixta & *propè nomina*, quatenus Præpositio παρὰ significat *propè*, vel quasi *nomen ab alio*, prout etiam hanc habet significationem eadem Præpositio.

Differentia casu.) Intellige non declinationis, sed terminatione & desinentia.

Secundum nomen hab. nt appellationem.) Argyrop. legit, *Nomina habent appellationẽ*, fortassè, magis vt quomodo intelligeret hæc verba, explicaret, quam quod vellet verbum verbo reddere; hæc enim nostra lectio respondet Græcę. Potest autem hęc dictio: *Secundum nomen habent appellationẽ*, dupliciter intelligi; Aut enim *secundum nomen* refertur ad differentia casu, vt sensus sit, denominatiua esse, quæ secundum nomen differentia casu ab aliquo habent appellationem; vel certè, vt referantur ad sequẽtia verba, hoc est, *Denominatiua sunt, quæ habent appellationem ab aliquo, cum ipsa sint casu differentia.*

Notanda.

NOtandum primo. Perionius ponit hoc loco pro hac definitione coniugatorum definitionem, quæ est apud Ciceronem in Topicis: *Paronyma vocantur, quæ orta ab vno variè commutantur.* Quæ, inquit, definitio eadem est cum illa alia sub expresso nomine Coniugatorum: *Coniugata dicuntur quæ sunt ex verbis eiusdem generis*, vt, sapiens, sapientia, sapienter. Tamen non sunt idem Denominatiua & Coniugata; nam coniugata reperiri possunt & inter nomina substantiua, & inter adiectiua, & primogenita, seu primitiua, & deductitia seu deriuatiua; & possunt significare substantiam & accidens. Denominatiua autem propriè & per se solum

 repertiun-

reperiuntur in nominibus adiectiuis, quæ deducuntur à substantiuis, & primitiuis. Dico autem primitiua, non secundum solam vocem; sic enim substantiua ab adiectiuis deducuntur, vt fortitudo à forti, quod etiam testatur Valla *li.1. disp. Dialecticæ ca. 4.* sed sermo nobis est de deriuatiuis secundū significationem & rem, propter quā causam rectè Alb. occurrit obiectioni, cur Arist. fortitudinem dixerit à forti deriuatam, cum tamen, secundum Grammaticos loquendo, vel secundū vocem, secus eueniat: ratio enim est quam iam assignauimus, attenditur enim per se deriuatio secundum rem. Tamen quia solent nobis esse nomina concreta, sicut & res per illa significatæ, notiora, ideò factū est vt interdum nomina substantiua ab adiectiuis deriuentur, cum tamē ex natura rei oppositum sit, quia nomē abstractū significat per se formam simplicem & nudam prius autem est formam hoc modo esse, quam esse in subiecto, & actu informare, quod est significare concretū. *Dixi* verò per se solum reperiri denominatiua in adiectiuis, quia aliquādo accidere potest, vt quoniā nomen aliquod vnius tantum generis est, possit esse denominatiuū, etiamsi sit nomen substantiuum, vt *Pater*. Reperitur propriè denominatiuorum ratio in accidētibus, vt diximus, nam significat nomē denominatiuum connotationem aliquam extrinsecam, vt docēt Alb. *hoc loco.* Auic. *c. 4. Logicæ*, Doctores Louanienses. Est autem contra Caietanum & Sotū, sed probatur ex Arist. primo: Quia in hac definitione solum ponit exempla in accidentibus. Secundo. Quia *capite de substantia* negat differentias prędicari denominatiuè, quia, inquit, prædicantur essentialiter, & *2. Top. cap. 2.* negat, genus de specie dici denominatiuè, quia, inquit, suscipit in se species nomen & definitionē generis. Propter hanc causam D. Tho. *1. p. q. 13. art. 2.* & omnes Scholastici *1. sent. d. 22.* vbi agunt de nominibus diuinis, nolunt hæc nomina *Bonus, sapiens, iustus &c.* quæ de creaturis denominatiuè dicuntur, dici de Deo denominatiuè, quia significāt aliquid quod ipsis accidit: Deo autem nihil accidit, sed quicquid in Deo est, essentialiter & quidditatiuè est ipse Deus. Posset nihilominus concedi in ampla significatione nomen denominatiuum aliquando significare aliquid quod nō sit accidens, sed interdum aliquid essentiale, quamuis per modū propriæ denominationis, vnde D. Thom. *7 Met lect. 7.* fatetur materiale dici denominatiuè. & *1 p. q. 39 art. 2. & q. 7. de potentia art. 7 ad secundum*, dicit quod terminus denominatiuus non semper sumitur à vera forma accidentali, sed ex eo quod se habet per modum formæ. Rectè quoq; Burl. hic notat, denominatiuū terminum duplicē esse, communiter & propriè acceptum. Communiter est, inquit, omnis terminus concretus, significās rem, quæ non est de essentia, siue sit realis, siue intentionalis, siue accidens, siue substantia. Propriè autem, cum significat terminum concretum in forma accidentali.

Notandum tertio Simpl. Boët. & Porph. tres faciunt Denominatiuorū conditiones. Prima est, vt eorum sit participatio in aliquo vno. Secūda, vt vnum desumat appellationem à nomine alterius. Tertia, vt differant casu, vel terminatione. Quas conditiones vel tacitè indicauit Arist. vt vult Simpl. vel etiam expressit, vt inquit Amm. Primam quidem, cum dixit, Denominatiua esse, quę habent appellationem *ab aliquo*, vel *ab aliqua forma*. Secundā illis verbis: *Quæ habent appellationem ab aliquo secundum nomen*. Tertiam, cum dixit. *Differentia casu*. Hinc sequitur Primo non esse propriè denominatiua, quæ solum secundum vocem ab inuicem deriuantur, vt *Helena & Helenus, officium & officiosus, studium & studiosus*, nam hæc nullam dicunt participationem rei. Secundo, Non sunt denominatiua, quæ tantum habent conuenientiam in re, voce autem dissident, vt *virtus & studiosus*; quo etiam referri potest, cum aliqua re conueniunt, voce etiam, ita tamen vt non sit inter voces discrepantia, quo pacto *Musica* vt significat artem, & *Musica* vt significat mulierem, non dicentur propriè denominatiua, quia, vt pater, non est discrepantia in vocibus; hoc tamen vltimum negat Ægid. dicens, non

esse

esse necessariam hanc conditionem, & Caieta quia, inquit, accidit quod eadem dictio significet artem & mulierem; tamen quicquid sit de re ipsa, non potest id consentaneè Aristoteli dici. Apertè enim vult denominatiua habere appellationē ab aliquo, & esse differentia casu. Quartā aliam conditionem addit Amm. vt non conueniant planè in re, etiamsi voce differant, & simul tamen habeant aliquā in voce consonantiam. Hoc modo, inquit Am. παρθένος & παρθένη, πλάτωνος & πλάτωνος non dicuntur denominatiua, quia duo prima significant idem, hoc est, virginem, duo posteriora significant Platonum. Quintam aliam conditionem addunt Alb. Caiet. & alij Latini, quæ ex præcedenti sequitur, vt sit aliqua diuersitas in essentia, & propterea rectè sequitur quod diximus Not. Secundo, Propriè solum reperiri denominationem, cum forma aliqua accidentalis substantiæ tribuitur.

Notandum quarto. Tria repetiuntur in Denominatiuis. Primo, Forma accidentalis, & appellatur denominans. Secundo, Res quæ denominationem accipit, & vocatur denominatum, vel denominatiuū denominatum. Tertio, Nomen, ratione cuius fit appellatio, & dicitur denominatiuum denominās. Exemplum est in candore, pariete, & candido. Ex his terminus denominans vt plurimum est nomen aliquod abstractum & absolutum, terminus denominatiuus concretum, vel denominatum, de quibus terminis dictum est *in Compendio.* Ex dictis sequitur in hac definitione locum definiti tenere res ipsas prout recipiunt denominationem & appellationem, hoc enim nō potest vocibus conuenire, quod satis patet ex dictis de Æquiuocis. Est contra Marsilium apud P.Ven. & contra eundē, Ocam & Nominales. Quid autem per se dicat terminus denominatiuus, alij aliter loquūtur. Auer. 5.*Met.t.*14. dicit, significare terminum denominatiuum primò & per se formam accidentalem; connotatiuè & secundariò subiectum, vt *candidum* primo & per se significat candorem, secundariò autem & consequēter, subiectum affectū candore. Auic. apud Auer. ibid. oppositum dicit: vult enim primo & per se significari à termino significatiuo subiectum, secundariò autem formam, ita vt candidum primo dicat parietem, secundariò autem formam ipsam candoris. Vtraq; opinio probabilis est, & controuersia tantum de modo loquendi: absolutè tamen melior est dicēdi modus Auer. qui denominatiuum ex se dicit formam quam alteri tribuit. Ergo primarium illius significatum est forma. Sic igitur potest intelligi definitio: *Denominatiua dicuntur quæ habent appellationē ab aliquo*, vel quę talia dicūtur ab aliqua forma accidentali, cum ipsa sint solo *casu differētia*, vel terminatione, à nomine significante formam illam.

Diuisio eorum quæ dicuntur.

Absolutis definitionibus, accedit Arist. ad diuisiones, tum *eorum quæ dicuntur*, tum *eorum quæ sunt.* Et quamuis hæc prima diuisio *eorum quæ dicuntur*, quatenus conuenit cum definitionibus suprà traditis, in eo quod continet *eorum quæ dicuntur*, id est, vocum diuisionem, vel rerum vocibus affectarum, propter quam causam vnà cum illis in hac distributione textus ponitur; tamen vt seruetur posita initio libri Antepraedicamentorum diuisio, in *definitiones*, *diuisiones*, & *regulas*, satius est hanc diuisionem vna cum sequenti coniungere, & seorsim cum illa collocare. Iuuat autem hæc diuisio, teste Simp. ad cognescenda ea quæ in Prædicamento ponuntur. Vnde Arist. paulò post veluti subdiuidens alterum membrum huius diuisionis, id nempè quod cōtinet ea quæ sine complexione dicuntur, illud ipsum in decem prædicamenta partitur. Quod etiam obseruant præter Porphyrium Ammon. Boët. & Albertus. Diuidit igitur Arist. ea quæ dicuntur, tum in ea *quæ sine cum complexione*, tum in illa *quæ sine complexione dicuntur.*

Circa explicationem verborum nihil notatu dignum est.

Notanda.

Notandum primo. Hæc diuisio est vocum, secundum Alexandrum apud Simplic. quanquam apud eundem velit

Boet. existimasse Alexandrum, esse: *Rerũ* diuisionem. Hęc autem fuit Auer. opinio, cum Alexandro autem fecit Boët. & indicate v detur Arist. veluti è regione opponens alteram diuisionem, nempè *Rerũ quæ sunt*. Caietanus putat diuidi hoc loco res prout intellectu & voce dicuntur, quod idem sentit Am. & est probabile; nam dici & significari est rerum ipsarum, sed tamen per voces.

Notandum secundo. Dicitur *sine complexione* id. quod rem simplicem, vnamque significet, vt homo; dicitur *cum complexione* quod plures res designat, seu quod habet compositionem affirmationis & negationis. Potest autem aliquid cum complexione dici duobus modis, vt Boëtius & Porph. Primo, addita particula coniūctiua, vt, Petrus & Paulus; vel cum aliud additur, quod significatur alteri inesse, vt Blasius *legit*. Addit secūdo Simp. quando simul ponuntur plures partes orationis, siuè nomina sint, siuè verba, vt *homo, iustus legit, orat, &c.*

Notandum tertio. Complexio & incomplexio multis modis esse potest. Primo, Voce tantum, vt *corpus animatum*; nam æquiualet *viuenti*, *ensis & gladius*, nã significant idem. Secundo, Re tātum, vt *iustus*, vel etiam si fingamus literam A sumi pro tota aliqua voce. Tertio, Et re & voce, vt *homo iustus*, vel cum verbum additur, vt: *homo legit*. Arist. posuit tantum exemplũ eorum, quæ dicuntur cum complexione in pluribus nominibus, tamen eadem ratio est cum etiam verbum additur.

Notandum quarto. Complexum re non ponitur in prædicamēto, vt sunt nomina adiectiua, vt *iustus* verba etiā adiectiua, vt *legit*, & multo clarius verba quæ ad naturā spectare dicitur, vt *pluit, tonat, mingit*.

Obijcies: Arist. Ibi es incomplexa ponit hæc verba: *Vincit*. Ergo voluit secundum priorem interpretationem poni posse in prædicamento. Resp. Simpl. Arist. verba ista pro formali & primario significato, vt *vincit* pro *victoria*, *currit* pro *cursu*, præsertim cum postea iungat ista verba nominibus quatenus faciunt cum ipsis compositionem, vt *homo currit, homo vincit*; aliqui enim certum est verba ista significate simul subiectum affectum aliqua forma; vt *legit* significat in confuso hoc: vel illud subiectum. Vel dicendum est, Aristotelem esse locutum explicitè de complexione quæ reperitur in propositionibus, quamuis hanc, quam modo diximus, non excluserit, præsertim propter causam dictam. Vnde Am. dicit hæc verba *legit, currit &c.* esse quidem voce simplicia, significato autem & reipsa complexa; & ideò Aristotelem posuisse exempla in verbis tertiæ personæ, quia magis sapiunt simplicitatem, & incomplexionem, quia magis dicunt indeterminatum subiectum, quam primæ vel secundæ personæ verba.

Notandum vltimo. Prius posuit Arist. diuisionem incomplexorum, quia hæc sunt notiora, & quia statim illa est subdiuisurus.

Diuisio eorum quæ sunt.

SEcunda diuisio, vel potius præcedentis subdiuisio est, *in ea quæ sunt*. Posuit autē hanc diuisionem, vt minima potius diuisione Eos diuideret, quam maxima, vt inquit Simpl. maxima enim diuisio est in decem summa genera. Diuidit igitur quadruplicitier *Ens*, siue *ea quæ sunt*; nam primo quædam sunt quæ de subiecto dicuntur, sed non sunt in subiecto, vt homo. (substantia secunda.) Secundo, quæ in subiecto sunt, sed de subiecto non dicuntur, vt hoc album (Accidens particulare.) Tertio, quæ in subiecto sunt, & de subiecto dicuntur, vt album. Quarto, quæ nec in subiecto sunt, nec de subiecto dicuntur, vt hic homo. In subiecto autem aliquid esse dicitur, quod cum in aliquo sit, non sicut pars est, & impossibile est sine eo esse, in quo est.

EXPLICATIO VERBORVM.

ALia de subiecto aliquo dicuntur, in subiecto verò nullo sunt) Vt substantia secunda, quam explicauit per negationem, & non per quid positiuum, quia, vt inquit Am. non omnis substantia est subiectum, quod positiuè significat substantiam, vt Deus

Deus Opt. Max. qui etsi non sit in subiecto, non tamen propriè appellari potest subiectum: subiecti enim ratio solum conuenit in ordine ad accidens, vel ad formã imperfectam; quicquid autem est in Deo, & perfectè & substantialiter est Deus ipse. Vel etiam per negationem id explicauit, quia optima diuisio & distinctio esse solet per membra contradictoria. Quamuis qua ex parte dicitur substantia aliqua dici de subiecto, satis excludi dicitur Deus, qui de pluribus non dicitur.

Alia autem in subiecto sunt, de subiecto verò nullo dicuntur.) Id est, Accidens particulare, quod ideò statim post substantiam secundam ponitur, quia maximè illi opponitur; substantia enim secunda est, quæ in subiecto non est, & de subiecto dicitur; accidens autem particulare & in subiecto est, & de subiecto non dicitur.

Notanda.

NOtandum primo. Quatuor membra posita ab Aristotele his respondent. Primum substantiæ secundæ, quia non est in subiecto, & de subiecto dicitur. Secundũ accidenti particulari, quia illud est in subiecto, & de subiecto non dicitur. Tertium accidẽti vniuersali, quia est in subiecto & de subiecto dicitur. Quartum substantiæ primæ, quia nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur. Ratio autẽ huius diuisionis est, quia quicquid est, aut substantia est, aut accidens. Rursus omne Ens aut est vniuersale, aut particulare. Cum ergo ex sex combinationibus, quæ fieri possunt, quatuor tantum vtiles esse possint, ideò quatuor etiam tantum membra ab Aristotele posita ex hac diuisione colliguntur; neque enim potest aliquid simul esse & substantia & accidens, & vniuersale, & particulare, quas appellant Græci inconsistentes combinationes. Erit igitur aut substantia, aut accidens, aut substantia vniuersalis, aut particularis, aut accidens vniuersale, aut particulare.

Notandum secundo. Arist. loco istorum membrorum posuit ipsorum notiones, seu descriptiones, vt notat Boëtius. Nam substantia significat id quod non est in alio tanquam in subiecto; Accidens quod est in alio vt subiecto; Vniuersale id quod de subiecto dicitur; Particulare id quod non dicitur de subiecto. Cum autẽ Arist. dicit primam substantiam vel accidens particulare non dici de subiecto, loquitur de prædicatione naturali & directa; nam vt *cap. de specie* cum Porphyrio vidimus, potest Indiuiduum de varijs prædicari, videlicet identicè.

Notandum tertio. In hac diuisione implicantur aliæ nonnullæ. Prima est Entis in substantiam & accidens. Secunda Entis in vniuersale & particulare. Tertia vniuersalis & particularis in substantiam & accidens, vt rectè annotauit Amm. Prima diuisio, secũdum communiorem opinionem, est Analogi in Analogata, quod etiã hic expressè docet P. Ven. Scotus autem & Alb. vult esse Vniuoci in vniuocatum, de qua te in Metaphysica. Secunda est subiecti in accidentia; accidit enim substantiæ vel accidenti, quod sint vel vniuersalia vel particularia. Tertia est accidentis in subiecta; nam vniuersalitatis & particularitatis subiecta sunt vel substantia, vel accidens: tota tamen diuisio, si Simplicio credimus, potius est dicenda enumeratio quædam, quam exacta diuisio.

Notandum quarto Alb. Burl. & Caiet. dicunt in hac diuisione eorũm quæ de subiecto dicuntur, vel in subiecto sunt, aliter & aliter accipiendum esse subiectũ. Cum enim aliqua dicuntur esse in subiecto, subiectum accipitur pro subiecto inhæsionis, hoc est cui propriè aliquid inhæret tanquam accidens; vel etiam pro subiecto denominationis, siue illud simul sit cui accidens inhæret, siue non sit, modo tamen supponat partem, cui propriè inhæreat accidens. Quando autem dicũtur aliqua dici de subiecto, per subiectum intelligi debet id, quod se habet vt inferius respectu prædicati, ita vt id quod dicitur prædicari de subiecto, se habeat tãquam vniuersale quoddam respectu illius quod subiectum appellatur; siue illud subiectum recipiat accidens, quod in ipso inhæreat, siue non recipiat prædicatũ, quod de subiecto dicitur, tanquam formã accidentalem. Hanc ob causam dicitur substan-

substantia secunda, & accidens vniuersale dici de subiecto, quia respiciunt ea de quibus dicuntur, tanquam inferiora, & tanquam subiectum quoddam prædicationis. Etsi enim accidens quod dicitur de pluribus subiectis, sit etiam in illis, tamen quatenus est vniuersale quoddam, abstrahit ab eo quod sit in illis, alioqui substantia etiam secunda, cum dicatur de pluribus, deberet in illis inhærere. Nihilominus Arist. per *subiectum de quo* videtur intellexisse id quod propriè sub aliquo collocatur, tanquam proprium illius inferius, & de quo fit prædicatio essentialis & quidditatiua. Vnde quando dicitur secunda substantia prædicari & dici de subiecto, sensus est, dici de aliquo suo inferiore, secundum nomen & rationem illi inferiori essentialem, vt Petrus est homo, animal, substantia &c. Eadem verò substantia non dicitur esse in subiecto, tum quod prædicatum, quod de alio dicitur, illi verè non insit; nam vt inquit Arist. 1. *Pr.* dici de omni, & omni inesse, idem sunt; sed quia non inest in illo tanquam in subiecto inhæsionis, & tanquam prædicatum accidentale. Contrà verò quando accidens vniuersale dicitur de subiecto dici, & esse in subiecto, sensus est, dici de subiecto vel de aliquo inferiore proprio, in quo dici potest, vel inesse; omne enim verum prædicatum est in eo, de quo dicitur. Sed dicitur hoc idem accidens esse in subiecto non respectu sui inferioris, quod nō potest esse subiectum inhæsionis, & cui non accidit, sed potius de illius essentia est. Dicitur ergo in subiecto etiam respectu substantiæ, quæ est subiectum inhæsionis. Vnde Arist. inquit: Scientia dicitur de subiecto, id est de Grãmatica, & est in subiecto, hoc est, in anima. Ex his sequitur excludi ab hoc prædicandi modo de subiecto differentias essentiales, & in particulari etiam substantiales: Quamuis enim dicantur & secundum nomen, & secundum rationem, nec sint propriè loquendo in subiecto, inhæsionis videlicet; tamen quia de nullo dicuntur immediatè, tanquam proprio inferiore, ideò etiam de subiecto non dicuntur. Et ita concedit Arist. *c de substantia*, dici differentias secundum nomen & rationem, & non esse in subiecto, non tamen propriè dici de subiecto. Adde quod hoc loco loquitur Arist. de his quæ rectam habent sedem in prædicamento, cuiusmodi non sunt differentiæ, vt bene notat Simpl. Boët. & Soto. Hic tamen obseruandum est, alibi apud Aristotelem pro eodem accipi, esse in subiecto, & dici de subiecto, loquendo de subiecto inhæsionis, vt 1. *Phys. t. q.* 16. & 62. in quo *tex. vlt.* inquit: Sola substantia de nullo alio dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia.

Notandum quinto. Circa id quod dicit Arist. esse aliquid in subiecto, Porph. nouem adfert modos essendi in alio, quibus addunt alios duos Simplic. & Ammon. Siquidem aliquid dicitur esse in alio. Primo, Vt in tempore. Secundo, Vt in loco. Tertio, Vt in vase. Quarto, In toto. Quinto, In partibus. Sexto, In genere. Septimo, In specie; dicitur enim tum genus esse in specie, tum species in genere. Octauo, Vt in fine, quomodo media omnia, quæ ad finem aliquem conducunt, in eo esse dicuntur. Nono, Vt in principio mouente, seu vt in prima causa efficiẽte, quomodo omnia sunt in Deo. Decimo, Vt in materia. Vndecimo, Vt in subiecto, quę duo ita fortè differunt, quod esse in materia dicitur respectu formæ substantialis; esse in subiecto, respectu formæ accidentalis. Ex his vndecim modis Aristo. 4. *Phys. t.* 23. octo solum enumerat; nam esse in loco, & esse in vase, pro eodem sumit; sic etiã esse in materia, & esse in subiecto; non meminit autẽ modi quo res dicitur esse in tempore, quia non egerat adhuc de tempore. Ex his iisdem modis solum Aristoteles hoc loco posuit modum quo res est in subiecto, quia solus ad rem faciebat, & per illius definitionem excludi voluit reliquos omnes. Cum enim dixit *rem esse in subiecto, non sicut partem*, exclusit esse in toto, esse in genere, esse in specie. Cum dixit *esse in aliquo*, exclusit esse in partibus. Cum autem addidit, *id quod est in subiecto, impossibile esse vt sit sine eo in quo est;* quibus

quibus verbis significat rem quæ est in subiecto, illi inhærere, exclusit modum quo res est in loco, in vase, in fine, in principio mouente, & quo forma dicitur esse in materia. Nec est necessaria Caietani expositio, qui formam excludi dicit ex eo, quod aliqua saltem est quæ possit sine eo esse, in quo est, nempè anima rationalis, quod, inquit (& mea sententia, non adeò rectè) non agnouisse Aristotelem; nam sufficienter exclusa intelligitur anima, sicut & quæuis alia forma substantialis, quia formæ omnes substantiales ita sunt in materia, vt vnà cum ipsa constituãt tanquam pars totum aliquod. Id autem quod est in alio tanquam in subiecto, negat Arist. esse partem. Sic etiam nõ est necessarium recurrere cum Caietano ad illam particulam, *In aliquo*, hoc est, inquit Caietan. in substantia completa, in qua non est anima rationalis, vel forma, est enim tantum in materia, sed accidens est in huiusmodi substantia; id enim accipit fundamenti loco, quod & maximè cõtrouersum est, & fortasse falsum, esse nimirum accidens in substantia completa tanquam in subiecto inhæsionis. Hos omnes modos memoriæ causa hic compræhendo.

Insunt pars totũ, species genus, & quo; forma, Rex in regno, res in fine, locoque locatur.

Notandum sexto. Cum inquit Arist. id quod est in aliquo vt in subiecto, nõ posse esse sine eo in quo est, simile est ei. quod surrà Porphy. *cap de accidente*, ex Aristot. 1 *Top. ca.* 4. dixit, Accidens semper esse in subiecto subsistens. Quod potest dupliciter intelligi. Primo, Vt accidens vt habeat esse, necessariò in subiecto insit, ita vt extrà ipsum ne tantillum quidem cohærere possit; & hoc verũ est naturaliter loquendo, & de potentia Dei ordinaria, quam solum potuit Arist. agnoscere. Non est autem verum de absoluta, vel de supernaturali, quæ iam abijt ferè in ordinariam, propter quam causam non solet appellari miraculum, vt patet in speciebus Eucharistiæ, quæ sunt sine subiecto. Potest nihilominus posita fide, ratio naturalis euidenter ostendere, nihil esse repugnans in eo quod fides docet, quia natura docet id quod est prius, posse separari à suo posteriori. Talis autem est natura ipsa accidentis in se antequam concipiatur vt in subiecto actu inhærens. Secundo, Potest intelligi, vt accidens etsi non possit naturaliter esse sine subiecto, possit tamen subiectum suum prius deserere, & immediatè alterum informare. Et hoc potest fieri à Deo. Si enim potest illud prius quod difficilius est, multò magis poterit hoc posterius quod est facilius. Nihilominus quidam sunt, qui etiam naturaliter id fieri posse, atque adeò etiam sæpè fieri dicunt, vt Porphyrius *in Dialogo c.34.* & Dexip. *c.23.* quia, inquiunt, experimur ad nos vsque deferri odorem corporis alicuius odoriferi, relinquit igitur odor ille subiectum suum, & recipitur deinde in alio. Sed friuolum est hoc argumentum, cui rectè Amm. & Simplic. satisfaciunt; nam non, inquiunt, accidens quod erat in pomo, illud ipsum ad nos defertur, sed effluunt ex subiecto illo odorifero tenues quædam partes substantiæ, quas exhalationes vocant, quæ simul secum deferunt illum odorem, qui ipsis actu ante inerat, & modo inest. Argumento est, aiunt, quod videmus pomum rugas & marcorem contrahere. Addi etiam potest & hæc experientia, nam hyberno tempore minus solent olere corpora, signum ergo est id ideò fieri, quia exhalationes quæ ex corpore emergunt, aëre, frigido arcentur; sunt enim exhalationes natura calidiores. Quæ ratio etsi fortasse vt plurimum vera sit, nihilominus nihil etiam prohibere videtur quo minus dicatur, corpus odoriferum ex sese producere odorem ipsum vel realiter, vel intentionaliter, de qua re *in lib. de anima*. Quod autem non possit accidens de subiecto in subiectum migrare: probat Am. ratione satis bona; nam aut eodem instanti temporis accidẽs hoc est in duobus subiectis; & hoc etsi fortasse per Dei potentiam esse potest, nõ tamen naturaliter; duo enim subiecta habentia accidens, duo habent accidentia. Aut in vno quidẽ instãti est in hoc subiecto, in alio verò est in alio subiecto, & sic cum

cum necessariò inter duo instantia mediet tempus aliquod, aliquod tempus erit quo accidens sit sine subiecto, quod aduersarij tamen negant.

Notandum vltimo. Quia Arist. in hac diuisione *eorum quæ sunt*, meminit tum terũ particularium quę de subiecto nõ dicuntur, tum vniuersalium quæ dicuntur, colligunt ex hoc loco Soto & Burl. dari in rebus ipsis vniuersale, quod etsi formaliter loquendo concedi non debeat, tamen si accipiatur vniuersale fundamentaliter & de vnitate formali, faciet hic locus non parum pro nobis.

REGVLA PRIMA.

Exactis definitionibus & diuisionibus, accedit Aristot. ad Regulas, in quibus explicat quæ pertinent ad subiectum & prædicatum, cum supra indicauerit, quod in prædicato ponitur esse vel subiectum, vel prædicatum; vel etiam dici potest, explicare Aristotelem duplicem categoriã: *Rectam*, quam appellat Amm. *profunditatem*, & *obliquam*, quam idem vocat *latitudinem*. De qua distinctione supra aliquid diximus in Prolegom. Cæterum in hac prima Regula explicat potissimum quid sit dici de subiecto, cum paulò ante exposuerit quid sit esse in subiecto. Hæc est sententia Dexip. Porph. Simplicij. Addi potest, simul exponi rectam lineam prædicatorum, vt docent Am. Boët. & Latini. Quare non probatur nobis illorum opinio, qui volunt hic suppeditari ab Aristotele argumentandi modos: Etsi enim possint illi inde erui, non est tamen Aristotelis institutum hoc loco de argumentatione disputare. Dicit igitur Arist. *Cum alterum de altero prædicatur vt de subiecto, quæcunque de eo quod prædicatur dicuntur, etiam & de subiecto*, vt quia homo dicitur de Socrate, & de homine animal, etiam & de Socrate dicitur animal.

Regula 1.

Circa verba nihil notandum occurrit.

Notanda.

Notandum primo. Loquitur Arist. de prędicatione essentiali, secundum quam id quod præd. catur de altero, est de illius essentia & quidditate, ita vt prędicatio fit superioris & vniuersalis de suo inferiori, ratione prædicati quidditatiui. Ita Simpl. Porph. Dexip. Amm. omnesque Græci & Latini cum Auer. Hoc posito, primo colligitur solutio fallaciæ accidentis; nec enim valet: *Petrus est homo, Homo est species, Ergo Petrus est species*. Secundo, sequitur habere solummodo locum hanc regulam in generibus & speciebus, hæc enim sola sunt, quæ sub se propria habent inferiora, immediata, de quibus quidditatiuè prædicantur, suntque ipsa sola quæ constituant rectam prædicati seriem, quæ hoc tantum habent vt subijciantur. Ita Simpl. Porph. Boët. Soto, & alij. Et Soto quidem notat hoc loco non agi de prædicatione differentiarum; de hac enim potius in secunda parte Regulæ sequentis. Et Am. Dexip. Auer. P. Ven. & alij recentiores refellũtur, dum volunt poni in hac Regula differentias. Et confirmatur, Quia Aristoteles, vt vidimus, per dici de subiecto intellexit vniuersale, & non quodcunque, sed quod de inferioribus propriè sub se collocatis dicitur, quomodo scientiam dici de subiecto docuit, non quouis, sed Grammatica, quod est proprium inferius scientiæ. De anima verò non dixit prædicari vt de subiecto, sed esse in subiecto. Ex quo multo magis sequitur, falsam esse opinionem Alb. Auic. Algaz. Andronici, apud Simpl. & Burl. qui omnes sentiunt, sermonem esse Aristotelis de quauis prædicatione quinque prędicabilium; verbi gratia, quia de Minoe dicitur Iustitia, & de iustitia dicitur habitus, etiam & de eodem Minoë prædicabitur habitus: Etsi enim verę sint istæ prædicationes, non sunt tamen, vt Caietanus, inquit, ad rem, quia sermo nobis cum Aristotele est de prædicatione eorum quæ sub vno eodemque prędicato de alijs dicuntur. Nec aliud voluit Arist. *cap. de substantia*, loquens de differentia, vt ibidem videbimus.

Notandum secundo. Hinc colligitur primo. Dictum illud *de omni* tum prioristicum, tum posterioristicum, quod maximè conuenit primæ figuræ, & primo illius modo, in quo maior extremitas est in toto medio, & quia medium est etiam in

tota

tota minore extremitate, etiam & maior extremitas ostenditur esse in tota minore. Secundo, Sequitur modus ille argumentandi, quem *Gradationem* appellant, seu, vt Cicero loquitur, *aceruálem argumentationem*; Græcè enim dicitur σωρίτης, & est, cum certo quodam ordine dispositæ consecutiones, seu consequentiæ plures efficiunt vltimam aliquam illationem; ob quam causam dicitur etiam argumentū à primo ad vltimum, cuius primum inuentorem faciunt Eubulidem, expolitorem verò Chrysippum, qui post Zenonem & Cleanthem Stoicam familiam maximè nobilitauit. Vnde illud Persij,

Soritet quid.

Inuentor Chrysippe tui finitor acerui.

Quod quidem genus argumentationis, si aptè omnes consequentiæ texantur, certissimum est & firmissimum. Quia tamē dum multæ simul collocantur, fit vt ob concitatum progressum aliquot minus idoneæ ponantur; ideò docet Cic. 2. *Acad.* fallacem esse talem argumentationem; sic enim Stoici concludebant omne bonum esse honestum. *Si bonum est ergo optabile; si optabile; ergo expetendum; si expetendū, dignitatem habet; si dignitatem habet, laudabile; si laudabile, honestum Si igitur bonum est, honestum est*, vbi falsa est vltima consequētia, quia vna ex medijs illis falsa erat: *Si expetēdum est, dignitatem habet*; multa enim expeti possunt, quę omni dignitate carēt, qualia sunt bona vtilia & iucunda.

Stoicorum argumentum.

Notandum tertio. In hac Regula *Dici de subiecto*, debet accipi eodem modo quem supra exposuimus, hoc est, de subiecto prædicationis, non inhæsionis; quod manifestè patet exemplo posito ab Aristotele, etsi aliquando idem significent Dici de subiecto, &, Esse in subiecto. Quod præter loca Aristotelis allata supra, & alia multa, apertissimè indicat *t.* 9. 1. *Post.* vbi inquit Arist. Quę non de subiecto dicuntur, per se dico, hoc est, per se existunt, &, quod idem est, sunt substantia; quę autem de subiecto, accidētia, videlicet, quia sunt in subiecto, nec in se sunt

REGVLA SECVNDA.

2. Regula.

Explicatur in hac Regula obliquus Categoriæ ductus. Primo, *Quod genera nō subalternatim posita diuersas habent specie differentias*, vt aliæ sunt animalis, aliæ scientiæ differentiæ. Secundo, *Quod generum subalternatim positorum easdem esse possint.*

EXPLICATIO VERBORVM.

Diuersa sunt specie differentia.) Retinenda est hæc lectio, non autem quæ ad marginem apposita est, hoc est, *diuersæ in specie differentiæ*; quia nihil, inquit Caietanus, hic Aristoteli est cum specie. Legit autem Boët. in Com. *Diuersa secundum speciem differentia.* Græcè est, *diuersa & specie differentia.* Dicuntur autem specie diuersæ differentiæ, non quod specie differant, sed quia differunt non æquiuocè, sed secundum nomen & rationem diuersam, vnde *bipes*, verbi gratia, est differētia quædam animalis, & tamen dicitur, sed æquiuocè, de instrumentis, vt mensa, quæ vt sic non specie differunt. Sic etiam genere differunt quæ sunt ipsamet summa genera diuersa, quæ tamen non habent differentias specie diuersas, vel specificas, sed diuersas rationes constitutiuas.

Nihil prohibet easdem esse differentias.) Dixit *Nihil prohibet*, quia genera generalissima differunt, nec tamen habent easdem differentias; vel etiam quæ sub diuersis generibus ponuntur, etsi possint conuenire cum differentijs aliquibus constitutiuis generum superiorum, non tamē de diuisiuis, vt de volatili, & gressibili animali dicitur differentia constitutiua animalis, non tamen eiusdem diuisiua. Quare rectè ad marginem positum est: *Nihil prohibet easdem esse differentias, etsi non omnes.*

Quæcunque prædicati differentiæ totidem & subiecti) Id est: Quot differentiæ constitutiuæ, non autem diuisiuæ. Vnde Boët. apud Simplic. *Tot erunt differentiæ prædicati, quot subiecti* Et Dexip. & Simpl. id intelligi volunt, iuxta præcedentia verba, hoc est, vt nihil prohibeat tot esse, ita vt non sit necesse tot esse subiectorum differentias constitutiuas & diuisiuas, quot sunt prædicati. Et confirmatur, quia dicit Arist. Subalternorum generum differentias

easdem esse, quia superiora de ijs quæ sub ipsis sunt generibus prędicantur. Hoc autem solum verum est de constitutiuis differentijs.

Notanda.

NOtandum primo, Possunt dici aliqua genere diuersa tribus modis. Primo, Vt sint planè distincta genera, quæ distinctio solum reperitur in summis generibus. Et huc referri potest cum aliqua ponuntur sub distinctis generibus, quo pacto vocat Arist. animal & scientiam genere diuersa; illud enim ponitur sub Substantia, scientia autem sub Qualitate. Vnde eodem redit interpretatio Argyropoli & Perionij, qui vertunt: *Non diuersorum generum*, sed *diuersorum genere*, propter dictionem Græcam, quę sine dubio priori illi versioni magis fauet. Secundo, Dicuntur genere diuersa, quæ sunt sub eodem aliquo genere, tamen ex ipsis est vnum sub alio, vt animal & brutũ sub corpore. Tertio, Cum etiam aliqua sunt sub aliquo genere, sed vnum non est sub altero, vt animal & planta sunt sub corpore, non tamen animal est sub planta.

Notandum secundo. Prima pars huius Regulæ est de diuersis genere primo modo, vt notat Dexipp. & Simplic. contra Hermon. Et sensus est, quod quæ sunt genere diuersa, nec in diuisiuis differentijs, nec in constitutiuis conueniunt, vt animal & scientia non conueniunt in differentijs constitutiuis, nec diuisiuis: aliæ enim sunt substantiæ, quæ est genus animalis, diuisiuæ & constitutiuæ differentiæ, aliæ verò scientiæ, quæ est sub qualitate. Vnde potius intelligitur dicta pars Regulæ de rebus contentis sub diuersis generibus; siquidem, vt alias dictum est, non propriè conuenit summis generibus habere differentias constitutiuas. Secunda autem pars Regulæ intelligitur de diuersis genere secundo modo, quia cum vnum est sub alio, possunt esse eædem differentiæ constitutiuæ & superioris generis, sub quo vtrumque est, & etiam ipsorum generum inferiorum, vt Animal constituunt hæ differentiæ, corporeum, viuens, sentiens, eædem etiam constituunt brutum, & animal, sub quo animali est brutum. Non tamen est verum de differentijs diuidentibus, quia animal diuiditur in rationale & irrationale, nec tamen de bruto dicitur rationale. Potest etiam dici de diuersis genere tertio modo idem esse, vt de planta & animali, dicuntur constitutiuæ differentiæ *Corporis*, quod est horum genus, non tamen diuisiuæ eiusdem; quia corpus aliud est animatum, aliud inanimatum. Cæterum Arist. solum videtur esse locutus in secunda parte Regulæ de genere diuersis secundo modo, quia genera subalterna vocat, quorum vnum est sub alio, cuiusmodi non sunt illa, quæ habent quidem sub se aliud genus, vnum tamen ex ipsis sub alio non continetur. *Lege Caietanum hic.* Denique possunt hoc modo habere differentiam diuisiuam communem, vt volatile & gressibile sunt sub animali, quæ tamen habere possunt hanc differentiam diuisiuam animalis, esse bipedẽ, vt Arist. 6. *Top. cap.* 2. *loco* 41. vbi inquit: Gressibile & volatile animal genera sunt non continentia se inuicem, & vtriusque eorum bipes est differentia; nam hæc ambo sunt sub animali, videlicet, cuius animalis bipes est differentia diuisiua.

INCOMPLEXORVM DIVISIO in Decem Prædicamenta.

CAietan. & Soto ex hoc loco quod nomini Codicis faciunt, caput 5. sumi initium volunt tractationis ipsorum prædicamentorum, fortassè quia iam videtur Aristoteles absoluisse tum Definitiones, tum Diuisiones, tum Regulas; nihilominus alij omnes communiter nolunt prædicamentorum tractationem initium sumere nisi à capite de substantia; & quidem in codicibus Græcis, quæ solam habent capitum distinctionem, vno capite comprehenduntur ista quæ hic explicantur: melius est ergo vt dicamus, Aristotelem veluti resumere membrum alterum illius diuisionis, qua ea *quæ dicuntur* partitus est in complexa & incomplexa, nam

nam hic diuidit incomplexa summa illa & maxima diuisione, de qua supra diximus, in decem Prædicamenta, sed illa tantum ponit allatis exemplis, & ex eo probat esse quædam simplicia & incomplexa, quia seorsim & secundum se nec affirmationem significant, nec negationem, quia nec verum, nec falsum denotant. Omnis autem affirmatio vel negatio vera est, aut falsa.

EXPLICATIO VERBORVM.

VT in figura.) id est, pingui Mineruа,& quasi tantum exemplis,quomodo sæpè loquitur.

Singula igitur eorum.) Notandus est hic locus; nam vt post dicemus, ex eo colligi potest hunc librum & esse Logicum, & ponendum esse ante librum *de Interpret.*

Omnis enim affirmatio,) Notandus etiā hic. De quo infra.

Notanda.

NOtandum primo. Ponit hic Aristoteles numerum Prædicamentorum eo ordine, non quem sequitur in explicandis iisdem,sed quem suprà diximus *in Proleg. ad hunc librum.* Quo loco etiam egimus de numero prędicamentorum,quam quęstionem solent hoc loco Interpretes examinare.

Notandum secundo. Hæc diuisio non est vocum solarum, vt volunt Alex. Boët. & nominales, quod cum iam sæpius dixerimus,non est quod amplius dicatur.

Notandum tertio Medium quo probat Arist. prædicamenta quæ vocibus simplicibus explicantur, non esse quid secundum complexum, sed incomplexum, est tantum probabilis coniectura, vt notat Simpl.nam non id solum est complexum, quod affirmat, vel negat, verum aut falsum significat, vt patet in omnibus orationibus omnium modorum præter Indicatiuum. Et præterea in pluribus vocibus simul sumptis, etiam extra orationem exprimentem sensum animi, vel conceptum aliquem. Fortassè tamen ita voluit Arist. hoc probare, quia hunc librum per se referebat ad libros de Interpret.in quibus illi agendum est de propositionibus, quæ sunt vel affirmatiuæ orationes, vel negatiuę,verum aut falsum significantes, ex quo rectè nonnulli colligunt, hunc librum & ad Logicam spectare,& primum locum inter libros Logicos obtinere.

Notandum quarto. Habet Arist similem sententiam plerisque alijs locis,isti, quod *Omnis affirmatio vel negatio sit aut vera, aut falsa*; & est principium Metaphysicum maximè commune,quod alijs verbis exprimitur: *De quolibet verum est affirmare, vel negare.*

Notandum quinto. Hic multæ essent quæstiones examinandæ,quas vel partim antea discussimus, partim alium in locū reiecimus, quales sunt illæ, Quot sint prædicamenta? Quæ distinctio inter illa requiratur? Quæ sit distinctio Entis in hæc prædicamenta? Quænam in prædicamentis locum habeant? Et aliæ. Ad quam vltimam quæstionem hoc solū addendum videtur, quod ex Aristotele hoc loco dici potest,vt aliquid in prædicamēto ponatur,octo conditiones requiri: tres ex parte vocis significantis rem, quinque ex parte rei ipsius, quæ omnes hoc disticho comprehendi possunt.

Vna sit, & simplex vox, & bene cōsona verbis,
Entia per se se, finita, realia, tota.

Prima conditio est vt vox sit *vna*, non tam voce, quam significatione; nam sæpè Aristo. vt diximus, plures voces vsurpat pro re vna, vt esse calceatum &c. vbi etiam hæc conditio non significat debere esse vocem vniuocam, quia etiam voces significantes indiuidua significant aliquid quod in prędicamēto ponitur. Secūda, vt sit *simplex*, vnde excluduntur plures voces, quibus respondent distincti conceptus, non autem illi quibus vnius loco ob penuriam vocabulorum vtimur. Tertia,vt sit vox *rebus consona*, hoc est, vt habeat modū aptum significandi res;nam quæ ponitur in substantia, debet significare in concreto,quæ autē in prædicamētis accidentiū,in abstracto. Pauca tamen aliqua vocabula sunt, quæ etsi in abstracto sint,significant tamē res in cōcreto,vt intelli-

intelligentia quæ tribuitur angelis. Sic etiam attributa quæ de Deo dicuntur, *Sapientia, iustitia, &c.* Quarta, vt sint *entia*, hoc est, ratione essentiæ, quia ens vt significat existentiam, potius reducitur ad prędicamentum in quo est essentia illa cuius est existentia, vt D. Thom *q. 3. de potentia. art. 4. 4. Met. lect. 2 ea. 1. sent. d. 8 q. 2.* Caiet. *lib. de Ente & essent. cap. 5.* Sonf. 4. *Met. q. 12.* Quinta, *Per se*, hoc est vnius naturæ, vnde excluduntur Entia per accidens. Sexta, *Realia*, vnde excluduntur Entia rationis. Septima, *finita*, vnde excluditur Deus, nec tamen excluditur quod est infinitum in toto & determinato genere, quare quamuis daretur linea aliqua infinita, tamen adhuc poneretur in prædicamento, quod dicit Arist. in lib. de lineis insecabilibus. Octaua, vt sint *tota*, hoc est completa, vnde excluduntur partes, initia &c.

Sequitur Tractatus De Prædicamentis.

IN CAPVT DE *Substantia.*

HÆC est secunda pars huius libri, in qua accedit ad explicationem singulorum prædicamentorum. Primum autē incipit à Substantia, quoniam substantia, teste Aristotele *7. Met. t. 4.* est prior accidente, ratione, cognitione, & tempore. *Ratione*, quia substantia est subiectum accidentis, vnde prius habet naturam suam & quidditatem, quod significat ratio, quā accidens, quod non definitur nisi per ordinem ad substantiam *Cognitione*, quia sicut substantia prius habet suum esse & naturam, quam accidens, ita & cognoscibilitatem: nam sicut se habet res ad esse, ita & ad cognoscibilitatem *Tempore*, non quia aliquando fuerit substantia, quæ in prædicamento ponatur sine accidente, præsertim secundum opinionem Aristotelis de mundi æternitate; sed quia, vt notat Simplic. & Alexan. prior est substantia tempore eo accidente quod recipere potest, & quod amittere etiam potest. Vel potius, secundum veritatem, dicitur substantia esse prior tempore, quia aliqua est, quæ ante omne tempus fuit sine aliquo accidente, hoc est, Deus Opt. Max. quamuis non ponatur in prædicamento. Hanc rationem ponit D. Tho. *loco cit.* & Porph. & Boet. & Plot. & Dexip. quæ etiam ratio Architam impulit vt à Substantia ordiretur. Diuiditur autem hoc caput in duas partes. In prima disputat de prima & secunda substantia, secundum ea quæ, vt ita dicam, sunt de illarum essentia. In secunda quę ab illis verbis incipit: *Commune autem substantiæ*, ponit substantiæ proprietates.

PRIMA PARS CAPITIS.

IN hac prima parte sunt quatuor veluti partes; nam primo supposita diuisione in primam & secundam substantiam, dicit, primam substantiam esse illam, quæ propriè, principaliter, & maximè substātia dicitur, & quæ nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur, secundam verò substantiam esse species quæ sunt in primis, hoc est, indiuiduis, & ipsarum specierum genera. Secundo ibi, *Manifestum est autem*, dicit rectè sic appellatam fuisse primam substantiam; nam genera & species dicūtur de primis substantijs tanquā de subiecto, secundum nomen & rationem, accidentia autem si sint vniuersalia, dicuntur quidem de subiecto secundum nomen, nō autem secundum rationem, vt coloratum de corpore: nam color non est de ratione corporis, quæ autem sunt accidentia particularia, ne secundum quidem nomen dicuntur, quia non dicitur de alio nisi quod est vniuersale. Tertio ibi, *Secundarum verò substantiarum*, comparat secundas substātias inter se. Primo, Genera & species, dicens, magis esse substantias species quam genera, tum quia magis accedunt species ad primas substantias quam genera, tum quia magis subijciuntur species quam genera: nam etiam generibus subijciūtur. Secundo, Comparat genera non subalternata inter se & dicit vnum ex illis nō esse magis substantiam quam aliud; quia æque accedunt vel recedunt ad primas substantias. Tertio, species infimas inter se, & etiam inter illas vnam affirmat nō esse magis substantiam quam aliam; vnde inquit,

quit, non magis est equus iste propinquus equo, quam hic homo homini. Quarto, Comparat substantias primas inter se, dicitque vnam non esse magis substantiam quam alteram: nihil enim, inquit, magis quidam homo substantia est, quam quidam equus. Quarto ibi, *Meritò igitur*, Dicit secundas substantias fuisse meritò appellatas secundas substantias, sicut suprà dixerat de primis. Primo, quia secundæ substantiæ sunt post primas, quamuis prçcedant species genera. Et ratio, inquit, est, quia si quæratur quid sit, verbi gratia, Socrates, melius respondetur per hominem, quam per animal. Sic etiam melius respondebitur per secundam substantiam, quę sit species vel genus, quam per ea quę extranea sunt, id est, per accidentia. Denique quia se habent species & genera ad accidentia sicut primæ substantiæ ad omnia alia, vel sicut primæ substantiæ subijciuntur omnibus alijs, ita etiam secundæ subijciuntur accidentibus.

EXPLICATIO VERBORVM.

SVbstantia autem est.) Ita habetur in codice Græco, Alb. tamen legit, *substantia autem quæ propriè & principaliter dicitur, est*, ita vt definiti vel descripti rationem habeat id totum quod illis verbis continetur, nempè substãtia quæ propriè, & principaliter, & maximè dicitur. Ita etiã vertit Argyrop. Imò etiam addit maioris explicationis causa, postquam dixit: *Substantia autem quæ &c. ea nimirum est*. Am. vult verba illa transponi ad modum explicationis allatum ab Alb. & Argyrop. Alb. vult poni illa verba, in quibus continetur definitum, vt diximus, per parenthesin, tamen rei sententia eodem videtur recidere.

Quæ propriè & principaliter &c.) Græcè est *propriissimè & primum*; sic etiam vertit Argyrop. Quid autẽ hæc significent, quę in hac nostra versione habemus, post dicemus. Dicitur autem prima substantia, primum substantia, secundum Porphyr. quia primum est nomen sortita; sicut & est cognita. Aliqui tamen dicunt hæc omnia vocabula idem significare; est enim familiare scriptoribus, etiam Aristoteli pluribus verbis ad emphasin dictioni addendam significare.

Manifestum est ex ijs quæ dicta sunt.) Id est in Antepræcicamentis; alioqui enim, inquit Simpl. mirum esset quomodo manifestum ex dictis esse diceret id quod modo describit.

Non ergo existentibus.) Verba quæ ad marginem ponuntur, & dicuntur in veteri Latina translatione fuisse, & codice Græco antiquo; quia continent antedictorum repetitionem; ne superfluus Aristoteles dicatur, notat Simpl. fortè in quibusdam codicibus fuisse lectionem illam ad marginem ascriptam, quam deinde scriba aliquis in membranam & contextum ipsum transtulerit.

Primæ substantiæ eo quod alijs.) Rationẽ dat cur primæ substantię propriè substantiæ appellentur, videlicet, quia omnibus alijs subijciuntur; quam rationem postea ex Simplicio afferemus.

Aliorum verò omnium) Ostendit Aristo. substantias secundas non esse accidentia, quoniam id alicui fortè videri poterat, eo quod postea dicturus erat, quod etiã ante dixerat, secundas substantias pendere à primis: nam etiam accidentia pendent à primis. Dicit igitur non habere eam dependentiam quã habent accidentia, quia ipsamet accidentia de illis prædicantur, ipsæ verò etsi de primis dicantur; tamen non sunt in illis tãquam in subiecto. Hoc notat Simpl. Am. Caiet. & alij.

Notanda.

NOtandum primo. Hæc diuisio substantiæ ideò primo loco ponitur, quia supræma genera non possunt propriè definiri, cum careant genere, vt Porph. Dexip. Simpl. Descriptio autem substantiæ colligi poterat ex dictis in Antepraedicamentis, vbi dixerat, quædam nec esse in subiecto, nec dici de subiecto, quædam autem non esse in subiecto, dici tamen de subiecto. Cum enim commune sit vtriq; substantiæ non esse in subiecto; poterat substantia sic describi; *Ens quod nõ est in subiecto*. Tamen quia in prædicamento solum

ponuntur substantiæ completæ, & consequenter ipsum summum genus debet esse quid completum, rectius in communi hoc modo substantia describetur: *Est id quod per se completè consistit.* A qua descriptione excluduntur non solum accidentia, quæ esse habent in alio, sed etiam partes substantiæ, siue essentiales Physicæ, siue essentiales Metaphysicæ, hoc est, materia, forma, gradus genericus, differentia &c. Ex quo sequitur errasse Platon. qui vt ait Simplicius, existimabat materiam & formam esse æque completas substantias, atque id quod ex ipsis componitur. Sunt ergo substantiæ istæ incompletæ reuocandæ ad prædicamentum substantiæ, & quidem forma & materia particulares ad primas substantias, vniuersales autem ad secundas. Vnde Aristot. *cap. de Relat.* huiusmodi partes communes vocat, vt caput, pedes &c. quæ sunt partes substantiales integrantes.

Substantia quid?

Notandum secundo. Hæc diuisio substãtiæ in primam & secundam videtur quibusdam esse diuisio analogi in analogata; nam substantia vt præscindit à prima & secunda, hoc est, vt abstrahit, dicit id quod est per se quomodocunque, seu quod non est in alio, quod deinde dicitur tum de eo quod est aptum esse per se, hoc est existere sine alterius ope; tum etiam dicitur de eo quod aptum est quidem esse per se, sed alio mediante, vnde prima substantia per se est, sed in seipsa; secunda autem est per se, hoc est nõ est in alio, & per se subsistit, sed non nisi mediante prima. D. Thom. *quæst.5.de potentia art.2.*& Scotus *hic*, dicunt esse istam diuisionem subiecti in accidentia: nam substantiæ secundum se sumptæ accidit quod sit prima, vel secundi, quod sit vniuersalis, vel particularis. Amm. dicit hanc non tam esse diuisionem, quam enumerationem quãdam, seu enumeratorum ordinem; vt si quis dicat Orationes primum esse elementum, siue litteras, tum syllabas &c. Probabilior nobis videtur prima sententia, quamuis etiam verum sit, sumi hic secundam substantiam, vt est affecta vniuersalitate, & primam, quatenus habet modum singulariter essendi, qui modus est veluti quoddam accidens.

Notandum tertio. Prima substantia dicitur propriè substantia, quia, vt inquit Simplicius, est omnium subiectum, non modo accidentium, sed etiam secundarum substantiarum, quam rationem apud Aristotelem ad finem huius primæ partis esse diximus. Vel secundo dicitur propriè substantia, vt vult Albertus, Ammonius, Andronicus, Caietanus, Soto, & alij, quia ipsa est quæ propriè subsistit, seu per se existit, vel, vt inquit Boëtius, quia ipsa est quæ primum sensibus nostris obijcitur, & ex cuius cognitione ad secundarum notitiam peruenimus; quo modo supra ex Porphyrio diximus appellari ab Aristotele hanc substantiam primam substantiam. Secundo, Dicitur substantia prima principaliter substantia, eadem ferè de causa, quia illius est per se & primariò subsistere atque substare, secundæ autem propter illam. Denique dicitur maximè substantia, quia maximè substat, & pluribus quam secunda substantia, cui etiam subsistit. Vel etiam, vt inquit Sotus, quia quamuis aliqua accidentia dicantur substare alijs accidentibus, vt superficies coloribus, tamen id non conuenit illis per se & perfectè, siquidem ipsamet superficies vnà cum coloribus est in substantia, illisque ipsa subest & substat.

Notandum quarto, Substantia prima describitur hoc loco ratione naturæ & modi particulariter essendi; nam prima substantia est natura quædam, quæ ob particularem modum quem habet, nec est in subiecto, nec de subiecto dicitur, qui tamen modus particularis potest secundum aliquam rationem communem, quæ in multis æqualiter reperiatur, de multis dici, non autem ipsa natura, vt affecta modo particulari, quod patet ex dictis de vniuersalibus. Soto tamen & Caietanus volunt id quod definitur hoc loco, saltem vt rationem formalem, & vt quo, esse secundum aliquam intentionem, quod non videtur nobis esse necessarium; nam ipsemet modus particulariter

titer essendi est quid reale, quamuis explicetur per hanc negationem, nempè vt non dicatur de subiecto, quod etiam fundamentaliter intelligi potest de re ipsa, quatenus natura cum tali modo non est communicabilis multis, & consequenter non est fundamentum, propter quod rei aduenire possit ratio vniuersalis & prædicabilis. Denique prima substantia explicatur per duas negationes, *non dici de subiecto, & non esse in subiecto*, propter suam perfectionem; nam vt suprà etiam monuimus, solent quæ perfectiora sunt negationibus interdum explicari, sicut contrà quæ sunt imperfectiora, sicut D. Augustin. vocat materiam primam propè nihil.

Notandum quinto. Apud Philosophos, & Scholasticos præsertim hæc sunt idem realiter, sed formaliter diuersa: *Existentia, suppositum, res, natura, subsistentia, seu hypostasis, persona, singulare, Indiuiduum, prima substantia.* *Existentia* significat modum quendam rei prout est extra suas causas, siue prout habet esse actuale in rerum natura. *Suppositum*, vt D. Thom. 1. *p. q.* 3. *art.* 3. præter naturam & ea quæ sunt de essentia & quidditate naturæ, dicit materiam particularem, & accidentia indiuiduantia, vnde significat per modum totius, quomodo, inquit, homo significat suppositum, humanitas autem significat per modum partis formalis, & ideò 3. *de anima, t.* 9. Aliud, inquit Aristoteles, est calor, aliud natura caloris. Et 1. *de anima, t* 64. soli homini tribuit operationes, vt videre, &c. non autem parti illius, aut naturæ abstractæ. *Res naturæ* apud D. Tho. 1. *p. quest.* 29. *artic.* 22. *in corp.* significat idem realiter quod suppositum, sed tamen cum hoc respectu, quatenus dicit aliquid quod supponitur naturæ communi, vt homo. *Subsistentia & hypostasis* sunt idem, sed tamen hoc respectu, quatenus significant rem esse per se, & non in alio. *Persona* nihil aliud significat quam hæc eadem, sed in naturis rationalibus, hoc enim modo tantum de Deo, angelis, & hominibus dici potest persona. Vnde Boëtius *lib. de duabus naturis*; Genera, inquit, & species sunt substantiæ, non tamen hypostases, quia quamuis substent, non tamen subsistunt. Nihilominus sicut potest dici secunda substantia per se stare & existere ratione primæ, ita etiam posset eadem ratione appellari hypostasis, quamuis hoc nomen solum vsurpari soleat & tribui rebus singularibus. *Singulare* significat rationem existentem, sed cum respectu ad vniuersale, quatenus se habet vt quid contrahens naturam vniuersalem. *Indiuiduum* idem significat, sed quatenus dicit naturam indiuisibilem in plures alias partes quidditatiuas, vnde potest indiuiduum & singulare etiam dici de Deo, quatenus significat naturam vnam non communicabilem pluribus habentibus plures naturas. Dicitur *prima substantia*, quatenus significat idem quod præcedentia, sed prout natura, substat omnibus accidentibus & omnibus accidentibus secundis. Hæc cum ita sint, possunt reperiri in accidentibus existentia, ratio singularis & indiuidui, Res naturæ; quia verò in accidentibus est existentia propria ipsorum, & vnum distinguitur ab alio tanquam quoddam singulare & indiuiduum, sic etiam significant aliquid quod subest naturæ communi. In substantijs autem solum reperiuntur ratio hypostasis, suppositi, & personæ, & propriè dicuntur tantum de completis substantijs, aliquo autem modo de incompletis: hoc enim modo dicitur anima rationalis esse quoddam suppositum, & habere subsistentiam & hypostasin. Et materia quoque prima, quæ saltem de potentia Dei esse potest sine forma. Quomodo autem res indiuiduetur, & quid propriè sit indiuiduum, suppositum, existentia &c. dicendum est in Metaphysica.

Notandum sexto. Putat Philalpand. non poni per se in prædicamento primas substantias & indiuidua, quia, inquit, infinita sunt, vt Porphyrius dixit *cap de specie*, nec pertinent ad scientiam. Propter similem rationem Albert. & Caietan. dicunt poni

poni in prædicamento indiuidua vaga. Sed vtraque opinio falsa est;nam cuilibet indiuiduo conuenit ratio substantiæ primæ,& prima substantia significat aliquid verè completum. Denique eodem modo Indiuiduum vagum significat aliquid indeterminatum, quomodo Indiuidua dicuntur esse infinita,nec causa fuit explicandi prædicamenta solum propter scientiam.

Notandum septimo. Indiuidua substantiæ appellantur primę,vel secundum opinionem vulgi,secundæ, vt volunt Græci Interpretes, siquidem secunda substantia prior est prima;nam id est prius,*vt dicitur in Postprædicamentis,cap.de priori*, à quo nō conuertitur subsistendi cōsequentia,id est cum non valet: *Est hoc,ergo illud*;sed potius contrà,*Est illud,ergo & hoc*. Et sic in proposito verum est dicere: *Est hic homo, ergo est homo*,non tamen: *Est homo,ergo hic homo*. Ideò inquit Amm.cum Arist. primam substantiam dixit propriè, principaliter,& maximè substantiam,non dixit *esse* huiusmodi,sed tantum *dici*. Cum autem descripsit eandem primam quæ neq; in subiecto est, neque de subiecto dicitur, dixit: *substantia prima est*. Etsi autem verum sit Aristotelem plerumque hoc in libro loqui secundum vulgi opinionem;tamen leuis hæc est Amm.coniectura; nam sæpè Aristoteles etiam in rebus exploratis & certis hunc loquendi modum vsurpat, vt aliquid asserat dici,quamuis reuera sit; sicut initio Porph. monuit,solere dicere aliquid *videri*, cum tamen ita *sit*. Melius igitur Latini dicunt,Indiuiduam substantiam appellatam esse primam, quia dicitur substantia à substando; singularis autem & propriè & maximè substat, & prius, quam secunda. Potest etiam addi, Aristotelem hoc ideò de singulari substantia dixisse, vt contrà Platonis Ideas ageret qui illas volebat esse aliquid distinctum à singularibus, & maximè propriè subsistens,vt patet *ex 5.Met.t.25. Et lib.7.à t.45.* Dicit igitur Aristoteles, esse quidem substantias vniuersales quasdam substantias.non tamen maximè propriè substantias;vnde & hoc nomen primus excogitauit secundarum substantiarum,quia vniuersales substantiæ veluti secundæ substant,primæ enim solæ sunt quæ propriè immediatè substant accidentibus,vt dicitur *10.Met.t.25.* & supra vidimus cū Porp. *cap.de Communitatibus.*

Notandum octauo. Ex hoc sequitur,quam ob causam Aristoteles dixit,sublatis primis substantijs tolli omnia, hoc est tam accidentia, quam secundas substantias; intelligendum enim est secundum existētiam & secundum actuale substare. Cum enim accidentia non sint nisi quam diu sunt in substantia,nec secundæ substantię possint dici substare,nisi quia primæ substant,ideò si tollantur primæ, tolluntur & hæc omnia; alioqum si sermo sit de substantia ratione tantum essentiæ,quamuis tollantur omnes primæ substantiæ, non propterea tamen tolluntur secundæ, sicut suprà dixit Porphyr. *de communitatibus*, etiam sublatis indiuiduis non tolli species, nec sublatis speciebus & differentijs,genera. Quo etiam modo suprà *tract. de vniuersali*, diximus ex Aristotele *1 Post.t.43.* Vniuersale esse semper & vbique, vel vt D. Thom. *ibi lect.42. & q 5.de potentia.art.9. & 1.p.qu.16. art.7.ad 2 & op.55.* negatiuè, quia videlicet ex sua natura nō habet determinatum vel locum,vel tempus.Idem indicat Boët.hic.

Notandum nono. In primis substantijs dicuntur esse secundæ hic ab Aristot. cum tamen etiam sint & primæ in secundis. Quod ita intelligi debet;nam primę sunt in secundis tanquam partes quędam substantiuæ sub suo toto potestatiuo & vniuersali. Sunt autem secundæ in primis tāquam in totis essentialibus & completis; nam componitur species, verbi gratia, & ex gradu generico & differentiæ, ita vt propterea dicatur genus esse in specie, sic etiam indiuiduum substantiæ veluti cōponitur ex tota natura specifica, & ex modo illo particulariter essendi,vnde vocabat D. Thom. *suprà 1. p. art.3.* humanitatem partem quādam formalem, de qua re etiam diximus in Prædicabilibus.

Notandum decimo. Species hoc loco ab Aristotele dicitur esse magis substantia quam

quam genus, & indiuidua magis quam species, vel genera, cum tamen 8. *Met.t.2.* oppositum dicere videatur. Est prætetea ratio dubitandi, quia dicit, vnam speciem non esse magis substantiam quam aliam, nec vnum Indiuiduum, vel vnam primã substantiam magis quam primam aliam substant am; nam certum est speciem alicuius mixti substare pluribus accidentibus, substat homo quam ignis, & tamen dicta est substantia a substando. Et idem est de indiuiduo vno vnius speciei, & de alio indiuiduo alterius speciei. Respondeo ad primum Alex. ibi & D. Tho. dicunt Aristotelem loqui contrà Platonem, & supposita illius sententia hoc affirmare. Soto autem concedit secundas substãtias & vniuersales magis dici substantias, quam primas si habeatur ra io solius essent æ, prout est magis communicabilis. Ad secundum: Vel contulit Arist. spe ies infimas, quæ sunt sub eodem genere, & æque distant à primis, vt indicat Boët. quomodo conferendæ erunt species simplices simul, & species mixtæ simul. Secundo locutus est Arist. de speciebus infimis, & de indiuiduis, quatenus sunt subiecta quædam sensibilia, vel proximè ad illa accedentia. Hoc dicit Simplicius. Vel denique ideò species omnes infimæ dicuntur esse æquè substantiæ, quia æquè omnes assignantur ad explicationem quidditatis primarum substantiarum: Et hoc expresse habet Arist. *Obycies*: Si dicitur secunda substantia, quia est post primam, & quid communius, seu superius prima, eodem modo genera superiora inter eandẽ latitudinem eiusdem categoriæ dici debebunt tertia vel quarta substantia, secunda verò sola infima species. Respondeo. Nomen secundæ substantiæ excogitatum est ab Aristotele, vt comprehenderet omnes substantias vniuersales prout quidditatiuè dicuntur de primis, & quatenus non sunt propriè & per se primæ substantiæ, vt dicere videbatur Plato. Quare ita Arist negat secundas substantias esse primo & per se substantias, vt interdum planè substantias esse negare videatur, vt 7. *Met.t.45.*

Notandum vndecimo. Ex eo quod Arist. confert secundas substantias cum primis, & easdem inter se, colligit Butl suam opinionem de vniuersali in rebus; nobis autem sufficit si indè pro nobis inferamus opinionem de vnitate formali.

Notandum duodecimo. Cum Arist docet rationem accidentis non dici de subiecto, videtur sibi alijs in locis contradicere; nam 6. *Ethic.cap.1.* inquit, candidum non modo dici de re candida secundũ nomen, sed etiam secundum rationem. Et 1. *Top. cap.7.* dicit, quod est, non solum in substantijs sed etiam in accidentibus reperiri. Ad primum locum respondetur: Candidum dicitur de re candida, hoc est, significat naturam suam & quidditatem inesse rei candidę, non tamen dicitur secundum rationem, in hoc sensu, quod sit de quidditate rei quæ candida appellatur. Quod rectè dicit Butl. aliud esse aliquid dici de alio secundum definitionem, aliud autem dici ipsam definitionem. Dicitur igitur candidum de re candida secundum definitionem, non tamen ipsa definitio de re ipsa dicitur, quod alijs verbis explicat Alb. dicens, ipsam definitionem dici de re, non tamen prout est definitio.

Notandum vltimo. Cum inquit Arist. Eorum quæ sunt in subiecto, multa nec secundum rationem, nec secundum nomẽ dici, sensus est, quod accidentia abstracta non dicuntur de subiecto; nec enim dicimus parietem esse albedinem. Ita Simpl. Caiet. Soto, Butl. Vel sensus est, non dici multa secundum nomen, quia non habẽt deriuationem & denominationẽ ab alio nomine, seu, quod idem est, non sunt denominatiua secundum rem & vocem, vt virtus & studiosus. Ita Boët. & Am. Addi potest, multa non dici secundum nomen, quia cum particularia sint, non habent quod prædicari possint, ne quidem secũdum nomen, quod indicat Arist. dicens, hoc reperiri in multis.

SECVNDA PARS *Capitis.*

Ponit in hac parte sex substantiæ proprietates, quæ esse possunt, vt Boëtius, Ammon-

Ammon. & Simp. definitionis loco, quia summum genus definiri non potest.

Prima Proprietas Commune est omni substantiæ vt non sit in subiecto. Primæ quidem id competit, quia in præcedente parte descripta fuit, quæ nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto. Quod autem secundę etiam conueniat, probatur tum inductione, tum quia quæ sunt in subiecto, nō dicuntur de illo secundum rationem. At secunda substantia hoc modo dicitur. Monet autem Aristoteles, primo hanc proprietatem non esse maximam, quia non conuenit soli substantiæ; conuenit enim prætetea & differentiis; quod probatur tum inductione, tum ratione, quia dicuntur differentiæ secundum nomen & rationem. Item conuenit hæc proprietas partibus, vt materiæ & formæ; quia etsi in alio sint, non tamen vt in subiecto, nam suprà dictum est, id esse in subiecto, quod in aliquo est, sed non vt pars.

Secunda Proprietas ibi: *Inest autem substantijs*, colligitur ex præcedentibus, vt substantia dicatur vninocè; quod conuenit & secundis substantijs & differentijs, non autem primæ, quię de nullo subiecto dicitur.

Tertia ibi: *Omnis autem substantia.* Videtur, *omnis substantia*, significare *hoc aliquid.* Et quidem prima substantia id apertè significat, quia significat indiuiduum quid & vnum numero. Secunda verò secundum figuram appellationis, & ratione nominis; nempè quia etiam illæ habent nomina primatum substantiarum, absolutè tamen loquendo non significant hoc aliquid, sed quale aliquid: nam non significant vnum quid numero, sed aliquid commune & vniuersale, quod se habet per modum cuiusdam qualitatis, nec tamen dicitur in quale simpliciter loquendo, hoc est, non significant tantum Accidens.

Quarta Proprietas. ibi: *Inest autem substantijs &c. Proprium est substantiæ non habere contrarium.* Probatur inductione in primis & secundis. Notat tamen Aristot. videri hanc proprietatē conuenire quantitati, præsertim definitæ & determinatæ, hoc est, quę certam aliquam quantitatem significat; nam bicubito nihil est contrarium; fortasse autem potest indeterminata quantitas habere contrarium, nam magno videtur esse contrarium paruum, & multo parum.

Quinta Proprietas, ibi: *Videtur autem. Non suscipit substantia magis & minus* Quę proprietas intelligi, inquit debet de primis substantijs collatis inter se, & de secundis eodem modo, si sint infimæ species; nam supra dictum est, secundam substantiam esse minus substantiam quam primam, genus quam speciem; ex primis, non esse vnam substantiam magis quam aliam & ex speciebus infimis eodem modo. Absolutè tamen hæc proprietas substantijs cōuenit, quatenus magis & minus in formis accidentalibus teperiuntur: nec enim eo modo potest dici vna substantia magis quam alia, quomodo dici potest vnum album magis album quam aliud.

Sexta Proprietas, ibi: *Maximè proprium &c. Maxima substantiæ proprietas est, vt vna eademque numero possit contraria in se recipere*; hoc enim nulli alteri rei conuenit, quæ non sit substantia, vt inductio probat. Quod si obijcias, vnam eandemque orationē modo veram, modo falsam esse; vt *Socrates sedet*, vera est dum sedet, falsa autem si surgat: Respondet Aristoteles primo, non fieri mutationem in oratione ipsa ratione sui ipsius, sed ratione Socratis sedentis, vel stantis. Secundo, non propriè & verè mutari orationem, quare nec propriè contraria recipit.

EXPLICATIO VERBORVM.

Nomen quidem de subiecto aliquando nihil prohibet.) Id est, Eorum quæ in subiecto sunt (sunt autem hæc accidentia) nihil prohibet nomen aliquando dici de subiecto, sicut & fieri potest vt dici nequeat, quemadmodum præcedente parte idem Aristotel. obseruauit; quod intelligendum est iuxta traditas à nobis loci huius explicationes. Cum autem dicit, *secundarum substantiarum rationem dici*, per

per rationem intellige prædicatum quodcunque essentiale, non autem propriè dictam definitionem; nam & differentiæ, secundum Aristotelem, dicuntur secundum rationem, & etiam ratio summi generis substantiæ, quod inter secundas substantias primum locum habet.

Non enim ita ea quæ sunt in subiecto dicebantur) nempè suprà in Anteprædicamentis in diuisione eorum quæ sunt.

Appellationis figura.) Id est ex modo vocis & nominis; nam secunda substantia cum idem nomen obtineat quod prima, videtur significare hoc aliquid, sicut & illa. Quidam tamen ita hoc interpretantur, quia ita solemus loqui de secundis substantijs, sicut & de primis: dicimus enim non solum Petrus venit, sed etiam, homo venit, sed hæc explicatio non est ad rem, hoc enim modo loquendi etiam in accidentibus vtimur, nam dicimus: Voca sedentem, vt inquit Aristoteles, 1. *Top. cap.* 6. Albertus refutat aliam quandam explicationem dicentium, ideò hoc dictum esse ab Aristotele, quia nomina sunt primo imposita primæ substantiæ, ita vt ab illis habuerint secundæ quodammodo appellationis figuram, nam hoc etiam parum ad rem facit.

Nihil enim significat aliud album quam qualitatem.) Ex hoc loco colligunt quidam, denominatiua & connominatiua per se tantum dicere formam accidentalem. Ita Scotus, Ant. Andron. in Anteprædicam. Tamen ex hoc loco non potest id rectè colligi. Græcè enim est, *quale*, vt etiam vertit Argyrop quamuis non ignorem apud Græcos tum concretum tum abstractum pro eodem sumi. Quid autem sentiendum sit de proprio & formali significato Denominatiuorum, dictum est ante.

Dico autem non quod substantia est à substantia magis & minus) Vel potius sic legit: *Nec substantiam dicimus à substando non suscipere magis & minus*; quæ lectio verum dicit, non tamen consona est textui Græco, nam sic habet: *Non dico autem substantiam substantia non magis substantiam esse*, nostra autem versio obscurior est.

Maximè verò proprium substantiæ.) Aliqui illud *maximè* referunt nō ad propriū, sed ad substantiam, vt sensus sit, substantiæ quæ maximè substantia est, proprium est &c. Tamen omnes communiter id referunt ad proprium, vt sensus sit, est maxima proprietas substantiæ.

Notanda.

Notandum primo. Imitatus est Arist. Architam in his proprietatibus tradendis, & apud eundē Iamblichū, easq; eo ordine posuit, vt ab imperfectioribus ad perfectiores progrederetur, donec absoluta vtcunque videretur substantiæ ratio, nam ex his proprietatibus prima, secunda, quarta, & quinta conueniunt substantiæ, in secunda proprij significatione, sexta autem in quarta, & ex his ijsdem tres priores, vt inquit Alber. conueniunt substantiæ quatenus habet rationem quandam Prædicabilis, tres autem posteriores vt substanti accidentibus.

Notandum secundo Prima proprietas, vt non sit substantia in subiecto, conuenit substantiæ in secunda significatione Proprij, nam omni conuenit, sed non soli, cōuenit enim etiam differentijs. Ex quo sequitur, non esse differentias substantias cōpletas, & de quibus per se sermo hic sit, tanquam de ijs quæ in prædicamento directè ponuntur. Hanc proprietatem præter rationem Aristotelis, hunc etiam in modum probasse dicitur Archytas, vt refert Simplicius: Substantia aut est materia, aut forma, aut compositum. Si materia, est subiectum, & non in subiecto; Si forma, est quidem in materia, non tamen tanquam in subiecto, quia potius est in ea vt ipsam perficiat, quam vt inde perficiatur; accidens autem in subiecto est, quia ex se est Entis Ens. quod postulat esse in alio vt ipsum perficiatur. Multo verò minimè compositum est in subiecto, quia est quid maximè completum. Cæterum quod ad formam attinet, quomodo aliter sit in materia, quā accidens in subiecto, suprà in Anteprædicamentis, in diuisione *eorum quæ sunt*, aliquid diximus, quo loco plura Interpretes, & præsertim Caietan, & Auer. 2. *de anima*. ferè ad initium,

ſed quod ſpectat ad differentias, refert ac refellit Simpl. plures veterum ſententias, præſertim autem illam Boëthi, quod nec ſint ſubſtantia, nec accidens; ipſe verò ſecutus Iambl. tenet eſſe quid veluti mediũ inter ſubſtantiam & accidens, quoniam dicuntur in quale quid, quod niſi ad modum explicatum *cap de differentia*, intelligatur, nulla ratione defendi poteſt, alioquin rectè ſequeretur, vt benè argumentatur Alex. apud Simpl. eſſe aliqua ratione verè in ſubiecto differentiam, quatenus eſt accidens. Ammonius recitat alias opiniones, vt quod differentiæ aliquæ magis accedant ad ſubſtantiam, vt *rationale*, aliquæ ad accidens, vt *albedo* cygni. Deniquè quędam ſint mediæ, vt differentiæ & formæ elementorum; Sed facilè eſt has ſententias refutare. Sunt igitur differentiæ, ſi de iis quæ conueniunt ſubſtantijs ſermo ſit, ſubſtantiæ quædam, ſed incompletæ, quæ ideò ſolum ad latus *Categoriæ* ponendæ ſunt, vel *Generis*, quatenus diuiſiuæ ſunt, vel *Speciei*, quatenus ſunt conſtitutiuæ. Ex quo conciliari poſſunt duæ contrariæ opiniones quæ de hac re ſunt apud Simpl. Altera, quod differentiæ ſint ordinandæ ſub genere; altera verò quod ſub ſpecie.

Notandum tertio. Non eſſe in ſubiecto, & *per ſe eſſe*, idem ſunt realiter, & vtrinque non eſt ipſamet quidditas ſubſtantiæ, ſed proprietas quædam ex ipſo fluens; hoc enim in numero ab Ariſtotele ponitur, quamuis ipſam quidditatem ſubſtantiæ aliter explicare non poſſimus, niſi per huiuſmodi proprietatem.

Notandum quarto. Proprietas illa ſubſtantiæ, quæ ſecundo loco ponitur, etiam conuenit ſubſtantiæ in ſecundo modo Proprij, nempè vt dicatur ſubſtantia vniuocè, ita eſt intelligenda, vt dicatur ſubſtantia tantum vniuocè, vt obſeruat Caietanus, nam accidentia & dicuntur vniuocè, ſi cum proprijs inferioribus conferantur; & denominatiuè, ſi ad ſubiecta, ſeu ſubſtantias; nulla autem ſubſtantia propriè dicitur denominatiuè; vt etiam videbimus in Tractatu de Denominatiuo.

Notandum quinto. Tertia proprietas, quę eſt, vt ſubſtantia ſignificet hoc aliquid, conuenit in prima Proprij ſignificatione, nam ſoli conuenit, ſed non omni, hoc eſt, ſoli primæ, non autem ſecundæ. Significare autem hoc aliquid eſt, ſignificare aliquid quod veluti ſub ſenſum cadat, & digito demonſtrari poſſit, vt notat Simplic. Et colligitur ex Ariſtotele *tum hic, tum 3. Met. t. 20. & 2. Elench. ca. 3.* Secunda autem ſubſtantia dicitur ſignificare quale aliquid. Vbi ſciendum eſt quale formaliter ſignificare qualitatem, & formam accidentalem quarti prædicamenti, transfertur nihilominus interdum ad ſignificandum id, quod ſe habet per modum formę, quæcunque tandem illa ſit; & ita ſignificat ſecunda ſubſtantia quale aliquid, quia ſecunda ſubſtantia vnà cum natura, includit, tanquam conditionem, propter quam prædicetur, modum vniuerſalitatis, qui ſe habet vt accidens illius. Vel etiam ideò Ariſtoteles dixit, ſecundas ſubſtantias non ſignificare hoc aliquid, propter Platonem, qui Ideas ſuas vniuerſales volebat propriè ſignificare *Hoc aliquid*. Hinc ſequitur ſignificare *Quale aliquid* nõ eſſe propium ſubſtantiæ compoſitæ, vt inquit Alb. quatenus, inquit, ex genere conſtat & differentia; tunc enim nec ſummũ genus diceretur in Quale quid, quod tamen eſt primum inter ſecundas ſubſtãtias; & præterea poſſet ſubſtantia prima hoc modo ſignificare quale aliquid; quomodo verò differentia ſignificet quale aliquid, non ad hunc ipſum modum, ſed alia quadam diſtincta ratione diximus *ca. de differentia*.

Notandum ſexto. Quarta proprietas, quę eſt, vt non ſit aliquid ſubſtantiæ contrarium, cõuenit ſubſtantiæ in ſecundo modo, nam conuenit etiam differentijs, & partibus ſubſtantiæ, & etiam quantitati, alijſque. Sciendum autem loqui nos de contrarietate poſitiua, nam priuatiuam in ſubſtantijs reperiri ſæpè docet Ariſt. 1. *Phyſic.* Secundo loquimur de contrarietate quæ ſit inter ſubſtantias ſecundum ſe ſumptas; nam ratione qualitatum contrariarum etiam ſæpè docet Ariſtoteles, præſertim libro De generatione, vnam ſub-

ſtantiam

stantiam alteri esse contrariam. Quarè superiores illi Authores malè dicebant, differentias substantiarum esse qualitates, & hoc loco Alex. primas qualitates esse differentias elementorum. An tamen elementorum formæ habeant veram inter se contrarietatem, quod sensit Auer. & consequenter, an intendantur & remittantur, quod idem etiam docuit, non est præsentis loci; certè Aristo. in vniuersum loquitur. Tertio, non loquimur de contrarietate Metaphysica, quomodo dicitur genus diuidi in contrarias differẽtias 10. *Met. t.* 12. & interdum dicit Arist. in omni summo genere esse aliquam primam contrarietatem, de qua re aliquid fortassè dicemus *infra de Opposit.* Quarto non loquimur de contrarietate relatiua: certum enim est eas inter substantias reperiri. Quinto non loquimur de contrarietate effectiua, vt dicitur nobis contrarium esse frigus. Sexto non loquimur de contrarietate morali, quo pacto qui inter se animis dissident, inuicem contrarij esse dicuntur. Ex quibus omnibus distinctionibus quam plurimæ obiectiones solui possunt, quarum aliquas affert Simplicius ex Plot. & Iambl. Sermo ergo est de contrarietate quæ est prima species oppositorũ, & est aliquorum sub eodem genere maximè inter se pugnantium, & sese mutuò expellentium. Vbi obseruandum est, hostiam in Sacramento Eucharistiæ, quia remanet quantitas sine subiecto, ideò dici ratione quantitatis non habere aliquid contrarium, quia quod est receptiuum contrariorum, ipsi nihil est contrarium; quod etiam notat Albertus. Quod autem Aristoteles hic dicit quantitati indeterminatæ aliquid esse contrarium, non est verum de perfecta contrarietate, siquidẽ magnum & paruum non contraria, sed relatiua sunt, quod fatetur *cap. de Quantitate*

Notandum septimo. Quinta proprietas, quæ est, vt substantia non suscipiat magis & minus, conuenit substantiæ etiam in secunda significatione Proprij. Quomodo autem id nõ repugnet his quæ supra dicta sunt ab Aristotele, vnam substantiam esse magis substantiam quam aliam, ipsemet explicauit; id enim solum verum est ratione modi substandi, qui primo & per se conuenit primæ substantiæ, & per illam secundæ, & inter secundas magis conuenit speciei quam generi. Porrò sciendum est substantiam vnam altera magis substantiam dici posse; primo, vt iam dictum est, ratione substandi, quod etiam habetur 7. *Met cap.* 3. Secundo, quia nobilior est & perfectior, quomodo 2. *Met. cap.* 1. dicuntur intelligentiæ esse maximè substantiæ. Tertio, quia prædicatum aliquod substãtiale magis immediatè de vno quam de alio dicitur; sic species magis dicitur substantia quam indiuiduum, omnia enim prædicata substantialia & essentialia primò & per se conueniunt speciei. Quarto, Inter indiuidua vna substantia prima potest dici magis substantia, propter perfectiores operationes ex parte meliorum dispositionum. Vnde Auerroes *in Procemio Physic.* dicit, hominem æquiuocè dici de homine sapiente & illiterato, quomodo æquiuocè dicitur culter de ligneo & ferreo. Et Diogenes eos, qui sapientiæ nõ studerent, homines esse planè negabat. Nec tamen probãda est Caietani opinio, de qua alias diximus, qui 1. *p. q.* 85. *artic.* 7. eos cæcos esse dicit, qui non videant animam rationalem vnam altera perfectiorem esse. Quinto dicitur vna substantia magis quam alia, quæ notior est, vnde 2. *de anima. cap.* 2. corporeas substantias magis dicit esse substantias, quam incorporeas. & 3. *Met. cap.* 5. vocat etiam maximè substantias, *& lib.* 7. *cap.* 2. vocat Corpora manifestissimas substantias. Sexto diceretur substantia vna magis substantia quã alia, si haberet latitudinem quandam graduum perfectionis, intra eandem speciẽ; quod quidem non affirmat Caietan. sed ex illius opinione sequitur, apertè autem docet Auerroes *de formis elementorũ*, quod tamen nullo modo dicendum est, saltem secundum Aristotelem hic.

Notandum octauo. Vltima proprietas, quæ est, Vt vna & eadem substantia contraria recipiat, dicitur esse maxima omnium, Et quidem, vt communiter volunt

Interpretes, in quarto modo Propriũ, quia Aristoteles maximè propriam vocat, & in alijs Prædicamentis aliquam semper ponit quæ sit propria quarto modo, nulla autem hic esse potest præter istam. Aliqui tamen negant esse proprium quarto modo, præsertim Faber Stapul. qui in hoc sensu dicit hanc proprietatem esse maximã, quia maximè significat aliquid quod substantiæ conuenit secundum rem, & quod soli substantiæ completè conuenit. Prima autem & secunda, quarta & quinta conueniunt etiam differentijs, & alijs quę nõ sunt substantia. Tertia verò soli quidẽ substantiæ completè conuenit, sed potius denotat proprietatem aliquam notionalem, quam realẽ. Ex hac proprietate colligitur, non esse locutum Aristotelem hoc in Prædicamento de substantijs incorruptibilibus, vnde Porph. Dexipp. & Simpl. nominatim hic excludunt cælum, quod contrarium non recipit, vt habetur 1. *de calo t.24*. Secundo, Obseruandum est, substantiam esse susceptiuam contrariorum, non omnium, sed aliquorũ; vnde nix non est susceptiua nigredinis, sed aliquorum aliorum contrariorum. Sic etiam satis est quod substantia successiuè recipiat contraria; imò simul cõtraria in summo nulla substantia recipere potest. Tertio, Cõuenit etiam hæc proprietas substantijs secundis corruptibilibus, sed mediate prima. Quarto, Quod dicit Arist. de oratione, benè ipse soluit, quanquã addi potest, verum & falsum non esse contraria, sed priuatiua.

Notandum vltimo. Multæ quæstiones hoc loco explicari possent, vt quænam in hoc prædicamento ponantur? De qua dictum est *in Proleg.* Secundo, An hoc genus sit vniuocum? & dicendum est esse, contra Plot, *lib. 1 de summis generibus* c4.2 & 3. Et contra Auer. qui huius prædicamẽti vult tantum genus esse, *Corpus corruptibile*, esse autem aliud ponendũ pro incorruptibilibus. Sed nihil prohibet vnum esse genus vniuocũ ad corruptibile & incorruptibile, quamuis hic Arist. de corruptibili tantum loquatur. Vltimo, de serie & ordine huius Prædicamenti, cuius seriei modus petendus est ex Porph. *in c. de specie*, quem imitantur hoc loco Am. & Simpl. Obseruandum solum est, loquaturne de substãtia absolutè, an de substantia de qua hic Arist. tunc enim plura vel pauciora membra in serie ponenda erunt. Lege Mirand, *lib. 13. de sing cert. sect. 5.*

IN CAPVT DE *Quantitate.*

Architas, vt ait Simpl. egit primo de Qualitate, quam de Quantitate, quia rationem habuit substantiarum intelligibilium, quibus non quidem Quantitas, sed Qualitas conuenit. Quod idem probatur Plotino. Atque vt alias causas omittam, de quibus idem Amm. Simpl. & Boët. hæc etiam reddi potest, tum quia conuenit quantitas substantiæ ratione materiæ, qualitas ratione formæ. Prior autem est materia quam forma, & de substantia composita ex materia & forma solum disputat hoc in libro Aristot. Denique quia *cap sup.* dixit, nonnullas affectiones substantiæ etiam conuenire quãtitati, vt, quod substantiæ nihil sit contrarium, quod non recipiat magis & minus, quod vna numero possit contraria recipere. Cæterum habet hoc caput duas partes: In prima ponuntur tres diuisiones Quantitatis. In posteriori eiusdem proprietates, quæ ibi incipit: *Amplius quanto &c.*

PRIMA PARS CAPITIS.

Prima diuisio est: *Quanti aliud est Continuum, aliud Discretum.* Continuum est, cuius partes termino aliquo communi copulatæ sunt. Discretum autem, cuius contrà nullo termino connexæ sunt partes. Continui quanti species sunt *linea, superficies, corpus, locus & tempus*, Discreti autem, *numerus & oratio.* Quod autem continuum quantum id sit quod dictum est, probat inductione per singulas species, & eodem modo de quanto discreto; nam linea, verbi gratia, habet partes puncto cõnexas, numerus verò, vtputa denarius, habet partes nullo termino copulatas, nam duo quinarij, vel ternarius & septenarius

narius nullum habent terminum quo copulentur inter se. Secunda diuisio est: *Quanti aliud est, quod habet partes situm & positionem habentes, aliud quod non habet.* Primi exemplum est *linea, superficies corpus, & locus.* Secundi *numerus, oratio, & tempus.* Ad hoc autem vt dicatur quantitas habere partes quæ sunt in situ & positione, primo debent illæ partes esse quodammodo alicubi sitæ & positæ. Secundo debent posse distingui, ac veluti separari. Tertio debent esse coniunctæ, eiusmodi conditiones non habet Numerus; nam illius partes omnes sunt disiunctæ & separatæ, quamuis possit aliquis in illis ordo considerari: nam numerando, incipimus ab vno, progredimur ad duo &c. Eadem ratio est de Oratione, quæ syllabis constat longis aut breuibus, nullo inter se nexu copulatis. Tempus autem etsi habeat partes copulatas, non tamen permanentes, vnde non possunt assignari & accipi illius partes. Tertia diuisio: *Quanti aliud est propriè quantum, aliud per accidens.* Proprium, quod ratione sui quantum est, vt linea, superficies, &c. Per accidens, quod ratione alterius; sic enim diximus album multum esse, quia multa est superficies, cui albedo inhæret.

EXPLICATIO VERBORVM.

QVanti) Boëtius com vertit, *Quātitatis*, ex quo argumētatur Burl. sicut & *in c. 4. Antepræd.* sola abstracta accidentium per se poni in prædicamento, quod etsi verum sit, non tamen necessarium est hoc argumentum. Vt enim sæpe vidimus, apud Græcos præsertim confunduntur concretum & abstractum; hic autem est nomen concretum, sic & in tertia diuisione, vbi tamen Boëtius vertit etiam *quantitatem*, cum sermo sit Aristoteli de quanto per accidens, quod nullo modo potest appellari quantitas in abstracto.

Est enim sumere communem terminum punctum.) Indicat Arist. communem illū loquendi modum Philosophorum, qui nolunt in quantitate esse terminos indiuisibiles actu, vel etiam partes actu, sed tantum per designationem, hoc est, quia à nobis possunt concipi & designari tanquam partes distinctæ. Vnde idem dicit Arist. & de superficie in ordine ad corpus, & de linea in ordine ad superficiem, & de partibus quantitatis.

Multum albū eo quod superficies &c.) Multum dixit Arist. pro eo quod est magnum; nam multitudo de numero dicitur, nō de quantitate continua.

Notanda.

NOtandum primo. Grauissimæ se hoc loco offerunt quæstiones, quæ quia melius in Physica & Metaphysica intelligi possunt, vbi propriè tractandæ sunt, ideò hic nihil de ijs accuratè dicemus. Prima est, an Quantitas realiter distinguatur à materia? Secunda, an sit infinita? Tertia, an constet ex indiuisibilibus? Quarta, an indiuisibilia & partes actu sint in quantitate? Quinta, quomodo dicatur Quantitas, id est, dimensiones infinitè esse in materia? Sexta, an Numerus prout reperitur in rebus quantitatiuis, dicat aliquid distinctum à numero transcendentali? Septima, Quid sit Numerus formaliter, & an sit aliquid realiter?

Notandum secundo. Discreta quantitas etsi sit posterior quantitate cōtinua, quatenus ex illius diuisione fit, teste Arist. 3. *Phys.* tamen alio modo est prior quātitas discreta continua, nempè in ratione mēsuræ, secundum quam rationē multi volunt esse disputatum hoc loco ab Arist. de Quantitate; nam vnitas habet maximè rationem mensuræ, de cuius ratione est esse quid minimum & indiuisibile, cuiusmodi est vnitas. Vnde D. Thō. *sup. Boët. de Trin. q. 4 art. 2. ad 6.* dicit, Numerum materialiter posteriorem esse magnitudine, quia fit ex diuisione illius, formaliter autem priorem in ratione mensuræ, & quia simplicior est, & abstractior, nempè quia non constat ex partibus habentibus positionem. Idcirco egit Arist. prius de Quantitate discreta, quam de continua.

Notandum tertio. Arist. incepit à diuisione quantitatis, nō solum quia definiri non potest, vtpotè summum genus, sed quia de Quantitate egit secundum maximè propriam

propriam affectionem illius mensuræ, quam mensuram explicat in speciebus quantitatis, vnde & a discreta incæpit. vt paulò antè dictum est. Tamen quantitatem describit Aristoteles 5 *Met.t* 18. quæ est diuisibilis in ea quę insunt, quorum vtrumque vel vnumquodq; aptum est esse: quæ definitio non conuenit quantitati fluenti, vt etiam obseruauit Alex. Potest igitur sic magis in communi describi: *Quantitas est quæ constat ex partibus, in quas diuidi potest.* Ex quo sequitur, rationē formalem quantitatis esse, constare ex partibus quantitatiuis, seu integrantibus, ex quo postea fit, tum vt quantitas extendi possit in ordine ad locum & situm, quæ appellatur extēsio situalis & localis, prior verò extensio intrinseca & formalis, quas tamen nonnulli dicunt esse rationes formales quantitatis. Propriè igitur solis rebus materialibus conuenit dici quanta, ratione huius accidentis, substantia autē secundum se sumpta solum metaphoricè quanta dicitur; vel quanta, quātitate virtutis & perfectionis, non autem quantitate molis. Vnde D. Aug. 6. *de Trin. cap.* 8. In his, inquit, quæ non mole magna sunt, idem est melius esse quod maius esse.

Quantitas quid sit?

Notandum quarto. An quantitas sit genus vniuocum ad continuum & discretum, pendet ex illa quæstione, an Numerus sit aliquid reale & quid distinctum à numero transcendentali? Denique an detur talis quantitas discreta? Si enim id affirmetur, dicendum etiam consequenter erit esse quantitatem genus vniuocum; nam vtriq; conuenit formalis ratio quantitatis, scilicet esse id, quod ex partibus constat. Quare non est vera opinio Auer. dicentis 1. *Met.t.* 40. & 1 *post.t.* 74. & 83. & *quæsito* 5. *Logicæ*. Quantitatem de continua & discreta dici æquiuocè. Tunc autē dicendum erit, Numerum esse nō partes sectunctas, neque vnitatem vltimam, vt quidam Thomistæ voluerunt; nam poterit quiuis, prout voluerit, quamlibet vnitatem vltimo loco ponere. Nec denique, vt alias opiniones omittam, non est dicēdum, rationem formalem numeri esse maiorem vel minorem accessum vel recessum ad vnitatem; hoc enim est quid negatiuum, aut certè quid per accidens & materiale. Quarè ratio formalis erit vnio quædam & collectio plurium vnitatum. Vnde Boet. *cap.* 3 *Arith.* Numerus, inquit, est collectio plurium vnitatum, in vnam eandemque formam. Et Arist. 5. *Met. t.* 9. Non est, inquit, senarius bis vel ter, sed semel sex. Quod si Burl. significare voluit, dicens, non esse quærendum quænam sit forma Numeri, cum ipsemet sit forma quædam, bene dixit: Alioqui non potest esse verum, ita Numerum esse formam, vt non constet etiam ex alia parte essentiali, quæ se habet vt materia. Porrò ex numeris quidam appellatur numerans, & est impropriè numerus; nam significat animam ipsam, seu rationem numerantem. Alius dicitur numerus numeratus, & sunt res ipsæ quę numerantur. Denique est numerus quo numeramus, & est species ipsa quantitatis, quæ species etiamsi vt assumatur ad aliquid mensurandum, pendeat necessariò ab intellectu, nō tamen secundum rationem formalem à nobis dictā. Et hæc dicta sint secundum vulgatem opinionem.

Numerus quid.

Numerus triplex.

Notandum quinto. Ex partibus Quantitatis in communi, aliquæ dicuntur esse *aliquotæ*, aliæ *non aliquotæ*; seu, aliæ sunt *dimetientes*, aliæ *non dimetientes*. Primæ illæ sunt, cum ex sui replicatione totā totius quantitatem explent, vt in numeris, binarius est pars aliquota senarij, quia ter sūptus binarius, explet senarium. Eiusdem quaternarius vel quinarius non est pars aliquota, quia si aliquoties sumatur, superabitur senarius. Præterea aliquæ partes dicuntur esse *communicantes*, aliæ verò *non communicantes*, siuè *proportionales*. Communicantes sunt partes aliquot determinatæ, ex quibus cum sint tot, & nō plures, coalescit tota quantitas; vt senarij partes communicantes sunt omnes vnitates; In quantitate trium cubitorum, omnes tres cubiti sunt partes communicantes. Partes non communicantes sunt, quæ minores & minores semper in infinitum in quantitate sumuntur: Vt si diuidatur quantitas trium cubitorum in duas dimidietates,

sursus

rurſus vna dimidietas in alias duas partes, & ſic in infinitum. Et hoc modo omnis quantitas continua finita, eſt infinita, ratione partium non communicantium, ſeu proportionalium; quia in infinitum diuiſibilis eſt, finita autem eſt ratione partium communicantium, quia has finitas habet & determinatas.

Notandum ſexto. Quantitas rerum incorruptibilium & corruptibilium eſt eiuſdem rationis, ſunt & pleraque alia accidentia vtrorumque, vt tenet magis communis opinio, contra Auer. *li. de ſubſtantia orbis.* Quamuis ergo quantitas cœli non ſit de facto diuiſibilis, niſi à ſolo Deo; eſt enim incorruptibile cælum, tamen habet verè rationem quantitatis, quia ex ſe & natura ſua diuidi poteſt.

Notandum ſeptimo. Quantitatis continuæ ſpecies hæ ſunt ſine controuerſia: *Linea, ſuperficies, & corpus* Eſt autem dubitatio de *loco*, *tempore motu.* & *pondere*. Sic etiam quantitatis diſcretæ ſecundum communem opinionem, ſpecies eſt *numerus*, dubitandum autem eſt de *oratione*, de quibus omnibus ex profeſſo nihil hoc loco dicã, interim tamen teneatur communis opinio de Numero. Quod autem attinet ad Orationem, non videtur eſſe ſpecies quantitatis, quia vel in ea ſpectatur temporis quædam mora, in proferendis longis aut breuibus ſyllabis, & hoc referẽdum eſt ad tempus; vel habetur ratio plurium ſyllabarum, ex quibus componitur oratio, & hoc ſapit naturam Numeri. Quod ſi dicas, ſyllabas antequam actu proferantur, eſſe in ſe longas, vel breues: Reſpondeo. Vel eſſe huiuſmodi quatenus ordinem dicunt ad tempus, cuiuſmodi etiam eſt actio; vel motus. Vel etiam non conuenire hoc ſyllabis ex natura ſua, ſed ex hominum impoſitione, de qua te in lib. *de Interpretat.* Prætetea motus nõ differt à termino ſuo, ſed ex illo habet ſuam ſucceſſionem. Sic etiam tempus eandem habet à motu. Denique pondus non differt à grauitate, vel leuitate, quæ ſunt ſpecies quædam Qualitatis, vt docet Alex. hic. Quare Ariſtot 5. *Met. t. 18.* enumerans ſpecies Quantitatis, non ponit inter illas Orationem, nec Pondus, nec etiã Locum: is enim extrinſecè tantum differt a ſuperficie, de quo Ariſtoteles ſub hac ratione 4. *Phyſ.* hic autem, vt vult Burl. ſecundum vulgi opinionem, prout ſumitur locus pro ſpatio. Ibidem etiam dicit Ariſtot. Motum & Tempus eſſe quanta per accidens ad modum explicatum.

Notandum octauo Linea dicitur eſſe Lõgitudo ſine ſuperficie; Superficies, longitudo & latitudo ſine profunditate; Corpus, & longitudo, & latitudo, & profunditas; vnde appellatur trina dimenſio. Quæ definitiones ortum habuerunt ex eo quod Mathematici confinxerunt, & tribuitur Platoni ab Ariſtotele 1. *Poſt. ca.* 4. Lineam fieri ex fluxu puncti, ſuperficiem ex fluxu lineæ ſecundum ſuam longitudinem, non in rectum protenſam, ſed a dextra parte ad ſiniſtram. Corpus denique ex fluxu ſuperficiei, verſus terminum inferiũ. Quod etiam teſtatur Auer. 1. *poſt. in explic. Modorum per ſe.* Alij autem putant has definitiones non eſſe exactas, ſed potius accidentales deſcriptiones, vt P. Ven. & Philop. 1. *Poſt.* t. 9 dicit eſſe falſum quod ibidem ab Ariſtotele dicitur, Punctum eſſe ſubſtantiam lineę, & fuiſſe tantum poſitum exempli loco, & potius hãc eſſe definitionem lineæ: *Linea eſt quantitas continua ſecundum vnum modum diuiſibilis.* *Linea, Superficies, Corpus.*

Cæterum obſeruandum eſt, Corpus tria potiſſimum ſignificare. Primo compoſitum ex materia & forma, quod eſt ſpecies ſubſtantiæ completæ, vel etiam ſummum genus, ſecundum alios. Secundo ſumitur pro materia, ſeu patre materiali viuentis, quod componi dicitur ex corpore & anima, & hoc modo eſt incompleta ſubſtantia. Tertio, pro trina dimenſione, & eſt ſpecies propria quantitatis. *Corpus tria ſignificat.*

Notandum nono. Cum dicitur Quantitas continua habere partes termino communi copulatas, non eſt neceſſe ex eo inferre, eſſe in Quantitate continua vel terminos indiuiſibiles, vel partes actu diſtinctas. Poteſt enim intelligi Ariſtotel. ſecundum communem loquendi modũ, quo perinde iſta concipimus, atq; ſi reuera in quantitate eſſent; quod dico propter quoſdam

Ee qui

qui hoc negant, in quibus videtur esse Porph. hoc loco, etsi nobis opposita sententia videatur probabilior.

Notandum decimo. Quantitas non tantum dat substantiæ extensionem, sed ipsa etiam illam quodammodo in se retinet, nam habet Quantitas partes extra partes, quam nos appellauimus extensionem intrinsecam & formalem. Ex quo sequitur, Quantitatem habere quandam rationem substantiæ & subiecti, propter quam potest esse loco substantiæ in sustentandis alijs accidentibus, vt patet in hostia consecrata. Sequitur etiam, posse vnam quantitatem denominatiuè appellari *quantum*, quod non est in alijs accidentibus: nec enim dicimus albedinem esse coloratam, sicut dicimus lineam esse quantam. Vult tamen hic Burl. hanc non esse propriè dictam denominationem, quia ex Aristotele 1. *Top. cap.* 4. nullum genus prædicatur denominatiuè de sua specie; vnde, inquit, hæc denominatio potius est secundum vocem, quam rem, ita vt sensus sit, *Lineam esse quantam*, non quod habeat quantitatem tanquam accidens suum, sed quia cum ipsa etiam partes habeat, quanta esse dicitur. Eadem videtur esse sententia Stapul. Videtur nihilominus esse dicendum, hanc denominationem nō fieri propriè ob rationem formalem Quantitatis, quæ denominatiuè dicatur de suis speciebus, sed tantum ratione passionis cuiusdam Quātitatis, quæ est extensio quædam extrinseca, vel partium distantia ab inuicem; nam propriè dici aliquid denominatiuè, est dici ratione alicuius quod alteri accidat.

Notandum vndecimo. Circa illam diuisionem quantitatis constantis ex partibus habentibus positionem, & non constantibus, Positio, secundum Alb. tria significat. Primo, Respectum & ordinē ad id ratione cuius dicitur positio; & sic est Relatio quædam. Secundo, Significat ordinationem ipsam partium in ordine ad totum; & sic pertinet ad Quantitatem. Tertio, Dicit ordinem partium in ordine ad locum, & partes loci; & sic est Situs.

Notandum vltimo, Circa vltimam diuisionem Quanta per accidens dupliciter dicuntur apud Aristotelem 5 *Met. t.* 18. Primus est ille cuius hic meminit, vt dicatur aliquid quantum, quia est in subiecto quanto; sic enim dicitur esse multum album, quia multum est superficies alba. Secundo, quando aliquid diuiditur ad diuisionem per se quanti, ita vt sit veluti illius passio quædam. Hoc modo Motus & Tempus ab Aristotele ibidem dicuntur esse quanta; nam motus est idem cum ipso termino, & ab eo, vt dictum est, habet successionem suam, & diuisibilitatem; tempus autem à motu, cuius etiam passio quædam est.

SECVNDA PARS *Capitis.*

EXplicat hic Aristoteles quantitatis proprietates. Prima est: *Quantitati nihil est contrarium.* Et quidem, inquit, in quantitatibus definitis & determinatis id apparet; bicubito enim, verbi gratia, nihil est contrarium. Indeterminatæ verò qualitates, videntur illæ quidem inter se esse contrariæ, sunt tamen potius in prædicamento Ad aliquid: nam dicitur aliquid magnum, aut paruum in comparatione vel relatione ad aliud. Alioqui si propriè hæc essent contraria, vnum & idem contraria reciperet, imò vnum idemque sibi esset contrarium: nam res vna si cum alia confertur, magna; si cum alia, parua est; & idem est de multo & pauco, nam, inquit, Athenis dicentur esse multi, foris autem in campo dicentur esse pauci.

Secunda Proprietas. Non recipit quantitas magis vel minus. Probat inductione in quantitate continua, fluente, & permanente, & in quantitate etiam discreta.

Tertia Proprietas: quam maximam vocat: *Vt secundum quantitatem dicantur res esse æquales, vel inæquales*; nam id, inquit, non est reperire in alijs rebus quę nō sunt quantitates, non enim dicitur album nigro æquale, vel inæquale; sed simile, vel dissimile.

EXPLI-

EXPLICATIO VERBORVM.

SED *nihil est quod videatur simul contraria recipere posse.*) Hinc ortum est illud axioma: *Nihil posse simul & semel in se contraria admittere.* Ex quo colligitur id quod paulò ante *cap. de substantia* dicebamus, Substantiam posse contraria recipere non simul, sed successiuè, quod etiam Aristoteles hic expressit. Intelligi autem id debet de contrarijs in gradibus extensis, ratione quorum solum est propriè contrarietas, & de potentia Dei ordinaria: fortassè enim nihil vetat posse Deum in vnum & idem subiectum contrarias qualitates conijcere.

Quæ enim plurimum à se inuicem distant) Notandus est hic locus, quia ex eo colligi solet contrariorum definitio; dicuntur autem esse ea quæ sub eodem genere maximè distant, quibus verbis addi debet, *vt sese mutuo expellant.* Quamuis autem contrarietas ratione nominis maximè reperiatur in locis propter eorundem distantiam, non tamen te ipsa maxima contrarietas in ipsis est, imò verò non est propriè contrarietas, nec semper nomen id maximè significat, vnde deriuatum est.

Proprium autem maximè quantitati est, quod æquale & inæquale dicitur.) Argyrop. legit: *Proprium quantitatis est maximè æqualitas & inæqualitas vt hæc æquale vel inæquale dicatur.* Quæ lectio rem quidem magis explicat, non est tamen ita textui consona sicut præcedens. Voluit autem, vt videtur, alludere Argyrop. ad id quod de qualitate dicit Aristoteles, Esse proprium Qualitatis, *simile* vel *dissimile* dici secundum ipsam.

Notanda.

NOtandum primo. Paucas Aristoteles quantitatis proprietates persequitur, tot enim satis erant Logico, & quæ de quantitate dicuntur, satis erãt obuia vulgo, quoniam, vt plerisq; in locis testatur, solebant pueri in primis Mathematicis imbui. Duæ autem primæ proprietates eædem sunt cum illis quas attribuit Arist. substantiæ. Et quidem quod ad primam attinet, Quantitati nihil esse contrarium, intelligi debet de propria contrarietate, non autem de Metaphysica, quæ est per oppositas differentias, vt hoc et am loco notat Simpl. Obijcit tamen Arist. sursum & deorsum videri esse contraria, ad quod nihil respondet. Respondet autem Herm. apud Porph. Simplic. & Auer. hæc *sursum, deorsum ante, retro &c.* conuenire Vbi, non autẽ Loco, & prætetea 4. *Phys. t.* 4. & 44. dicit contraria corpora moueri ad contraria loca. Respondendum igitur est: Siue de Loco, siue de Vbi sermo sit (probabile enim est hæc duo ad vnum prædicamentum spectare) sursum & deorsum, dextrũ & sinistrum &c. non esse contraria, sed relatiua; nam vnum & idem potest dici esse sursum & deorsum simul; & vt ante dictũ est, ad contraria non sufficit quæuis distãtia, sed opus est vt se illa mutuo expellant, vt patet ex 1 *Phys. t.* 41. & *lib.* 8. *t.* 64. vt etiam dicemus *de oppositis.* Dicuntur tamen alio modo loca contraria, propter contrarias qualitates quæ in ipsis sunt.

Notandum secundo. Quantitas potest dici habere aliqua contraria ratione quarundam qualitatum, quæ propriè ipsi quantitati tribuuntur; quomodo dicitur quantitas longa vel breuis; recta vel curua, quamuis prima illa potius sint relatiua quædam, hæc autem posteriora qualitates, vt testatur Porphyr. Simplicius & Ammonius. Nec dissentit Boëtius, quem vult Burl. sentire hoc. Est autem obseruandum, longum & magnum, & multum dupliciter sumi posse. Primo vt longum dicit dimensionem quandam, vt dicitur linea esse longitudo, siue latitudo, & sic longum absolutè est quantitas, non autem relatiuum, sic enim linea quæuis dicitur longa, etiam minima. Secundo, vt dicit excessum quendam oppositum breui, seu curto, & sic est quid relatiuum. Eodem modo *Multum* accipi potest vt significat pluralitatem oppositã vnitati, & sic est ipsamet quantitas absoluta discreta. Quomodo etiam minimus numerus dicitur multus. Tertio, vt dicit excessum quendã, & oppositionẽ *Paruo*, &

sic est relatiuum. Denique eadem ratio est de Magno, prout vel significat id quod opponitur Indiuisibili, dicitque indiuisibilitatem in Quantitate continua, & sic est ipsamet quantitas continua absoluta; vel quatenus dicit excessum quendam oppositum Paruo, & sic dicit aliquid relatiuum. Lege D. Thom. 5. *Met. lect.* 13.

Notandum tertio. Secundæ proprietatis eadem ferè ratio est quæ primę; nam propriè loquendo, non dicitur vna quantitas magis quantitas quam alia, sed maior, quo tamen loquendi modo ob nominum penuriam etiam vtimur in qualitatibus ipsis in abstracto loquendo, non tamen in concreto: nec enim sicut dicimus aliquid esse magis calidum, vel minus, ita dicimus omne magis quantum, vel minus, sed maius aut minus quantum.

Obijcies. Sicut per alterationem seu mutationem in qualitate acquiritur qualitas aliqua intensior, ita etiam per rarefactionem acquiritur quantitas intensior. Ita D. Thom. *prima secundæ, q.* 52. *art.* 2. *ad primum*, dicens, in magnitudine duplex esse augmentum. Primum per additionem subiecti ad subiectū, id est, materię quantæ. Secundo per solam intensionem, absque omni additione, sicut, inquit, in his quæ rarefiunt. Idem habet *secunda secundæ, q.* 24 *art* 5. *ad primum*. Respondeo: Pendet solutio obiectionis ex quęstione physica, quidnam per rarefactionem acquiratur. D. autem Thom. videtur sentire nihil quantitatis nouæ acquiri. Sed quicquid sit de hac re, durior videtur esse hic loquēdi modus, egetque aliqua explicatione, de qua suo loco; Tamen hunc modum & terminum ipsam sequitur Zoaf. hoc loco.

Notandum quarto. Circa vltimam proprietatem. Hæc æqualitas solum reperitur inter Quanta & inter Plura; vnde fundamentum æqualitatis, quæ formaliter Relatio est, est Quantitas, & quamuis vna quantitas nō diuisa reperiretur, huic tamen hæc proprietas conueniret, tum in ordine ad aliam quantitatem quæ cōmunicari posset, vel etiam huic quantitati hæc proprietas in ordine ad partes eiusdē quanti inter se. Solet tamen æqualitas etiam de alijs rebus minus propriè dici, quæ videlicet sunt eiusdem perfectionis, quam etiam Theologi vnà cum D. Aug. non negant esse in personis diuinis.

Notandum quinto. Præter has proprietates qualitatis est, vt dicatur *Quantitas esse diuisibilis*, quam diuisibilitatem ita intelligit Soto, vt quantitas extendendo substantiā tribuat illi partes extra alias partes, non autem quod possit res quantitate prædita diuidi. Sed non videtur in hoc consistere diuisibilitas; tum quia tribuere substantiuo partes, fatente etiam Soto, est ipsamet ratio formalis Quantitatis; tum quia hoc ipso q̄ Quantitas tribuit partes, sequitur quod res illis partibus constans, in eas possit partiri. Vnde Arist. 5. *Met. t.* 18. Quantitatem dixit esse eam, quæ diuisibilis sit in eas partes, ex quibus constat. Et *in* 6. *Phys.* pluribus docet, Quantitatem posse diuidi. Nec valet ratio quæ Sotum adduxit in suam sententiam, quia cœli quantitas diuidi non potest; intelligenda enim est hæc proprietas de diuisibilitate non quæ actu fiat, sed quæ ex natura sua fieri possit, seu, vt ait Caietan. 1 *p. q.* 7. *ar* 3. per non repugnantiam, vel vt non repugnet Quantitati, quantum est ex se, actu etiam diuidi, ac propterea posset Deus cœli quantitatem realiter diuidere.

Notandum sexto. Alia etiam proprietas est, vt dicatur res aliqua *esse finita, vel infinita*; nam habere fines & terminos propriè dicitur de rebus quantitatiuis, quamuis etiam transferri soleat ad alias res. Verum Quantitas debet habere hoc proprij, vt secundum illam dicantur res esse infinitæ, non absolutè loquendo, sed conditionaliter, hoc est, si possit in rerum natura reperiri aliquid infinitum, id habere à quantitate, quod tamen reperiri posse negat Arist. 3. *Phys.* Quare cum dicit Arist. 1. *Phys t.* 15. Si esset principium rerum naturalium infinitum, id fore propter Quātitatem, loquitur conditionaliter, & contra Melissum, cuius sententia erat, Principium rerum naturalium esse substantiam infinitam, & esse vnum quid tantum, contra quem argumentans Aristoteles dicit sequi, non futurum vnum quid hoc principium,

cipium, sed simul substantiam & quantitatem, quia, inquit, ratio infiniti non vititur substantia, aut quali, sed quantitate. Sic etiam loquitur Arist. *lib. de lineis insec.* dicens, lineam infinitam, si detur, veram lineæ & quantitatis rationem esse habituram. Et sic etiam loquitur D. Thom. *1.p.q.7 art 3.*

Notandum vltimo. Proprietas Quantitatis est alia, vt dicatur *esse mensura*, id est, vt possit assumi ad aliquid mensurandum; nam actualis mensuratio pendet ex intellectu & actione extrinseca. Requiritur autem ad mensuram, vt mensura habeat proportionem & adæquationem quandam cum re mensuranda, & ideò dicitur mensura maximè reperiri in vnitate, quia proportio cōsistit in vnitate quadam, & quia etiam mensura solet fieri per replicationem vnius & eiusdem, quo pacto hora vel vlna solemus metiri tempus, & alia, quæ etsi sint secundum se diuisibilia, tamen ratione mensuræ dicuntur etiam indiuisibilia, quia consistunt in indiuisibili, hoc est, nec debent plus iusto excrescere, nec diminui, vt possint adæquatè mensurare rem.

IN CAPVT DE *Relatione*.

ARistoteles 5 *Met. text.* 18. disputat de Qualitate ante Relationem, & Architas etiam, teste Simplicio, fortasse quia Qualitas nobilius accidens est quam Relatio; hæc enim, vt ait Auerr. 12. *Met. t.* 19. est minimæ cuiusdam & exilis entitatis: tamen prius Arist. hoc in loco de Relatione differit, quia multa de Relatione in præcedentibus capitibus, & præsertim capite de Quantitate. Et quia etiam rem affectam quantitate statim consequuntur relationes quædam, æqualis, inæqualis, magni, parui &c. Quare quia toto genere prior est Relatio quam Qualitas (nā prius consequitur Relatio Quantitatem, quam Qualitatem) ideò meritò de Relatione ante Qualitatem agitur. Vbi etiam patet, rectè à Simplicio refelli Andronicum, qui Relationem vltimo loco post post omnia prædicamenta ponebat, quia volebat Relationem tantum esse habitudinem quandam extrinsecam, consequētem omnia prædicamēta, quod illius fundamentū falsum est, vt videbimus. Huius capitis sunt duæ partes: In prima ponit definitionem Relatiuorum, & eorum quasdam proprietates. In secunda, proposita quadam dubitatione, affert meliorem definitionem, subiecta etiam alia proprietate.

PRIMA PARS CAPITIS.

AD aliquid, inquit Aristoteles, *dicuntur, quæ illud ipsum quod sunt, dicuntur esse aliorum, vel quomodocunque esse ad alterum*, vt maius dicitur respectu alterius maius. Secundo, Ponit primam proprietatē ibi: *Inest autem &c. Relatiuorum alicui aliquid inesse potest contrarium*, non *tamen omnibus*: vt Simile & Dissimile contraria sunt, duplo autem nihil videtur esse contrarium. Sic etiam virtus vitio contraria est. Tertio, Secunda proprietas est ibi: *Videntur autem &c.* Vt *relatiua magis & minus possint suscipere*, vt simile & dissimile. Quod etiā non omnibus conuenit, vt duplo non est quid magis duplum. Quarto, Tertia proprietas, ibi: *Omnia autem &c.* Vt *relatiua dicantur ad conuertentia*; Vt seruus domini seruus, & dominus serui dominus. Vt autem hæc proprietas possit in Relatiuis rectè inesse, notat primo Arist non fieri aliquando hanc reciprocationem in eodem casu; non enim sicut dicimus scientiam esse scibilis scientiam, ita dicimus scibile esse scientiæ scibile, sed scientiā scibile. Secundo, debet fieri recta & idonea assignatio, vt Relatiuo *ala* non debet assignari *auis*, nam multa alas habent quæ non sunt aues, sed assignari debet alatum. vt dicatur ala esse alati ala. Tertio, cum deest proprium nomen, debemus ipsi nouum excogitare; vt capiti non debet assignari pro correlatiuo animal: multa enim animalia capite carent, sed capitatum, vt dicatur caput capitati caput. Quarto, si fuerit data hæc recta assignatio, tum fiet reciprocatio, alias verò non, vt seruus non dicitur hominis seruus, sed domini; quia

etiamsi verum sit seruum esse hominis seruum, non tamen verum est hominem esse serui hominem. Et cõfirmatur, Quia posito correlatiuo in recta assignatione, & ablato quocunque alio, verè cernitur inter illa reciprocatio & relatio; illo autem dempto, quibusuis alijs positis non est ista reciprocatio, vt si auferas respectu Serui, Dominum. Quinto. Quarta proprietas est ibi: *Videndum autem &c.* Vt relatiua sint simul natura. Quod tamen non in omnibus cernitur; non enim scientia & scibile, sensus & sensibile sunt simul natura. Primo, Quia antequam de re habeatur scientia, sunt multa scibilia, vt patet in nobis pueris & grandioris ætatis factis. Secũdo, Quia ablato animali, in quo videlicet solo esse potest scientia, remanent adhuc multa scibilia. Tertio, Ablato scibili, aufertur scientia, sed non contra, vt quadratura circuli est scibilis, necdum tamen ab vllo habita est illius scientia. Idem probat Aristot. in sensu & sensibili, quia multa sensibilia sunt, antequam sit animal, & ablato animali & sensatione non tollitur sensibile.

EXPLICATIO VERBORVM.

AD aliquid &c.) Clarior est definitio quam habet Perionius: *Ea cum aliquo conferuntur, quorum vis omnis atque natura refertur ad alia, aut quoquo modo cum alio conferuntur.* Alb. autem, P. Ven. Caiet. & alij vim magnam ponunt in his verbis. Alber. enim illa dictione *Talia*, significari vult solum fundamentum Relationis esse posse accidens, de qua re dicemus in disputatione.

Vel quomodolibet alter ad alterum.) Quidam his verbis innui volunt, aliqua esse ex Relatiuis quę non dicantur esse aliorũ in genitiuo casu, de qua re etiam postea.

Sunt autem & accubitus.) Quia meminerat Arist. positionum, enumerat illarũ species, quæ sunt: *Accubitus, sessio, statio*, & dicit illas in abstracto esse relationes: sic enim melius referri intelliguntur ad subiectum; in concreto autem spectare ad prædicamentum situs. Potest enim, vt hinc colligunt Porph. & Simpl. vna & eadem res secundum diuersas rationes in distinctis prædicamẽtis collocari; sed nos dicemus de hac re in prædicamento *Situs*.

Vt seruus domini seruus.) Significantius vertit Argyro. *Seruus heri seruus*, nam dominus dicitur etiam in ordine ad quasuis res quæ possidentur. Vnde Virg.

Romanos rerum dominos &c.

Et dictio δεσπότης propriè tantum dicitur in ordine ad seruum.

Sed eo quod alata est.) Græcè est πτερωτόν, quarè malè Argyrop. vertit, *eo quod alitis ala est*; nam Ales est nomen absolutum, non autem denominatiuum.

Vel hominem) id est, etiamsi fingas auferri à domino vt sit homo, adhuc tamen habebit relationem ad seruum, quia non in quantum homo refertur ad seruum; & hoc loquendi modo non Aristoteles, sed etiam vulgò vti solent Philosophi ad inuestigandam rei alicuius quidditatem; supponit enim vnum ab alio auferri cogitatione saltem, etsi re ipsa non possit, vt cognoscatur quidditas esse independens ab alia re.

In paucis enim vel nullo.) Id est, vel nunquam, vel raiò potest esse scientia & scibile simul. Circa quæ verba, primo quod attinet ad exempla de scientia & scibili, sensu & sensibili, an ista secundum veritatem & Aristotelem sint propriè relatiua, dicemus in disputatione. Secundo vult Boëtius & Ammonius hæc verba ab Aristotele fuisse posita propter figmenta & Entia rationis, quæ simul sunt cum scientia, quæ de ipsis haberi potest, quia nunquam sunt nisi dum cognoscuntur; quia tamen quodlibet obiectum in quantum obiectum est natura saltem præcedit cognitionem & actum qui circa illam versatur, ideò dixit Aristoteles *Vel in nulla*; & ita Ens rationis sub ratione obiecti præcedit quodammodo cognitionẽ ipsam. Albert. hæc verba refert ad scientias practicas, cum quibus simul sunt res quę cognoscuntur; vt cum scientia de domo facienda, ipsamet domus cognita. Imò etiam, secundum alios, præcedit aliquãdo scientia

ſcientia ſcibile, cum nimirũ aliquid proprio marte de nouo inuenitur; vt ſcientia de naue fabricanda prior eſt quam hoc ſcibile, nempè nauis fabricabilis: non poteſt tamen negari, quin ſemper aliqua ratione cognitionem omnem intellectus obiectum ipſum antecedat, vt in hoc exemplo; Tabula aliqua ſuper flumen enatans. Simplicius & alij Græci volunt hęc verba dicta eſſe propter Angelos, qui cum ab æterno fuerint, ſecundum Ariſtotelem, ſimul in illis fuit ſcientia cum rebus ſcibilibus. Quod etiamſi ſequamur fidem de conditis in tempore angelis, hac ratione verum eſſe poteſt, quia vel fuerunt conditi ante hunc mundum, vt quibuſdam placet, & illis impreſſæ fuerunt à Deo imagines rerum omnium; vel certè eodem tempore cum alijs rebus omnibus, & ſic etiam illis fuerunt congenitæ hæ ſpecies, vt rectè D. Thom. *op. contra Scot.*

Vt circuli quadratura, ſi eſt ſcibilis.) Quadrare circulum eſt reperire in aliquo quadrangulo aream æqualem areæ circulo. Non eſt autem inuenire quadrangulum, quod coaptetur circulo; hoc enim fieri nequit in figuris diuerſæ ſpeciei, etiam rectilineis, quas tamen quadrari poſſe docet Eucl. 2. *lib. Prop. 14.* eſt autem quæſtio grauis apud Mathematicos, tum an poſſit quadrari circulus, ſeu fieri tetragoniſmus; tum etiam an de facto fuerit inuenta tetragoniſmi demonſtratio. Quod ad primum attinet, nihil affirmat, ſed tantum ſub conditione loquitur; ſi ſcibilis eſt. Exiſtimarunt autem quidam non eſſe poſſibile, propter loca quædam Ariſtotelis 7. *Phyſ. t. 2. & 3.* vbi dicit, lineam rectam curuæ adæquari non poſſe. Et Ammonius apud Simplicium 1 *Phyſic. t. 11.* in hac videtur eſſe ſententia. Zimara *in contradict. in textum decimum, 12 Metaphyſic.* ſentit, Mathematicè quidem poſſe id demonſtrari, non autem phyſicè. Ariſtoteles planè videtur ſentire eſſe poſſibile; 1. *Phyſic. t. 11.* In libro autem ſeptimo ſolum aſſerit non fieri rectam comparationem, niſi inter res eiuſdem ſpeciei, vt alio etiam loco diximus, cuiuſmodi non ſunt linea curua & recta. Quod ſpectat ad ſecundum, Ariſtoteles pleriſque locis memorat Antiphontem, Hippocratem, & Briſonem fuiſſe conatos id demõſtrare, vt 2. *Pr. cap. 31.* 1 *poſt. t. 23.* 1 *Ele. c. 4. 10.* 1. *Phyſ text. 11.* Boëtius dicit iam ſua tempeſtate fuiſſe inuentum tetragoniſmum. Iamblichus apud Simplicium 1. *Phyſ. t. 11.* idem ait. Noſtro etiam tempore Orontius Delphinas profeſſus eſt ſe id demonſtraſſe, etſi reuera non ſit aſſecutus. Lege Ioannem Buteonem libro *De quadratura circuli*, & Pererium *lib 10 de principijs naturalium.*

Amplius, animali ſublato.) Id eſt: Non erit ſcientia, ſi tollatur de medio animal, in quo eſt ſubiectiuè. Hęc eſt clara verborum Ariſtotelis intelligentia, quę obſcura reddidit Argyrop. verſio, dum plura interſeruit quam in ipſo textu ſunt. Ex hoc autem loco quidam, vt notat Faber, collegerunt, ſecundum Ariſtotelem, animam noſtram eſſe mortalem, quia videlicet Ariſtoteles dixit, pereunte animali, perire ſcientiam, quaſi velit, facta diſſolutione animæ à corpore, non amplius ſupereſſe animal, in qua tamen inhæſiuè eſt ſcientia. Sed quicquid ſit de mente Ariſtotelis, quod ad immortalitatem animæ ſpectat, hic locus non euincit. Dubitant enim etiam inter Catholicos, an remaneat in anima ſeparata à corpore ſciẽtia, quæ acquiritur hic. Et quamuis probabilior ſit opinio quæ id aſſerit, tamen hoc modo non remanet ſcientia, quæ prius erat, nempè quo ad vſum ſcientiæ, qui eſt per organa corporea, & phantaſmata. Adde quod aliquando appellatur animal quicquid eſt viuens, etiamſi non ſit compoſitum ex corpore & anima.

Ignis enim, & aqua, & alia huiuſmodi, ex quibus ipſum animal conſtat.) Non dicit Ariſtoteles actune, an poteſtate animal conſtet ex his elementis: de hoc enim eſt grauis quæſtio apud Phyſicos.

Notanda.

NOtãdũ primo. Pauciora hic nobis erũt obſeruãda, quia inſtituim' diſputationem

nem de Relatione seorsim inire, propter maximam tum difficultatem, tum etiam multam ad Philosophiam necessitatem. Est igitur tantum obseruandum quod necessarium est ad intelligentiam Aristotelis. Inscripsit Aristot hoc caput: *De his quæ ad aliquid*, à qua locutione ne Quintilian. quidem abhorret. Posuit autem in plurali, quia, vt inquit Boëtius & Ammonius, Non potest relatio nisi ad minimũ inter duo reperiri. Alb. & apud illum Alex. dicunt, Platonem, sicut primus hoc prædicamentum ab alijs distinxit, ita etiã huius appellationis authorem primum fuisse. Inuenitur nihilominus aliquando hoc prædicamentum in singulari expressum, quod contra Porphyrium Achaicũ, Iamblichum apud Simplicium & Ammoniũ ex ipsomet Aristotele & Archita probat. Ratio etiam est, quia quodlibet prædicamentum est quid vnum, Ergo potest vno nomine explicari.

Notandum secundo. Definitio hæc quæ initio ponitur, est Platonis, si Porphyrio & Boëtio credimus; nam id negat Simpl. asserens definitam fuisse Relationem non per dici, sed per esse; itaque eam, quæ hoc loco habetur, esse illam quæ Aristotelis tempore vulgò circumferebatur.

Notandum tertio. Affert Arist. exempla Relatiuorum tum in quantitate, tum in qualitate. Primo, vt ostendat plura esse relatiuorum fundamenta. Secundo, quia relatiua varium habent modum habitudinis & Relationis ad aliud, qui varijs etiam exemplis explicãdus fuit; siquidem primo quædam inter se referuntur in eodem casu, vt dimidium est dupli dimidiũ, & contra, duplum est dimidij duplum. Secundo, alia referuntur secundum diuersos casus; vt scientia est scibilis scientia, non autem scibile est scientiæ scibile, sed sciẽtiã. Tertio, aliæ referuntur secundũ nullum casum, vt magnum non dicitur parui magnum. Quarto quædam referuntur secundum idem planè nomen; vt simile est simili simile, & hæc vltima appellantur à Philosophis *Relatiua æquiparantiæ*, alia autem *disquiparantiæ*, de quibus in disputatione.

Relatiua æquiparantiæ.

Notandum quarto. Cum Aristoteles in hac prima parte Capitis non fuerit secundum propriam sententiam locutus, hinc est quod etiam proprietates, sicut & definitionem secundum vulgi opinionem attulerit, vt vult Ammonius. Et quidẽ quod ad primam spectat, Relatiuis nõ propriè aliquid dicitur esse contrarium, quod expressit Aristoteles *in cap. præcedenti*, dicens Magnum & Paruum non esse contraria, sed relatiua. Et ratio illius eodem loco optima est, quia vnum & idem habet oppositas relationes, cum tamen contraria simul recipere nequeat. Denique nõ sunt Relatiua actiua, ita vt se expellere mutuo possint, imò nulla actio vel motus est propriè ad Relationem tanquam ad terminum primarium, vt docet Aristoteles 5. *Phys. t.* 10. dicens, non produci Relationem, sed comproduci. De secunda proprietate eadem ferè ratio est, nam non recipiunt propriè loquendo, Relatiua magis & minus, nisi fortè ratione fundamentorum, quo etiam modo vni relationi alia contraria est, vt similitudo inter alba, similitudo inter nigra. Quare concludit Ammonius has duas proprietates potius fuisse adductas ab Aristotele tanquã quædam incommoda consequentia ex definitione tradita quam quod essent veræ & propriæ affectiones. Dici etiam potest cum definitio illa conueniat quibusuis Relatiuis, etiam secundum dici, & transcendentibus, posse Relatiua tum suscipere magis & minus, tum esse illis aliquid contrarium. Vnde Arist. exemplum attulit in virtute & vitio.

SECVNDA PARS Capitis.

Occasione cuiusdam dubitationis, affert Aristoteles hic legitimam Relatiuorum definitionem. Dubitatio autem est, si vera est allata definitio, sequitur, Substantiam ad aliam substantiam referri; hoc autem est falsum; quasi dicat, quia relatio est accidens. Quod autem illud sequatur, probat; nam substantia aut est prima, vel singularis, aut est secunda, vel vniuersalis, Rursum vel est completa, vel incom-

incompleta, hæc est, aut significat substãtiam perfectam, aut partem substantiæ, tum primæ, tum secundæ, quę proportionaliter appellentur prima & secunda substantiæ. Prima substantia completa est, vt *Petrus*, prima substantia incompleta est *quædam manus, quoddam caput*. Et quãuis non referatur ad aliud vel prima substantia completa, vel incompleta, neque etiam secunda completa, tamen refertur ad aliud secunda incompleta. Dicimus enim non quidem hunc hominẽ esse cuiusdam hunc hominem, aut quandam manũ cuiusdam quandam manum, aut hominẽ cuiusdam hominem, sed manũ esse cuiusdam manum; sequitur ergo substantiam ad aliud referri. Ideò ponit Aristoteles hanc meliorem definitionem: *Relatiua sunt quibus ipsum esse est esse ad aliquid, & quodam modo se ad aliud habere*. Quæ definitio in hoc conuenit cum priore, quod comprehendat omnia relatiua; tamen in hoc differt, quod explicet Relatiua secundum esse ipsorum, non autem secundum dici, seu, quod idem est, quod explicet ipsorũ essentias totas esse ad aliquid. Hinc infert hanc Relationis proprietatem: *Si vnum definitè cognoscatur, cognoscitur & alterum*; quia cum totum esse vnius sit ad alterũ, non potest id quod refertur cognosci, nisi illud etiam ad quod refertur cognoscatur. Secundo, Infert, hanc proprietatẽ non conuenire substantiis, quia potest definitè cognosci secunda substantia incompleta, pes, manus, &c. absque eo quod definitè cognoscatur id cuius est definitè hæc pars. Non autem potest definitè cognosci duplum, nisi definitè etiam cognoscatur dimidiatum, cuius duplum est.

Vera definitio Relatiuorum.

Circa explicationem verborum nihil est notandum.

Notanda.

Notandum primo. Hæc secunda Relatiuorum definitio melior est prima: nã prior conuenit omni relationi etiã transcendentali, & quia *dici* per quod explicatur definitio præcedens, veluti supponit rem iam constitutam, & extrinsecus relatam; *esse* autem, quod ponitur in secunda definitione, significat ipsummet esse, & essentiam relatiuorum totam esse ad aliud.

Notandum secundo. Quod dicit Aristot. Cognito definitè vno relatiuorum, & alterum definitè cognosci, Auerroes id refert ad definitionem, vt videlicet, vnius definitio simul cum alterius definitione cognoscatur, quod idem dicit Albertus. Caietanus id etiam refert ad existentiam, vt cognito vno relatiuo quod sit, cognoscatur etiam & alterum existere; quæ est Boëtij opinio, quamuis Caietanus etiam probet præcedentem. Boti. autem dicit, ex hoc non colligi debere, poni vnum relatiuum in alterius definitione, sed tantũ cognosci vnius definitionem per alterius definitionem.

Notandum tertio. Quod dicit Aristoteles substantiam primam incompletam non dici ad aliud, sicut secundam incompletam, cum tamen se habeat secunda incompleta ad primam incompletam per modum cuiusdam speciei; quod autem speciei conuenit, conuenit etiam & indiuiduo; Variè explicant Interpretes. Nobis tamen dicendum videtur, ideò nõ dici primam substantiam incompletam Ad aliud, quia includit terminum limitantẽ, seu impedientem prædicationem. Vnde inquit Aristoteles, quædam substantia, vt manus, non dicitur cuiusdam quædam manus, quia prædicatio non conuenit rei singulari, quatenus singularis est; non tamen negat Aristot. esse etiam hanc substantiam Ad aliquid, eo modo quo est secunda incompleta, vt patet ex fine capitis. Ratio quoque est; quia sicut caput est alicuius caput, ita etiam hoc caput est alicuius capitati caput.

DISPVTATIO IN Caput ad Aliquid.

Sapienter Aristoteles *ad finem capitis de Relatione* difficile esse monet, quicquã vehementer de Relatiuis asserere, antequã illa sæpè sint pertractata; sunt enim adeò exilis ac debilis entitatis (vt Auerroes ait) vt multi etiam illa de medio sustulerint. Quia tamen non est inutile de ijs aliquid

 dubitas-

dubitasse (vt Aristot. dicit) imò etiam ad totam Philosophiam pernecessariũ, ideò paucis à nobis de Relatiuorum natura agendum erit. Explicabimus igitur primo, an sit relatio. Secundo, Quid sit, & ex quibusnam illius natura cõstituatur. Tertio, Quotuplex sit. Quarto, Quænam sint proprietates. Quinto, Seorsim aliquid de Relationibus rationis dicemus.

QVÆSTIO PRIMA.

An sit Relatio?

HOc nomẽ tria significat. Primo, Quãuis extrinsecam habitudinẽ & denominationem. Secundo, Respectum rationis. Tertio, Ordinem realem & mutuum inter aliqua; & in hac vltima acceptione potissimum nobis est quæstio, quamuis etiam & de alijs aliquid dicemus.

Notandum secũdo, In hac quæstione; An sit, duo quæri possunt. Primo, An reperiatur Relatio in rerum natura. Secundo, An sit distinctum aliquod prædicamentum.

Prima Opinio apud Amm. & Simpl. est Protagoræ, qui propter instabilitatem rerum omnium volebat omnia ad aliud referri, & ita se res habere, sicut cuiq; videntur. Contra quem Plato *in Theateto*, & Arist. 4. *Met. t.* 19. Eadem fuit sententia recentiorum Academicorum, & sectæ Pyrrhoniorum, contra quos Cic. *in Academicis*. Huius sententiæ tam est ineptum fundamentum, vt eam refellere supervacaneum sit, & satis est vel illud quod objicit Aristoteles, inde sequi, rem eandem simul esse & veram & falsam, quia contrariæ sunt eadem de re omniũ opiniones. Huc referri potest opinio Andronici, qui, vt ait Simplicius, asserebat Relationem vagari per omnia prædicamenta, ideoque in vltimum locum esse reijciẽdam post omnia alia. Item aliorum opinio apud Simp. qui volebant quidem distingui Relationẽ à Substantia, Quantitate, & Qualitate, non autem à cæteris vltimis sex Prædicamentis.

Secunda Opinio, Apud Amm. & Simpl. est Stoicorum, qui Relationem dicebant aliud nihil esse quam Ens rationis, & Alb. ponit in eadem opinione Zenonẽ. Auerroes etiam 12. *Met. t.* 19. meminit absque authore huius opinionis, dicens, quosdã propter debilitatem entitatis Relationis voluisse Relationem esse in secundo intellectu, vel de genere entium rationis. Idẽ sensisse videtur Aureolus apud Arim. 1. *sen. d.* 28. *q.* 1. *art.* 2 *& apud Cap.* 1 *d.* 23 *q.* 1. Nec tamen hæc videtur fuisse opinio Arim. cui tamen tribuitur. Auic. 3. *Met. c.* 10. alios refert pro hac sententia. Idem opinati sunt Nominales, præsertim Ocam, *Quodlib.* 6. *q.* 10. Pro hac sententia sunt hæ potissimum rationes. Primo, Omne ens reale habet aliquam causam sui productiuam, vt colligitur ex 12 *Met. t.* 37. Nihil enim potest seipsum ex nõ esse ad esse producere, sed Relatio nullam habet causam productiuam realem, vt colligitur ex 5. *Phys. t.* 10. Ergo nõ est Ens reale. Secundo, Sequeretur in aliqua vna re esse infinitas penè entitates, quia tot esse possunt in re vna alba similitudines, quot sunt alba quæ fiunt; & certè nulla videtur accedere perfectio ægroto ex eo quod alius in morbum incidat. Tertio. Quia similitudo vnius albi ad alterum non videtur esse in vno albo potius quam in alio; Ergo cũ nullum certum subiectũ assignari possit, non videtur esse aliquid reale Relatio.

Tertia Opinio Accedit ad præcedentem, nam dicit quidem esse aliquid reale, tamẽ secundum suum vltimum complementũ pendere ab operatione intellectus, sicut Numerus & Tempus, quod de Tempore apertè asserere videtur Arist. 4. *Phys. t.* 87. tempus pendere ab anima. Hæc est Auic. opinio 6. *Met t.* 8. vbi inquit, Prædicamentorum quæ habent comparationẽ non futuram rationẽ nisi anima esset. Et 12. *Met. t.* 19. 4. *Phys.* 85. *te.* 3. *paraph. Met. colum.* 3. Rationes pro hac opinione sunt ferè eædem quæ pro præcedenti, & præsertim, quia non videtur Relatio concipi posse, nisi quatenus fit inter aliqua comparatio quædam, hoc autem pendet ab intellectu.

Quarta Opinio. Relationem esse quid reale, quatenus est idem cum suo fundamento, non autem quatenus formaliter dicit Ad aliquid. Indicat hoc D. Thom. 1 *sen. d.* 20. *& d.* 26 *q.* 2. *art.* 2 *& d* 30 *&* 3. *sent. d.* 8. *q.* 5. *de ver. q.* 1. *art.* 5. *ad* 15. 1. *p. q.* 28. *art.* 1. & ibid.

ibid. Caiet. Zonf.5. *Met q.26. Concl* 2. Imò etiam Caiet. vult definitionem Relationis traditam ab Aristotele, quatenus Relatiua dicunt *ad*, conuenire etiam Relationibus rationis.

Quinta opinio est Durandi 1. *sent. d.* 30. *q.* 2. *& d.* 33 *q.* 1. esse tantum denominationem extrinsecam, ita vt Socratem esse similem Platoni in albedine, nihil aliud sit, quam denominari Socratem album ab albedine, quam habet Socrates, sicut & Plato. Vnde concludit Relationem esse solam denominationem respectiuã, ex eo quod subiectum habet naturam vnam in se sicut & aliud subiectum. Hæc opinio videtur accedere ad errorem Porretani, qui dixit, Relationes diuinas nihil aliud esse, quam denominationes extrinsecas, vel assistentes, & extrinsecus affixas; quem tamẽ errorem retractauit in Concilio Bremensi, vt testatur D. Thom. 1. *p q* 38. *art.* 2.

Sexta Opinio est aliquorum apud Burl. Relationem esse solas voces, quia videlicet solent explicari per casus obliquos.

Vltima Opinio est, Relationes esse aliquid reale, & distinctum prædicamentum à cęteris. Et est Arist. *hic & 5. Met.* & vbicunq; ens diuidit in decem summa genera. Est etiam Architæ & Platonis. Deniq; communis opinio.

Supponendum est Relationem dupliciter considerari posse. Primo, Vt in rebus ipsis reperitur, & solet vocari *Relatio exercita*. Secundo, Vt intellectus vnum comparat ad aliud, & vocatur *Relatio concepta.* Et primo quidem modo rectius appellari solet & exprimi hac dictione *Ad aliquid*, posteriori verò modo significari videtur nomine *Relationis*, quia hoc nomen significat quandam comparationem.

Prima Propositio Dantur à parte rei Relationis reales, etiam ante vllam intellectus operationem. Probatur primo, Quia nullo intellectu cogitante aliquis est pater, aliquis filius. Ergo datur relatio à parte rei. Hæc ratio est Auic. & Plot. 1. *Aen. cap.* 1. Secundo, Ex Simplicio, Scientia est de rebus realibus, sed Mathematicæ versantur circa cognitionem multarum relationum, vt de proportionibus numerorum, figurarum, & distantia syderum. Confirmatur. Ordo est de perfectione vniuersi, 12. *Met. text.* 52. At hic nihil aliud est quam Relatio quædam. Tertio, De fide certum est, tres diuinas personas non debere inter se distingui, quam per oppositas relationes; nam quicquid est absolutum, id est indistinctum, & ipsamet essentia diuina, propter quam caussam audet Burl. secundam sententiam hęresis damnare. Probatur. Proprietates quę Relatiuis assignantur, conueniunt rebus ipsis. Item Relatio vt sit, requirit existentiam subiecti, fundamenti, & termini; at hæc omnia sunt realia. Lege D. Thom. 1. *p q.* 13. *art.* 7. *& quest.* 7 *de potentia artic.* 9. Scotus 25. *d.* 1. *q.* 5. Hinc sequitur, falsam esse secundam opinionẽ & sextam: nam eædem rationes probant Relationem non modo non esse Ens rationis, sed nec esse solas voces.

Secunda Propositio. Relatio non est tantum denominatio extrinseca, quæ à Durando ponitur. Ratio est, non modo quia hæc sententia accedit ad errorẽ Porre. cũ id de Relationibus diuinis dici nequeat; sed etiam quia hic paries albus non dicitur similis alteri parieti, ea tantũ de caussa, quod albedinem habeat, sicut & ille alter; hoc enim est absolutum quid, sed quia ratione similis albedinis habet respectum vnus paries ad alium. Quare hoc est quid posterius ad habere tantummodo albedinem.

Tertia Propositio. Relatio vt significatur per hunc terminum & dictionem *Relatio*, ad sui complementum videtur requirere operationem aliquam intellectus. Et ad hunc modum explicare possumus D. Thomam, cum dicit, Relationem vt dicit *ad*, non esse quid reale. Ratio est, quia hoc nomen *Relatio*, vt ante diximus, significat quandam comparationem & ordinem ad eum, qui comparat vnum ad aliud. Hoc autem *aliud* nihil aliud est, quam intellectus comparans. Non autem secundum hanc rationem Relatio constituit prædicamentum, quia prædicamentum debet esse quid reale. Relatio verò secundum istam consideratione est

Relatio rationis. Simile esse potest in Tēpore, de quo dicit Aristoteles 4. *Phys. t.* 87. pendere ab anima, videlicet quatenus extrinsecus assumitur ad mensurandas aliquas actiones, quod fit per artificialem illius distributionem in horas, menses &c. cum tamen quatenus est intrinseca duratio motus, sit planè independens ab anima. Quarè longè melius Relatio vt est prædicamentum exprimitur per hanc distinctionem, *Ad Aliquid*, quam per *Relationem*, vt etiam obseruat Albert. Et hinc etiam est, quod Relatio secundum priorem modum dicitur à veteribus Relatio concepta, secundum posteriorem, relatio exercita.

Quarta Propositio sequitur ex dictis: Relationem etiam formaliter vt dicit *ad*, esse aliquid reale. Quod visus est negare D. Thom. qui tamen commodè intelligi potest, vt diximus, vel certè locutus est de distinctione reali, non autem formali. Probatur propositio. Nam Relatio formaliter vt Relatio, dicit præcisè respectū ad aliud. Ergo si vt sic non est aliquid reale, non erit formaliter aliquid reale. Confirmatur primo, Quia in diuinis relationes nihil aliud dicunt, quam respectum ad aliud, & tamen certum est esse reales. Secundo. Hinc sequeretur Relationi rationis & Relationi reali dari aliquid commune vniuocum, quia tam vna quā altera habet hunc respectum *ad*. Si ergo Relatio, vt dicit *ad*, nihil dicit positiuum, & reale: æque Relatio rationis est Relatio atque Relatio prædicamentalis, quod videtur Caietanus concedere, negat tamen, & rectè, Zonſ. 4. *Met q* 5. Tertio, nā vera esset Dei relatio creatoris ad creaturas, non minus quam qualibet relatio cuiuslibet creaturæ ad aliam creaturam; quia, secundum aduersarios, relatio quatenus dicit *ad*, nihil positiuum & reale includit, & tamen Deus quatenus creator, dicitur habere quēdam respectum saltem rationis ad creaturas. Ex quo sequitur, malè Arim. dicere 1. *Sent. d.* 18 *q* 3. Relationem non dicere aliquam perfectionem; eo enim ipso quod Relatio est Ens, etiam & bonum est, & consequenter perfectum.

Quinta Propositio. Relatio non vagatur per omnia prædicamenta, id est, non est formaliter omne prædicamentum, seu, quod idem est, non omnes res sunt quid respectiuum, & habentes ordinem ad aliud, sed vnum est distinctum prædicamētum ab alijs, ratione huius ordinis & respectus. Sequitur hęc propositio ex dictis. Cum tamen multarum rationum & diuersarum sint relationes, quęnam ad prędicamentum propriè spectant, infià dicemus, vbi agemus de multiplici Relatione.

Obijcies. Relatio dicit ordinem & respectum inter duo, ergo tam vnum refertur ad aliud, quam è contrà aliud ad alterum. Ergo non potest vnum esse prædicamentum, quia non est maior ratio cur Relatio huius termini sit summum genus, quam relatio alterius. Et confirmatur. Relatio in communi dicit ordinē ad sua inferiora. Ergo ipsa etiam inferiora ad relationem. Cum ergo neutrum ex his duobus magis minusue latè pateat, non erit ratio cur dicatur potius vnum ex illis esse prædicamentum quam aliud. Respondeo, primo. Ad prędicamentum Relationis, vt benè obseruat Burl. non spectant termini ipsi, nisi reductiuè, quia dicunt aliquid concretum ex absoluto & respectiuo, sicut ex Arist. 1. *Top. cap.* 4. quod nos etiam supra diximus, album nō ponitur in prædicamento propter suum duplex significatum. Sicut igitur sola albedo per se ponitur in prædicamento, ita etiam sola relatio in abstracto, vt nō ponitur pater per se in prædicamento, sed paternitas, & ideò relatio melius exprimitur per terminum, ad aliquid, quatenus præpositio *ad* significat viam aliquam & habitudinem, non termini vnius ad terminum, sed ipsammet rationem, per quam vnus terminus ad alium refertur; & si quis velit *Ad aliquid* significare terminos ipsos; vt videntur velle Interpretes, tum dicemus explicatam fuisse relationem in concreto, vtpote magis hoc modo notam. Secundo, hæc obiectio proposita, quæ vt ait Burl. antiqua est, hoc modo solui potest: nam summum genus relationis est ratio quædam in communi, secundum quam aliqua

qua possunt in communi habere aliquam habitudinem. Et quamuis in Relatiuis, quę inter se conferuntur, sit vna relatio in vno partialis, distincta à relatione partiali alterius, tamen ex his duabus partialibus fit vna completa, quæ habet rationem vel generis prædicamenti Relationis, vel speciei sub illo. Itaque in Relatione non datur propriè aliquod indiuiduũ & singulare, in hoc sensu, vt in vna aliqua re per se sumpta sit respectus & relatio sine consideratione ordinis ad aliud; sed in hoc sensu potest dici dari indiuiduũ in relatione, quatenus consideratur aliqua vna relatio vnius rationis, quæ est inter duo, quatenus ex mutuo respectu duorum consurgit hæc relatio inter has duas res materiales, verbi gratia, similitudo inter duo alba non est vna numero, ita vt sit in vna re numero, sed quia est in tali materia determinata, nempè alborum partialium. Exemplum esse potest in numeris; nam in illis non potest dari propriè indiuiduum, quatenus indiuiduum dicit vnum quid singulare: nam ratio numeri consistit in pluralitate. sed hoc modo indiuiduum datur in numeris, quatenus cõsideratur, verbi gratia, binarius in duobus lapidibus, lignis &c. Sic igitur ad rationem propositam respondemus, Relationem, quæ est summum genus, dicere habitudinem in communi inter terminos etiam in communi, & quamuis vnus ex his terminis habeat quendam ordinem ad alium, & alius etiam contrà ad hunc, tamen isti duo respectus partiales sunt, & incompleti, nec vt sic per se ponuntur in prædicamento nisi reductiuè, sed sola habitudo constans ex duobus respectibus.

Obÿcies. Relationes causantur ex diuersis fundamentis diuersorum prædicamentorum, sed fundamenta sunt genere diuersa. Ergo & relatio. Respondeo. Relatio consistit solum formaliter in ordine & habitudine, quę reperiri potest in rebus diuersorum generum, ipsa tamen relatio vt abstrahitur ab hoc vel illo genere Entis, est vnius & eiusdem rationis. Nec est absurdum rem vnam & eandem causari à rebus diuersis, sicut calor productus ab igne & à sole, idem est specie, animal productum per generationem naturalem ab alio animali, & ex putri materia est eiusdem generis. Denique res creatæ & genitæ sunt eiusdem speciei. Notandum autẽ est circa præcedentem obiectionem, Etsi solutio quæ tradita est, & videtur à Burl. afferri, speciem aliquam veritatis habeat, absolutè tamen loquendo rectè defendi nequit: nam quilibet terminus habet suã relationem completam, etiamsi alius terminus ad ipsum non vicissim referretur, verbi gratia, scientia realiter refertur ad scibile, nec tamen contrà scibile refertur ad scientiam reali relatione, creatura etiã ad creatorem habet realem respectum, non tamen contra creator ad creaturam. *Solutio vera.*

Dicendum igitur est, Relationem, quæ est summum genus, dicere in communi & abstracto rationem qua aliquid ad aliud refertur, siue illud aliud ad præcedens referatur, siue non. Quod autem in eodem argumento confirmationis loco ponebatur relationem vt genus est, referri ad sua inferiora quæ æque latè patent, atque relatio in communi, verum quidem est, tamen hic respectus ad inferiora nõ est realis, sed rationis, sicut & generis & speciei ad sua inferiora.

Ad primum argumentum secundæ opinionis, Respondeo, non esse necessariũ, vt id omne quod est aliquod reale, habeat sui etiam causam productiuam distinctã, vt patet in omnibus ijs quæ solum formaliter distinguuntur ab alio in modis, & in partibus rerum. Sic ergo causa productiua Relationis non est alia, quam causa quæ producit fundamentum, à quo non distinguitur realiter relatio, vt dicemus. Et hoc docet Aristoteles 5. *Phys* t. 10. Lege etiam de hac re D. Thom. *tum ibid. tum* 5. *Met cap. de Relat.* Iand. 5. *Met. q* 23. Zons. *in hoc cap. & quæst* 21. 5. *Met.* Doct. Zonam. Simplic. & Burl. *in hunc locum.* Addit tamen Zons causam quæ aliquid de potentia in actum producit, accommodare se naturæ, formæ, & rei producendæ. Quarè quia forma absoluta dicit aliquid quod est in subiecto ipso absolutũ, debet mutatio realis fieri in subiecto. Quia verò relatio

r o subiectum ordinat ad aliud, satis si fiat mutatio realis in alio, verbi gratia, duo parietes sunt similes in albedine, facta mutatione in vno ex illis, vt si fit vel minus albus, vel niger, etiam & in alio pariete facta censebitur mutatio, quia non erit amplius vlla similitudo, vel non tanta. Et hoc D. Thom. vocat *Relationem in radice*, dicens in pariete albo, antequam alius paries albus efficiatur, esse similitudinem. Et Caietanus vocat similitudinē incompletam, hoc est, quia fundamentum, quod est in subiecto, facit illud aptū ad recipiendam similitudinem, si idem fundamentum ponatur in alio. Vnde Aristoteles 5. *Phys. t.*10 Contingit, inquit, altero mutationem patiente, verè dici alterum nihil mutationis subire. Et 11. *Met. tex.* 4 *cap* 3. Etenim, inquit, altero mutato, verificatur alterum nullatenus mutatum. Intellige de mutatione & reali, nam de mutatione Metaphysica, vel nouæ alicuius entitatis & relationis id negari non potest. Exemplum esse potest in continuo, quod diuiditur: facta enim sola hac diuisione, statim partes separatę accipiunt nouam quandam rationem & perfectionem, videlicet totius. Caiet 1. *p q* 28 *art* 2.

Ad secundum argumentum. Non est absurdum concedere esse tot perfectiones in vna eademque re. Non tamen debet negari esse perfectiones, vt negare videtur Arimin. Sicut non est absurdum dicere in quanto continuo esse plures & plures partes in infinitum, præsertim cum relatio sit cuiusdam minimæ entitatis; nam mutatio Metaphysica, quam diximus, nō est alligata vlli distantiæ, siquidem contactus solus est necessarius in entibus absolutis, quæ de nouo fiunt.

Ad tertium & vltimum argumentum. Patet ex his quæ dicta sunt ad priorem obiectionem supra positam: nam cum duo sint similia, verè in quouis istorum terminorum est sua relatio, & relatio quæ est in hoc vno termino præcisè, tantum facit hunc terminum referri ad illum alium, quamuis deinde etiam aliter ad hūc referatur; tamen hæ duæ relationes non sunt diuersæ speciei, quod est commune omni relationi æquiparantiæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid sit Relatio & de requisitis ad eandem?

ARist. *cap de Relatione* duas affert Relatorum definitiones, ex quibus sola secunda, vt diximus, explic. text. conuenit veræ & reali relationi, & est. vt ad aliquid sint, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere. Quam etiam definitionem eo loco exposuimus, solum addendum est per hanc dictionem *esse*, intelligi non existentiam, sed tantum essentiam. Item dictio *Ad aliquid* aliter accipitur in definito, aliter in definitione, seu in principio definitionis, & cum secundo loco ponitur. In principio enim siue vt significat definitum, *Ad aliquid* significat determinatum genus Relationis quod definitur, postea autem significat quodlibet subiectum, & quamlibet rem in qua reperitur relatio. Huius definitionis hic sensus est, relationem esse habitudinem quandam, ratione cuius res secundum suum totum esse ad aliud refertur.

Prima Propositio. Quæ definitio vt melius intelligatur, sciendum est ad relationem tria requiri; Subiectum, fundamentum, & terminum, potest enim relatio, sicut & quodlibet aliud accidens, dupliciter considerari, vt D. Tho. 1. *p. q* 28. *art.* 2. & 3. *p q* 2. *art.* 7. *ad* 2. Vel vt accidens in communi, vel vt est tale accidens determinati generis. Relatio primo modo habet quod sit in subiecto, quia accidentis etiam est esse in subiecto, & ideò pendet vt sic relatio à subiecto. Est autem subiectum id quod à relatione veluti à forma quadam sibi inhęrente denominatur; Quod verum est solummodo de relatione tum quæ in creaturis reperitur, tum quæ est in rebus. Primum diximus, propter relationes diuinas, quæ ad intra sunt ipsęmet personæ diuinæ, & sunt relationes substantiales. Quæ eædem personæ, sicut & Deus ipse, ad extra non possunt recipere aliquas relationes reales, ac proinde

proinde non possunt habere rationem subiecti respectu relationis, propter summam Dei simplicitatem, & infinitatem, secundum quam quicquid in ipso est, est substantialiter Deus. Lege Ferr. 4 *contra Gent.ca.*14. Relatio autem vt est tale accidens, pendet à fundamento, & a termino; nam relatio dicit respectum vnius ad alterum propter aliquod accidens, aut aliquid aliud, quod est in re quæ refertur. Sic etiam quia dicit habitudinem ad aliud, necessariò requirit terminum, vt cygnus est similis niui in albedine, subiectum huius relationis est cygnus, fundamentũ est albedo, terminus est nix: nã cygnus à similitudine denominatur cygnus. Idem est similis alteri propter similitudinem quam in se habet. Denique ad aliud refertur. Est verò obseruandum ad relationem realem requiri distinctionem realem terminorum, ex quo sequitur eiusdem ad seipsum esse tantum relationem rationis. Ita D. Thom. 1 *p q.*28 *art.*1.*ad* 2. vbi dicit identitatem numeralem esse relationem rationis specificam & genericam realem. Item requiritur ad relationem realem distinctio realis fundamentorum, hoc est vt termini habeant fundamenta realiter distincta. Ita D. Tho. 1 *p.q.*42.*art.*1.*ad quartum*, & est contra Scotum 1.*sent. d.*31.*q.*1. *& quodlib.* 6. qui tamen nulla ratione firma nititur. Vnde si per impossibile esset vna & eadem albedo numero in duobus parietibus, tamen non dicerentur isti duo parietes similes similitudine reali. Ratio est, quia relatio maximè pendet à fundamento: Ergo si vnicum fundamentum est, etiam & relatio vnica erit; & tamen relatio mutua, de qua solum loquimur, dicit duas relationes ex parte vtriusque termini. Ergo in vtroque termino debet esse fundamentum distinctum & reale, si tamen relatio non sit mutua, satis erit quod fundamentũ realiter sit in eo quod realiter refertur, sed vtraque relatio necessario requirit distinctionem terminorum, quia omnis relatio est ad aliud.

Notandum autem, Relationem dicere dependentiam à fundamento, & quatenus etiam est accidens, & tale accidens, Quatenus accidens est, quia non habet relatio realem in subiecto inhærentiam, nisi propter fundamentum, ad quod sequitur, vt quia in pariete albo inhæret realiter albedo, dicitur etiam consequenter inhærere similitudo fundata super illa albedine, sed quatenus tale accidens est, habet peculiarem quandam dependentiam à fundamento, quia variato ac mutato tantisper fundamento, etiam relatio ipsa mutatur. Si autem consideretur in relatione inhærentia formalis, hoc est quatenus dicitur relatio etiam formaliter vt relatio est, esse in re quæ referri dicitur, non habet hanc à fundamento dependentiam; quia relatio vt formaliter relatio est, dicit quãdam perfectionem accidentalem, quæ est in aliquo, realis verò inhærentia dicitur respectu formæ accidentalis distinctæ realiter ab eo cui formaliter inhæret, vel certè formæ alicuius absolutæ, quamuis non sit realiter distincta; quomodo secundum probabilem opinionem omnes proprietates, vel saltem aliquæ sunt in subiecto inhæsiuè, à quo tamen non distinguuntur realiter. Id autem quod est propriè respectiuum, cum adueniat alteri accidenti, non potest propriè loquendo dici illi inhærere. Denique relatio potissimum dependet à termino, quia illius ratio consistit in habitudine ad aliud. Vnde D. Tho. 1.*p.* dicit propriam rationem relationis accipi secundum comparationem ad aliquid extrà, non autem secundum comparationem ad illud in quo est, cætera autem accidentia accipi secundum hãc posteriorem comparationem. Ex quo natũ est illud, relationem vt relatio est dicere ad, & non in, intellige de inhærentia reali, nam relatio vt formaliter dicit ad, dicit respectum qui est in re quam aliò referri facit. Hinc sequitur primò, cur dicatur relatio esse minimæ & maximè debilis entitatis, vt diximus ex Auerroe, & idem est apud Albertum 5.*Met.t.*2.*cap.*5. Nam substantia solummodo pendet à suis causis vt sit, accidens autem pendet etiam à subiecto, relatio autem quatenus tale accidens, & pendet à causis, & à subiecto, & à fundamento, & à termino. Lege

Caiet.

Caiet. 1. p. q. 76. *art. 2. versus finem.* & *loc. cit q. 28 art. 2.* Secundo sequitur, cum in relatione sint hæc duo : *Esse ad*, & *esse in*, Porretanus, vt refert D. Thom *quæst.* 28. & supra etiam dictum est, respiciens solũ *Ad*, dixit relationem esse quiddam extrinsecus veluti affixum & assistens. Alij contra habentes rationem relationis prout dicit *in*, & consequenter loquentes tantum de inhærentia reali, dixerunt nullam dari relationem, sed omne ens esse quid absolutum. Contra quos dicendum est, relationem etiam vt dicit ad, dicere in inhærentiæ formalis, quod videtur teste D. Thom. 2. *contra Gent.* c. 4. 13. dicens, relationem ponere aliquid reale in eo quod denominat. A quo discedere videntur Caietan. *loc. cit.* & Zons. 5. *Met q.* 26. dicentes, Relationem prout dicit *ad*, non dicere vllam perfectionem realem, quoniam, inquiunt, etiam reperitur in entibus rationis. Quod quidem vltimum verum est, nos autem hic tantum loquimur de relatione reali.

Secunda Propositio Fundamentum relationis duo dicit : Tum rationem fundandi, tum etiam rationem subiecti proximi. Ratio fundandi, quæ etiam solet appellari fundamentum proximum, est id, ratione cuius fundamentum, quod remotum appellatur, dat rei vt ad aliud referatur, verbi gratia, refertur paries albus ad aliũ album, fundamentum remotum est albedo; ratio autem fundandi, seu fundamentum proximum est vnitas quædam albedinis in hoc pariete, & in illo, nam hæc eadem albedo potest esse fundamentum oppositæ relationis, vel dissimilitudinis. Hoc idem fundamentum remotum habet rationem subiecti proximi relationis, vt in proposito exemplo, in albedine parietis dicitur esse similitudo, ratione cuius hic albus paries similis est alteri. Simile est quoad hoc in superficie, quæ cum sit accidens, dicitur tamen esse immediatũ qualitatum corporearum subiectum. Vnde sicut superficies hostiæ consecratæ dicitur esse alba, tanquam subiectum albedinis, ita etiam potest albedo vnius hostię dici alteri alterius hostiæ similis. Et ex hoc valde confirmatur quod ante dicebamus de duplici inhærentia, quamuis respectu accidentium absolutorũ habeat quendam peculiarem subiecti modum quantitas, quia est propria conditio materiæ quatenus subiectum est. Confirmatur ex Aristotele 4. *Met. t.* 14. vbi inquit, accidens non esse accidentis accidens, nisi quia vtrumq; eidem accidit, id est substãtiæ, vbi videtis significari duplex subiectum; Vnum remotum ratione inhærentiæ realis, alterum proximum propter inhærentiam formalem.

Tertia Propositio. Si conferatur Relatio cum tribus dictis: Subiecto, fundamento, & termino, habet à fundamento potissimum suam realitatem. Ratio est, quia relatio maximè est Ens, quatenus dicit etiã in, hoc autem habet potissimum à fundamento, mediante quo habet quod realiter inhæreat in subiecto. Confirmatur, quia posito termino cum fundamento reali, relatio erit realis, etiamsi ille terminus, ad quem prior ille refertur, non sit realis, hoc est non habeat ipse relationem realem, per quam vicissim ad præcedentem referatur. Contrà verò etiãsi terminus sit realis, fundamentum verò sit rationis, non erit relatio realis; verbi gratia, in visu si referatur ad rem visibilem, nam relatio visus est realis, quia fundamentum reale est, id est realiter dependere ab obiecto visibili, relatio autem visibilis ad visum est rationis : quamuis enim visibile sit aliquid reale, tamen huius denominationis visibilis nullum est fundamentum reale. An autem hæ relationes non mutuę pertineant ad hoc prædicamentum, infrà dicemus.

Quarta Propositio. Terminus non est mera conditio relationis, vt quidam dicunt, sed dependentia saltem & ordo eius quod refertur ad hunc terminum essentialis est & quidditatiua. Ratio est, quia non potest concipi relatio siue habitudo ad aliud, Ergo ipsa habitudo & dependẽtia huius ab illo est de essentia & quidditate relationis. Cõfirmatur ex dictis propositione secunda, & potissimum D. Thomæ authoritate, relationis rationẽ accipi

ad

ad aliquid extrà, hoc autem est terminus ipse. Confirmatur. Relatio specificatur à termino, ergo ordo ad terminum pertinet ad specificationem & essentiam ipsius relationis. Ex quo sequitur, si terminus sit aliquid rationis, non posse relationem appellari realem, vt relatio eiusdem ad seipsum, quia idem à seipso non differt nisi relatione rationis. Item scientiæ ad Ens rationis relatio est rationis, & non realis.

QVÆSTIO TERTIA.

Quot sint fundamenta Relationis?

QVærunt alij in quibusnam prædicamentis reperiatur relatio, vt Burl. *hoc loco*. Non est tamen idem quærere hoc & illud, vt ex dicendis patebit. Arist. 5. *Met.* c. 20. triplex facit relationum genus, propter triplicem rationem fundamētorum, super quæ fundantur relationes. Primum appellat relationem fundatam super quātitatem. Secundum super actionem & passionem. Tertium super rationem mensuræ, sed aduersus hanc diuisionem sunt potissimum hæ difficultates. Primo, Similitudo in qualitatibus est vera & realis relatio, nec tamen apparet ad quodnam genus ex prædictis relatio reuocari possit. Secundo, Identitas specifica in substātijs videtur esse realis relatio, nec tamen est aliqua ex enumeratis. Tertio, Actio non est in agente, ex Aristotele *in 3. Phys.* Ergo non potest esse fundamentum relationis agentis. Confirmatur. Paternitas fundatur in actione generatiua, seu generatione, & tamen verè manet hæc relatio præterita & completa ista actione. Vltimo, Mensura & mensurabile videntur pertinere ad quantitatem; malè ergo Aristot. hæc tanquam distincta fundamenta posuit.

Obiectiones.

Notandum est. Quæstio est de fundamentis relationis in communi, non autē præcisè de fundamentis relationum quæ in prędicamento ponuntur. Sicut nec Aristoteles 5. *Met.* in hoc sensu locutus esse videtur, præsertim cum posuerit tanquam fundamentum mensuram & mensurabile, in quibus non est semper relatio prædicamentalis.

Prima Propositio. Identitas in qualitatibus & substantijs, & omnis denique specifica aut generica rerum identitas est relatio realis. Ex hoc tertio membro duo priora sequuntur, illud verò asserit D. Thom. 1. *p. q. 28. artic. 1. ad 2.* & Caiet. *ibid.* & *q. 45. 1. p. art. 3. ad rationes Scoti.* Zons. 4. *Met q. 31.* Auic. 3. *Met. ca. 10.* Ratio est, quia non minus cernuntur omnia quę necessaria sunt ad relationem realem inter res conuenientes specie, aut genere, quam inter duas quantitates, seu duo quanta, quæ dicuntur esse æqualia relatione reali: Est enim fundamentum, hoc est natura in qua res conueniunt: Est subiectum, hoc est res ipsæ habentes talem naturam. Sunt denique termini prout similes sunt in natura. De primo verò membro propositionis vix est vllus qui dubitet; nā sicut duo parietes albi dicuntur esse similes ob eandem speciem albedinem, ita etiam ipsæmet albedines dici poterūt inter se similes, quia sunt eiusdem naturæ, & possunt habere rationem subiecti huius relationis, & termini quatenus vna alteri similis ad alteram refertur. Denique fundamentum est vnitas ipsa albedinis. De secundo membro, probatur eodem modo: nam ita conueniunt duæ substantiæ inter se, sicut duæ vel quātitates, vel qualitates, nec est ratio vlla qua probare possimus similitudinem in qualitatibus esse realem relationem, quin etiam simul probari nequeat similitudinem in substantijs esse veram & realem relationem. Huc accedit authoritas Doctorum citatorum.

Secunda Propositio. Similitudinis quę reperitur inter quasuis res, fundamentum remotum est natura ipsa, in qua dicuntur res conuenire, proximum autem & ratio fundandi est vnitas, quæ etsi propriè sit principium numeri, tamen transcendentaliter loquendo potest vocari principiū numeri transcendentalis, & consequēter id quod fundatur in hac vnitate, dici potest fundari in quantitate, transcendentaliter loquendo. Hoc modo intelligunt Aristotelem ferè communiter omnes, cū 5 *Met. c. 20.* posuit relationis fundamentū vnitatem & quantitatē, præsertim Caie-

 tanus

tanus 1.p.q.48.ar.3. dicens, similitudinem qualitatum fundari in vnitate, quæ est principium numeri, & sic interpretari possumus D. Thomam, cum negauit relationem fundari in substantia, 12. *Met. lect.* 9. quod etiam asserere visus est Aristoteles 12 *Met. cap.* 4. & 1. *Elen. hoc cap.* 13. & 5. *Met.* dum non meminit substantiæ, nam sensus est, non fundari relationem super substantia immediatè & in se ac nudè cōsiderata, sed quatenus substantia induit quandam rationem fundamentorum ab Aristotele 5. *Met.* positorum, vel prout habet rationem vnius, vel prout in ea consideratur quiddam simile quantitati, vel denique prout in ipsa est actio & passio, non tamen negari debet substantiam ipsam ante aliquod aliud accidens, præter rationem illam vnitatis dictam, posse esse fundamentum relationis.

Tertia Propositio. Etiam repetitur relatio realis inter duas Relationes, verbi gratia, inter duas paternitates, filiationes. Hoc videtur negare D. Thom. *de ver. q.* 21 & 1. *p. q.* 41. *art.* 1. *ad* 4. 2. *cont. gent. cap* 13. *q.* 7. *de potentia. ar.* 11. Zons. 5. *Met. quæst.* 29. Iauell. *ibid.* & Caietanus 1. *p.* Ratio pro nostra sententia est, quia quicquid requiritur ad relationem realem, id totum repetitur inter duas relationes: nam duæ paternitates habent reale fundamentum, vel vnitatem & conuenientiam in relatione, eędem paternitates sunt tum subiectum similitudinis, tum etiam termini. Et confirmatur; nam Mathematici definiunt proportionalitatem similitudinum in proportionibus, proportio autem relatio quædam est, ergo relatio relationi similis est. Hanc sententiam defendit Scotus 4. *sent. d* 6 *q.* 10. Ammonius, Andronicus 5. *Met q.* 14. & Burl. *hoc cap.*

Obijcies cum D. Thom. Hinc sequeretur, si relatio relationis fundamentum esse potest, dari progressus in infinitum; siquidem sicut inter duas paternitates dicimus dari relationem similitudinis; ita etiam inter duas similitudines dabitur relatio similitudinis, & iterum inter illas similitudines dabitur alia relatio similitudinis, & sic in infinitum. Respondeo. Primo; Admittit hanc sequelam Burl. negatque id esse absurdum; sicut enim, inquit, dantur in continuo partes infinitæ, quarum quælibet quandam relationem habet ad aliam, & sunt consequenter infinitæ relationes, præsertim cum sint formalitates & entitates quædam exiles & imperfectæ; sed quia id per se videtur absurdum, præstat dicamus, non sequi dari hunc processum; nam cum dicis, erit etiam similitudo inter duas similitudines, nego consequentiam, sed ipsæmet similitudines seipsis erunt similes, sicut suprà diximus quantitatem non modo dare rei vt partes habeat, sed ipsam etiam in se hoc retinere. Sic ergo similitudo dat alteri, vt simile appelletur, quare omnes similitudines seipsis similes sunt, quia sunt rationes cur aliæ res similes esse dicantur.

Quarta Propositio: Fundamenta quæ ab Aristotele ponuntur, potius sunt appellanda rationes fundandi; quam fundamenta. Ratio est, quia, vt probatum est in argumentis, verè inter qualitates & substantias, imò etiam, vt diximus, inter relationes repetitur relatio, quare quantitas, qualitas, substantia, relatio, sunt fundamenta. Aristoteles verò omisit substantiam, qualitatem, relationem &c. sed ad has rationes fundandi reducuntur omnes relationes, quæ reperiuntur in fundamentis alijs. Prima ergo ratio fundandi est vnitas & quantitas, vnitas inquam & quantitas transcendentalis. Ad hanc rationem fundandi reuocatur relatio identitatis, specifica & generica, æqualitas, similitudo, vnitas in substantia &c. nam vt ait Arist. ibid. Eadem sunt, quorum vna est substantia; æqualia, quorum vna est quantitas; similia, quorum vna est qualitas. Ad quantitatem verò seu multitudinem referuntur oppositæ relationes, vt diuersitas generica, specifica, in substantijs, inæqualitas, dissimilitudo &c. Secunda ratio fundandi dicitur esse actio & passio, circa quam notandum est, quod aliquando potest actio considerari, prout est in potentia tantum, & pro ipsomet principio actiuo, & sic relationem realem habet principium

actiuum

actiuum ad principium passiuum. Secundo Potest considerari principium actiuū in ordine ad actionē quę esse potest actu, & hoc modo est relatio rationis ad actionem: est enim id quod nō est, sed esse potest, quomodo locutus videtur Aristot. 2. *Post. t. 14. & 15.* Tertio, Potest considerari principium actiuū, quatenus actu agit, & principium passiuū, quatenus actu patitur, siue etiam actio & passio prout actu sunt, & hac ratione est relatio realis inter ista, quomodo Aristotelem interpretatur loc. cit. Caietanus, dicens locutū Arist. de agente rat one causalitatis. P. Ven. contendit causam & causatū potius esse referēda ad prædicamentū actionis & passionis, quam ad prędicamentū relationis; nā causatum non dicit ordinem ad causam, tanquam ad id ad quod refertur, sed potius dicit esse id quod est à causa, sic etiam causa non dicitur ad causatū, sed dicitur esse id a quo est causatū, quicquid tamen sit de hoc, negari nō potest esse relationē realem transcendentalē. Quarto, Potest considerari principiū actiuū, vt confertur ad actionē quæ præterijt, ita tamen vt res per actionem facta permaneat; quomodo est in patre relatio paternitatis propter actionē generationis, quæ iam præterijt, & propter filium per illam generationē productum. Has duas vltimas relationes, hoc est agentis vt est actu, respectu etiam patientis prout est actu, & relationem principij productiui ad actionē quæ prętcrijt, & ad rem quæ est, dicit Soto 5. *Phys. q. 2. art. 3.* fundari in actione pręsente, vel prgterita, ita vt sit tunc relatio aliqua in actu, cum illius fundamentum non est, vt relatio paternitatis, dum non est actio generatiua, sed non est probabilis hæc opinio, vel hoc ipso nomine, quia absurdum est posse esse realem relationem cū non est illius fundamentum, cum non differat relatio realiter à suo fundamento, vel certè illud necessariò supponat. Quare dicendum est relationem agentis acti ad patiens actu fundari in potentia productiua, rationem tamen fundandi esse actionem ipsam actualem Ratio est, quia relatio in eo esse debet, in quo est fundamentum. Sed potentia productiua est in se producente, non autem actio. Ergo fundamentum est potentia, non autem actio. Idem argumentum est de potentia productiua, quatenus agens refertur ad rem quæ est actione iam prętcrita, qualis est relatio paternitatis; nam istius relationis fundamentum est potentia generatiua, cum tamen hac ratione & conditione, & veluti ratione fundandi proxima, nempè vt præcesserit actio, vel generatio. Et eadem ratio est de relatione eius quod patitur, id est potentia passiua est fundamentum illius, ratio verò fundandi passio vel actualis, vel quæ iam præterijt. Confirmantur hæc ex authoritate Zons. q. 25. 5. *Met.* & Scoti 4. *sent dist. 6 quæst. 10. & dist. 13 quæst. 1.* vbi dicit potentiam actiuam esse fundamentum relationis. Vnde cum Aristoteles 5 *Met text* 20. dicit fundamentum esse actionem, vel passionem, intelligi debet de ratione fundandi, quæ non est necessariò tunc cum relatio actu est vt patet in relatione patris; vel, vt dicit Zons. noluit Aristoteles fundari relationes super actiones ipsas, sed sequi ex actione ipsa. Gregorius Arim. 1 *sent dist. 28 quæst. 1.* dicit genuisse non esse fundamentum paternitatis, quãuis nulla aut paternitas, aut pater sit, quin præcesserit genuisse. Burl. *in cap. de Relat.* dicit duplex esse genus Relatiuorum: Quædam enim sunt quæ pendent à fundamento quoad fieri, & quoad esse, aliæ verò Relationes sunt quæ solum pendent à fundamento quoad fieri, non autem quoad esse & permanentiam. Primū fundamentum appellat fundamētum remotum & mediatum, secundum autem proximum & immediatum; quamuis satius sit appellare rationem fundandi illud à quo relatio pendet vt fiat, non autem vt sit & permaneat, sicut diximus de actione generationis respectu patris. Caiet. 1 *p. q. 28. art. 1. & quæst 45. art 3.* rationem fundandi vocat id quod formaliter fundat, qui modus loquendi improprius est: nam potissimum id formaliter fundat, à quo pendet relatio in esse suo & permanentia,

cuiusmodi non est ratio fundandi, sed fundamenti.

Notandum tamen, quod nomine potentiæ actiuæ non solum intelligi potest potentia, quæ est de genere qualitatis, sed etiam id quod principaliter habet rationē principij productiui, cuiusmodi est forma substantialis, si modo tamen posita fuerit actio; nam si per impossibile tolleretur de medio ab homine potentia generatiua, quam multi dicunt posse corrumpi, cum sit materialis, vel certè si separaretur à Deo, cum secundum Thomam realiter distinguatur ab anima; tamen is qui aliū genuit, adhuc retineret patris relationem. Ergo tunc fundamentum istius relationis cum aliquod actu esse debeat, sicut & ipsa relatio actu est, non esset potentia generatiua ablata, sed ipsamet forma substantialis, quæ est principium agens. Et hoc multo clarius apparet in opinione Scoti, qui asserit substantiam esse immediatum principium productiuum substantiæ.

Obijcies. Relatio dicit *in* & *ad*, sed non habet relatio quod sit *in*, nisi mediante fundamento, quod in subiecto inhæret. At substantia non potest esse id quod in alio inhæreat. Ergo non potest esse fundamentum relationis. Secundo, In relatione distinguitur fundamētum & subiectum. Sed substantia est subiectum, Ergo non est fundamentum. Ad primum Resp. Satis est si vel fundamentum ipsum, vel ratio fundandi sit in alio, vnde notandum est in Relatione, quæ fundatur super actionem, esse triplex veluti fundamentū. Primum est remotissimum, id est, forma ipsa substantialis. Secundum est magis propinquum, sed adhuc remotum, & est potentia productiua. Tertium est ratio fundandi, quæ appellari potest cum Gregorio fundamentum proximum. Substantia igitur est quoddam fundamentum, nec tamen ipsa est in alio, sed secundum & tertium fundamentum. Secundum quidem in ipso met agente, quod habet relationem, tertium autem in patiente, hoc est actio ipsa. Relationes verò quæ fundantur tantum in accidente, habent vt plurimum duplex fundamentum; tum accidens super quo fundatur relatio, tum rationem fundandi, quod vtrumque habet esse in alio tanquam in subiecto. Ex quo sequitur, ad hoc vt aliquid fundetur in substantia, satis esse si vel fundamentum secundum, vel tertium sit in alio. Imò etiam in relatione, quæ fundatur in substantia, sed non mediante actione, ratio fundandi est in substantia, inhærentia nō reali, sed formali, vt identitas & similitudo inter duos homines habet pro fundamento ipsasmet naturas humanas, rationem verò fundandi vnitatem, quæ vnitas se habet per modum cuiusdam aduenientis alteri, & quod in ipso est, non tamen sicut inhærens reali inhærentia, hæc enim propria est eorum, quæ propriam habent & realem existentiam, proinde solū conuenit entibus distinctis realiter secūdum probabilem opinionem.

Ad secundam obiectionem: Si sermo sit de subiecto inhæsionis respectu inhærentiæ realis, non potest idem esse fundamentum & subiectum, quia subiectum est substantia, quatenus illi aliquid realiter inhæret, tanquam per se considerata & spoliatæ omni accidenti, fundamentum autem potest quidem esse substantia, sed vt induit rationem quandam accidentis, quomodo non se habet vt subiectum inhærentiæ realis. Si verò loquamur de subiecto inhæsionis formalis, possunt coincidere subiectum & fundamentum; nam substantia & est subiectum, & simul etiam fundamentum.

Tertia ratio fundandi est mensura, non quidem quantitatis per se loquendo, vt Burl. sed entitatis & perfectionis, quæ ab alijs appellatur mensura veritatis, non veritatis quæ reperitur in propositionibus, de qua quæstio esse solet an sit realis relatio, sed quatenus dicit veram quandam essentiam & perfectam, prout hæc ab alio pendet ad sui complementum, qualis dicitur esse relatio scientiæ ad scibile, creaturæ ad creatorem, de quibus infra.

Ex dictis sequitur omne genus relationis reuocari ad tria fundamenta, vel potius tres fundandi rationes ab Aristotele positas 5. Metaph. quod præter inductionem,

nem, qua vsi sumus, potest etiam sic breuiter demonstrari: Nam aut refertur vna essentia ad aliam, vt similis vel dissimilis, & huius Relationis ratio fundandi est vnitas, vel quantitas. Vel refertur effectus ad causam, & istius ratio fundãdi est actio & passio. Denique potest aliquid referri ad aliud tanquam ad mensuram suæ perfectionis, & est ratio mensuræ.

Ad primum argumentum, Patet solutio ex prima & secunda propositione.

Ad secundum etiam patet ex secunda propositione.

Ad tertium & quartum ex quarta. Adde quod D. Thom. 5. *Met. t.* 20. dicit similitudinem quæ reperitur in qualitatibus, fundari in vnitate, vel qualitatẽ esse fundamentum relationis, quatenus habet rationem quandam vnitatis quæ est principium quantitatis, vel quatenus est principium actionis. Sic etiam Aristot. ibid. dicit eadem in substantia fundari in vnitate, similia in qualitate fundari etiam in vnitate, & sic de æqualibus in quantitate.

QVÆSTIO QVARTA.

Quomodo Relatio distinguatur à fundamento?

Hoc est realiterne, an formaliter? Zons. 5. *Met. q.* 28. dixit nihil se reperisse hac de re expressum ab Aristotele, Auerr. D. Thoma, alijsq; Peripateticis, tamen possunt ex Authoribus hæ potissimum opiniones colligi.

Prima est. Non distingui relationem à fundamento vel realiter, vel formaliter. Hæc opinio est eorum omnium consequenter, quos in quæstione prima diximus esse opinatos nullam dari realem relationem. Ad quam opinionem accedit Aureo. apud Cap. 1. *sent. d.* 30. *q.* 1. & Plot. *in lib. de sum. generibus cap.* 6. Fundamentũ illorum est, quia cum nihil sit reale relatio præter suum fundamentum, nullam potest ab eo distinctionem habere, nisi quam ratio confingit. Huc referri potest opinio Zons. loco cit. qui vult solum distingui ratione & conceptu à fundamento, quia relatio dicit quendam ordinem ad terminum, non autem fundamentum; si tamen Zons. alijque id afferentes, velint esse distinctionem solam rationis, prout hæc opponitur distinctioni reali, ita tamen, vt sit distinctio rationis ratiocinatę, vt loquuntur, non caret hæc opinio probabilitate.

Secunda opinio est Cap. loco cit. Caietan. 1. *p. q.* 28. *art.* 2. Qui volunt, distingui realiter à fundamento, idemque tribuunt D. Thom. quamuis Caietanus dicat multos ex Thomistis aliò D. Thomam trahere. Et Zons. vt diximus, nihil de D. Thomæ opinione constare affirmat. Caiet. etiam 1. *p. q.* 17 *art.* 4. Relatio, inquit, vel est idem cum fundamento realiter, vel est naturalis eius quædam veluti passio. Soto in hoc cap. negat D. Thomam id sensisse, sed tãtum distinguit relationem formaliter, præsertim *op.* 48 *c. De ad aliquid & 5. Phy. lect.* 3 & 3. *p q.* 16. *art.* 6. *ad* 2. Hanc autem opinionem de distinctione reali defendit præterea Iand. 5. *Met. q.* 24.

Tertia opinio, Soti 2. *s. d.* 1. *q.* 5. & 3 *s d.* 1. *dist.* 3. & *in quodlib. qu.* 3. Quasdam relationes distingui realiter à fundamento, quasdam autem non. Distinguuntur realiter illæ, quarum fundamentum esse potest sine relatione, vt relatio albi ad aliud album; potest enim res habere fundamẽtum sine relatione, vt albedinem etiamsi nulla alia res esset alba: Non distinguuntur verò realiter, quæ nullo modo esse possunt sine fundamento, nec potest fundamentum esse sine relatione, qualis, inquit, est relatio creaturę ad creatorem. Hę duæ opiniones in hoc conueniunt, quod dicant saltem aliquas relationes distingui realiter à fundamentis.

Vltima opinio. Distingui solum formaliter relationem à suo fundamento. Hæc opinio est D. Thomæ, si credendum Soto. Idem videtur sentire Greg. & Ocam, & Zons. si ad illum modum, quem diximus, illius opinio explicetur. Deniq; est communior opinio, quæ etiam tradi videtur à D. Aug. 5. *Trin. cap. vlt.* & à B. Anselmo, *in Monologio cap.* 25.

Prima Propositio. Relatio non solum distinguitur ratione à fundamento, ita vt

nulla planè in reipsa sit causa distinctionis. Ratio est; nam relatio est distinctum prædicamentum, & fundatur in rebus diuersorum prædicamentorum. Ergo nō potest tantum distingui ratione, quia prędicamenta, vt dictum est, debēt distingui tanquam entitates diuersæ. Notandū autem est, distinctionem rationis duplicem solere appellari: Vna est rationis ratiocinantis, vel rationis ponentis distinctionē inter aliqua ex eo solum, quod illa concipit vt distincta, cum nullū sit fundamentum à parte rei cur id ita fiat, vt distinguitur idem à seipso, quatenus ratio concipit vt distincta. Alia dicitur distinctio rationis ratiocinatæ, & hæc iterum duplex est: Vna cum concipimus aliqua distincta, nō quod à parte rei distincta sint, sed quia cū res illa sit magnæ alicuius perfectionis, potest esse in causa cur diuersa de re eadē concipiamus; præsertim cum ob debilitatem intellectus nostri non possimus vnum & adęquatum de re illa conceptum formare. Talis distinctio reperitur in attributis diuinis: nam summa Dei perfectio facit, vt concipiamus in ipso sapientiam, iustitiam &c. cum tamen natura Dei simplicissima non modo non postulet vt ita concipiatur, sed potius excludat istum conceptum, quo concipiamus hæc vt distincta, ita vt sentiamus esse ita distincta, vt à nobis concipiuntur. Altera distinctio rationis ratiocinatæ à quibusdam ponitur esse ad hunc modū, vt non sit distinctio inter aliqua complexa, nisi accedat intellectus nostri operatio quædam, tamen à parte rei postulat id de quo hoc modo distincta à nobis cōcipiuntur, vt hoc modo concipiantur. Hac ratione dicunt in homine verbi gratia, gradum substantiæ, corporis, viuētis, animalis, rationalis, entis &c. esse planè idem realiter, & solum distingui per operationem intellectus, cum tamen in reipsa sit sufficiens fundamentum cur hæc vt distincta concipiantur, & res ipsa ex natura sua postulet vt ita concipiatur. Sed non mihi videtur hæc distinctio vltima poni deberi diuersa ab ea quam alij appellant formalem. Vnde distinctio formalis, quæ ab istis appellatur illo nomine, non pendet vllo modo ab intellectu; nam etiam secundum illos postulat res ex natura sua vt ita concipiatur, alioquin non video quæ maior compositio sit & distinctio attributorum in creaturis, quā in Deo. Igitur non distinguitur tantum relatio à fundamento ratione ratiocinā-te, nec solummodo ratione ratiocinata in priori acceptione, quia sic non magis distingueretur relatio à fundamento, quā vnum attributum Dei ab alio attributo Dei.

Secunda Propositio. Non distinguitur relatio realiter à fundamento. Hoc videtur planè asserere Arist. 1. *Eth c 6.* vbi appellat relationem substantiæ appendicem ac propaginem quandam, eiusdemque accidens, profectò non appellat accidens eo modo quo alia quam plurima substantiæ accidunt, ex eo quod illi insint & inhæreant, sed quia videtur quadam ratione esse magis accidens, vel magis accidere, & esse quiddam veluti extrinsecus affixū & annexum. Sic etiam 5. *Phys t. 10. & 11. Met sum. 4. ca* 13. affirmat relationem non acquiri per vllam realem mutationem, sed consequi ad productionem realem alterius, & tamen si realiter distingueretur, non repugnaret, saltem de potentia Dei, vnum ex his seorsim ab alio realiter produci. Confirmatur; nam omnia videntur saluari optimè posse sine distinctione reali; aliundè verò absurdum per se satis esse videtur tam facilè multiplicari posse tot entitates realiter distinctas, nullo autem negotio interit & generatur relatio.

Tertia Propositio. Distinguitur igitur Relatio à fundamento solum formaliter; nam non distinguitur sola ratione ratiocinante, nec ratione ratiocinata in prima acceptione, nec realiter, vt iam diximus, nec denique tanquam modus à re cuius est modus, quæ vltima superesse videtur ex distinctionibus: Hoc enim nemo asserit, & satis manifestum est non se habere relationem vt modum alterius. Ergo distinguitur relatio ratione ratiocinata in posteriori significatione, quæ mea quidem sententia, non differt à distinctio-

ne

ne formali, nec est independens ab operatione intellectus, vt pluribus videbimus in Metaphysica.

Obijcies. Accidens distinguitur realiter à substantia, præsertim verò relatiuum accidens; magis enim distat à substantia quam absolutum: In hoc enim conuenit substantiæ cum accidente absoluto, quod vtrumque est Ens absolutum. Confirmatur. Distinctio inter prædicamenta est realis. Sed relatio & fundamentum sunt diuersorum prædicamentorum. Ergo. Respondeo, Sufficit distinctio formalis à substantia, atque etiam inter distincta prædicamenta, quod maximè patet ex opinione dicentium proprias passiones distingui solū formaliter à subiecto, & præterea ex actione & passione, quæ sunt idē re. Imò etiam cum actio & motus secundum communem opinionem non distinguatur re à termino suo, planè sequitur aliquod accidens non esse re distinctum à substantia, quia eiusdem actionis & motus terminus est substantia, nempè generationis. Ad confirmationem. Relatio magis differt à substantia, quā aliud quoduis accidēs absolutum à substantia, si habeatur rantum ratio horum modorum entis, qui sunt esse aliquod respectiuum, vel absolutum: nam substantia conuenit cum accidente absoluto in eo, quod est etiam quid absolutum. Differt autem à Relatione, quia relatio est ens aliquod relatiuū, tamen absolutè loquendo ratione distinctionis entis ab ente, maior reperitur à toto genere loquēdo distinctio absoluti accidentis à substantia, quā relatiui ab eadē.

Obijcies secundo Fundamentum relationis manere potest sublata relatione. Ergo distinguitur realiter à relatione: nam cum vnum sine alio realiter esse potest, realiter distingui videntur. Confirmatur. Potest relatio intendi, diminuto & remisso fundamento; vt si sint duo, quorum vnum sit album vt octo, alterum vt quatuor, erit aliqua similitudo inter ista, si tamen ab albo vt octo demantur duo gradus, extabit maior similitudo, quam ante esset. Sed quod idem est re, non videtur simul posse intendi & remitti. Respondeo, ad hæc omnia, sufficit distinctio formalis: Est enim tam exiguæ entitatis relatio, vt facta, vel minima mutatione in fundamentis, vel terminis, fiat & mutatio etiā in ipsamet relatione. Nec est verum ea distingui realiter, cum vnum sine alio esse potest, vt patet in quantitate & figura; siquidem potest quantitas esse sine hac figura, nec tamen ab illa distinguitur realiter. Opus est igitur vt vtrumque non repugnet seorsim & simul habere existentiam. Est autem hic notandum aliud esse aliqua distingui realiter, aliud verò aliqua esse entia realia; nam esse entia realia, conuenit etiam ijs quæ non distinguuntur realiter, vt sunt omnia prædicamenta. Sic etiam Relatio & fundamentum sunt entia realia, nec tamen distinguuntur realiter, quemadmodum aliud est aliqua esse entia rationis, aliud autem distingui tantum ratione: nam attributa diuina sola ratione saltem ratiocinata distinguuntur, nec tamen sunt entia rationis, nisi fortè prout concipiuntur, & dicitur esse distincta. Vnde malè Scotus argumentatur: Distinguuntur tantum attributa diuina ratione. Ergo sunt entia rationis Ex quo etiam illud aliud, quod nō longè ab errore abest, collegit, distingui in Deo attributa formaliter. Lege Herm. *quodlib.* 1 *q.* 9. circa medium, qui nostram sententiam defendit, & alias obiectiones aduersus illam pro opinione Scoti apud Petrum Tartaretum *in hoc c. de Relat.*

QVÆSTIO QVINTA.

An Relatio requirat terminos realiter distinctos?

ID est, an id quod ad aliud refertur, debeat referri ad Ens reale? In quæstione secunda diximus tria requiri ad Relationem: Subiectum, fundamentum, & terminum. De primis duobus hactenus, sequitur vt de dependentia relationis à termino dicamus. Et quanquam ibidem quoq; diximus relationem requirere terminū realem, vt ipsa sit realis, tamen id paulò diligentius explicandum est; nec enim absolutè verum est, nisi de Relatione prædicamentali, vt dicemus.

Notandum

Notandum primo. Terminus est id ad quod res aliqua refertur, & quod terminat alterius relationem. Potest autem dupliciter considerari terminus in relatione, seu, quod idem est, potest id quod terminat bifariam spectari: Vel in concreto, vel in abstracto. In abstracto est relatio quædam, quæ in termino reperitur, opposita relationi eius quod ad terminum illum refertur, vt potest filiatio cogitari ad paternitatem &c. In concreto est res ipsa, tali relatione tanquam forma quædam affecta, vt si referatur filius ad patrem.

Notandum secundo. Potest terminus duobus adhuc modis considerari etiam vt est in concreto. Primo, Vt habet rationem solummodo termini. Secundo, Vt habet rationem correlatiui. Habet rationem termini tunc tantum, quando consideratur solummodo vt terminans relationem alterius, seu vt id quod ab alio respicitur. Rationem correlatiui tunc habet terminus, quando præterea habet etiam respectum quendam, quo ad rem illam refertur, quæ ad se refertur, hæc enim sunt valdè distincta, vt exemplis illustrari potest: siquidem refertur creatura ad creatorem tanquam ad terminum, non tanquam ad correlatiuum, loquendo ad minus de correlatiuo quatenus dicit relationem realẽ ad terminum qui ad se referebatur, non enim in Deo creatore est relatio realis ad creaturam. Eodem modo refertur sciẽtia ad scibile, quod tamen scibile respectu scientiȩ habet tantum rationem termini, non autem correlatiui, quia non est in ipso relatio realis, qua ad scientiam referatur; at verò pater refertur ad filium tanquam ad terminum & correlatiuum, quia non tantum filius terminat relationem patris, sed ipse etiam vicissim relatione reali ad patrem refertur.

Notandum tertio. Non loquimur de Relatione mutua; certum enim est in hac vtrumque terminum habere etiam rationem correlatiui, hoc enim vox ipsa mutuæ relationis significat.

Notandum quarto. Non est etiam nobis sermo de Relatione transcendentali, de qua postea vnà cum relatione mutua & alijs dicemus *quæst. de multipl. relat.* Nam certum est posse aliquid prædicamentale relatione referri ad aliud, quod sit nõ ens; verbi gratia, mutatio refertur ad priuationem, actus quo intelligitur ens rationis, aut ens fictitium ad eadem entia. Ratio huius esse potest, quia relatio transcendens, vt dicemus, est respectus qui rei tribuitur, quatenus illa est essentialiter quidem aliquid absolutum, connotat tamen ad suum esse completum respectum aliquem & ordinem ad aliquid. Igitur quæstio est de Relatione non mutua, quam quidam volunt esse prȩdicamentalem, an videlicet id quod habet talem relationẽ, possit nominari & referri ad non ens. Dicendum enim est, si ipsa quidem sit relatio transcendentalis, de qua postea, eandem esse rationem atque de alijs relationibus transcendentalibus, de quibus nisi intelligatur Gregor. *1. s. d. 28. q. 3. concl. 4.* falsum est quod absolutè dicit posse relationem realem esse ad non ens: Quod ostendit exemplo imaginis ad imaginatũ. Præterea exemplo memoriæ ad res quæ in memoriam veniunt, quæ plerumq; esse solent non entia, vt docet Aristoteles *in lib. de memoria & reminisc.* D. Aug. 10. *de Trin. cap. 10. & 11.* Item exemplo effectus ad causam finalem; nam finis vt finis non habet esse, vbi enim res quę intenditur est habita, desinit ratio finis. Sed hæc exempla vel sunt de relationibus tantum transcendentalibus, vel certè de relationibus rationis, qualem multi volunt esse effectus ad causam finalem, quam Zons. *5. Met. q. 3* & Iauellus *5. Met. q. 6.* dicunt esse relationem realem, propter quoddam esse reale, quod ipsi fingunt habere finem prout est in anima, sed de hac re proprius locus est in physica.

Prima Propositio. Relatio realis prædicamentalis non mutua necessariò requirit terminum realem in concreto, id est, debet id ad quod res habens relationem refertur, esse aliquid reale. Ratio est, quia relatio pendet & quidem potissimũ à termino. Ergo vt sit relatio realis prædicamentalis, debet terminus etiam esse realis. Et confirmatur; opposita enim ratio est

cut id requirat relatio prædicamentalis non mutua, ab ea quam diximus facere, vt relatio transcendentalis id non requirat. Relatio enim prædicamentalis dicit formaliter accidens quoddam, quod rei superuenit tanquam ad extrinsecum, & quod non est de essentia illius, ac proinde vt faciat rem aliquam realiter relatā, debet realiter ad aliquid reale referri. Nō sic autem est de transcendentali, quia hæc relatio dicit rem absolutam secundum se, cum quodam tamen respectu ad quiduis aliud, siue sit reale, siue non.

Secunda Propositio. Relatio realis non necessariò refertur ad rem, quæ & simul terminus realis sit, & simul habeat rationem termini correlatiui. Id est, non est necessarium vt id quod aliud terminat, habeat in se relationem realem, qua referatur ipsum quoque ad terminum, cuius relationem terminat, videlicet relatio creaturæ ad creatorem secundum multorum opinionem est prædicamentalis, & tamen quamuis Deus sit terminus realis, terminans tamen hanc relationem in Deo creatore, non est relatio realis quæ ad creaturam referatur. Et hæc opinio significatur à D. Thom. 1 *p. q. 13. art. 7. & q. 28. art.* 1. & à Cap 1 *sd* 30 *q* 1. & à Scoto. *1. s. d. 31.* & à Zons. *5. Met q 27. & 29.* & à Caiet. *in D. Th. mam.* Notandum autē est D. Thomam 1 *p q 13. art 7.* appellare rationem rationis eam omnem quæ est inter ens & non ens, cum tamen certum sit posse huiusmodi relationem aliquando esse transcendentalem realem. Sed intelligendus est ad eum modum quo plerique pro eodem sumunt hæc nomina, scilicet relationem transcendentalem secundum dici & rationis.

QVÆSTIO SEXTA.

An possit aliquid vna & eadem relatione referri ad terminos specie diuersos?

Certum est Relationem vnius speciei requirere terminum etiam eiusdem speciei, hoc est, debere rem illam in qua est aliqua relatio, per eandem specie relationem respicere suum proprium terminum, vt docet D. Thom. *1. p q. 32. art. 2.* & Caiet. *ibid.* Imò etiam Arist. 5 *Met. t. 20.* vbi inquit nullum relatiuum bis dici eadem ratione, hoc est nullum relatiuum eadem relatione ad terminos specie diuersos referri. Nec est necessarium vt ille terminus, qui refertur ad alium, inueniat illum præditum eadem relatione quam is habet. Imò hoc solum reperitur in Relatiuis æquiparantiæ, vt pater refertur ad filium, nec tamen in filio eadem relatio est quæ est in patre. At verosimile ad simile refertur. Dubium solum est de patre, matre, ac filio; nam refertur filius tum ad patrem, tum ad matrem. Quæritur ergo an eadem relatione referatur filius ad patrem & ad matrem? D. Thom. *in 3 p. q. 35. art 5 d 3. & 3 s. d. 3. d 8 art. 5.* dicit esse diuersam relationem patris & matris ad filium secundum rationem, non autem secundum rem, ac proinde dicere debet filium habere duplicem relationem: Vnam ad patrem, alteram ad matrem. Caietan. ibid. dicit patrem & matrem habere paternales quasdam relationes, ac ideò nō esse mirum si possit vterq; ad eundem terminum referre. Aristotelis autem dictum intelligendum esse de relationibus totalibus. Ferrar. *1. contra gent. cap 5.* dicit esse eandem relationem materialiter, & secūdum rem, non autem formaliter. Sed probabilius videtur esse distinctas relationes patris & matris ad filium, si vera est illa sententia de qua physici & medici, matrē non esse principium actiuum generationis, sed tantum passiuum; tunc enim diuersæ erunt rationes fundandi in patre & matre, & diuersa fundamenta, & consequenter etiam diuersæ relationes. Sicut etiam diuersa est relatio quam habet materia & forma respectu totius compositi, tunc autem dicendum etiam erit filiū habere duas distinctas relationes ad patrem & ad matrem, quia respicit matrem tanquam principium actiuum. D. Thom. id defendit quod diximus de principio passiuo generationis. Tamen quod appellat solummodo relationes istas diuersas secundum rationem, nisi intelligat distinctionem secundum rationem ratiocinatam, prout idem est cum distinctione formali.

Quæstio.

formali, vt ait Ferrar. 2. *contra Gent. cap.* 11. non potest bene defendi hæc sententia; nam à parte rei, etiam nullo intellectu cogitãte, verè distinctum habet modum causandi pater & mater. Ergo etiam distinctam vtrque relationem à parte rei.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An vnum Relatiuum possit eadem relatione referri ad terminos numero distinctos?

ID est, an possit vnus terminus per eandem relationem vnam numero referri ad terminos numero differentes, verbi gratia, an possit pater per vnam relationem ad filios referri? Certum est desumi specificam diuersitatem relationum ex diuerso fundamento, & diuersa fundandi ratione, atque ex diuerso modo referendi, verbi gratia, in vna & eadem re numero, alia est relatio qua refertur pater ad filium; alia qua idem homo, qui est pater, refertur ad simile. Dubitatio ergo est, an possit aliquid per vnam & eandem relationem numero referri ad plures terminos numero diuersos? Quidam sentiunt eadem numero relatione referri terminum ad plures numero terminos, quod videtur sentire D. Thomas *apud Zons. 5. Met quæst.* 32. & 3. *2 quæst.* 35. *art.* 5. Nyphus 5. *Met disp.* 13. Ratio est, primo, quia non potest duplex accidens eiusdem rationis esse in eodem subiecto. Ergo non possunt duæ relationes numero esse in eodem termino. Secundo sequeretur patrem habentem plures filios, posse appellari plures patres. Propter quam causam Thomistæ solent dicere patrem respectu plurium filiorum habere quidem diuersos respectus rationis, non autem plures relationes. Alij autem dicunt relationem quæ est in patre prout habet vnum filium, prout postea habet plures, extendi quodammodo ad plures, quomodo explicare solent intensionem quæ reperitur in scientia aliqua; dicunt enim scientiam perfectè per primam demonstrationem, postcà verò accedente noua nouarum conclusionum cognitione non acquiri aliam habitum scientiæ, sed præcedentem eundem extendi ad sequentes demonstrationes. Sed probabilior est opinio, verè in termino relato ad plures numero terminos, esse plures etiam numero relationes. Hæc opinio est Scoti 3 *f. d.* 8. *quæst. vnica.* Pet. Tartar. *in cap de Relat.* Ant. Andron. 5. *Met quæst vlt.* Et ratio est, quia relatio dicit ordinem ad terminum. Ergo sicut distinguitur specie propter distinctum specie terminum, ita etiam distingui debet numero propter distinctos numero terminos. Confirmatur. Nam sicut dum est vnus tantum filius, est vna tantum numero relatio in patre fundata in potentia generatiua cum ratione fundandi, quæ fuit actio, ita etiam quando sunt plures filij actu, plures etiam sunt actiuæ generationes. Ergo etiam plures relationes numero. Item termini illi diuersi numero, verbi gratia, filij habent distinctas numero relationes ad patrem; ergo etiam in patre sunt relationes numero distinctæ; nam causa & causatum mutuò inter se referuntur, ergo causatum distinctum numero dicit ordinem ad causam, non quidem distinctam realiter numero, sed habentem diuersos respectus numero; nam respectu diuersorum effectuum & causatorum, habet diuersas numero causationes.

Ad primum argumentum Respondeo. Vel loquitur Aristoteles tantum de diuersis materijs, siue subiectis, quæ non possunt esse in vna & eadem re. Vel secundo tantum loquitur de accidentibus absolutis. Vel tertio denique non de quibuslibet absolutis, sed de perfectis in sua specie. Quomodo solui solet illa dubitatio de intensione & remissione, quomodo fieri possit additio gradus vnius ad alterum: nam non potest quidem in eodem subiecto duplex esse accidens & completum & perfectum, verbi gratia duo calores vt octo, tamen possunt esse plures formæ accidentales numero, quatenus concurrunt ad complendum & perficiendum vnum numero accidens; tunc enim vt sunt in subiecto, nõ sunt amplius

duo,

duo, vel tria, sed vnum numero. Itaque non est absurdum accidentia relatiua plura, imò pene infinita esse in eodem subiecto, etiam vt distincta sunt.

Ad secundum argumentum. Negatur consequentia, nam ad pluralitatem correlatorum, vt benè notat Tartaret. non est satis pluralitas fundamētorum, sed etiam requiritur pluralitas suppositorum. Vnde plures scientię quæ sunt in vno & eodem, non denominant plures scientes. Ita ergo quamuis sint plures paternitates in vno & eodem, non erunt plures patres, sed vnus idem habens plures paternitates.

QVÆSTIO OCTAVA.

An relatiuum terminetur ad aliquid absolutum & respectiuum?

SEnsus est, an id quod terminat relationem alicuius, terminet ratione absoluti quod in se habet, an quatenus formaliter est quid respectiuum; vt an filius terminet relationem patris, quatenus formaliter filius est, & ratione filiationis, propter quam ad patrem vicissim refertur, an ratione solius absoluti, quod est quid absolutiuum? Et notandum est quæstionem tam esse de eo quod terminat alterum, cum ipsum etiam habeat relationē realem, quam de eo quod terminat relationem realem alterius, nec tamen ipsum habet relationē ad illud quod terminat; Dictum enim est suprà posse relationem aliquam realem terminari ad aliquem terminum nō habentem relationem realem. Vnde quæstio est, an terminus qui terminat relationem alterius, terminet quatenus est aliquid relatiuum, siue relatione rationis, vt patet in patre & filio, scientia & scibili.

Prima Opinio. Est Caietani, 1. *p. quæst.* 13. *art.* 7. terminari semper relationem ad terminum ratione respectiui, non autem absoluti ratione eiusdem, siuè hoc respectiuum & hæc relatio terminum terminantis sit realis relatio, siue rationis. Et vult hanc opinionem communem esse omnium Peripateticorum & Philosophorum. Probatur primo, Relatiua definiuntur quorum esse est ad aliud, sed hoc *aliud* est correlatiuum, siuè terminus ratione sui respectiui: Nam Aristoteles *cap. de Relatione* dicit seruum non referri ad dominum quatenus homo est, vel ob aliam vllam rationem, sed quia dominus est. Et Auerroes in eundem locum dicit id, ad quod terminatur relatio, debere pertinere ad prædicamentum relationis. Sed ad prædicamentum relationis nihil nisi respectiuum pertinet. Ergo terminus terminat quatenus est quid respectiuum. Secundo. Debet vnum relatiuum siue terminus poni in definitione alterius, teste eodem Aristotele ibid. Sed nisi ponatur ratione respectiui quod dicit, non poterunt interdum Relatiua definiri, nec cognosci, verbi gratia, refertur creatura ad creatorem. Si ergo terminat creator relationem creaturæ non secundum quid respectiuum, quamuis rationis, debebit definiri creatura per creatorem ratione absoluti ipsius creatoris. At creator ratione sui proprij absoluti non potest à nobis in hac vita cognosci. Ergo non posset assignari vera creaturæ vt creatura est definitio. Tertio, Vnum correlatiuum ponitur in definitione alterius, sed per se etiam terminus terminat ratione absoluti. Ergo ad definitionem vnius relatiui præter correlatiuum debet poni etiam fundamentum, hoc est, illud absolutum. Quarto & vltimo. Relatio diuina est vera relatio, sed relatio non potest verè terminari ad aliquid absolutum. Ergo relatio simpliciter loquendo non terminatur ad aliquid absolutum. Maior huius argumenti videtur ab omnibus concedi. Minor est certa de fide: nam relatio diuina tantum refertur ad id cui opponitur, & à quo distinguitur. Sed hoc nullo modo potest esse quid absolutum, quia tam relatio, quam persona diuina per illam constituta est planè indistincta ab omni eo quod est in diuinis absolutum; hoc enim est essentia diuina, à qua nullo modo distinguuntur personæ ipsæ.

Secunda Opinio. Est Zonf. 5. *Met. q.* 30. præsertim in responsione ad secundū argumen-

gumentum. Hic Author duo dicit. Primo, Terminari relationem ad aliquid absolutum, vt, inquit ille, pater non terminatur ad filiationem, sed ad fundamentū filiationis. Secundo, De relationibus quæ non sunt mutuæ & reales ex vtraque parte, affirmat etiam terminari ad aliquid absolutum, non tamen posse terminum terminare relationem, nisi habeat quendam respectum saltem rationis. Et quamuis in il a quæstione per se potissimum loquatur de his relationibus, quas appellat tertij ordinis, seu tertij fundamenti, vel mensuræ veritatis, tamen quantum colligi potest ex ijs quæ ibidem dicit, eandē vult esse rationem aliarum quoque relationum. Itaque secundum illum relatio scientiæ terminatur ad scibile, propter aliquod absolutum quod est in scibili, nec tamen scibile ratione eiusdem absoluti terminaret, nisi accederet quidam respectus rationis in scibili, propter quem scibile ad scientiam refertur. Quo loco etiā dicit non esse scibile relatum ad scientiā propter relationem scientiæ qua scientia refertur ad scibile, quæ est opinio Caietani, & videtur significari à D. Thoma 1. p. *art. 1. q. 6 ad 1. & q. 13. art. 7 in corpore, & ad quartum*, de qua re paulò post.

Tertia opinio. Est Ferrar. 2. *contra Gent. cap. 11.* vbi dicit relationem non mutuam terminari ad aliquid absolutum, nihil autem affirmat de alijs.

Quarta opinio. Est Scoti *1. s. d. 30 q. 1.* Relationem terminari ad aliquid absolutū. Ratio illius est hęc vnica & infirma, quia debet vnum relatiuum definiri per alterum. Ergo debet accipi vnum relatiuum in definitione alterius, quatenus quadam ratione est quid prius illo quod definitur: nam ex Aristotele debet definitio tradi per priora; sed relatiuum quatenus formaliter est relatiuum, non est altero prius. Ergo debet terminare ratione absoluti, & non respectiui.

Quinta opinio. Colligitur ex Tartareto *in cap. de Relat. art. 1. dubio 4.* Qui dicit primo relationes quasdam terminari ad absolutum, & fundari in absoluto, vt, inquit, similitudo inter duo alba. Secundo, alias, inquit, sunt relationes fundatæ in aliquo respectu, & quæ etiam ad aliquid respectiuum terminantur, qualis, inquit, est distinctio inter duas similitudines, vnius inter nigra, alterius inter alba. Tertio dicit alias relationes esse quæ fundantur in absoluto, & terminantur ad respectiuum, vt relatio distinctionis albedinis à similitudine. Quarto dicit alias esse relationes quæ fundantur in respectu, & terminantur ad absolutum, talis est relatio distinctionis similitudinis ab albedine.

Prima Propositio. Terminus vt terminat relationē, nō necessariò requirit respectū rationis, si realem non habet, verbi gratia vt scibile sit terminus relationis scientiæ, cum nō habeat respectum realem ad scientiam, non est necessarium vt in illo concipiatur respectus rationis, propter quem referatur ad scientiam, ita vt non aliter terminet relationem scientiæ. Probatur, nam ante omnem cogitationem intellectus realis est relatio scientiæ ad scibile. Ergo hæc relatio ante omnem etiam cogitationem habet terminum suū ad quem terminetur, sed hic non est alius quam scibile. Ergo terminat scibile ante omnem cogitationem intellectus, & consequenter sine respectu rationis. Confirmatur; nam fatente etiam Zons. scientia habet relationem realem ad scibile, sed ad relationem realem nullus respectus necessarius est. Ergo habet etiam realiter sine vllo respectu rationis suum terminū: quod si velit Zons. non posse scibile terminare relationem scientiæ sine respectu rationis, quem aptum sit scibile quod terminat relationem dictam habere, hoc modo id facilè illi concedi potest; non tamen inde sequitur non terminare sine hoc respectu, imò cum ipse dicat terminare quatenus est quid absolutum, videtur consequenter loquendo debere excludere omnem respectum rationis.

Secunda Propositio. Relatiuū reale, quod refertur ad aliud, in quo non est relatio realis, seu relatiuum non mutuum, terminatur ad aliquid absolutum. Ratio, quia cum in hoc quod terminet nulla ponatur esse relatio realis, non potest terminare ratione

ratione respectiui realis, quia nihil tale includit. Et in hoc benè videtur sentire Ferrar. imò etiam non est opus vt hic terminus terminet ratione conceptus & relationis rationis, quia, vt diximus, hic respectus rationis aduenit rei post realem terminationem. Quod affirmare videtur D. Thom. *q. 7. de potentia, art. 10. ad 4.* vbi loquens de relatione Domini quæ in Deo reperitur, dicit appellari Deum Dominũ, non ratione relationis Domini, quæ reperitur in Domino respectu serui; nam Deus nullius relationis extrinsecæ capax est. sed quatenus, inquit, terminat verè relationem serui prout Dominum respicit; & ratione etiam potentiæ coërcitiuæ quę in Domino reperitur. Idem etiam dici potest de relatione filiationis Christi respectu Diuæ Virginis: nam secundum D. Thomam 3. p. *q. 35. art. 5.* quamuis dicatur Christus realiter filius Diuæ Virginis, non tamen habet relationem realem filiationis respectu eiusdem, sed perinde realiter filius dicitur, quomodo & creator & Dominus.

Tertia Propositio. Nullus terminus terminat relationem alterius per relationem quæ in altero sit; verbi gratia non terminat scibile relationem scientię per ipsammet relationem realem scientiæ ad scibile. Hoc est contra Caietanum. Ratio est, quia relatio in eo esse debet quod denominat. Ergo relatio scientię solùm in scientia est: nã scibile non denominatur scientia. Et confirmatur, quia hæ relationes sunt oppositæ. Ergo non possunt esse in vno & eodem respectu eiusdem. Non ergo potest in scibili esse relatio scientię. Vt ergo scibile referatur ad scientiam, cum non habeat ad illam relationem realem, referetur tantum, vt à nobis concipitur in re scibili respectus quidam ad scientiã. Hinc sequitur non alio modo esse mutuã relationem scientiæ & scibilis, nisi quem modo diximus, id est, si consideretur in scibili respectus quidam rationis. Quod si aliud velint Greg. 1. *s. d. 28. q.* 3. Caietan. & Zons. *supra*, appellantes hanc relationẽ mutuam, falsa est illorum sententia.

Quarta Propositio. Relationes mutuæ reales, quantum est ex se, non terminantur ad respectiuum, sed ad absolutum. Probatur primo, Quia, vt diximus, aliud est esse terminum, aliud esse correlatiuũ. Esse enim terminum nihil aliud est, quam esse id quod ab altero respicitur, & quod terminet alterius dependentiam. Esse verò correlatiuum, dicit præterea in se habere quandam relationem, propter quam ad aliud mutuo referatur quod terminat, & hoc est per accidens, ad relationem rationis. Exemplum esse potest: Cum iacitur sagitta, scopus in quem dirigitur sagitta, habet rationem scopi tantum, quatenus excipit sagittam, ac veluti terminat ictum sagittæ; quod autem ob sui duritiẽ retrò sagittam directam mittat, hoc est planè per accidens. Secundo, Probatur inductione: Nam filius habet tantum per se quod terminetur ad patrem, non quatenus pater est formaliter, sed quatenus à patre accepit esse, & quatenus pater genuit. Vnde si per impossibile concipi posset pater vt generans, & non vt habens relationem paternitatis, quę consequitur, nihilominus terminaret relationem filiationis. Et confirmatur; Quia in relationibus non mutuis, quæ sunt verè relationes reales, id est supra probatum. Tertio Probatur. Relatio in communi dicit rationẽ quandam, qua res ad aliud referatur. Ergo in communi & ex natura sua tantum dicit terminari in aliquid absolutum. Alioqui cum terminari in aliquid respectiuũ dicat etiam in termino terminante aliquam relationem, non posset vna ratio relationis in communi abstrahi à rationibus particularibus. Nam terminus hic habens relationem, per se intrinsecè terminatur ad terminum habentem relationem; & quatenus habet relationem. Ergo non poterit ratio relationis conseruari nisi inter duas relationes, quia non potest relatio per se conseruari, nisi terminetur ad aliquid respectiuum. Dixi quantum est ex se, quia, sicut suprà dictũ est, posse aliquam relationem fundari in aliqua alia relatione, & esse inter duas relationes; ita etiam fieri potest vt relatio aliqua terminetur ad aliquid respectiuum;

verbi gratia est similitudo inter duas paternitates, hæc paternitas terminatur ad aliam quæ est aliquid respectiuum, tamē hoc est per accidens, quia non alio modo terminatur ad vnam paternitatem vna paternitas, quam terminetur vnum album simile ad aliud album, ratione absolutæ albedinis, nec enim vna paternitas terminat relationem alterius paternitatis similis ob relationem quam ipsa habet similitudinis, sed ob ipsammet paternitatem absolutam, vel ob vnitatem quæ est ratio fundandi.

Quinta Propositio. Quæ dicta sunt, intelligi debent de Relationibus quæ sunt inter creaturas, non autem de diuinis, illis præsertim, quę appellantur Relationes ad intrà; nam quæ sunt relationes ad extrà, etiam ipsæ terminantur per se loquendo ad aliquid absolutum, quamuis sint tantum relationes rationis, verbi gratia relatio rationis creatoris, vel domini, terminatur ad creaturam, vel seruum, ratione esse absoluti quod habet creatura, non autem propter respectum & relationem realem, quam habet creatura ad creatorem. Probatur propositio: Est enim magna diuersitas Relationum diuinarum intrinsecarum à relationibus creaturarum; nam relationes diuinæ sunt subsistentes & substantiales, & sunt omnibus modis idem cum natura, in illis idem est relatiuum & relatio ipsa, terminus, fundamentum, & relatio, nempè terminus qui habet relationem, siue terminus qui est subiectum relationis. Denique cum tota distinctio personarum diuinarum sit ratione solius oppositionis relatiuæ quæ est inter ipsas, necessariò debet vna relatio terminari ad aliud quatenus relatiuū est. Et cum idem sint relatio & absolutū, non potest concipi relatio vt terminata ad absolutum, quia terminus est quid distinctum ab eo quod terminatur.

Ad primum argumentum. Patet ex dictis; nam in hac definitione Relatiuorum aliud supponit pro termino formaliter vt terminus est, non autem pro termino correlatiuo, vt patet in relatiuis non mutuis. Notandum est terminum posse duplicitet considerari: Vel ratione illius absoluti, propter quod terminat relationem alterius, quod si in se & secundum se sumatur, pertinet ad diuersa prędicamenta. Vel quatenus habent terminare relationem alterius, & sic reductiuè saltem dici possunt spectare ad prędicamentum relationis; & hoc tantum voluit Auerroes. Ad illud autem exemplum de domino & seruo, Respondeo, referri tantum ad rem quæ denominatur dominus, non tamen propter relationē illam formaliter sumptam, ita vt dominus non habeat terminare relationem serui nisi ratione dominij, sed terminat dominus relationem serui propter suum fundamētum, quod fundamentum est distinctæ rationis à quacunque alia re, quæ in domino esse concipiatur.

Ad secundum argumentum, Resp. Creatura propriè tantum terminatur ad creatorem ratione absoluti, nempè actionis creatiuæ, quæ est ipsemet Deus, quamuis non possit id rectè à nobis cognosci, nisi per aliquam habitudinem & respectum.

Ad tertium, Respondeo. Per se in definitione vnius relatiui non debet poni terminus vt dicit aliquid respectiuum, sed tantum vt terminat, quia relatio hoc solum intrinsecè dicit esse rationē propter quam vnum ad aliud referatur, & terminetur. Quod autem soleat aliquando, dici vnum relatiuum definiri per suum correlatiuum, hoc solet esse, quia non distinguendo has duas formalitates, termini vt terminus est, & vt est quid respectiuum, pro eodem nonnunquam vsurpantur terminus & correlatiuum, præsertim quia in relationibus mutuis, quæ sunt nobis quā cæteræ magis obuiæ & cognitæ, illud idem quod terminat relationem alterius, solet etiam esse correlatiuum eiusdem, & quia absolutum illud quod in vno termino est causa terminandi, solet annexam habere relationem ad terminum terminatum, verbi gratia in patre & filio.

Ad quartum, Respondeo. Patet ex dictis in vltima propositione. Confirmantur autem quæ dicta sunt ex Aristotele *cap. de Relatione*, vbi afferens hanc proprietatem

Relationis vt fint simul natura, exclusit Relationem quæ est inter scientiam & scibile, nempè quia scibile ita terminat relationem scientiæ, vt non simul habeat relationem realem, per quam ad scientiā referatur; loquendo tamen in communi de quauis relatione reali, siue mutua, siue non, potest dici in hoc sensu concedi, terminari relationē ad aliquid respectiuū, quatenus non potest terminus concipi vt quid positum in definitione relationis, seu aliqua veluti correspondentia; & reciproca relatione ad id quod terminat, quomodo D. Thom. 2. *contra Gent. cap. 11. ratione 2.* inquit non posse intelligi aliquid dici relatiuè ad alterum, nisi illud relatiuè etiam dicatur ad ipsum, vt rectè *ibid.* exponit Ferrar.

Obijcies. Absolutum quod est in terminante, potest esse fundamentum diuersarum relationum. Ergo vt terminet diuersas relationes, non debet terminari ratione absoluti, quod idem est, sed ratione respectiuorum diuersorum; verbi gratia eadem albedo in pariete est fundamentum similitudinis & dissimilitudinis. Ergo relationem similitudinis quæ in altero est, terminat, quatenus est similis, relationem dissimilitudinis quatenus dissimilis est. Ergo terminat ratione respectiuorum. Respondeo. Non debet in fundamento attendi sola entitas materialis, sed simul etiam ratio fundandi, quæ quia diuersa est in eadem albedine respectu similis & dissimilis, diuersarum etiam relationum esse potest terminus vt absolutum quid est, non autem respectiuum; similitudinis enim fundamentum est albedo propter rationem fundandi, quæ est vnitas, dissimilitudinis autem propter quantitatem, seu multiplicitatem, quæ est etiam ratio fundandi.

QVÆSTIO NONA.

De multiplicitate Relationis.

NOn loquimur de multiplici relatione quæ est penes fundamenta diuersa, vel penes terminos siue specie, siue etiam numero differētes, de hoc enim modo satis multa dicta sunt, sed sermo est de multiplici veluti acceptione relationis: quamuis enim multa dicta sint in superioribus, quæ conuenire possint prædicamentali relationi, & transcendentali, & etiam aliquo modo relationi rationis, tamē vt hæc ipsa diuersitas relationum melius intelligatur, necessariò explicandæ sunt relationis secundum varias acceptiones diuisiones, vt tandem statuamus quænam sit relatio prædicamentalis. *Prima diuisio.* Relatio alia est realis, alia rationis. De relatione rationis infra dicemus. Realis est, quæ habet à parte rei saltem fundamentum reale. *Relationis diuisiones.*

Secunda diuisio. Realis alia est substantifica, alia transcendentalis, alia prædicamentalis. De prædicamentali dicemus quæstione sequenti. Relatio substantifica est relatio quæ ex se est & intrinsecè est substantia, & facit substantiam, & talis tantum reperitur inter personas diuinas. Transcendentalis est, quæ vagatur per omnia prædicamenta, vel multa, & est ordo quidam intrinsecus, & quodammodo essentialis rerum absolutarum, prout illæ dicunt naturam quidem absolutam, connotant tamen respectum ad aliud. Huius relationis nō est ita frequens mentio atq; expressa apud veteres Authores. Caietanus solus, quod viderim, meminit huius relationis sub hoc nomine 1. *p. q. 77. art. 4.* vbi inquit, conuenire hanc relationem entibus quæ imaginamur esse veluti media inter entia absoluta & totaliter relatiua. Exemplum est in materia respectu formarum, saltem substantialium, ad quas habet materia respectum intrinsecum & essentialem. Ponit etiam Caietan. exemplum potentiæ prout refertur ad actum & obiectum, & in motu prout dicit ordinem ad terminum. Idem legendum est *in libro de Ente & essentia.* Gregorius 1. *sen. dist. 2*[?]*. quæst. 5.* significare videtur hanc relationem sub nomine communissimæ & largissimæ relationis, quomodo, inquit, nomina substantiarum dicuntur esse relatiua, vt pes, manus &c. & nomina etiam qualitatum, vt potentia, habitus &c. quod Aristot. *in cap. de Relatione* significauit, hoc ipso exemplo vtens

substan-

substantiarum incompletarum, comprehendi quidem dicens illas sub definitione priore relatiuorum, non autem sub posteriori. *Et cap. de qual.* in vltimis verbis, dicit, non esse absurdum rem eandem poni in prædicamento qualitatis & relationis, vbi de scientia loquitur. Hæ ergo relationes transcendentales, dicunt respectum quendam intrinsecum, qui ipsi fundamento conuenit, ita vt non possit fundamentum sine illo concipi, qualem dicunt esse relationem & respectum materiæ ad formas. Et hęc doctrina, vt monet *ibid.* Caietanus, valdè vtilis est ad pleraq; intelligenda, quæ de materia, forma, motu, alijsque generis eiusdem dici solent à Philosophis. Cõfirmatur quod sint huiusmodi Relationes; nam videmus alia prædicamenta euadere quodammodo transcendentia, vt substantia quatenus significat essentiam cuiusuis rei; quãtitas quatenus significat multitudinem quę in omni prædicamento reperitur; qualitas quatenus significat formam quæ de alio in quale prædicatur. Sed hoc habet peculiare relatio, quod vagari dicatur per omnia prædicamenta. Primo, Quia in omnibus ferè habet sua fundamenta. Secundo, quia relatio, vt iam dictum est, reperitur in omni prędicamento, ita vt tamen relatio illa pertineat ad illa prædicamenta. Denique relatio facit distinctum prædicamentum, qua ratione prędicamentalis, non autem transcendentalis.

Tertia diuisio. Apud *Zons. 5. Met. q* 30. Relatiua alia dicuntur esse per se, alia per accidens. Per se illa etiam dicuntur, quæ formaliter significãt respectum, vt pater, filius, dominus, seruus. Per accidens, quæ non significant respectum, sed sunt res quibus respectus accidit, vt homo, paries, lignum &c. Colligitur ex Aristotele 5. *Met. t.* 20. vbi rectè eam explicat Auerr. poteſtque intelligi tam de relationibus realibus, quam rationis.

Quarta diuisio. Alia relatio dicitur esse secundum dici, alia secundum esse. Per relationem secundum dici nõ idem omnes intelligunt: Nonnulli dicunt relationem secundum dici esse omnem illam quæ est non mutua, qualis esset relatio scibilis ad scientiam, creatoris ad creaturam. Alij autem intelligunt relationem rationis, quæ appelletur secundum dici, quia potius consistit in conceptione nostra & dictione, quam quod à parte rei sit vera relatio, & in hoc sensu relatio secundũ esse erit omnis relatio realis. Hoc modo loqui videtur D. Thom. 1 *p q.* 13. *art.* 7. vbi omnem relationem, quæ est inter ens & non ens, appellandam vult relationem rationis. Sic etiam loquitur Herm. *tract. de secund. intent cap.* 19. *ad tertium.* Zons. per relationem secundum esse intelligit ea omnia relatiua, quæ ex propria significatione sua vi appellationis significant relationem aliquam; siue relatio sit realis, siue rationis. Hoc modo erit relatio secundum esse, patris & filij, generis & speciei, &c. Relationem autem secundum dici eam esse ait, quæ in ijs reperitur, in quibus nõ est relatio per se expressa, sed cum sint quid absolutum, habent tamen annexum quendam respectum. Talis est relatio scientiæ. Hoc expressè docet D. Thom. *q* 7 *de potentia, art.* 10. *ad* 11. appellans relationem secundum esse eam, quæ est inter dextrum & sinistrum, secundum dici eam, quæ est scientiæ ad scibile. Sic etiam loquitur Soto *in hoc capite* Nihilominus videtur nunc vsus inualuisse vt accipiatur relatio secundum esse pro prædicamentali, & secundum dici pro transcendentali, quod significare videntur Caiet. & Greg. *loc. cit.* & Tartar. *in hoc ca.* Tunc autem relatio transcendentalis dicetur ideò relatio secundum dici, quoniã nomen relationis, quod propriè tantum competit prædicamentali, est attributum & dictum de relatione transcendentali, quo minus propriè relatio est. Vnde Tartar. dicit relationem in transcendentalem & prædicamentalem & relationẽ secundum esse & secundum dici, esse diuisionẽ æquiuoci in æquiuocata, sicut diuisio hominis in viuum & pictum, qui tamen loquendi modus non est proprius, habent enim hæ relationes maiorem quandam conuenientiam quam in solo nomine. Hoc modo etiam de diuisione secundum

esse & dici loqui videntur Interpretes, præsertim Simplicius, Ammonius & Boetius. Imò verò non obscurè id indicat Aristoteles in duplici illa relatiuorum definitione, quam *in cap. de Ad aliquid* tradit, in quarum prima relatiua definit per dici, in secunda per esse. Igitur à nobis accipiatur relatio secundum dici pro transcendentali, relatio secundum esse pro prædicamentali.

Quinta diuisio relatio alia est mutua, alia non mutua, de qua optimè D. Thom. *1. p. q. 13 art. 7.* Hæc diuisio non conuenit vni alicui relationi, sed rebus pluribus inter se collatis: Dicitur enim relatio mutua, cum ea, inter quę est relatio, mutuum habent respectum; non mutua, cum non habent. Aliæ autem diuisiones suprà assignatæ, possunt etiam de vna relatione dici, vt quod vna sit realis, vel rationis, vel transcendentalis, vel secundum esse, vel secundum dici &c. Colligitur hæc diuisio ex Aristotele 5. *Met. t. 20.* vbi relatiua tertij fundamenti, vel fundata in mensura, dicit sic se habere, vt vnum sit ordinatum ad aliud, non tamen è contrà. Sic etiā hanc diuisionem intelligunt omnes Interpretes, & Ferrar. 2. *contra Gent. cap. 11.* tamen Zons. 5. *Met. q. 30. concl. 1.* affirmat, relationem mutuam reperiri etiam in relationibus tertij fundamenti; nam non solum, inquit, refertur mensura ad mensuratum, sed etiam mensuratum ad mensuram, vt non tantum scientia ad scibile, tanquam ad mensuram suam, sed etiam scibile ad scientiam tanquam ad mensuratum. Gregorius etiam 1. *s. d. 28 q. 3.* idem affirmat. Caietanus *1. p. q. 13 art. 7.* inquit, Omnia relatiua realia secundum Aristotelem esse ex vtroque termino relatiua, hoc est habere mutuam relationem, sed propterea appellari non mutuam, quia aliquando vnum refertur per relationem realem, quam alterum habet ad se; quomodo, inquit, refertur scibile ad scientiā per realem relationem scientię ad scibile. D. verò Thomam, & alios dicere in vno ex istis extremis esse relationem rationis, quia apprehēditur illud extremum, quod non habet relationem realem in se, per quam referatur, vt relatum ad aliud per relationem rationis, perinde atque si haberet in se relationem à qua formaliter denominaretur. Sed contra Caietanum satis multa dicta sunt *suprà q. 8.* vbi probatum est non posse vllum terminum referri ad alterum per relationem quæ in altero sit, & in particulari etiam id probatum est de scientia & scibili. Imò D. Thom. *contr. Gent. cap. 3.* dicit non posse vnum terminum ad alium referri per denominationem extrinsecam. Et confirmatur. Si scibile referretur ad scientiam relatione aliqua reali, vel quatenus scibile est mensura, vel quatenus est mensurabile. Non quatenus est mensurabile; quia secundum Aristotelem ipsum non habet rationem mensuræ. Non quatenus mensura; quia, secundum Caietanum, refertur scibile ad scientiam eadem relatione qua scientia ad scibile. Sed scientia refertur ad scibile tanquam mensurabile ad mensuram. Ergo etiam & scibile. Præterea, si scibile refertur realiter ad scientiam, ergo realiter ordinatum est ad scientiam, sed hoc expressè negat Aristot. 5. *Phys. t. 20.* de relatiuis mensuræ; ait enim vnum tantū realiter ordinari ad aliud, non autem alterum, sed scientia realiter ordinatur ad scibile, non ergo scibile realiter refertur ad scientiam. Quomodo autem intelligatur hoc ipsum, quod dicit Aristot. *ibid.* referri vnum terminum relationis fundatæ in mensura ad alium terminum, quia ille terminus realiter ad ipsum referebatur, suprà exposuimus in hoc sensu quod id quod nō realiter ad aliud refertur, ideò dicatur referri, quia aliud ad se refertur, quoniam propter hanc causam potest à nobis concipi relatio quędam rationis in hoc termino. Iand. 5. *Met. q. 26.* vbi idem dixit quod Caietanus, affert & aliam explicationem huius dicti Aristotelis, nempè vt dicantur relatiua mutua, quę distinctis exprimuntur nominibus, vt relatio patris & filij: dicantur autem nō mutua, cum nomen vnius termini casu & deriuatione tractum est à nomine alterius, qualis, inquit, est relatio inter scientiam & scibile, inter creaturam & creatorem. Sed

videtur hæc explicatio friuola. Dicetur ergo esse ex relationibus realibus quasdā mutuas, quæ nimirum habent in vtroque termino fundamentum eiusdem ordinis, hoc est cum vnum est ordinabile ad aliud, etiamsi materialiter loquendo fundamēta sint diuersorum prædicamentorum. Talis dicitur esse relatio inter ea quę fundantur in actione & passione, vel in quātitate & qualitate, & alijs, &c. Dicuntur autem relationes non mutuæ, quando vnum nō est ordinabile ad aliud. Talis est relatio omnis fundata in mensura, vt relatio scientiæ ad scibile, inter creatorem & creaturam, Ita D. Tho. *q. 7. de potentia. art. 7. & 10.* Et Ferrar. *2. contrà gent. cap. 11.* Notandum autem circa relationem inter scientiam & scibile, inter sensum & sensibile, posse accipi scibile duobus modis; Vel quatenus dicit obiectum potentiæ, quod cōcurrit quoddammodo ad actum potentiæ. Et hoc modo est relatio realis inter scientiam & scibile. Vel potest considerari sensum & sensibile, quatenus est terminus quidam scientiæ, & sic habet tantum relationem rationis, quia obiecto ex eo quod intellectum fit, nulla aduenit relatio realis, & in hac acceptione videtur vulgo accipi solere scibile & sensibile, pro eo nimirum quod sciri & sentiri potest. Aliqui dicunt si accipiatur scientia & scibile quatenus sunt eiusdem prædicamenti, hoc modo posse inter illa esse relationem mutuā; vt si conferatur scientia de albedine cum albedine, quoniam pertinent ad idem prædicamentum qualitatis. Sed non probatur nobis hæc sententia; siquidem esse scibile quatenus scibile est, habet semper rationem mensuræ ad scientiam, non ergo potest respectu cuiuscunque scientiæ, hoc est quamuis sit eiusdem prædicamenti cum scientia, habere relationem eandem realem & mutuam, tamen quatenus scientia & hoc scibile pertinens ad prædicamentum qualitatis conueniunt in eo quod sunt qualitas, possunt dici habere inter se mutuam relationem fundatam in vnitate generica. Ad relationes mutuas & non mutuas referuntur, ad illas quidem omnes illæ quæ habent, vt diximus, fundamentum eiusdem ordinis; ad hanc autem in particulari reuocatur relatio creatoris ad creaturam; nec enim in creatore, ad quem realiter creatura refertur, vlla esse potest relatio realis, qua etiam ipse ad creaturam referatur, vt communiter docent omnes Scholastici, præsertim D. Thom. *1. p. q. 13. art. 7. 3. p. quæst. 2. art. 7. 2. contrà gent. cap. 12.* Scotus *1. sent. dist. 30. quæst. 1. & 2. & alibi.* Præter hos paucos Gabriel, *1. s. dist. 30. q. 5.* Marsil. *1. p. quæst. 30.* Durand. *1. s. d. 30. q. 3.* Gregorius, *1. s. dist. 28. quæst. 2.* Vltimo notandum circa hanc diuisionem, relationes mutuas non modo reperiri in relationibus realibus prædicamentalibus, sed etiā in relationibus transcendentalibus, vt in materia & forma, vt in capite & capitato, &c. & præterea in relationibus rationis, vt inter genus & speciem.

Sexta diuiso. Relatiua alia sunt æquiparantiæ, alia disquiparantiæ. Illa sunt quæ eodem nomine significantur, & habent fundamentum eiusdem planè rationis & speciei, & non tantum eiusdem ordinis, vt dicitur simile simili simile &c. Ista autem sunt, & quorum fundamenta sunt diuersæ speciei, & diuersis nominibus designantur; vt pater & filius, dominus & seruus. Quæ iterum subdiuiduntur, vt ex his relatiuis vnum appelletur superpositionis, alterum suppositionis. Relatiuum superpositionis est, quod respectu alterius habet quandam superioritatem potestatis & dominij, vt pater respectu filij. Terminus suppositionis est, qui significat inferioritatem, ac veluti subiectionem, qualis est filius respectu patris. Alij plures alias afferunt diuisiones, sed quæ sunt minoris momenti, quas videre potes præsertim apud Tartaret. *in hoc caput.* Scotus inter alios affert quandam nouam diuisionem *3. s. dist. 1. q. 1. & in 4. s. dist. 6. quæst. 10. & d. 13. q. 1. & in quodlib. q. 11. art. 1.* in relationem extrinsecus & intrinsecus aduenientem, seu in relationem extrinsecam & intrinsecam. Intrinsecam vocat eam quæ rei aduenit necessariò, supposito fundamēto & termino, qualis est similitudinis in pariete albo,

suppo-

supposito alio subiecto albo. Ex his relationibus quædam etiam est quæ necessariò sequitur ad positionem fundamenti, qualis est relatio creaturæ ad creatorem, ita vt non possit fundamentum esse, quin necessariò sequatur hæc relatio; & istam volebat Scotus non distingui realiter à fundamento, alias autem distingui. Relationes extrinsecas vocat, quæ nō sequuntur posito fundamento & termino, sed eget aliquo alio extrinseco, verbi gratia, debita applicatione. Tales vult esse omnes relationes quæ sunt in sex vltimis prædicamentis: nam posito verbi gratia, corpore aliquo, & posito loco aliquo Ierosolymis, non necessariò sequitur relatio corporis illius ad locū illū, sicuti necessariò sequitur similitudo huius parietis albi ad parietē album qui est Ierosolymis. De hac distinctione infrà agentes de sex vltimis prædicamentis dicemus. Interim lege Herueum *quodlib. q.9.* Cap. *1.4. s d 6.* Zon. *5 Met q. 39.* Soto *in hoc cap & in cap. de actione, & 5. Phys q 2. art. 2* Libet etiam obiter id Scoto obijcere: nam vel loquitur de fundamento remoto, vel de proximo. Si de remoto, nec etiam hæ relationes, quas vocant intrinsecas, necessariò sequuntur posito fundamento & termino, sed necessaria prætetea est ratio fundandi, seu fundamentum proximum. Si autem loquitur de fundamento proximo, non minus sequuntur ad positionem fundamenti & termini relationes quas vocat extrinsecas, quam relationes intrinsecæ, vt ex eo quod corpus in hoc loco ponatur, statim consurgit relatio locati ad locum, seu relatio vbi. Igitur hæc diuisio relationis in intrinsecam & extrinsecam, si ad hunc modum intelligatur, non est idonea, potest tamen in hoc alio sensu bona esse, si per relationem intrinsecam intelligamus eam, quæ aduenit rei propter fundamentum quod est forma quædam intrinseca rei. Hoc modo erit relatio intrinseca similitudinis vnius albi ad alterum, quia resultat ex fundamento quod est forma quædam intrinsecè inhærens subiecto, extrinseca verò relatio erit, quę non conuenit rei propter fundamentum, quod sit forma quędam intrinseca, cuiusmodi est relatio patris ad filium, omnisq; causæ efficientis ad effectum, si vera est illa sententia: Actionem non esse subiectiuè in agente, sed in patiente, cum tamē agens dicatur verè habere relationem agentis.

QVÆSTIO DECIMA.

Quæ Relationes ad prædicamentū pertineant?

HAud dubiè sola prædicamentalis, quęnam tamen ista sit, hoc demum quæritur. Est verò potissimum dubitatio de relatione secundum dici, & de relatione non mutua, vbi supponendum est quod suprà diximus ex authoritate Auer. id ad quod relatio terminatur, quadam ratione spectare ad prædicamentū relationis.

Prima Propositio. Genus ipsum summum relationis nihil aliud dicit, quam in communi rationem referendi, propter quam vnum ad aliud ordinem habet, ita vt hæc ratio & hic ordo sit accidentalis, nulloq; modo spectans ad rationem eius quod referri dicitur. Habet hoc genus sub se species distinctas propter distinctam referēdi rationem, vndè quamuis ea, in quibus relatio reperitur, sint vel distinctæ speciei, vel distincti generis, tamē si nō sit alia atq; alia referendi ratio, non erit appellanda diuersa specie relatio, verbi gratia, est similitudo inter duo alba, & duo alia alba, est etiam similitudo inter duo nigra, tamen quamuis albedo & nigredo sint distinctæ specie qualitates, nihilominus hæ similitudines non videntur differre specie. Imò, quod plus est, nisi aliquando res sint distincti generis & prædicamenti, adhuc tamen relatio, quæ in illis est, appellari poterit solo numero diuersa. Quia hæ relationes idem habent specie fundamentum proximum, nempe vnitatem similitudinis, manente verò eodem fundamento, manet vniuersale, sicut eo mutato, statim mutatur vniuersale. Verbi gratia, similitudo quæ est inter qualitates, item æqualitas inter quantitates, identitas inter substantias, solo numero nobis videntur differre. Ratio est, quia idem est referendi modus, & eadē ratio qua tū simile simili simile est, tum ęquale ęquali æquale,

æquale, tum vna ſubſtantia eadem cum alia ſpecie vel genere Denique eadem eſt in his omnibus identitatis ratio ſpecificè, vel genericè. Ergo eadem eſt ſpecie relatio.

Obijcies Similitudo inter alba cum alia etiam ſimilitudine inter alia alba, magis conuenit cum ſimilitudine alborum, quã cum ſimilitudine nigrorum. Ergo hæ ſimilitudines differunt plus quam numero Reſpondeo, Ex parte quidem rei materialis maior eſt vel conuenientia, vel diſtinctio, tamen ratione eius quod ſe habet vt formale relationis, non eſt diſtinctio alia præter numericam; quia idem eſt referendi modus ſpecie in his omnibus, nec eſt mirum quod poſſint aliqua ſolo numero differre; vt tamen vnum pluribus nominibus differre dicatur numero quã alterum: verbi gratia, producatur hoc tẽpore in aqua frigida calor, vnus aut alter gradus, ceſſante hac actione, & redeunte aqua in priſtinum frigiditatis ſtatum, producatur poſtea alio tempore calor, haud dubiè calor ante productus, & calor poſtea productus numero differunt. Accipiant iſtis temporibus alia diſtincta ſubſtantia, ita vt in vno producatur in tempore præcedente calor, & in alio tempore in alio etiam ſubiecto producatur calor, hi calores erunt diſtincti ſolum numero, & tamen plures ſunt cauſæ numericæ diſtinctionis horum calorum productorum diuerſis temporibus in diuerſis ſubiectis, quam calorum productorum diuerſis temporibus in eadem aqua. Ergo eodem modo, quamuis duæ ſimilitudines inter alba numero differant, poterunt etiam numero ſolum differre ſimilitudo inter alba, & ſimilitudo inter nigra, quãuis harum poſteriorum ſimilitudinum inter alba & nigra plures ſint rationes diſtinctionis numericæ, quam ſimilitudinũ inter alba, quia ſimilitudinum inter alba & nigra ratio diſtinctionis eſt non ſolum ſubiectum diuerſum, & termini diuerſi, ſed etiam fundamẽta materialiter & realiter loquendo ſpecie diſtincta. Similitudinum autem inter alba cauſa diſtinctionis eſt ſubiectorum diuerſitas, & terminorum ac fundamentorum non quidem ſpecifica, ſed numerica tantum. Ad hanc autem relationem prædicamentalem ea omnia requiruntur, quæ ad relationem realem.

Secunda Propoſitio Relatio ſecundum dici prout idem ſignificare dicitur atque tranſcendentalis, non pertinet ad hoc prædicamentum. Ratio eſt, quia & tranſcendentalis appellatur & dicit reſpectum quemdam intrinſecè pertinentem ad rem quæ referri dicitur. Hæc propoſitio eſt contra Boët. Simpl. & P. Ven. qui dicunt etſi id quod in relatione ſecundum dici abſolutum eſt, pertineat ad aliquod aliud prædicamentum; tamen reſpectum illum vt præcisè concipitur, ſub ratione reſpectus ſpectare ad prædicamentum relationis, quia hic reſpectus facit vt res ſecundũ ſuum eſſe ſit ad aliud: Sed cum hic reſpectus, vt diximus, ſit de ratione intrinſeca rei quæ per ſe primo abſoluta eſt, & connotat iſtum reſpectum, neceſſariò pertinere debet ad prædicamentum abſoluti. Hoc docere videtur Ammonius, alij tamen, quibus ſententia Authorum citatorum magis placet, dicunt hunc reſpectum non eſſe de intrinſeca ratione rei, quod ſi ita eſſet, profectò benè illi & conſequenter dicerent ſpectare hunc reſpectum ad prædicamentum relationis, vnde nõ eſt, inquiunt, ſcientia intrinſecè & eſſentialiter ordinata ad aliud, ſed eſt quid abſolutum, ad quod conſequitur ille reſpectus.

Tertia Propoſitio. Relatio realis prędicamentalis non mutua, ſi eſt aliquid accidentarium, vt verè eſt, pertinet ad hoc prædicamentum. Ratio eſt, quia dicit reſpectum rei ad aliud, & non eſt de ratione relationis terminari ad aliquid reſpectu, ſed ad abſolutum tantum. Ergo hic reſpectus cum reperiatur etiam in relatione mutua, & ſit tantum præcisè de illius ratione, pertinet ad hoc prædicamentum. Huiuſmodi eſt relatio ſcientiæ ad ſcibile, ſecundum multorum opinionem. Talis etiam eſt relatio creaturæ ad creatorem, ſecundum etiam multorum ſententiam: Alij enim ſunt quibus videtur eſſe eſſen-

tialis

tialis & intrinseca relatio creaturæ ad creatorem, de quibus lege Fons. 4. *Met. q.* 1. *sect.* 7. Quod etiam confirmatur celebri illa Indi cuiusdam sententia, qui cum Athenas perijsset, quæreretque ex Socrate, quidnam faciendo, & quomodo sapiens esse posset, responderetque Socrates, si quemadmodum homini viuendum esset consideraret, ridendo subdidit, non posse res humanas rectè cognosci, nisi rerum prius diuinarum scientia haberetur. Hoc certè indicans, habere res humanas & creaturas intrinsecam quandam dependentiam à Deo creatore. Tamen alij, qui hoc negant, id explicant exemplo filij, quamuis enim is quatenus genitus est, à patre pendeat, non tamen propterea dicitur relatio, quam habet, illi esse intrinseca. Sic ergo quamuis creaturæ vt creatura est & effecta à Deo, sit relatio intrinseca ad Deum vt creantem, non tamen ipsi creaturæ secundum naturam suam.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De proprietatibus Relatiuorum.

ARistoteles *in cap. de Relatione* sex potissimum affert Relatiuorū proprietates. *Prima est*, vt Relatiua habeant contrarium. *Secunda*, Vt suscipiant magis & minus; quas proprietates, vt in explicatione textus ex Ammonio diximus, potius affert Aristot. tanquam absurda quædā consectaria traditæ primæ definitionis. Cum enim definitio illa etiam in Relatione secundum dici conueniat, sicut relatiua illa sunt aliquid per se primo absolutum; ita etiam non repugnat illa eadem habere contraria, & magis atque minus suscipere, vnde posuit exemplum Aristotel. coloratæ, cui sine dubio aliquid est contrarium, quia aliquid etiam est absolutum. Eodem quoque loco exposuimus quomodo Relatiuis secundum esse possent hæ proprietates quadrare, nimirum ratione solius fundamenti; vbi etiam obseruandum est posse aliquando relatiua magis vel minus suscipere, etiamsi neutrū propriè loquendo fundamētum recipiat, dici tamen solet vnum alteri esse magis minusue inæquale, æquale autem dici nō potest, quia æqualitas consistit in indiuisibili, inæqualitas autem fit per maiorem vel minorem recessum ab æqualitate. Itē in quantitatibus terminatis non reperitur hæc proprietas: non enim duplum vnum magis aut minus altero duplum est. Præterea sciendum est posse relatiua magis aut minus recipere, quamuis fundamentum aliquando magis recipiat, vel minus, hoc est potest aliquando similitudo vna maior appellari, etiamsi fundamentum imminuatur, & contrà minor vocari, licet fundamentum intendatur; vt patet in duobus albis, quorum vnum habeat quatuor gradus albedinis, alterum verò octo: nam si albo vt octo detrahas vnum aut alterum gradum, maior consurget inter vtrumque album similitudo, cum tamen fundamentum sit diminutū. Denique notandum est etiam in relatiuis secundum dici, si habeatur ratio præcisè respectuum, non propriè recipiunt magis aut minus, hoc tamen solet de illis affirmari, quia idem est nomen impositū & absoluto, & respectiuo, vt scientia quatenus refertur ad scibile, idem nomen habet, quatenus ipsa etiam est quid absolutum. Sicut igitur quadam ratione intendi potest & remitti propter absolutum; ita etiam dici solet posse intendi & remitti propter respectiuum. *Tertia Proprietas*, Vt relatiua dicantur ad conuertentia; sic enim legi debet, non *ad conuertentiam*, sic enim græcè habet. Significat autem hoc verbum quod in græco est, Primo, idem quod reciprocari. Ita Cic. 1. *de diuin.* Secundo, Idem quod vicissim & retro ac retrorsum commeare, vt 3. *de natura deorum.* Adhæc idem quod ex altera parte respōdere, vt apud eundem 1. *Acad quæst.* vbi appellat Rhetoricam antistrophon Dialecticæ, quod antè illum dixerat Aristot. 1. *Rhet. cap.* 1. Item, idem significat quod alterum alteri consequens, vt 5. *Tuscul.* Huius ergo proprietatis non est sensus, quod termini sint inter se conuertibiles, quomodo subiectum & passio dicuntur conuertibilia. Nec secundo sensus est, quod vnum inferat existentiam alterius, hoc enim spectat ad aliam proprie-

tatem. Nec tertio sensus est, quod relatiua mutuo inter se referantur, hoc enim tantum reperitur in relatiuis mutuis. Consistit ergo hæc proprietas in dictione, vt ita loquar, & in appellatione; vt nimirum dicatur vnum ad aliud hoc modo, vt conuertat aliud, quemadmodum Caietanus loquitur, ad dicendum ad se, seu vt clarius explicetur, Consistit in hoc hæc proprietas, vt terminus simul cum nomine alterius termini de seipso prædicetur, & cum reduplicatione, sicut dicimus seruus est domini seruus. Quod vt rectè fiat, seruandæ sunt illæ conditiones, de bona nominum relatiuorum assignatione, de quibus diximus in explicatione textus. Vnde hęc proprietas non solum conuenit relationi prædicamentali, sed etiam transcendentali, & omnibus denominatiuis: dicimus enim caput esse capitati caput, iustitiam iusti iustitiam, vel iustum à iustitia iustũ. Notandum autem cum Alberto & Caietano, hæc esse distincta: *Conuersionem, conuertibilitatem, & conuertentiam.* Conuersio est proprietas quædam propositionum, cum fit transpositio tum in qualitate, tũ in quantitate, de qua in Comp. Conuertibilitas est proprietas quædam terminorum, cum ex vno aliud sequitur, & contra, vti, est homo, ergo est risibilis, & contra: Est risibilis, ergo est homo. Et conuertentia est id quod dictum est. *Quarta Proprietas est*, vt Relatiua sint simul natura. Potest autem in relatiuis considerari absolutum, & formaliter relatio, seu fundamentum, & formalis respectus. Debet hęc proprietas intelligi de relatiuis formaliter, non autem de fundamento, vel de absoluto: nam si habeatur ratio fundamenti, vel absoluti, potest vnum relatiuum esse prius natura quam alterum, vt patet quam filius, quatenus est causa filij, & quatenus generat; nam hoc ipsum esse causam dicit relationem quandam, quæ vt sic est simul natura cum causato. Si autem consideretur id propter quod conuenit rei vt causa sit, nempè fundamentum ipsum, sic res quæ est causa prior est quam res quæ est effectus. Ab hac proprietate exclusit Aristoteles scientiam & scibile, quia, vt multis argumentis probauit, prius natura, quin etiã tempore prius est scibile quam scientia. Vbi loquitur Arist. de re illa quæ sciri potest; si enim consideretur res illa eadem, quatenus habet hanc denominationem vt appelletur scibilis, cum id habeat per respectum rationis, simul res appellatur scibilis, & concipitur scientia esse, vel esse posse: nihil enim potest vocari scibile, nisi propter scientiam quæ de illo esse potest. Rursum si consideretur scibile quatenus est actuale obiectum, de quo actu habetur scientia, quia concurrit aliquo modo ad scientiam, habet etiam hanc eandem relationẽ realem, suntq; tunc scientia & scibile simul natura, quia se habent tũc vt causa & causatum; si tamen consideretur scientia in ordine ad scibile quod esse potest, seu quod sciri potest, hoc modo non sunt simul natura scientia & scibile, sicut nec sensus & sensibile. vnde Arist. 2. *de anima, t. 141. & 142.* inquit, sensum & sensibile in actu simul esse, non autem in potentia. Hęc proprietas conuenit solummodo relatiuis prædicamentalibus, quia de eorũ tantum ratione est vt realia sint, siquidem potest transcendentaliter relatio esse ad terminum non realem, vt est relatio motus ad terminum à quo, vel ad priuationem. Intelligitur etiam de solis relatiuis mutuis, si sumantur relatiua formaliter vt relatiua sunt, hoc est, quatenus vtrinque est respectus vnius ad alterum; sed quia non est necessarium vt terminetur relatio ad aliquod respectiuum, intelligenda est sic ista proprietas, vt relatiua dicãtur esse simul natura, id est, relatiuum, & terminus cuius est relatiuum. Nec refert quod hæc proprietas relatiuis tribuatur in plurali, tum quia vtimur interdum plurali numero pro singulari, tum quia aliquando relatiui nomen vsurpatur pro termino, & quia in illo termino, qui alterius relationem terminat, est fundamentum ad quod relatio consequitur, si mutua sit inter vtrumque terminum relatio, propterea dicuntur esse simul natura relatiua, quia relatio statim consequitur fundamentum alterius termini. Denique

etiam

etiam in relationibus non mutuis accipiendo nomen relatiui formaliter, dici potest hoc modo esse simul natura, quãuis minus propriè, quatenus, vt dictũ est, terminus non potest rectè concipi vt terminans sine quadam correspondentia. *Quinta Proprietas*, Vt Relatiua sint simul cognitione. Sequitur ex præcedente, quia sicut se habet res ad esse, & ad cognosci. *Sexta Proprietas*, Ex vtraque dicta sequitur, vt nempè Vnum relatiuorum definiatur per alterum; sicut enim se habet res ad esse & ad cognosci, ita & ad definiri, de qua proprietate diximus *q.* 8. in responsione ad tertium argumentum. Definiri videtur vnum relatiuum per aliud, non quatenus formaliter relatiuum est, sed solum prout est terminus. Vnde hoc solum notandum superest, sicut rerum ita & definitionum triplex esse genus; quædam enim res sunt per se existentes, & absolutę, quocirca ad illarum rerum definitionem satis sunt ea quæ ex principijs essentialibus generis proprij desumuntur. Talis est substantia potissimum completa, quam vt perfectè definias, nihil aliud desideratur, nisi vt genus in definitione ponas & differentiã. Sicut præterea quædam aliæ res, quæ etsi ipsæ sint aliquid absoluti, tamen quia sunt minus perfecta entia, nec per se existere possunt, vt rectè intelligantur, non sunt contentæ genere proprio & differentia, sed exigunt etiam vt in illarum definitione subiectũ ponatur, quod definitionis genus appellari solet per additamentum. Talis est definitio accidentis, quod spectat ad alia prædicamenta præter prædicamentũ relationis vel illud etiam accidens, quod quamuis reperiatur in alijs prædicamentis, tamen si compararetur cum speciebus vel eiusdem, vel aliorum prædicamentorum, habet maiorem absoluti entis rationem. Quod dico propter ea accidentia, quæ quamuis non sint de genere relationis, & vt sic absoluta sint, non sunt tamen omninò absoluta, cum includant quendam respectum. Denique tertium genus rerum est, & istarum quas modo diximus, quæ nempè includunt aliquem respectum, & prҿterea substantiarum incompletarũ etiam respectũ quendam includentium. Et denique, & quidem potissimem accidentiũ pertinentium ad prædicamentum relationis, quæ omnes res cũ præter subiectum dicãt etiã ordinem ad aliud, debent etiam per ordinem ad illud aliod definiri; quia etiãsi terminus ipse entitatiuè sumptus non sit de quidditate relatiui, quia est oppositus relatiuô, & aliquid ab illo distinctum, tamen ordo ad illud, vt quæstione secunda diximus, est de essentia relatiui.

Obijcies. Si relatiuum definitur per alterum, sequitur committi in definiẽdo circulum & nugationem, quia hoc per illud definiatur, & illud etiam per illud aliud. Imò idem etiam erit seipso notius & minus notũ; nam quod in alterius definitione ponitur, debet illo prius esse & notius, vt præcipit Arist. 6. *Top. c.* 3. Imò etiam adhuc sequitur idem definiri per seipsum; vt enim ait Arist. 2. *top. c.* 2. licet loco nominis positi in definitione rei per nomẽ significatæ definitionẽ subijcere, quemadmodũ si definias hominẽ animal rationale vice & loco animalis, substitui potest definitio animalis, dicendo hominem esse substantiam sentientem. Sic igitur cum dices patrem esse filij patrẽ, dicere quoq; poteris patrem esse id quod eius quod genitũ est est principium generatiuum, seu patet. Resp. Alb. Ab illis regulis definitionis, de quibus Arist. 6. *Top. c.* 3. excipiuntur ibidẽ ea in quibus est ordo mutuus & relatio; nam sicut in illis datur quidam veluti circulus in esse, ita etiam non est mirũ si detur circulus & reciproca ratio definiendi vnum per alterum; quoniam sicut res se habet ad esse, ita & ad cognosci & definiri, & sicut vnum non est altero prius natura, ita notius vel ignotius neutrum natura est, sed vtrumque æque vel cognitum, vel ignotum. Quamuis fieri aliquãdo possit respectu nostri vt vnum magis distinctè cognoscatur quam alterum. Quod autem 2. *Top* dicitur de definitione quæ nominis loco ponitur, potest etiã & in relatiuis obseruari; quamuis non sit improbabile solum fuisse traditam eam legem pro definitione rerum absolutarũ.

in-

in quibus vitium hoc nugationis & definitionis eiusdem per seipsum non ita apertè committitur.

QVÆSTIO DVODECIMA, & vltima.

De Relationibus rationis.

HActenus diximus de Relatione reali, de qua ex ijs quæ explicata sunt possunt pleraque, seruata proportione, ad relationes rationis accommodari. Vt tamen hac in parte nihil desideretur, operę pretium duximus nõnulla etiam seorsim de hoc Relationum genere disserere; sic enim fiet vt quæ de reali dicta sunt, facta vtriusque collatione melius cognoscantur: quæ enim opposita sunt, si iuxta se ponantur, magis elucescunt. Iandunus 5. *Met. q. 6.* & Buil. *in fin prædicam.* relationes rationis ad hoc prædicamentum referendas censuerunt, sed iam pridem explosa est hæc sententia, & omnium aliorum suffragijs & argumentis à nobis allatis *in proleg. ad hunc librum* Supponenda sunt ea omnia quæ tract. de Ente rationis, de illius acceptionibus, & ratione formali illius entitatis diximus.

Relatio rationis quid?

Prima Propositio. Relatio rationis in communi loquendo, est respectus cuiusdã rei ad aliud, qui non habet esse à parte rei, nisi prout pendet ab actu aliquo intellectus nostri, aut alicuius alterius potẽtiæ. Vbi notandum est, posse tribus modis considerari relationem rationis habere aliquod esse. Primo, formaliter & directè, cum opera intellectus concipitur comparatiuè hæc relatio, vel per notitiam comparatiuam, per quam multi contendunt solummodo habere esse Ens rationis, & de hac nulla potest esse dubitatio. Secundo, Quatenus respectus iste sequitur ad operationem intellectus, cum in illius cognitione aliqua res obiectiuè est, quæ appellatur relatio rationis, quia ad actũ rationis consequitur, quamuis directè & formaliter non habeat esse obiectiuum ista relatio; & hoc nos suprà diximus satis esse ad relationem rationis. Tertio, Potest appellari relatio rationis omnis respectus, qui ex actu alicuius potentiæ vitalis cognoscitiuæ, vel appetitiuæ, ex eo quod fertur in aliquod obiectum, consequitur. Quę relatio non habet alium essendi modum à præcedente; ita enim sequitur ad rem obiectiuè se habentem in actu alicuius potentiæ, atque relatio illa quæ ex actu intellectionis sequebatur. Talis relatio est voliti, visi, imaginati, vt expressè docet Scot. 1. *s. d.* 45. & appellatur relatio rationis non quod sequatur actum rationis, nec quod necessarius sit directus rationis actus, à quo habeat esse prout intelligitur: hęc.n. non esse necessaria, tract. de Ente rationis, probatũ est, sed quia alio nomine proprio caremus. Et hæ quidem relationes sunt formales relationes rationis, hoc est, formaliter habent esse relationis rationis. Addi potest quartum genus, cum ea omnis relatio rationis vocatur, quæ est secundum dici, vel quæ est in termino terminante, prout is nullam dicitur relationem realem habere ad eum terminum qui terminatur, quomodo accepi à D. Thoma. & alijs hoc relationis rationis nomen diximus. Sed non est hæc relatio, si de relatione secundum dici sermo sit, prout illa idem est quod transcendentalis, vllo modo appellanda relatio rationis: si autem de termino non habente relationem mutuam, non erit relatio rationis formaliter, sed tantum fundamentaliter. Formaliter autem non est hæc relatio rationis, nisi quando hic terminus, in quo non est relatio realis, concipitur ab intellectu, vt relatus ad præcedentem, sed appellatur relatio rationis ante istum respectum inductum ab intellectu; tum quia vt sit hic respectus, pendet ab intellectu, tum quia similis est quoad hoc iste terminus absolutus veræ & formali relationi rationis, quod nihil addat rei, neque formaliter, neque realiter distinctum, ex eo quod terminet relationem alterius, tũ quia est fundamentum satis sufficiens, vt ex eo quod terminat alterius relationem, possimus in eo quendam respectum concipere ad terminum præcedentem. Huc referri possunt priuationes & negationes, quæ quamuis à parte rei sint fundamentaliter, tamen dicuntur esse entia rationis, quia

quia ſecundum præciſam illam rationem, quam dicunt, non habent eſſe, niſi quatenus concipiuntur.

Secunda Propoſitio. Relatio rationis cum ſit relatio ſecundum quid, & cum conditione diminuta, ac penè æquiuocè relatio, tot modis dicetur relatio rationis, quot modis continget deficere à conditionibus relationis realis. Ad relationem autem realem; ſi prædicamentalis ſit, requiritur diſtinctio realis inter terminos, vt vterque ſit poſitiuus. Requiritur etiam diſtinctio realis fundamenti in vtroque termino, ſi tamen ſit relatio mutua. Denique debet ſaltem relatio tranſcendentalis habere fundamentum reale. Primum igitur genus relationis rationis erit inter terminos qui non ſunt ens, vt inter duo entia fictitia, inter id quod præterijt & futurum eſt; quomodo dicitur Adam prior Antichriſto: nam relatio realis debet neceſſariò eſſe ſaltem alicuius entis, quamuis terminari poſſit ad non ens, vt patet in relatione mutationis ad priuationem. Secundum genus eſt, quando extrema quidem realia ſunt & fundamentum reale, ſed non ſunt diſtincta nec fundamenta, nec extrema. Talis eſt relatio eiuſdem ad ſeipſum, vel diuerſitatis à ſeipſo; quãuis quod attinet ad relationem diuerſitatis, valdè probabile eſt omnem huiuſmodi relationem eſſe tantum rationis, quia ſolam dicit negationem. Propterea dicũt D. Thom. & Thomiſtæ, inter attributa diuina, ſi mutuo comparentur, & cum eſſentia Dei, non eſſe diſtinctionem niſi rationis, non quod intellectus confingat ea quæ in Deo non ſunt, ſed quia cum à parte rei nulla ſit attributorum diſtinctio, ſed tantum ſimplex Dei natura, æquiualens multis attributis diſtinctis, per rationem eſt, quod hæc in Deo vt diſtincta cõcipiantur. Ex quo tamen non licet poſtea argumentari, vt facit Scotus, hæc attributa quæ de Deo prædicantur, non eſſe in Deo realiter. Etſi enim non ſint diſtincta realiter; vera tamen & realis prædicatio eſt cuiuſuis attributi, quod perfectionem dicat de Deo. Vnde concludi poteſt cum Theologis, attributa diuina eſſe in Deo formaliter, non tamen diſtingui formaliter. Lege D. Thom. 1. *ſ. d.* 2 *q.* 1. *art.* 3. 4. & 5. & *d.* 33. *q.* 1. *art.* 1. 1. *p. q.* 13 *art.* 4. & *q.* 28, *art.* 2. Tertium genus relationis eſt, cum extrema ſunt realiter diſtincta, non tamẽ eſt fundamentum in vtroque extremo ſufficiens, vel quia vnum extremum non eſt capax mutationis, vel certè quia vni extremo ex eo quod vnum ad ipſum refertur, nihil aduenit reale; vel denique quia in vtroque extremo non eſt niſi vnum numero fundamentum. Exemplum primi ſit relatio inter creatorem & creaturam: nã ſi Deus capax eſſet nouæ relationis, & noui fundamenti, verè ex eo quod creauit, noua illi aduenirent relatio, ſicut ex eo quod aliqua cauſa creata de nouo aliquid facit, noua illi aduenit relatio. Exemplum ſecundi eſt relatio inter ſcientiam & ſcibile; quamuis enim ſcibile ſit extremum vnum reale, tamen ex eo quod ad ipſum ſcientia de nouo refertur, nihil illi de nouo aduenit. Exemplum tertij: Si per potentiam Dei in duobus parietibus eadem numero albedo poneretur, non tamẽ eſſet relatio realis ſimilitudinis inter vtrumq; parietem, vt *q* 2. *ſupra* ex D. Thoma contra Scotum diximus. Vnde infert D. Tho. 1. *p q* 42 *art.* 1. *ad* 4. æqualitatem, quæ inter perſonas diuinas reperitur non eſſe relationem realem, quia non ſufficit diſtinctio perſonarum & ſubiectorum, ſed requiritur præterea diſtinctio numeralis ſaltem fundamentorum, quare rectè Magiſter concludit 1. *ſ diſt.* 31 has relationes quæ Deo tribuuntur eſſe tantum ſecundum appellationem relationes. Lege D. Thom. de his omnibus relationibus 1 *p. q.* 1, *art.* 7. 1. *ſ. d* 26 *q.* 2. *art.* 1. & *q.* 7. *de potentia art.* 11. Multò verò magis ſunt relationes rationis quæ fundamentũ habent in re quidem remotum, ſed proximum tantum in intellectu; vt ſunt relationes generis, ſpeciei &c. Multò verò maximè ſunt relationes rationis, quæ nec in re quidem habent fundamentum remotum, qualis eſt relatio ſigni ex impoſitione.

Tertia Propoſitio. Proprietates quæ de relatiuis realibus ſuprà allatæ ſunt, poſſunt proportione quadam etiam huic ge-

neri relationis conuenire. Primo. Quod relatiuis sit aliquid contrarium, vt inter subiectum & prædicatum, antecedens & consequens. In fictitijs quoque rebus confingi possunt oppositiones. Secundo. Quod recipiat magis & minus, vt dicitur genus magis vniuersale quam species. & eodem modo in fictitijs quoque id fingi potest. Tertio. Quod dicantur ad côuertentia, vt genus est speciei genus. Quarto. Quod sint simul natura. Quinto. Quod simul cognitione, Sexto. Quod vnum definiatur per alterum, vt patet in genere & specie. Præterea ex diuisionibus relatiuorum suprà traditis pleræq; etiam reperiũtur in relatiuis rationis. Primo. Quod aliquæ relationes sint mutuæ: Patet in genere & specie. Quod aliquę non sint mutuę, vt patet in relatione scibilis. Secundo. Quod aliquæ sint relationes æquiparantiæ, vt dicitur diuersum diuersi diuersum. Aliæ disquiparantiæ, vt genus speciei genus. Tertio. Quod aliquæ sint per se relatiua, vt genus, quædam autem per accidens, vt animal, cui accidit esse genus. Quarto. Vt inquit D. Thom. *q. 7. de poten. art. 10. ad. 11.* & Zons. 5. *Met. q. 30.* quædam sunt relationes rationis secundum esse, nempè cum ex se & primario significant relationem, non autem aliquid absolutũ, vt genus, species &c. Relationes autẽ secundum dici vix videntur vllæ assignari posse, quia relatio rationis si formaliter relatio rationis sit, per se primo dicit relationem, non autem quid absolutũ, tamen vt monuimus, relatio secundum esse propriè vsurpari solet pro reali & prædicamentali, relatio secundum dici pro reali transcendentali, quamuis extendi possit ad relationes rationis, vel quæ formaliter relationes sunt, vtpote quibus conuenit relatio per rationem & impositionẽ, ac veluti dictionẽ, id est si sint fundamentaliter relationes rationis, vel non mutuę, quia etiã nõ dicũtur relationes nisi propter operationẽ intellectus superuenientẽ.

IN CAPVT DE *Qualitate.*

CVR de Qualitate post alia prædicamenta sit agendũ, liquet ex dictis de alijs prædicamentis. Cur autem prius de illa quam de sequentibus dicamus, ratio est, vt ait Alb. quia substantię conuenit agere & pati propter qualitates & actiuas & passiuas, & quia cũ prius dicendum fuisset de Qualitate quã de Quantitate, & de Relatione, nisi aliud obstitisset, vt diximus, ordo postulabat vt ad illam quam primũ accederemus. Duas potissimũ partes habet hæc caput. In prima ponuntur species qualitatis, vbi tamen obiter sermo fit de Quali in concreto, quia hoc caput fuerit inscriptum *de & qualitate & quali*: In secunda exponuntur proprietates qualitatis, & dissoluitur quædam dubitatio.

PRIMA PARS CAPITIS.

QValitatis, à qua res denominãtur quales, hæ sunt potissimũ species. Prima, *habitus & dispositio.* Ille est qualitas quædã permanẽs, & difficilè à subiecto mobilis, vt scientia & virtus. Ista est qualitas transiens, & facilè à subiecto amouibilis, vt sãnitas, pulchritudo &c. Secũda Species est, *Potentia & impotentia naturalis*, à qua interdum denominantur res propriè aliquo nomine, cum tamen ipsæ qualitates nullum nomen propriũ habeant, vt pugiles, cursores: nec enim est impositum facultati illi naturali; & consistunt in hoc istæ qualitates, vt ab eis habeat subiectum facilè aliquid agere aut pati. Ponit autem Arist. hoc discrimen inter habitum & dispositionem, & hanc secundam speciem, quod hæc secunda sit nobis à natura, & sic principium agendi, aut patiendi, non autem prima. Item potest, inquit Arist. habitus appellari etiã dispositio, quia qui illum habent, sunt secundum eundẽ quodammodo dispositi, non tamen appellari potest dispositio habitus. Et confirmatur, quod habitus consistat in illa permanentia quam dixi, quoniam eos à quibus habitus facilè remouetur, solemus non tam habitu præditos, quam dispositos appellare Tertia Species est *passibilis qualitas & passio.* Dicuntur autem passibiles qualitates eæ, quę inferunt sensibus aliquam passionem, nõ autẽ quod id faciant in subie-

ctis, in quibus sunt: nō enim dulcedo quæ est in melle, melli infert passionem Dicūtur præterea passibiles qualitates & passiones, quæ ex aliqua passione sequuntur, vt color rubeus, qui ex verecundia nascitur, & pallidus, qui ex timore. Vnde inquit Arist. eas qualitates omnes, & illi colores qui ex naturali & innata aliqua passione oriūtur, dici possunt passibiles qualitates. Secūdo, Cum aliqua passio est vehemens & permanens, vel innata & caussata post ortum, vel in tempore, verbi gratia, per ægritudinem, solet tunc appellari passibilis qualitas, qualis est color qui ex calidiore aliqua cæli plaga solet ab animalibus cōtrahi, vel ob morbū aliquem. Cum autem est breuis aliqua & repentina passio, solet eiusmodi qualitas simpliciter appellari passio. Talis est rubeus calor ex verecundia &c. nec enim ab huiusmodi qualitatibus absolutè res denominantur quales. Tertio Nō modo in rebus corporeis, sed in anima etiam locum habet hæc qualitatum distinctio; amentia enim naturalis, est passibilis qualitas amētia autē momētanea & ad tempus est passio, qualis caussari solet ex iracundia; *Ira* enim, vt in prouerbio, *Furor breuis est*. Quarta Species, *Est figura & forma*. Figura, vt triangulum, & quæ ad huiusmodi figuram pertinent, rectitudo, vel curuitas. Forma autē, vt extrinseca delineamenta rerum naturalium, bouis, hominis &c. Concludit tādem has ferè quatuor esse qualitatis species & modos, quamuis alius fortassè modus qualitatis sit. Ad finem autem huius partis descibit Quale in concreto, nempè quod huiusmodi denominatur à dictis qualitatis speciebus, vel quomodolibet aliter: Sunt enim quædam quæ qualia appellantur, cum tamen formæ, à quibus denominantur, nomine careant, & contrà habent qualitates interdum nomina, non autem ab illis res denominantur. Exempla sunt in pugile, qui denominatur à forma quadam quæ nomine caret, & virtus quæ denominatiuum non habet.

Quale quid.

EXPLICATIO VERBORVM.

Secundum quam quales quidam esse dicuntur.) Alij legunt: *Quales esse dicimur*. Ita caret. Vnde etiam colligit rationem habitus solum repetiri in nominibus.

Dispositio.) Alij vertunt *affectionem* Ita videtur sæpenumero Marc. Tull. dispositionis nomen vsurpare. Et D. Aug. lib. de prædicamentis.

Vt si quis vel mediocriter sumat scientiā.) Hinc colligitur scientiam, cuiuscunque tandem gradus sit, quantumuis exigui, retinere propriam habitus rationem. Porrò Simpl. hanc particulam *Mediocriter* non modo refert ad subiectum, quod magis minusq; esse potest aliqua scientia præditum, sed etiam ad ipsammet scientiam, cuius quædam species sunt, quæ primum in certitudine locum obtinēt, nempè Mathematicæ; aliæ medium, vt Physica, aliæ infimum, vt moralis Philosophia.

Nisi grandis permutatio) Indicat caussas propter quas fieri possit scientiæ deperditio, quas *primo post* repetit, & nos infrà etiam aliquid dicemus.

Nisi aliqua earundem.) Dicit id quod ex natura sua est dispositio, per accidens & secundum loquendi modum appellari interdum habitum, vt etiam contrà, quod ex natura sua habitus est, quia aliquando facilè à subiecto remouetur, appellari dispositionem. Qui locus plurimum videtur facere pro sententia D. Tho. distingui specie habitū & dispositionem, de qua infra.

Austeritas.) Perion. vertit *acrimoniam*. Argyr. ne verbum quidem de hac dictione. Est autem medius quidam sapor ex minore siccitate, & frigore largiore constans, vt Alex *in problem* græcè στρυφνότης.

Passibiles verò qualitates) Affirmat quasdam esse qualitates passibiles, quia passionem caussant & faciunt, alias autem, quia ex passione oriuntur, & proprio nomine appellantur passiones. Cum autem actio duplex sit: Vna realis & physica, cū fit productio similis à simili, vt caloris à calore: Alia autem quæ dicitur intentionalis, qualis caloris, per passibiles qualitates passionem caussantes potissimum intelligit eas, quæ efficiunt actionem physicam & realem, vnde exemplum ponit in calore & sapore, & eadem esse ratio potest aliarum qualitatum sensibilium, prout ex illis

illis quædam secundum multorum opinionem sensationem causant per productionem realem similis qualitatis. Patet in sapore, odore, & sono. De colore autem non idem affirmat; is enim tantum percipitur per speciem intentionalem productam, vel certè prædicti alij modi quantitatum non percipiuntur nisi per realem cōtactum corporis in quo sunt. Quia igitur eadem ferè ratio erat cæterarum qualitatum quæ causant realem passionem, & odoris, fuit contentus Arist. illo exemplo: nam odor & sapor habent easdem differentias proportionaliter, vt 2. *de anima. text.* 93.

Non enim aliqua secundum ipsas dicuntur quales) nempe secundum passiones, idque si conferantur hæ qualitates cum alijs, & si simpliciter & absolutè loquamur; cum enim qualitatem dixerit esse à qua res dicuntur quales, id omni qualitati conuenire debet.

Et circa vnumquodque constans forma.) Ambigua est hæc oratio propter dictionem *constans*, quæ vel potest adiectiuè sumi & referri ad formam, vel potest referri ad vnumquodque. Tamen hanc dubitationem eximit lectio Græca, quam rectè Argyrop. & Perion. reddiderunt his verbis: *Et ea quæ in vnoquoque est forma.*

In plurimis.) Significat triplex genus denominatiuorū, de quibus sup. diximus; tū eorum quæ secundum rem & vocē sunt, tum quæ secundum rem tantum, tum denique quæ secundum vocem tantum.

Notanda.

NOtandum primo. Achaicus & Aphrod. existimatunt vitio librariorum factū esse vt hoc caput inscriberetur de qualitate & quali, seu de quali & qualitate, cum tantum inscribi debuerit de quali, sicut supra *in cap. de Relatione* inscriptio fuit, De his quæ ad aliquid, & *in cap. de quanto*, in concreto: Nihilominus Simplicius & Ammonius retinendam putant hanc inscriptionem; tum vt significaretur quorūdam sententia, qui nullum discrimen ponebant inter qualitatem in abstracto, & in concreto, quales dicuntur fuisse stoici & Academici; tum quia existimabāt quidam nullam dari qualitatem in abstracto, in quibus fertur fuisse Antiochus, cui cum Plato altercando diceret: Equum video, equitatem non intueor, respondit: Habes id quo equus videtur, nempè oculum, sed quo qualitas spectatur & consideratur nondum obtines. Quare Plato primus hoc qualitatis nomen inuenit, vt ipse sibi arrogat in Theæteto. Et Cicero *in quæst. Acad.* Qualitates, inquit, dixi quas Græci ποιότητας vocant, quod nomen non vulgi, sed Philosophorum est; fortassis quia vulgus assuetum cognoscēdis tantum sensibilibus, talia autem sunt sola qualia in concreto. Voluit ergo Aristoteles hoc caput inscribere *de qualitate & quali*, vt & Platonem hac in re sequeretur, & qualitatem etiam in abstracto dari ostenderet, vnde & vtriusque descriptionem ponit.

Notandum secundo. Qualitas significat determinationem accidentalem, realem, intrinsecam, & propriam; quatenus est determinatio accidentalis, excluditur qualitas à forma substantiali & differentia, quæ ipsæ etiam qualitates dicuntur. Dicitur etiam determinatio realis propter secundas substantias, quæ quale aliquid significare dicuntur, hoc est notionem quandam communitatis. Dicitur etiam determinatio intrinseca, ad excludenda alia genera accidentium, quę extrinsecam determinationem significant, vt quando, situs, vbi &c. Denique appellatur determinatio propria, quia quantitas etsi aliquo modo determinet substantiam, ipsa tamen maximè indiget determinatione, per talem vel talem figuram. Vnde Arist. qualitatem esse dixit, à qua res dicitur esse qualis, hoc est absolutè & simpliciter loquendo: Ab alijs enim accidentibus potius dicitur res qualis, cum addito, vt qualis in loco, tempore, situ &c. Est enim hoc nomen qualitatis, si in communi maximè sumatur, æquiuocum, vel certè analogum, cuius multas significationes explicat Aristoteles 5. *Met. t.* 19. Plotinus verò 2. *Aen. lib.* 6. *cap.* 11. inquit, qualitatem esse vnam quandam additam essentijs post ipsam essentiæ rationem, per quam post-

ea res quales cognominantur. Et D. Thom 1. 2 q. 49. art. 2. dicit, formalem rationem qualitatis consistere in hoc vt substantiam modificet, & qualem faciat, vbi multa habet D.Tho.de toto hoc cap. & speciebus qualitatis.

Obijcies Quale est aliquid posterius qualitate. Ergo non bene definitur qualitas per quale. Item videtur committi ab Aristotele circulus, infrà enim ipsum quale definit per qualitatem. Respondet Simplicius, Boëtius, Auerroes,& alij non esse hanc propriam definitionem, non modo quia non habet locum in summis generibus definitio, sed quia explicatur qualitas per effectum suum, ideoque magis esse essentialem qualis definitionem quam postea tradit, quia explicatur per qualitatem, quæ ipsius essentia est & causa. Cum autem hæc duo vicissim conuertantur, non esse mirum si vnum in alterius definitione ponatur. Quod vltimum rectè quidem ab illis dicitur, tamen quod idem asserunt de definitione per effectum & essentialem, non assentior; nam definitio accidentis, tum maximè est essentiales, quando per subiectum definitur, ad quod intrinsecum ordinem habet. Talis autem est hæc descriptio qualitatis per quale; dicitur enim qualitas esse à qua res dicuntur qualis; quare potest habere locum circulus in qualitate & quali, quia se habet accidens in concreto, si materialiter sumatur pro subiecto, quod significat tanquam causa materialis accidentis; idem verò accidens in abstracto se habet vt causa formalis subiecti. Deniq; totum concretum vt dicit aliquid compositum ex subiecto & accidente, se habet tanquam causa finalis respectu accidentis: albedo enim, verbi gratia, ordinatur tanquam ad finem vt album faciat.

Notandum tertio. Quia Aristoteles enumerans species qualitatis subdidit fortè aliquem alium esse qualitatis modum, hinc suspicati sunt aliqui plures esse qualitatis species, quam quæ ab eodem enumeratæ sunt. Vnde Boëtius. Non omnes, inquit, hoc loco recensuit Aristoteles, quia non continebat hic liber exactam prædicamentorum tractationem, sed erat solummodo elementum quoddam, pons, aditus, introitus ad altiora Philosophiæ. Reliqui tamen omnes,& maximè Simpl. hic.& Ammonius,& D.Thom. 1. 2. q. 49. art 2. volunt omnes fuisse qualitatis species comprehensas, id autem dixisse Aristotelem modestiæ tantum causa, vtque alios ad diligentiorem harum earundem rerum indagationem perurgeret, quare conantur pro sua quisq; parte huius numeri sufficientiam assignare. Minimè autem omnium nobis probatur ratio Ammonij, vt legenti per se absurda esse videtur. Rectius aliquanto Simplicius, inquit enim qualitates omnes aut esse naturales, aut aduentitias: Si aduentitiæ sunt, differantque secundum magis & minus à subiecto amouibili, erit prima species qualitatis habitus & dispositio; si autem sint naturales, vel considerãtur secundum potentiam & impotentiam, quibus ordinatur res ad efficiendum, vel patiendum, & est secunda species, potentia naturalis & imbecillitas: Vel considerantur secũdum actum, & tunc aut intrinsecè, & vt ipse loquitur, secundum profundum conueniunt hæ qualitates rebus, & sic est tertia species passibilis qualitas, aut passio. Aut denique conueniunt rei secundum superficiem tantum,& est vltima species figura & forma, quæ tamen conuenit rebus secũdum extrinsecam superficiem. Nihilominus hanc quoque rationem huius qualitatum numeri refutat D. Thom. *loco citato*, quia ex qualitatibus naturalibus nõnullæ sunt habitus, quos tamen Simplic. ponebat in qualitatibus aduentitijs,& inter aduentitias multæ etiam sunt formæ & figuræ, atque etiam passibiles qualitates, quas Simplicius referebat ad naturales. Sic igitur D. Thomas hunc numerum colligit: Qualitas significat determinationem substantiæ, hæc determinatio autem est in ordine ad naturam subiecti, & est prima species, habitus & dispositio, quibus natura secundum esse rectè aut malè afficitur; Hinc enim est quod 7 *Phys. t.*17. inquit Arist. habitus animæ & corporis esse dispositiones perfecti ad optimũ,

Ratio Simpl.

Ratio D.Tho.

vel rei in ſuo eſſe conſtitutæ ad vlteriorē ſtatum & perfectionem, quamuis aliquādo poſſint eſſe aliqui malè afficientes ſubiectū ipſum. Poteſt ſecundo qualitas conſiderari vt determinans ſubiectum ſecundum actionē & paſſionē; in actione autē & paſſione vel attenditur principiū ipſum agendi & patiendi, & hinc efficitur ſecūda ſpecies potentię naturalis & impotentiæ. Vel conſideratur terminus ipſe actionis, & paſſio ipſa, & inde ortum habet tertia ſpecies paſſibilis qualitatis & paſſionis. Denique poteſt conſiderari vt determinatio ſubſtantiæ quatenus quantitatem habet, & ſic eſt vltima ſpecies formæ & figuræ. Ex qua colligendi ratione inferri quoque poteſt ordo inter has ſpecies. Prius enim quid eſt ſubiectum conſideratū ſecundum eſſe, quam ſecundum principiū agendi, aut patiēdi, aut ſecundum terminum actionis & paſſionis, & quia ex rebus affectis qualitate ſolæ corporeæ ſunt, in quibus ineſt quantitas, & conſequenter quarta ſpecies, propterea infimum locum obtinet hęc ſpecies. Sequitur ergo nō eſſe plures qualitatis ſpecies, vt Boët. volebat. Ex quo etiam facilè refellitur Tho. Bricotus, qui duas alias ſpecies qualitatis addidit: Vnam quæ ſignificaret habitudinē quandam partium qualitatis vt qualitas eſt, quæ nomine quidem careat, ſub ſe tamen cōprehendat intenſum & remiſſum; hoc enim non tam eſt dicendum ſpeciem eſſe diſtinctam, quam modum quendam qualitatis, ſicut nemini vnquam venit in mentem dicere, extenſionē eſſe ſpeciem diſtinctā quantitatis, quia eſt quidā modus eius intrinſecus, ita verò ſe habet intenſio in qualitate, ſicut extenſio in quantitate. Multo autē abſurdius eſt quod ſexto loco ponit hanc qualitatis ſpeciē, quæ in hoc conſiſtat, vt ſignificet qualitatem prout illa cum ſit aliquid eſſentiale dicatur in quale de alijs, quæ, inquit, etiā nomine carent, cōprehendit tamē ſub ſe differentias maximè proprias, & concreta quædā denominata ab abſtractis ſubſtātiarum, vt eſſe humanum, lapideum, nam hæc omnino pertinent ad ſubſtantias, non autem ad qualitatem, niſi forte nominetenus, ob eam cauſam quā ſuprà diximus differentias prædicari in quale. Sciendum autem eſt etiamſi ſecundu rem ipſam non videantur plures eſſe qualitatis ſpecies; quod enim Boët. dicit in hac leui & facili tractatione fuiſſe omiſſas alias, aliquid valeret ſi vel locum reperiret apud Ariſto. vbi aliæ reperirentur, vel certè ipſe alias proferret, quamuis enim ſecundum rem ipſam non ſint aliæ ſpecies qualitatis tamen hæ ipſæ, quas Ariſt. enumerat, multū continent difficultatis, vt non ſit improbabile, fuiſſe potius expoſitas qualitatis ſpecies ſecundum quoſdam modos accidentales, quam ſecundum eſſentiales & quidditatiuas differentias. Argumento eſt, quod vnam & eandem rem, mentionē faciēs de pluribus ſpeciebus, exempli loco ponit; ſiquidem calorem & refert ad habitum, & ad paſſibilem qualitatē, imò poſſumus in eodem calore conſiderare quandam rationem potentiæ, & quanquam nullus ſit ex Interpretibus qui hoc negotium ſuſceperit, vt ſpecies diſtinctas qualitatis ponat, fortè tamen poſſet hac ratione non improbabiliter colligi qualitatis ſpecierum numerus. Qualitas cum ſit determinatio quædam ſubſtantiæ, vel refertur ad ſubſtantiam ſecundum determinationem ipſius eſſe, vel ſecundum determinationem ipſius operari & pati. Si primum, eſt prima ſpecies qualitatis, quam quia aliud nomen non ſuppetit, appellare poſſumus habitum, modo id intelligatur eſſe huiuſmodi habitum, qui ſolum determinet ſubſtantiam ſecundū eſſe, & non ſecundum operari. Talis eſſe poteſt ſanitas, pulchritudo, & inter habitus ſupernaturales talē vult eſſe D. Tho. gratiam, cuius non eſt operari, ſed perficere animam ſecundum quoddam eſſe diuinum. Si ſecundum, vel dat operari ſimpliciter, hoc eſt vt ſecluſa illa qualitate res non habeat quod operari poſſit, & eſt ſecunda ſpecies, nempè potentia, vel impotentia, quatenus ſignificat aliquid quod difficulter reſiſtit. Ad quam ſpeciem placet D. Thomæ & Scholaſticis reuocare etiam habitus ſupernaturales operatiuos, quia in hoc ſimiles ſunt potentijs na-

turalibus, quod sicut non potest res sine potentia potens esse ad operandum, & operari res quæ pertinet ad ordinem naturalem, ita non possumus nos sine hoc habitu elicere actionem ordinis supernaturalis; est tamen aliqua discrepantia, quod verè anima ipsa prædita habitu supernaturali, per suam potentiam vnà cum habitu operetur. Vel consideratur tanquam id quod de facto elicit operationē bene, vel malè non autem simpliciter, & sic est tertia species quę appellatur habitus operatiuus, vt scientia, virtus &c. & ad hanc quoq; speciem quadam ratione reuocatur à Theologis habitus supernaturalis operatiuus, propter causam quā diximus, quia cum potentia ipsa operetur vnà cū habitu, nō videtur hic habitus dare rei in qua est operari posse simpliciter; sed benè. Nullo tamen modo potest eadē res constitui vltimatè in duabus speciebus, vnde hæc duo conueniunt isti habitui supernaturali secundum quandam rationem & analogiam, & simpliciter loquendo ponendus erit in hac secunda specie, id est in habitu operatiuo. Ex quo etiā confirmatur quod diximus de distinctis speciebus ab Arist. Cum enim impossibile sit vnam & candē rem vltimatè pertinere ad duas species, vel componi ex duabus speciei essentijs, nō sunt putandæ species enumeratæ ab Aristotele esse essentia distinctæ. Denique si consideretur qualitas vt dicit quoddam accidens, quod consistit in ratione actualiter operante, non autē quod ipsum det alteri operari nisi accidentaliter; sic esse potest quarta species, quam, si placet, appellemus passibilem qualitatē, eo quod actione sua passionem quandam inferat, talis est calor, frigus, color &c. Si autem consideretur qualitas quatenus determinat rem prout habet quantitatem, sic est vltima species, quæ appellatur forma & figura, quę species differt in hoc à prima, quod illa determinabat rem & esse rei proximè, hæc autem mediante quantitate. Et hæc dicta sint secundum probabilem opinionē nihil enim in hac re, de qua hactenus nullus, quod sciam, ex professo dixit, certi definire volo. Species tamen ab Arist. enumeratę videntur commodè reuocari posse ad hanc nostram diuisionem. Prima quidem, si intelligatur de habitibus & dispositionibus quę ex natura sua dant esse, hoc modo ad primam nostram speciem reuocabitur prima species Aristotelis. Si autem per habitū intelligatur is qui est operatiuus, reuocabitur ad aliā speciem à nobis positā, quam appellauimus habitum operatiuũ. Secunda autem species Arist. refertur ad illam speciem, quam diximus dare posse operari simpliciter & omninò. Tertia species passibilis qualitatis & passionis refertur ad illam speciem, quæ ex natura sua habet quod sit principium operatiuū, quamuis non sit in subiecto. Quarta species reuocatur ad illam, quæ dat esse substantię, sed mediante quantitate. Itaque vna aliqua qualitas necessariò debet spectare ad aliquam vnam ex his speciebus, in qua sit essentialiter. Vnde sequitur quod quamuis in eadem qualitate spectari possint modi variarum specierum, tamen illi omnes non erunt essentiales, sed veluti quidam modi eiusdem rei, & passiones quædam; sicut color, verbi gratia, habet ex natura sua quod det subiecto esse coloratum, & hoc est illi essentiale, ac propterea pertinet ad illam speciem, quæ in hoc cōsistit, vt subiecto det esse immediatè, hoc est independenter à quantitate, non tanquam conditione ex parte subiecti; sic enim omnes planè qualitate corporeę dant esse subiecto mediante quantitate. Idem autem color prout afficit benè subiectū, & prout potest facilè à subiecto remoueri, habet quandam rationem dispositionis, & quatenus idē est productiuus speciei cuiusdam sensibilis, habet rationem vel potentiæ, vel passibilis qualitatis, sed hæc non sunt de essentia illius primaria, sed quædam tantum veluti passiones consequentes; & quod de hac qualitate dictum est, de alijs multis intelligi debet. Sciendum autem est circa has species, siue quæ à nobis positæ sunt, siue etiam ab Aristotele, dici de illis vniuocè rationem communem qualitatis, quod negare videtur Plotinus. *Aen. 6. libr. 6.*

Nec

Nec mouere quoque debet, quod addit Aristotel. qualitatem dici multipliciter: Hæc enim vox græca non significat semper dici aliquid æquiuocè, aut analogicè, sed pluribus modis. Denique circa has easdem species ea hic omittam, quæ tractanda sunt in libro de anima, aut Metaphysica, aut in lib. de generatione, cuiusmodi sunt quæ de habitibus, eorumque essentia & productione dici possent, quæ de qualitatibus actiuis, quæ denique de pulchritudine, vt dicit quandam perfectionem Metaphysicam.

Notandum quarto, circa primam speciem qualitatis. Primo, Variæ sunt habitus & dispositionis acceptiones, de quibus Aristoteles 5. *Met.t.28.& 29.* nos habitus nomine nec intelligimus vltimum prędicamentum Habere, nec possessionē, nec formam quamlibet per motum acquisitam, quo pacto dicit Aristotel. nonnunquam in libro de generatione, vbi sunt habitus, ibi cessare motum. Sed habitum hic vsurpamus prout significat qualitatem difficilè à subiecto mobilem; sic enim nomine dispositionis non intelligimus quamlibet qualitatem, quæ in ampla significatione hoc nomine nuncupatur, sed qualitatem à subiecto facilè mobilem, quam Aristoteles 5. *Met.t.29.* appellat ordinem quendam habentis partes secundum potentiam, & secundum speciē. Quem locum Soto intelligit de habitibus corporeis & incorporeis, D. verò Thom. & Scot. *ibid.* & Iaue l. *in Epit. lib.3. cap.3.* & Auerr. 5. *Met. com 24.* pro dispositione, vt comprehendit etiam habitum qui dicitur significare ordinem habentis partes secundum potentiam, quatenus habitus est operatiuus, & ordinatus ad actionem, & secundum speciem, prout species significat idem quod forma, quod etiam in alijs codicibus habetur. Est ante

Quæstio. quæstio an habitus & dispositio sint vna & eadem species, an diuersę? Videtur enim quod sint eædem species. Primo, Quia magis & minus non differunt specie, vnde inquit Aristot. 6. *Eth. cap.3.* calidum vnius diei non differre à calido diuturno, sed esse permanens aut transiens est tantū differre secundum magis vel minus diuturnum. Secundo, Vna species non transit in aliam, sed dispositio transit in habitum. Ergo. Vnde Aristoteles inquit eum qui initio scientiam aliquam addiscit, appellari secundum illam dispositionem. Confirmatur. Opinio & error sunt quidā habitus, & tamen facilè à subiecto remoueri possunt; Imò etiam habitus supernaturales habent perfectissimam rationem habitus, & tamen vel vno leuissimo peccato mortali tolluntur. Ergo sunt facilè mobiles. Tertio, Sequeretur passibilem qualitatem & passionem esse diuersas species; nam hæc Aristoteles distinguit secundum permanentiam & transitum. Hæc opinio est Iamblichi, Porphyrij, Simplicij, Ammonij, Boëtij, Alberti, & multorum aliorum. Secunda opinio est D. Thomæ 1. 2. *q. 49. artic.* 2. & Caietani ibid. Soto hic, & omnium Thomistarum differre specie. Quæ res vt breuiter decidatur, sciendum est esse facile & difficile mobile, penes quæ omnis distinctio inter hæc duo attendi videtur, bifariam considerari potest. Primo per se intrinsecè quo ad aptitudinem, & secundum speciem, quomodo scientia dicitur esse difficilè mobilis, quia intrinsecè ex huiusmodi causis consistat, propter quas ex natura sua difficilè à subiecto remoueri potest. Secundo, Per accidens, extrinsecè, actu, & ex parte indiuidui, siue ex parte conditionum accidentalium subiecti, vt calor ex natura sua à subiecto cui accidit, cuius non est propria passio, est facilè mobilis, quia nulla est causa quæ illum necessariò diu, ac permanenter in illo retineat. Vnde fieri potest vt eadem res secundum vnam rationem dicatur habitus, & secundum aliam dispositio, quod ita alij explicant, quod vna res dicatur habitus secundum rem, & dispositio secundum modum, vel contrà, dispositio secundum rem, & habitus secundum modum; verbi gratia, calor est in laborante febre hectica dispositio secundum rem, habitus autem secundum modum. Frigus etiam in laborante paralysi est dispositio secundum rem, habitus secundum modum, quia febris hectica &

paralysis

paralysis nihil aliud sunt, quam confirmatus calor, & confirmatum frigus, quæ ideò confirmata sunt, quia repertunt ex parte subiecti cōditiones quasdam à quibus vi detinentur, cum ex natura sua sint facilè à subiecto mobiles. Scientia autem, quantumuis etiam minima, hoc est, vel per vnum actum tantum acquisita, appellatur essentialiter habitus, quia scientia vt scientia est, huiusmodi sui esse causas habet, vt quantum est ex se, facilè remoueri non possit, vt sunt vis intellectus agentis & passibilis, claritas & euidentia rei cognitæ, certitudo eiusdem, infallibilitas instrumenti per quam acquiritur, quatè appellatur habitus secundum rem. Quia tamen accidere potest ex parte cōditionis alicuius subiecti vt non facilè retineatur, dici potest dispositio secundum modum: Vnde Arist. *in hoc cap.* scientiam etiam mediocriter acquisitam habitum appellat. Et D. Thom. *1.2 q 51 art 3.* fatetur per vnum actum acquiri posse scientiæ habitum. Idem dico de opinione & errore; cum enim hæc validè infirmas & debiles sui esse causas habeant, sunt simpliciter appellanda dispositiones secundū rem, quia verò potest esse ex parte subiecti magna quædam pertinacia, & magna quædam affectio ad rem creditam, ideò appellari possunt habitus, sed secundum modum. Absolutè ergo habitus is est, qui ex natura sua & intrinsecè difficilè remoueri potest, vnde & nomen inuenit, Græcè enim vocatur ἕξις ab ἔχω, quod tenet cætera significat *coercere, retinere.* Sciendum est etiam habitum sumi vulgò pro quauis qualitate, quæ reperiatur etiam in rebus inanimatis, quomodo secutus Aristoteles vulgi loquendi modum, appellauit hoc loco calorem dispositionem, quæ tamen opponitur habitui, sic etiam Plot. *En 2. lib 6 cap 1.* Potest etiam habitus propriè significare qualitatem, quæ sit in rebus animatis, illisq; conueniat quatenus animata sunt, siue sint in parte cognoscitiua, siue etiam in parte appetitiua, & hæc videtur magis physica acceptio. Vnde Aristotel. hic tantum habitus exemplum posuit, scientiæ & virtutis. Sic etiam in

Habitus quid.

Ethicis nomine habitus hoc tantum intelligit; dicit enim esse id quod assuetudine & longo vsu comparatur, quod in rebus tantum animatas cadit.

Prima Propositio. Si loquamur de habitu & dispositione in ampla significatione, certum est esse vnius & eiusdem speciei: sic enim calor quodammodo appellatur habitus, prout est intensus, idem est cum seipso, prout est remissus, & vocatur dispositio. Denique illa res quæ est dispositio secundum rem, sed habitus tantum secundum modum idem est specie.

Secunda Propositio. Idem specie est, scientia prout est imperfecta, & prout est perfecta, siue prout est intensa, & prout est remissa. Id apertè docet D. Thom. *q.7 de malo. art 2. ad quartum, & art 3 ad quartum, 1.2.q.49 art 2. ad 3. & quæst. 52 art. 4. ad 4.* Quibus locis dicit perinde differre solum imperfectam scientiam à perfecta, atque vnum à seipso puero.

Tertia Propositio. Si accipiatur nomen habitus propriè, prout solum reperitur in rebus animatis, dicitque qualitatē quandam intrinsecè difficilè mobilem; hoc modo, quantumuis minima sit, specie differt à dispositione, quę etiamsi propriè loqui velimus, vt cum habitu confertur, solum habet in rebus animatis. Ratio est, quia quod ex se & natura sua est difficile mobile, apertè distinguitur specie ab eo quod ex natura sua facilè amoueri potest. Vnde opinio, fides humana, & error nō tam sunt dicendi habitus, quam dispositiones: sunt enim natura sua huiusmodi, vt quia natura sua debili nituntur fundamento facilè quoq; destrui possint. Quapropter enumerans Arist. 6. *Eth. ca. 3.* habitus intellectus, nullum ex his ponit. Eodem modo virtus, si vera sit, ex natura sua quantumuis minima, habet perfectā rationem habitus, sicut & scientia, nullo autem modo habitus vitiutis dicendus est ea virtus, quę vmbram tantum speciemq; virtutis habet.

Ad primum argumentum. Patet ex dictis. Etsi enim magis & minus, & diuturnum parumque durans si seorsim accipiuntur, non sint satis ad faciendam specificam

 distin-

distinctionem, si tamen huiusmodi sint, vt ex intrinseca natura rei oriantur, non tam faciunt species distinctas, quam indicant esse species distinctas, quod rectè D.Tho.explicat 1.2.q 49.art.2.ad 3.

Ad secundum. Nec etiam ex dispositione propriè sumpta transitur vnquā ad habitum, sed ex qualitate tantum in sua specie imperfecta, transitur ad perfectā. Appellatur autem imperfecta qualitas dispositio, perfecta habitus. Cum ergo Arist. ait, eum qui modicam scientiam habet nō solere præditum appellari habitu scientiæ, tantum significare voluit ex communi loquendi modo requiri ad habitum quod sit qualitas permanēs; ideò enim ille dicitur non habere habitum, quia qualitatem habet imperfectam, cum tamen alioqui ex natura sua talis qualitas sit verus habitus; nec habeat ex intrinseca sua natura, quod separari facilè possit. Hinc est quod 1. post. inquit Aristot scientiam corrumpi, aut ad corruptionem obiectorum quæ sciuntur, aut ad corruptionem subiecti scientis, quæ duo sano modo intelligenda sunt, quia certum est non requirere sciētiam obiecti sui existentiam, & mortuo homine adhuc remanere potest in eius anima scientia acquisita. Intelligitur ergo Aristoteles de scientia prout actualis est, & de modo scientiæ quem habet homo dum superest. Denique ibid. dicit tolli scientiam ob morbi alicuius maximam vim, vnde proditum est memoriæ Messalam Coruinum, & nostra ferè tempestate Trapezuntium vtrumque apprimè in arte dicendi & disserendi versatum, grauissima cuiusdam morbi vi non modo scientiam omnem amisisse, sed in proprij quoque nominis obliuionem deuenisse. Sic etiam de opinione dicendum est, quod eodem argumento obijciebatur, non esse propriè habitum, sicut nec errorem. Tandem quod de caritate, alijsque donis supernaturalibus dicebatur, negari id qui dē non potest quin ex natura sua, maximeq; firmas esse sui causas, tamen quia à Deo solo effectiuè pendent, huiusmodi habitus infundente, qui tam diu eos in anima nostra retinet & conseruat, quam diu per nos non steterit. Sunt autem sensus hominis proni ad malum, ab adolescentia sua, ideò sicut facilè peccatum committi in Deum potest, ita facilè etiam à subiecto huiusmodi habitus auferri potest.

Ad tertium argumentum, D. Thom. 1. 2. *quæst.* 49. *art.* 2. *ad* 3. inquit difficile & facile mobile solum causare differentiam specificam inter habitum & dispositionem. Et certè non videtur ponenda differentia specifica inter ruborem qui ex verecundia contrahitur, & inter quemuis alium ruborem, quamuis controuersia esse soleat an sit verus rubor, nec ne.

Notandum quinto. Circa secundam proprietatem. Impotentia non significat aliquid negatiuum, aut priuatiuum solum, sed significat quandam potentiam ad agendum, vel resistendum, sed debilem, quomodo inter qualitates actiuas solent quædam vocari passiuæ, vt humor & siccitas. Differt autem hæc species à prima. Primo. Quia hæc species est qualitas quędam à natura ingenita, prima autem, loquendo præsertim de habitu propriè dicto & operatiuo, vel de aliquo habitu nō operatiuo, qui acquiratur, non est à natura, sed per mutationem aliquam & actus de nouo acquiritur. Hanc causam differentiæ affert Simpl. & satis indicat Arist. appellans potentiam & impotentiam naturalem. Secundo. Differt, quia hæc qualitas dat subiecto posse simpliciter, prior autem benè, vel malè. Tertiam affert Alex. apud Simpl. quod prima species tantum conueniat rebus animatis vt animatæ sunt, hæc autem rebus corporeis, sed meritò hoc refellit D. Tho. 1.2 q. 50. art. 1. potest enim etiam potentia in rebus animatis reperiri, imo maximè propriè est in illis, & res corporeæ quæ dicunt ordinem ad substantiā in operari, potius sunt principia productiua rei, & pertinentia ad distinctam illam speciem qualitatis, de qua diximus, quam potentiæ quædam ab illa re quæ ad substantiam ordinatur. Huc reuocantur omnes proprietates rerum, quæ ferè omnes, vt dictum est ca. de proprio, consistunt in quadam aptitudine. Secundo. Circa hanc speciem obseruandum

dum est non significare potentiam eam potentiam quæ opponitur actui, & quæ vna cum ipso est in omni prædicamento, sed significat aptitudinem positiuam ad aliquid operandum, vel patiendum. Quare cessat argumentum Plotini 6. *Aen. l.* 1. *cap.* 10. quod erat petitum ex potentia in dicta significatione. Nec denique significat potentia vt ad qualitatē pertinet, aptitudinem intrinsecam & essentialem, quæ reperitur in substantia, aut in alio prædicamento, propter quam causam dici solet potentiam materię esse essentialem. Tandem sciendum est potentiam & impotentiam non distingui specie, nisi fortè materialiter, prout in vna re consideratur potentia, in alia re impotentia; vt si considerarem mollitiem impotentiam, duritiem autem potentiam: Fieri enim potest vt res eadem & sit potentia, & impotentia. Est potentia, quatenus dicit aptitudinem quandam positiuam; impotentia, quatenus illa aptitudo est imperfecta, vt patet in mollitie. Ex quo sequitur refelli facilè Alb. & Caiet. qui volunt esse distinctas species, ita vt proximum genus istarum duarum sit alia qualitas quæ appelletur nomine aptitudinis.

Notandum sexto, circa tertiam proprietatem. Passibile quatuor præsertim modis aliquid dici potest. Primo. Quia est subiectum aliquid potens recipere. Secundo. Quia est accidens potens hoc modo subiecto passionem afferre, quo pacto quodlibet accidens, & quælibet forma potest dici esse aliquid passibile. Tertio. Vt causare potest passionem in sensibus, & sic Arist. hic appellat sensibilē qualitatem. Quarto. Prout ex motione & passione quadam oritur, & hanc vocat Arist. passionem, vt rubor ex verecundia.

Obijcies. Non denominatur res qualis à passione, vt hic dicit Arist. Ergo non est qualitas. Ad hoc dictum est in explicatione textus, videlicet non dici rem qualem, comparatiuè loquendo. Vnde colligimus sine causa Amm. & Philalp. reijcere passionem ad prædicamentum passionis, quod est contra omnium opinionem.

Notandum septimo, circa quartam proprietatem. Non videntur distinctę species figura & forma, sed est vna & eadem quæ dicitur forma, prout ab ea res aliqua formosa dicitur, figura autem vt conuenit rebus quantis, seu rei abstractæ à substantia physica & naturali, quam appellat Aristoteles 5 *Met. t.* 19. immobile physicum. Et Burl. vult, habere tantum locum formam in rebus animatis, quia inquit, non propriè appellantur res inanimę pulchrę, aut deformes. Nec tamen mihi videtur id necessarium; eadem enim ratio est formę & pulchritudinis in rebus inanimatis, atque in animatis. Quia verò Aristoteles 5 *Met t.* 19. dicit etiam in quantitate discreta locum habere figuram, vnde solent aliqui numeri appellari quadrati & triangulares, verbi gratia, nouenarius, quia ex ter tribus constat, dicitur esse triangularis numerus, quia illi tres ternarij se videntur habere atque tria latera. Quare aliqui inde ansam arripuerunt dicendi formam referri ad quantitatem continuam, figuram autem ad discretam. Quicquid tamen sit de hac re, nullo modo nobis probatur Plot. qui *lib.* 3. *Aen.* 6. *cap* 14. vult formam & figuram spectare ad prædicamentum quantitatis, quoniam, inquit, est modus quidam illius, modus autem ad prædicamentum pertinet rei cuius est modus; sic punctum, linea, superficies, vnitas cum sint quidam modi & termini quantitatis, ad quantitatem spectant, Sed occurrendum est duplicem esse modum: Alius enim est intrinsecus, alius extrinsecus. De intrinseco valet Plotini argumētatio, non autē de extrinseco, cuiusmodi est figura; vnde sessio, statio &c. est quidā modus corporis, & distincti prædicamenti est à corpore, nō alia sanè de causa, nisi quia modus extrinsecus est. Quod enim sit figura modus extrinsecus, vel ex eo patet, quia quamcunq; quantitas potest figurā admittere, & quacunq; priuari. Alia verò ex parte, si quęras quantū sit aliquid, nullo modo rectè respondeat esse triangulare, aut quadrangulare, sed ad quęstionem qualis sit res, & qualis quantitas rei.

Notandum vltimo, circa rarum & densum Arist. hoc loco videtur ea excludere à quali-

qualitate, & ea reuocare ad prædicamentum situs & positionis. Pert. verò *in libro de 6. principijs cap. 6.* apertè contendit hæc esse de genere qualitatis. Albertus nititur vtramque opinionem conciliare, dicens posse duobus modis hæc accidentia considerari: Vel quatenus dicunt distantiam partium maiorem, vel minorem, & hoc modo esse de genere Situs; Vel quatenus significãt, idque primariò, quandam qualitatem, quę sit vel figura quędam imperfecta, sicut sunt ea quæ ad quartam specię reuocat Aristot. longum & curuum; Vel quatenus significant qualitatem quę sensui tactus passionem ingerit, & hoc modo pertinent ad tertiam speciem qualitatis. Non longè ab hac sententia abest Burs. Nihilominus quod ad Aristotelem attinet, etsi is variè hac de re loquatur *2. de part. animaliũ, ferè in initio. cap. 1. & 7. Phys. t. 15. & 2. de generat. t. 8.* asserit esse qualitates, & ijsdem in locis Auerr. cum alijs Interpretibus. Tunc autem qualisnam qualitas dicenda sit rarum vel densum, possumus cum Alberto vel hoc, vel illo modo loqui. Mihi tamen absolutè videtur, si admittamus esse qualitates, referendas esse ad eas quæ subiecto dant esse, quamuis secundariò habeat quod possit mouere & afficere sensum tactus. Quia verò solet hæc qualitas semper comitari motum rarefactionis, per quam aut acquiritur noua quantitas, aut quantitatis modus, id est extensio maior quoad locum, ideò sæpè solet rarum & densum ad quantitatem reuocari. Quod habet Auer. *4. Phys. t. 48.* & Aristotel. *8. Phys. t. 77.* solus Zon. *q. 2. Met. q. 14 ad 3.* vult rarefactionem esse motum alteratiuum, ac proinde terminum illius esse raritatem & densitatẽ, quæ sint qualitates. Sed de hac re, & de natura raritatis & densitatis proprius dicendi locus est in physica. Porrò est valdè probabile Aristotelem hoc loco esse secutum veterum Philosophorum communẽ loquendi modum, Empedoclis, Democriti, & aliorum, qui nomine rari nihil aliud intelligebant, quam vacua quædam & inania spatia in corpore aliquo, in quibus interponi posset corpus aliquod extrinsecum, quomodo appellare solemus pumicem & spongiam rara corpora. Si autem per raritatem intelligatur quiddã fusum per totum corpus, quod explicari potest nomine subtilitatis, sic propriè rarum de rebus dicitur, & in hoc sensu esse quandam qualitatem defendit Iamblich. Porph. Simpl. Ad extremum sciendũ est, cum rarum id esse dicitur quod habet distantes partes, non hoc ita accipi debere, vt non sint omnes res quantæ partes vicissim mutuoque continuæ, & inter se distantes, sed quod res sub eadem materia, vel etiam quantitate, iuxta probabilem D. Thomæ opinionem possit maiorem vel minorem locum occupare.

SECVNDA PARS Capitis.

PONit Aristoteles in hac parte Qualitatis proprietates, & soluit quandam dubitationem.

Prima Proprietas. Vt qualitas qualitati contraria sit, non solum in abstracto, sed etiam in concreto; nec enim solum calor frigori, sed calidum quoque frigido contrarium est. Monet autem non conuenire cuilibet qualitati hanc proprietatem; medij enim colores nõ sunt inter se contrarij. Tandem si vnum, inquit, contrariorũ est qualitas, etiam & alterum, vt si iustitia qualitas est, etiam & iniustitia qualitas erit, nam ad quod aliud prædicamentum referri possint, dici non potest.

Secunda Proprietas. Qualitas suscipit magis & minus. Sed videtur, inquit, hoc non omni qualitati conuenire; nam non videtur posse iustitia magis & minus suscipere; nec etiam similes aliæ dispositiones, seu habitus in abstracto, concreta tamen suscipiunt magis & minus. Dicit autem ex propria sententia apertè quasdam qualitates non suscipere magis & minus; quoniam quibus, inquit conuenit definitio trianguli & circuli, similiter sunt aut trianguli aut circuli. Quarè infert has quas dixit hactenus qualitatis proprietates non esse veras proprietates, vel quarto modo.

Tertia

Tertia igitur & maximè propria qualitatis affectio est, vt secundum eam dicantur res similes, vel dissimiles. Sub finè capitis dissoluit dubitationem, ibi: *At verò non decet &c.* Dixerat enim *cap. praeced.* scientiam esse eorum quę ad aliquid sunt, hoc verò in cap. retulit inter qualitates. Resp. In multis qualitatibus genera esse ad aliquid, hoc est species interiectas, non autem species, id est infimas; sic enim scientiam dicimus esse alicuius scientiam, non autem grammaticam alicuius grammaticam. Secundo, Respondet non esse inconueniens vt aliquid simul sit quale, & ad aliquid.

Circa explicationem verborum nihil aliud obseruandum est, nisi quod peti possint ex ijs nonnulla, quæ ad intensionem & remissionem faciunt, & ad inducendam relationem transcendentalem, de qua diximus, quod etiam in notandis videbimus.

Notanda.

NOtandum primo, circa primam proprietatem. Conuenit hæc proprietas qualitati in primo proprij modo; dicitur enim de sola, sed non de omni, quod etiā Arist. notauit, & quod soli conueniat, patet *ex capitibus praecedentibus de substantia, quantitate & relat:* requiritur enim ad cōtraria propriè dicta, vt sub eodem genere posita maximè distent, seseque mutuo à subiecto pellant. Hinc primo sequitur iustitiam & iniustitiam, quæ ponuntur tantum exempli loco, non esse propriè contraria, si formaliter loquamur, sed tantū priuatiua. Secundo. Concreta non esse propriè contraria, quod tamen Aristotel. admittere videtur, nisi hoc modo quatenus illis insunt qualitates contrariæ, & sic denominari solent. Tertio. Non omnes qualitates esse contrarias, quod etiam, vt diximus, mónet Aristoteles, sed circa exēplum de coloribus medijs sciendum est, quatenus plus aut minus vergit vnus ex illis ad vnum extremorū, sic posse vnum alteri contrarium appellari, vt pallorem rubedini, quia pallor accedit ad albedinem, rubor autem ad nigredinem. Vnde Arist. *5. Phys.* medium, inquit, ad extrema est veluti contrarium.

Contraria propriè dicta.

Notandum secundo. Circa secundā proprietatem. Aristoteles tantum dicit secundum quorundam opinionem sola abstracta non recipere magis vel minus, sed concreta tantum; ita cum suprà dixerit qualitati vni in abstracto esse alterā contrariam, & etiam quali in concreto aliud quale in concreto contrarium; non videtur subesse causa, cur non idem in hac proprietate de vtrisque dixerit. Vnde malè quidam ex hoc argumentum petunt, vt probent qualitates in abstracto non suscipere magis & minus, sed tantum prout sunt in subiecto, & in concreto, de qua re dicendum est alibi. Interim mihi indubitatum videtur, qualitates in abstracto hoc modo magis & minus suscipere, quatenus dicunt latitudinem quandam & amplitudinem graduum, sicut quantitas in abstracto habet latitudinem quandam & multiplicitatem partium. Quarè sicut in abstracto quantitas maior esse dicitur, magisq; vel extensa, vel minus, ita profectò vna qualitas in abstracto dicetur plures paucioresue gradus habere, ac proinde magis vel remissa, vel intensa. Non igitur fit intensio vel remissio per admixtionem contrarij, quia falsum est, vt cap. de substantia contra Ammonium diximus, non intendi aut remitti ea, nisi inter quæ cernitur contrarietas; intēditur enim lumen, scientia, virtus &c. Nec prçtereà fit tantum intensio vel remissio per maiorem vt dicunt in subiecto radicationem eiusdem planè qualitatis, quia potest qualitas etiam extra subiectū habere latitudinem & amplitudinem graduum.

Obijcies. Aristoteles hoc loco probat triangulum non recipere magis & minus, quia quibus inest illius definitio, etiam & ipse similiter inest: sed vbicunque est qualitas aliqua, etiam minima, ibidem est essentialis eius definitio. Resp. Locus sanè difficilis est, & fortasse loquitur ex opinione aliorum, sicut & suprà dixerat quibusdam videri non suscipere magis & minus accidentia in abstracto. Possumus tamen

men tectius respondere, ideò triangulum non suscipere magis & minus, quia inest similiter in ijs omnibus, in quibus eorum definitio inest, Similiter inquam, hoc est, secundum eundem modum, non sic autē inest calor secundum eundem modum, quibus illius definitio conuenit, quia reperitur latitudo in calore, quæ est quidam modus eius. Simile est in definitione animalis prout dicitur de homine & de bruto: quamuis enim vtrumque essentialiter sit animal, tamen quia homo perfectius animal est, potest vtcunque dici definitionem animalis perfectius prædicari de homine, quamuis in hoc sit discrimen, quod in substantijs non dicatur huiusmodi graduum latitudo, quę in accidentibus reperitur.

Notandum tertio circa tertiam proprietatem. Maximè conuenit qualitati; vt secundum eam dicantur res similes, aut dissimiles, sicut quantitati quod secundum eam dicantur res æquales, vel inæquales; quarè quod de æqualitate suprà diximus transferri aliquando ad res aliorum prædicamentorum, hoc etiam de similitudine dicere licet, tamen verè habent hæc duo quandam rationem transcendentalem, & propriè sicut æqualitas solum in quantitate, ita similitudo solum est in qualitate, quam Boëtius definit rerum differerentium eandem qualitatem. Nec est absurdum rem aliquam vnius esse prędicamenti, proprietatem autem alterius prædicamenti, imo id sæpè fit, quanquam non tam similitudo actualis est proprietas qualitatis, quam esse talem rem, super qua possit fundari similitudinis relatio.

Notandum quarto. Circa primam dubitationis solutionem. Eandem repetit Arist. 4. *Top. cap.* 3. *loco* 49. vbi inquit: Si species aliqua sit ad aliquid, etiam & genus fore ad aliquid, non tamen econtra, vt disciplina, inquit, est ad aliquid, non tamē Grammatica. Contrarium huius habere videtur *in lib.* 4, *cap* 1. ferè ad init. vbi inquit: Si genera sint ad aliquid, etiam & ea quæ sub illis sunt. Et 6. *Top. cap.* 4. *loco* 64. Et confirmatur ex regula illa antepraedicamentali, quando vnum de altero dicitur, quicquid de prædicato dicitur, etiam & de subiecto dicitur. Sensus est, cum genus dicatur intrinsecè de specie, quæ de genere dicentur, etiam & de specie. Confirmatur præterea: Sicut enim scientia dicit respectum ad scibile, ita grammatica dicit respectum ad obiectum circa quod versatur. Quidam respondent solum esse locutum Aristotelem de Relatione secundum dici, sed esto id concedatur, adhuc tamen propositæ rationes vrgent. Alij dicunt primam solutionem falsam esse, & de mente tantum esse veterum, ideoque secundam Aristotelem addidisse. Alij dicunt vtramque solutionem falsam esse, proindeque etiam desumptam solum fuisse ex dictis veterum. Sic & cum scientiam posuit suprà in Relatione, ex veterum sententia loquebatur. Adde quod in Topicis vtramque in partem hanc quæstionem exagitat, & hæc solutio est probabilis. Addi potest, ideò scientiam dici ad aliquid, non autem grammaticā, quia scientiæ nomen huiusmodi est, quod relationem magis exprimat; dicitur enim, scientiam scibilis esse scientiam, nō autē grammaticam grammaticabilis grammaticam. Burl. de secunda solutione hoc etiam notat, videri solummodo sub conditione positam, hoc est, si idem potest & ad genus qualitatis, & ad genus relationis pertinere, non etiam repugnat eandem scientiam esse & de genere qualitatis, & de relationis. Absolutè autem loquendo, sine dubio scientia ad vnum prædicamētum spectat solum; nempè ad qualitatis, cuius si habitudo ad scibile intrinseca est, refertur illa relatio ad prædicamentum qualitatis; est enim transcendentalis: Quę opinio valdè probabilis est. Si verò extrinseca est & accidentalis, pertinet illa relatio ad prædicamentum relationis.

De sex vltimis Prædicamentis.

QVia Aristoteles hæc sex vltima prædicamēta exemplis tantum illustrat, nihilque disertè & expresè de illis disputat, nos antequā de singulis aliquid seorsim dicamus, in genere explicabimus in quo cōsistat omnium illorum ratio. Ideò autem

autem hæc Aristoteles obseruauit, quia, vt diximus ex Amm. sunt hæc vltima prędicamenta, veluti complexa ex quatuor primis, secundum variam illorum inter se habitudinē, verbi gratia, Vbi & Quando sunt quodammodo composita ex substantia & quātitate, actio & passio ex substantia & qualitate, Situs & Habere ex substantia & relatione, sumendo tamen relationis nomen amplè, & non præcisè vt est prædicamentum, supposita quoque communi sententia illa, de loco & tempore, quod ad quantitatē pertineant. Vel ideò Arist. tam pauca de his egit, quia, vt ait Simplic. & Boët. de actione, passione, Vbi, & Quando potius naturalis Philosophi erat agere quam Logici. De Situ autem & Habere potius pertinet ad mechanicas artes, quamuis de Situ Arist. *sup. c. de Relat.* aliquid dixit. Nihilominus Simpl. seorsim in peculiari quodam tractatu post interpretationem prædicamentorum instituit disputationem de ijs prædicamentis, cui titulum fecit: *De sex principijs*, vnde fortè Petr. mutuatus est suum illum librum de sex principijs, qui ad Aristotelis prædicamenta asscribi solet.

Notandum secundo. De difficultatibus quæ contrà hæc prædicamenta fieri possunt, quibus probatur non esse prædicamenta distincta, præter ea quæ *in Proleg.* diximus, nihil habeo in præsentia dicere. Sic etiam sup. *in cap. de Relat.* sufficienter refutata videtur Scoti sententia, appellantis hæc sex vltima prædicamenta extrinsecas relationes, ex his verò quæ mox subijciemus, id magis adhuc refelletur. Non igitur sunt hęc prædicamenta primo relationes solæ, quia sic pertinerent ad prædicamentum relationis. Nec secundo sunt absolutum quid, & respectus, qui sit relatio secundum esse, quæ est Caiet. sententia *in 2. f. dist. 2 q. 1. & d. 6.* vbi citat D. Thomam *in op. de Relat.* eandemque vt probabilem tuetur Zonf. *5. Met. q. 38 & 41.* vbi tamen, & quidem meritò, dubitat an sit D. Thom. illius operis author. Ratio verò cur hæc sententia nobis non probatur, est, quia sequeretur hæc prædicamenta pertinere ad Relationem, si propriè loqui velimus de Relatione secundum esse, quam solum dictum est suprà esse prædicamentalē. Confirmatur: Nam vbi datur motus localis, non tamē ad Relationē, vt dicitur 5. *Phys. t. 10.* Nec tertio sunt formales quædam rationes, quæ adueniant rebus ratione formæ extrinsecæ, vt docere videtur Gilb. Nam non potest concipi quod esse in loco (est autem nihil aliud quam Vbi) sit aliud præter locum ipsum, & corpus & relationem consequentem ex hoc quod corpus sit in loco. Sicut etiam ex hoc quod recipiatur in subiecto, nulla noua forma aduenit, alioqui daretur processus in infinitum. Quarè hæc prędicamenta sunt aliquid absolutum per se & primariò, ita tamen, vt includant quendam respectum intrinsecum & transcendentalem, quod Arist. satis indicauit *in c. de Rel.* appellans sessionem, stationē, & accubationem relationes quasdam, sedere autem, stare &c. dicens non esse relationes: Si enim statio, sessio, & accubatio essent propriæ relationes, etiam concreta horum eorundem accidentium dicerentur verè & propriè relatiua; sicut quia paternitas est vera relatio, dicitur pater esse quid relatiuū. Voluit ergo significare illa accidentia esse relatiua secundum dici, & transcendētalia. addidit nihilominus sedere, iacere, stare nō esse relatiua, fortasiè quia non ita præ se ferunt quod ad modū significandi spectat. Caiet. ad fin. horū sex prędicamentorū affert quinq; alias huius loci explicationes, sed neque necessarias, neq; etiam valdè verisimiles. Simpl. verò hoc loco docet expresiè hæc prædicamēta non pertinere ad Relationem, tametsi adiunctum habeant respectum aliquem. Confirmatur: Nā non sunt hæc prædicamēta aliquid omnino absolutū; sic enim non different à quatuor primis prædicamētis, nec etiā sunt absolutū & respectiuū simul respectiuū inquā quod concipiatur tanquam quid extrinsecu & accidentale, alioquin resultaret aliquod ens per accidens. Sunt igitur formæ quædam absolutæ, sed cōnotantes respectū, sicut de materia dici solet esse substantiam, sed cū respectu tamē quodā intrinseco & essētiali.

Quare vocantur hæc accidentia formæ quædam extrinsecæ, quia non significant aliquid ex natura sua, seu intrinsecè in homine inhærens inhærentia reali, sed aliquid potius per modum adiacentis. Ita explicat Heru. *quodlib.* 1. q 9. Iauell. 5 *Met.* q. 23. & D Thom. 3. *Phys.* t 22. quod rectè intelligitur proportionaliter ex dictis supra de Relat. prædicamentali, quomodo videlicet illa dicatur inhærere in subiecto, sed hæc ipsa melius adhuc cognoscêtur, si ad singula hæc prædicamenta explicanda descenderimus.

De Agere & Pati.

DE his duobus prędicamentis simul agit Arist. quia videntur quandam inter se habere relationem & habitudinem. Prius autem de his, quam de alijs, tũ quia de his paulò plura disserit, quam de cæteris; tum propter causam suprà dictam in prædicamentis, quamuis de his ipsis hæc duo tantum tradat, nempè vtriq; aliquid esse contrarium, & vtrumque suscipere magis vel minus, quod solum intelligendum est ratione termini actionis & passionis, id est rei quæ fit, & quæ recipitur.

Notanda.

NOtandum primo. Horum duorum, Actionis & Passionis non esse genus aliquod superius, nempe motum, vt vult Plotinus. *En. lib* 6. *cap.* 17. & 21. vt melius probatur in Physica.

Notandum secundo. Actio & passio, ex Amm. Simpl. & Gilb. significant formam quandam, secundum quam agens habet quod denominetur agens, & id quod patitur patiens; quod si per subiectum intelligatur aliquid extrinsecum, quod actionem alterius recipit, non erit actio, nisi ea sola quæ transiens appellatur, quod sentit Zonf. 5 *Met. q.* 36. Si verò per subiectum intelligatur quicquid actionem aliquam recipit, poterit etiam immanens actio comprehendi, quod si non placet, dicendum erit Aristotelem de actione illa sola egisse, vtpote quæ fit in nobis magis nota. Sed si vtramque malumus sub hoc prædicamento contineri, poterit hæc communis vtrique actioni definitio assignari: Est actus ab agente profectus. Quare mala est illa definitio quorundam: Actio est relatio agentis ad patiens, sic enim non tam explicatur actio ipsa, quam relatio superueniens. Cæterum multipliciter diuiditur actio. Primo. In propriam & impropriam. Impropria est, hoc est quæ etiam diuinis conuenit, quomodo solemus Deo tribuere actionem creandi, generãdi &c. Vel actio impropria est, prout solet Aristoteles interdum contrahere hoc nomen ad solam actionem transeuntem: sic enim immanens actio dicetur esse impropria, quo pacto 1. *de generat.* dicit minus latè patere actionem quam motum, actio enim tantum reperitur in alterationibus, id est in productione qualitatum contrariarum, motus autem de pluribus alijs dicitur. Secundo. Actio alia est transiens, alia immanens. Transiens est, quæ habet materiam & subiectum extrinsecũ, qualis est frigefactio, calefactio &c. Immanens est, cum actio ibidem sistit, vnde effluxit, qualis est intellectio, volitio &c. Hæc distinctio petitur ex Aristotele 9. *Met. t.* 19. quo loco Zonf. q 21. contendit actionem immanentem nec ad hoc prædicamentũ pertinere, nec propriè esse actionem, sed potius esse appellatam operationem, reuera autem esse qualitatem de prima eiusdem specie, vel dispositione. Quamuis autem Aristoteli fortasse tantum curæ fuit agere de actione transeunte, non potest tamen negari, quin actio transiens, vt formaliter est actus ab agente proficiscens, non propriè sit actio, etiamsi alia ex parte quatenus habet quendam effectũ, possit appellari qualitas. Vnde experimur plures actus intellectionis, vt in potentia intellectiua recipiuntur, esse productiuos & effectiuos hab tus cuiusdam. Tertio. Alia est actio naturalis, alia artificialis. Quarto. Alia est actio animæ, & rerum animatarum, alia corporis & rerum tantum corporalium. Actionem tamen animæ videtur Auerroes excludere è numero actionum propriè dictarum 1. *de anima. com* 68. & qualitatem potius appellare, sed Auerroes sicut & Zonf. eodem modo

do occurrendum est, in quo fortasse vterque fallitur quod tantum rationem habuerint actionis, quę vt plurimum pro alteratiua, corruptiua, & transeunte vsurpatur. Quinto. Alia est perfectiua, alia corruptiua. Perfectiua, vt intellectio, vt descensus terræ in locum inferum. Corruptiua, vt calefactio & frigefactio ignis & aquæ. Actionis autem nomen sępius vsurpat Arist. præsertim *lib. de generatione*, pro corruptiua. Sexto. Alia est temporis, alia momentanea, alia æterna. Æterna, vt motus cælorum, secundum Aristotelem. Temporalis (sumo autem temporis nomen pro ea quæ & principium habet, & finem etiam sortitur) vt quęuis actio quę in tempore fit, qualis est secundum rei veritatem actio omnis quæ ab orbe condito fit, si tamen successiua est. Momentanea seu instans est, quæ simul tota est & impartibilis, vt est illuminatio, generatio substantialis. Hāc actionem negat *Zons. loco citato*, & Iauell. *q. 7.* pertinere ad hoc prædicamentum, sed idem argumentum suprà factum facit etiam contra hoc. Septimo. Alia est substantialis, alia accidentalis, hoc est alia per quam fit substantia, alia verò per quam fit accidens. Diuisiones alias minutas omitto, quod ad has facilè reuocari possint. Nihil etiam hic dico de difficultatibus illis physicis, an actio sit in agente, vel in patiente? An idem sit cum agente & re producta, & alias similes, de quibus suo loco. Vltimo quod ad proprietates actionis pertinet, præter eas quæ sunt apud Aristotelem, actionis etiam proprium est vt esse non possit sine passione, quia intrinsecum ordinem ad illam dicit. Item quod sit idem re cum passione, vt Arist. docet 3 *Phys.* Denique quod saltem natura sit prior actio prout habet rationem causæ.

Proprietates actionis.

De Passione.

Eadem, seruata proportione, dicenda sunt quæ de actione. Solum notandū est sex potissimum modis accipi hoc passionis nomen. Primo. Vt significet receptionem cuiusuis formę, siue substantialis, siue accidentalis. Ita Gilb. Secundo. Vt significet receptionem solius formæ corruptiuæ, prout etiam suprà accipiebatur actio pro sola corruptiua; & hoc colligitur ex 9. *Met. t. 2.* Tertio. Adhuc pressius pro magna quadam calamitate. 5 *Met. t. 26.* quo pacto passiones, inquit Aristot. in Eth. quæ beato accidunt, illum de felicitatis statu deturbant. Quarto. Pro omni perturbatione, vt passiones appellantur timor, ira, spes &c. Quinto. Pro ipsamet qualitate quæ causat & efficit passionem corruptiuam, & etiā sumitur pro ipsamet actione 5. *Met. t. 26.* Si autem non diu perseueret huiusmodi passio, peculiariter appellari solet passio, vt vidimus ea. de qualitate, qualis est pallor ex timore. Sexto. Significat passio quodlibet accidēs quod in subiecto recipiatur, quod quidem si commune sit, appellatur communis passio, si autem sit propria alicuius speciei, dicitur propria passio. Absolutum verò positum hoc nomen in hac significatione, sumitur pro propria affectione, seu proprietate. Tot ergo modis eum p. ssio accipiatur, ad rem nostram solum facit passionis vsurpatio in prima significatione, vt nimirum dicat receptionem formæ productæ, quæ etiam definiri potest actus in patiente receptus.

Passio quid.

De Quando.

Vlgò definitur Quādo, quod ex adiacentia temporis relinquitur in re temporali, hoc est, Quando nec est tempus ipsum per se, nec res quæ in tempore est, materialiter sumpta, nec mera vel relatio, vel denominatio, sed modus quidam, & noua affectio, quæ rei conuenit ex eo quod in tempore sit, & ab eodem mensuretur. Quarè hic tempus tantū accipitur pro extrinseco primi mobilis, quo vtimur quo vtimur ad ea, quæ in tempore fiunt, mensuranda, non autem pro tempore intrinseco, quod est tantum intrinseca quædam duratio rerum, quæ in fluxu & successione quadam positæ sunt. Ita D. Tho. *op. 48.* & Arist. hic in exemplo quod ponit, qui etiam 4. *Phys.* solum loquitur de isto tempore extrinseco. Notandum autē ex Burl. Quando, non esse ipsum esse in

Quando quid.

tempore, sed modum quendam in abstracto qui rei conuenit ex eo quod in tempore sit, quia nullum concretum ponitur in prædicamento. Cæterum differt tempus & Quando Primo. Quia tempus est aliquid planè extra rem, Quando autem est quidam modus in re ipsa. Secundo, Tempus dicit quandam mensuræ rationem, non autem Quando formaliter & præcisè quamuis illam supponat. Et confirmatur; quia si quæras cur angelus non mensuretur tempore, rectè respondebitur, quia nec est, nec esse potest in tempore. Signum ergo est nõ esse hæc duo idem: Esse in tempore, & mensurari à tempore. Tertio. Tempus est idem omniũ, quia est tempus primi mobilis, Quãdo autẽ multiplex est. Sciendum item, Quando aliud esse præsens, aliud præteritum, aliud verò futurum, in quæ etiam tempus diuidi solet. Sic etiam aliud est Quando in die, aliud in nocte, quæ sunt etiã quædam temporis differentiæ. An tamen Quando veras habeat & essentiales species, magis dubitari potest; quia ea quæ diximus non videntur specie differre. Nihilominus Buri vult esse distinctas Quando species, quod indicat quoq; Gilb. sed certè quamuis vtplurimum prædicamentum dicere soleat seriem plurium specierum sub genere, non tamen semper videtur necessariũ vt quodlibet genus habeat plures sub se species, sed satis est si sit quædam peculiaris ratio & modus rei alicuius quæ de aliquo prædicetur, vt est Quando. Tamẽ qui communiter loqui volunt, ad alia volunt, dicẽt has esse distinctas species. Proprietates Quando sunt primo. Vt nihil illi sit contrarium Secundo. Vt nõ recipiat magis & minus. Tertio. Vt solum conueniat rebus corruptibilibus, quod tempus solum videtur agnouisse Arist. Theologi tamen postea excogitarunt quoddã aliud tempus, quod vocant discretum, quod angelis conueniat. Deniq; mihi valdè probabile est, si loquamur absolutè abstrahendo ab Aristo. & secundum veritatem, tempus ad hoc idem prædicamentũ spectare, quia significabit modum illum intrinsecum, quem res habet vt est sub duratione successiua, cuius concretũ erit esse in tempore, quod non est mensurari tempore; & contineri sub tempore, sed hocipsum quod diximus: nam non est regula generalis, ad idem prædicamentum spectare debere formam abstractam & concreti. Quamuis Aristot. vt diximus *cap. de quant. in 5. Met.* vocat tempus quantum per accidens; vnde indicat non per se pertinere ad quantitatem.

Dubium.

Proprietates Quando.

De Vbi.

VBI est circumscriptio corporis à circumscriptione loci prouenieus. Hæc est vulgaris definitio. Et vt Aristoteles hic significat, Vbi significat esse in loco; nam. Vbi, inquit, est, vt esse in Lycæo. Quare Vbi nec est locus tantum secundũ istam definitionem; nec corpus quod est in loco, nec relatio sola, vel denominatio, sed modus quidam & affectio, rei conueniens prout est in loco. Secundo. Notandum est, hoc quod diximus esse secundum vulgarem opinionem de loco, esse superficiem ambientem: nam si sequamur aliam opinionem, vt mihi quidem videtur non improbabilem, locum nihil aliud esse, quam modum aliquem occupationis spatij, tum dicemus locum quidem ad hoc prædicamentum propriè spectare, denominatiuum autem à tali loco esse, occupare hoc spatium. Itaque per Vbi solum intelligemus hanc formalem & abstractam occupationem spatij Sed secundum vtramque opinionem nõ differt locus realiter ab Vbi, secundum posteriorem quidem, quia nihil est aliud locus, quam intrinseca loci occupatio, Vbi autem, ipsum occupare locum: secundum priorem autem, quia Vbi est modus quidam resultans ex loco amb ente. Est contra *Cap. 2. f. d. 6. quæst. 2.* Vnde Aristoteles solet hæc duo sæpè confundere t. Vbi & Locum, vt 5. *Phys t. 9. cõt.* 8. dicit motum esse ad vbi. 5 t. verò *Met sum 4. cap. 5.* dicit motum esse ad locum, & paulò post subdit esse ad Vbi. Differunt Locus & Vbi Primo. Quia locus secundum vulgarem sententiam est quid extrinsecum, Vbi autem est modus quidam in re quæ est in

Vbi quid.

Locus & Vbi quomodo differant.

in loco. Secundo. Locus dicit quandam perfectionem, quia significat continentiam, seu continere, Vbi autem indicat quandam imperfectionem, quia significat modum rei, vt contineri, contineri autem loco est rerum imperfectarũ. Præterea diuisiones Vbi multis modis tradi possunt. Primo Si habeatur ratio proprietatis illius vt est quid continens, seu vt locus continet sub se corpora, aliud dicitur esse commune, vt aqua piscibus, cælum beatis. Aliud proprium, seu locus adæquatus, & est cum res est in loco sibi proprio. Secundo. Aliud est per se, aliud per accidens. Sic dici solet corpus esse per se in loco, animam autem per accidens, quatenus est in corpore. Tertio. Aliud est magnum, paruum, amplum, angustum &c. Ratione differentiarum, aliud est sursum, aliud deorsum, aliud sinistrum, aliud dextrum, aliud antè, aliud retrò. Prout autem locus consideratur vt quid continens corpus aliquod, illudque ibidem conseruans, tanquam quid illi naturaliter debitum, hoc modo dicitur alius locus & Vbi in centro, aliud verò suprà centrum. Sic & localis motus corporum, alius esse dicitur à centro, alius ad centrum, idque vel simpliciter, vel secundum quid. Motus simpliciter ad centrum est terræ, secundum quid, aquę. A centro autem aëris, & ignis, & quodammodo etiam aquæ, quatenus supernatat terræ. Denique ratione eorum quæ planè loco accidunt, aliud dicitur esse vbi celebre & commune, aliud solitarium, aliud sacrum, aliud profanum, aliud salubre, aliud pestilens.

Proprietates Vbi. *Proprietates* autem sunt primo. Vt nihil sit Vbi contrarium; nam alioquin nõ posset eidem cõuenire etiam sursum & deorsum, vt argumentatur Alb. tamen quatenus locus habet quasdam qualitates similes & proportionatas rei contentæ, potest sicut vnus locus alteri contrarius esse, ita & vnum Vbi alteri, quod obseruat Burl. & nos diximus *cap. de quant.* Secundo. Non recipit magis vel minus. Tertio. Si sermo sit de Vbi & loco cuius Aristoteles tantum meminit, solis rebus corporeis & quantitate præditis conuenit; si tamen loquamur de Vbi secundum posteriorem sententiam, angelis quoque conuenit. Quarto. Non potest res eadem duobus in locis, & consequenter in duobus Vbi adæquatis esse, naturaliter loquendo. Quinto. Non possunt duo corpora esse in eodem loco naturaliter loquendo, nec plures res in eodem loco qui sit tantum spatium, vel potius modus existendi in spatio. Sexto. Conuenit Vbi & loco, seu Vbi ratione loci continere extrinsecè locatum, hoc tamen non conuenit omnibus corporibus, vt supremæ omnium sphæræ: nec enim aliam supra se habet à qua contineatur, quod est non paruum argumentum ad confirmãdam posteriorem opinionem de Vbi & loco.

De Situ.

Situs quid? Situs est dispositio partium rei corporeæ in ordine ad partes loci; nec enim loquimur de situ & positione quæ ordinem dicit partium in toto, quomodo suprà in cap. de quantit. quædam quantitas dicebatur constare ex partibus habentibus positionem, quædam verò minimè. Nec etiã vsurpatur à nobis situs in alijs significationibus, quas habet Burl. sed eo modo quo diximus, quem Gilb. exprimit positionis nomine, quod inquit Albertus in se plus habeat situs, quam positio. Est enim situs etiam in Mathematicis, positio autem tantum in naturalibus, quamuis hoc discrimen nullum esse videtur, nè quidem quoad nomen: nam etiam quantitas Mathematicè sumpta dicitur constare ex partibus positionem habentibus. Secundo. Situs in abstracto est forma illa extrinseca, quam explicauimus, eoque modo intelligi debet quo cætera Prædicamenta Quando & Vbi, in concreto autem habere partes ordinatas ad partes loci, significat rem habentem istum modum. Tertio. Duplex est situs: Naturalis, seu quem statim à primo ortu res habet, quo pacto prona cum spectent animalia cætera terras, os homini natura sublime dedit. Alius autem dicitur esse non naturalis,

accidentarius, ex imaginatione, siue voluntarius, vt statio, sessio, accubatio. Quarto. Proprietates situs sunt eædē quæ Vbi, nec ad illum propriè est motus localis, sed tantum consequenter, & est, inquit Gilb. forma quæ inter alias maximè assistit, intelligens per formas assistentes formas quas diximus extrinsecas. Quod autem situi nihil sit contrarium, probat Gilb. quia maximè contrarium esset stare, sedere; sed hæc non sunt contraria: æque enim stare opponitur ly sedere, atque ly cubare, vni autem vnum contrarium tātum esse potest. Secundo. Quia contraria sunt circa idem, id est in eodem subiecto recipi possunt. At sedere conuenit tantū rationalibus, hoc est vel homini, vel certè animali quodammodo ratione vtenti, stare autem conuenit etiam inanimatis. Quinto. Quomodo Aristoteles *ca. de Relat.* dixit sessionem, stationem, accubationem esse ad aliquid, non autem sedere, stare, accubare, paulò antè dictum est.

Proprietates situs.

De Habere.

ARchitas apud Simpl. quatuor requiri dicit ad hoc prædicamentum. Primo. Vt res quæ habere dicitur, sit corporea, ex quo sequitur id etiam quod habet, corporeum esse debere. Secundo. Vt quodammodo adiaceat & circumponatur, nec enim dicitur habere arma, qui ea in humeris defert, nec illis se induit. Tertio. Vt nō sit in re intrinsecè, nec vt accidens, nec vt pars. Quarto. Vt non sit quid naturale & innatum, sed ascitum extrinsecus. Hinc sequitur malè quosdam ad hoc prædicamentum referre ista: Habere dentes habere alias, squamas, nam hæc omnia sunt quædam rei partes. Est igitur Habere corporum, & eorum quæ circa corpora sunt applicatio, ac mutua quædam veluti coniunctio, seu modus ille qui conuenit rei prout vestimento aliquo amicitur. In concreto autem Habere est indui, amiciri, &c.

Obijcies: Videtur vestis habere vicem loci, nam est quid continens corpus ipsū. Resp. cum Auer. Habitudo continentis ad contentum duplex esse potest: Vna qua continens habet contentum, & hæc est propria loci & Vbi. Alia qua contentū dicitur habere continens, non tamē contrà dicitur continens habere contentum, & hæc pertinet ad hoc prædicamentum. Secundo. Diuiditur habitus in eum qui est secundum totum corpus, qualis est vestis aliqua oblonga quæ politicè loquendo totum circumdat corpus, non autem vt planè & omninò totum circumdet, vt velle videtur Burl. ponens exemplum in cadauere inuoluto linteo. Nec etiam dicitur vestis vel indumentum, saccus in quem viuum aliquod animal conijcitur, quod etiam exemplum dat Burl. Alius habitus est secundum partem, vt pileus. Secundo. Alius est habitus necessitatis, qui appellatur communi nomine vestis. Alius est ornamenti, vt diadema, annulus. &c. Tertio. Alius est virilis, alius muliebris. Quarto. Alius est militiæ, alius pacis. Quinto. Alius est publicus, alius priuatus, isque pro varietate statuum. Sexto. Alius est religiosus & sacer, alius sæcularis & profanus. Septimo. Alius est voluntarius, vt vestes quibus vtimur; alius inuolūtarius, vt catena, compedes. Octauo. Varij sunt habitus variarum gentium.

Tertio. Proprietates huius prædicamenti sunt. Primo. Vt nihil habeat contrarium, vt esse calceatum & armatum non sunt contraria etiam respectu eiusdem. Secundo. Non suscipit magis & minus, nisi fortè secundum loquendi modum, vt vnus est armatior altero, & quia non dicitur vnus esse vestitior altero, negat esse tunc alteri contrarium.

TRACTATVS TERTIVS.

HÆc est vltima pars huius libri, quæ etiam appellatur Postprædicamenta, in qua quarundam vocum explicationem ponit, quarum in superioribus inciderat mentio. *Capite enim de substantia* dixerat nihil illi esse contrarium, quod sequenti quoque capite nō semel inculcauit. Item *in ca. de Relat.* dixit relatiua esse simul natura, quarè explicat quot sint, & quot sint opposita, & de modis simul prioris. Denique de motu & habitu, propter actionē & passio-

passionem, quæ cum motu sunt idem re interdum, & propter prædicamentum vltimum de Habere. Hinc sequitur immeritò Andronicum apud Simplic. & Boet. negare hanc vltimam partem esse Aristotelis, sed à quopiam alio huic operi esse annexam; nam præter causam quam diximus cur conueniret Aristotelem de his dicere, faciet omnium Interpretum communis consensus.

CAPVT PRIMVM.

De Oppositis.

Diuisio capitis.

CVR primo de oppositis agat, causam diximus. Tria potissimum sunt in hoc capite. Primo. Ponit quatuor species oppositorum. Secundo. Ibi: *Quod autem priuatio*, distinguit easdem species. Tertio. Ibi: *Contrarium* &c. aliquas subdit proprietates; quia verò mens nobis est de hac ipsa materia disputationem instituere, tantum exponemus Authoris sententiam, subiecta breui vocabulorum explicatione.

PRIMA PARS CAPITIS.

Relatiua quid?

QVatuor sunt species oppositorum: *Relatiua, Contraria Priuatiua & Contradictoria*, quæ omnia exemplis illustrat. Secundo. Relatiua, inquit, sunt, quæ ipsa quæ sunt oppositorum dicuntur, vt pater filij pater, aut quomodolibet alter ad ipsa, vt scientia ad scibile, & vicissim. Tertio. Contraria, quamuis non sint relatiua, inuicem tamen dicuntur contraria, vt bonum malo, & malo bonum, non tamen dicitur malum boni malum. In hoc etiā distinguuntur cōtraria à priuatiuis & cōtradictorijs; quia licet cæcitas dicatur visus priuatio, non tamen visus dicitur cæcitatis priuatio. Idem est in contradictorijs: quamuis enim τὸ non sedere dicatur negatio τοῦ sedere, non tamen contra τὸ sedere dicitur negatio τοῦ non sedere. Quarto. Quædam sunt contraria, quæ habent medium, cum videlicet alterum necessariò inest rei quæ apta est suscipere contraria, vt inter ægritudinem & sanitatem non datur medium, quia corpus animatum, præsertim sensitiuum, vel ægrum est, vel sanum. Alia verò sunt contraria quę medium habent, cum neutrum necessariò inest, etiam in re quæ apta sit vtrūque recipere, vt album & nigrum; potest enim aliquid esse fuscum, rubrum, viride &c. Item prauum & bonum sunt cōtraria possunt tamen habere medium; nam non necessariò homo est bonus, vel malus, sed, vt ita dicamus, medius. Quinto. Ex his quæ habent medium, quædam habent nomen proprium, vt fuscum, viride &c. quædam autem non habent nomen proprium, sed negatione vtriusque extremi explicantur, vt quod neq; bonū est, neque malum. Sexto. Definit priuatiua, dicens. Primo considerari circa idem, vt visus & cęcitas circa oculum, & vniuersaliter subiectum in quo esse potest habitus, potest & in eodem reperiri priuatio. Quare distinguuntur hoc nomine priuatiua ab alijs oppositis, quia non sunt aliæ species necessariò semper circa idē subiectum numero, vt patet primo in contrarijs; nam nix est alba, nec tamen potest in se nigredinem admittere. In contradictorijs nam non est idem homo, & non homo, sed nec esse potest. Denique in relatiuis, quia non potest idem esse pater & filius, saltem respectu eiusdem. Secundo. Dicit priuationem in his reperiri, quę apta sunt habitum recipere, & pro tempore quo apta sunt: sic enim animal dicitur esse cæcum, cum & aptum sit vt videat, & ad id temporis peruenit quo videre poterat. Tertio. Dicit non esse idem priuationem & priuari, habitum & habere, quia non est idem cæcitas, & cæcum esse: nec enim prædicatur de homine cæcitas, vt dicamus, homo est cæcitas, sed cæcū esse, vt dicamus, homo cæcus est, tamen eandē habent oppositionis rationem habere & priuari, habitus & priuatio. Idem dicit de contradictorijs, non idem esse affirmationem & affirmari, negari & negationē, quia affirmatio & negatio sunt orationes, & solummodo in complexione reperiūtur; id autem quod affirmatur & negatur, est res aliqua incomplexa, tamen eandem

etiam, inquit, oppositionis rationem habent affirmatio & negatio, affirmare & negare; vbi etiam implicitè contradictionis definitionem ponit.

SECVNDA PARS Capitis.

Habent hæ partes magnam inter se connexionem, ita vt fatius esse, duxerim propterea vltimo loco verborum explicationem ponere. Comparat igitur Arist. hac in parte, & distinguit species Oppositorum enumeratas, ac primo probat Priuatiua differre à Relatiuis, quod etiam præcedenti parte significauerat; nam vnũ Relatiuum alterius esse dicitur, & vicissim vtrumque commeat: nam dicitur pater filij pater, & contrà, non tamẽ dicitur cæcitas esse visus priuatio, & visus cæcitatis priuatio. Secundo. Dicit eadem Priuatiua differre à Contrarijs. Primo ab ijs quæ non habent modum; nam horum alterum necessariò inest subiecto apto pro quouis tempore, at non quouis tempore necessariò inest habitus aut priuatio etiã in subiecto apto: nec enim catulum recẽter natum dicimus aut videre, aut cæcum esse. Secundo. Ex contrarijs quæ medium habent, alterum non necessariò inest subiecto, etiam vllo tempore, cum videlicet res aliqua neutrũ sibi à natura vindicat, vt paries in pariete qui nullo tempore necessariò est aut albus, aut niger. Quod si res quæpiam alterum contrariorum natura sua necessariò postulet, vt nix albedinem, tunc non potest alterum contrariorum simul inesse, nec successiuè, sed priuatiua possunt pro eo tempore, quo subiectum aptum est, in eodem reperiri, hoc est vel habitus, vel priuatio, vt catulus qui ad duodecimum diem peruenit, potest quidem videre, sed etiã potest cæcus esse. Tertio, Probat. Nam in contrarijs est mutua transmutatio, vt à sanitate in ægritudinem: nisi fortè cum vnum inest à natura, vt igni calor; sed inter priuatiua non est hic mutuus regressus, etsi enim ab habitu transiri possit ad priuationem, non tamen vice versa à priuatione ad habitum. Tertio, Probat idem de contradictorijs, nam illis solis conuenit vt alterum sit semper verum, & alterum falsum, quarè explicantur, per complexionẽ & orationem affirmantem, vel negantẽ, alia verò omnia posita sunt incomplexa; siquidẽ verũ & falsum solũ reperiuntur in complexione. Et quamuis aliæ oppositæ species præter contradictionem exprimi possint complexione & oratione, tamen non necessariò altera ex illis orationibus vera erit altera verò falsa; Vt si in contrarijs dicas: Socrates est sanus, Socrates ægrotat, vtraque falsa est, Socrate nimirum non existente. Sic etiam si dicas in priuatiuis: Socrates est cæcus, Socrates videt, falsa est vtraque propositio eadem de causa. Idem est in Relatiuis. Si verò dicas in cõtradictione: Socrates est sanus, Socrates non est sanus, altera necessariò vera est, altera falsa, siue Socrates existat, siue non.

TERTIA PARS CAPITIS.

Ponit Contrariorum proprietates. Prima est: Bono necessariò opponitur malum, vt sanitati languor, iustitiæ iniustitia. Sic etiam malo opponitur quidem bonum, sed præterea opponi potest aliud malum; vt auaritiæ non modo opponitur liberalitas, sed prodigalitas: nam vitium consistit in defectu & in excessu, virtus autem in mediocritate. Quarè non sola virtutis mediocritas vitio opponitur, sed excessus vnius alterius defectui. Secunda proprietas. Non si vnum contrariorum est, est & alterum; vt si omnes homines, & animalia sana essent. Tertia proprietas. Contraria eidem simul inesse nequeunt, quæ tamen proprietas potius est præcedẽtis probatio. Quarta proprietas. Contraria sunt circa idem subiectum vel specie, vel genere, vt sanitas & languor circa animal, iustitia & iniustitia circà animam hominis. Quinta proprietas. Contraria aut sunt sub eadem specie, vt album & nigrum sub colore, vel sunt sub diuersis generibus, vel speciebus, id est iustitia sub virtute, iniustitia sub vitio; vel sunt diuersa genera, vt bonum & malum.

EXPLI-

EXPLICATIO VERBORUM.

Ut malum bono &c.) Dicit bono malum esse contrarium, quod intelligi debet non formaliter ratione malitiæ præcisè considerata; hæc enim est tantū priuatio quædam, de qua te disputāt Morales Philosophi & Theologi, potissimum hoc argumento id probantes, quia alioquin sequeretur Deum efficientet concurrere ad peccata; nam ad omnia quæ positiuum quid sunt & reale, necessarius est Dei concursus. Idem accipiendum est de illis exēplis: Sanitate & ægritudine, pari & impari, præsertim cum hæc ad quantitatē spectent, cui Arist. cap. de quantitate nihil contrarium esse definiuit.

Sed & prauum & studiosum.) Iam diximus hæc propriè nō esse contraria. Quod verò addit Arist. medium inter hæc reperiri, notādus valdè est locus, videtur enim plurimum fauere opinioni Scoti & sectatorum, qui sentiunt in actibus moralibus seu voluntatijs dari posse aliquem singularem & indiuiduum, qui neq; sit bonus, neque malus, sed indifferens, quod Arist. hoc loco vocat aliquid medium per exclusionem vtriusque extremi, quod tamē negat D. Thom. & tertius, solum dicens dari posse actum indifferētem in specie, non autem in indiuiduo; hoc autem satis est ad saluandum dictum Aristotelis hoc loco. Hic etiam dicit Arist. prædicari studiosum & prauum de homine, alijsque quampluribus, quod an verum esse possit, meritò dubitari possit. Aliqui dicunt id solum dixisse Arist. exempli causa, alij verò accommodatè ad sententiam Platonicorum, qui dæmones inducebāt partim bonos, & partim malos. Quod si verum est, potest non infima ratio elici pro opinione asserentium intelligētias etiam de mente Aristotelis poni in prædicamento substantiæ, de qua hoc libro agitur. Alij denique hoc referunt ad alias res, quibus hæc eadem tribuuntur, quo pacto de actione dixit Aristot. *cap. de substantia*; prædicari esse studiosam & prauam, quānis non eadem numero praua esse possit & studiosa.

Circa hoc dicitur vtrumque eorum fieri.) Caietanus cum alijs addit hanc dictionem *ordine*; ex qua deinde colligit priuatiua tantum esse quæ non habent mutuū regressum, sed nec hęc dictio in codicibus Græcis est, nec verum esse videtur quod ex ea colligit, vt post dicemus.

Priuari vero.) Hinc colligi potest quid differant cōcretum & abstractum, & quā varij sint vtriusque prædicationis modi, de quibus diximus tum *in tractatu de vniuersalibus*, tum etiam *in Prolegom. ad hunc librum.*

Non enim possibile est ignem frigidum esse.) si nimirum naturam suam retineat, & loquendo de frigore summo, alioquin cum in ignē aqua reagit, producit aliquid frigiditatis in igne. Debet ergo intelligi, quod infrà quoque addit Arist. non posse eidem contraria simul inesse in summo, non autem in gradibus remissis, vt etiam diximus *cap. de substantia.*

A priuatione verò in habitum impossibile est.) Videlicet mutationem fieri, vt ex cęco fiat videns. Hæc propositio est fundamentum innumerorum errorum circà fidem, præsertim miraculorum, & imprimis resurrectionis, quæ etiam habetur apud Aristotelem *libro de generatione*. Quamuis igitur naturaliter loquendo vera sit, tamen fides apertè contrarium docet, qua supposita, potest naturalis ratio ostendere nullam esse hac in re repugnantiam, non autem quod de facto & positiuè id fieri possit, de qua re Theologi.

Contrarium autem bono.) Hic Arist. incipit agere seorsim de contrarijs, quam nos diximus esse tertiam capitis partem, vnde etiam in Græcis codicibus poni solet tanquam distinctum caput.

Malo autem.) Dicit Arist. malo opponi non modo bonum, sed aliud quoque malum, vt diximus in explicatione sententiæ. Porrò obseruandus est hic locus, nam dissentire videtur à seipso Arist. *1. de cælo. t. 10 & 10 Met. t. 19* vbi inquit, vnum contrarium vni tantum oppositum esse, sed de hoc posteà.

Amplius contrariorum.) Dicit Arist. Si vnum

vnum contrarium est, non necessariò etiã & alterum. Hoc videtur pugnare cum eo quod habet 2. *de cælo.t.18.* vbi plane oppositum habet, sed de hoc etiam postea.

Non contingit autem simul vtrumque eidem inesse) Hæc est propositio valdè celebris.

Palam verò) Dicit contraria esse circà idem genere, vel specie, vnde colligitur vtrumque contrarium esse quid positiuũ.

Necessarium &c.) Dicit vel esse in eodẽ genere, vel sub eodẽ, vel esse genera, cuius vltimum exemplum ponit bonum & malum, quod intelligi potest secundum opinionem Pythagoræ, duas rerum series ponentis, bonarum & malarum.

Admonitio.

ETsi alij soleant se breuiter hic expedire, quia tamen cognitio Oppositorum plurimum facit ad cognitionem rerum multarum, quæ in Physica præsertim disputantur, & quia præter hunc qui in manibus est, nullus æque idoneus de hac disserendi se locus offert, ideò statui paulò latius circa hanc materiam versari, vbi primum in genere de Oppositis, posteà verò de singulis Oppositorum speciebus dicemus.

DISPVTATIO IN Caput de Oppositis.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur aliqua ratio communis Oppositionis, & quomodo sit communis?

CErtum est esse aliquam rationẽ communem abstrahibilem à singulis oppositorum speciebus, sed quomodo se habeat ad singulas species, de hoc potissimum quæstio est.

Prima Opinio est Iamb. apud Simplic. *in hunc locum*, qui oppositionis rationem ad suam speciem æquiuocam appellat, hoc est, vt ego interpretor, analogam. Quod probari videtur posse primo authoritate Aristotelis *ad init. cap.* vbi inquit: *De oppositis quot modis solent opponi dicendum est*, quasi dicat, esse multiplicẽ oppositionis rationem, & analogam. Secundo, Quia non satis videtur quî esse possit hæc ratio oppositionis vniuoca.

Secunda Opinio est multorum Peripateticorum apud Simpl. eiusdem Simpl. Lycostrati, Porph. & Boëtij, esse rationem communem vniuocam, quia in hoc consistit oppositionis ratio in communi loquendo, vt non possint eadem in eodem secundum idem eodem tempore, & simul esse, seu, quod eodem tendit, oppositio est impossibilitas aliquorũ simul existendi in alio. Idem videtur docere Philop. 1. *Post. cap.* 11.

Tertia Opinio est Soto hoc loco, qui ait rationem oppositionis esse vniuocam ad contraria, priuatiua & contradictoria, nõ autem ad relatiua, quia, inquit, possunt relatiua eidem inesse, quamuis secundum diuersas rationes.

Prima Propositio. Si ratio oppositionis vniuoca est ad contraria, priuatiua & contradictoria, nihil obstat quominus sit vniuoca etiam ad relatiua. Ratio est, quia oppositio per se solum videtur dicere illam impossibilitatem aliquorum existendi simul in aliquo secundum eandem rationem. At hoc ipsum optimè congruit in relatiua.

Secunda Propositio. Melius cum prima opinione asserere rationem oppositionis esse analogam. Ita asserit Auerroes cum suis, Alb. & D. Thom. *op.* 37. *cap.* 1. Caietan. *hoc loco.* Ratio est, quia per se primo conuenit ratio oppositionis contradictorijs, ita vt ab absolutè dicantur opposita, cæteris autem speciebus minus perfectè & secundum quid. At per quandam veluti analogiam ad oppositionẽ contradictoriorum. Quod apertè asserere videtur Arist. 10. *Met. t.* 15. præsertim iuxta Auerr. eodem loco interpretantẽ, inquit enim priuatiua quoquo modo cõtradictoria esse, hoc est participare rationem contradictoriũ, quia priuatio se habet vt negatio habitus, & tanquam non ens ad ens, inter quæ propriè est contradictoria oppositio. Cõfirmatur primo, quia contraria saltem aliqua medium habent, contradictoria autem nullum. Idem habet Arist. 4. *Met. t.* 27. Confirmatur secundo. Ea sunt maximè opposi-

opposita, quæ plurimum inter se distant; distant autem plurimum, quæ medio carent, siquidem medium indicat conuenientiam quandam extremorum inter se, ideoque diminuit rationem oppositionis, vt rectè ostendit D.Thom. *opusc.3.ca.1.* Porrò medium dupliciter considerari potest quod ad rem præsentem attinet. Primo medium quod vocatur eiusdem generis, quale est in coloribus; nam viridis color est medium eiusdem generis ad albedinem & nigredinem: sunt enim omnes colores. At contradictoria non habēt hoc medium, quia vnum extremum est non ens, contraria verò saltem aliqua habent huiusmodi medium. Alterum medium est quod appellatur medium materiæ, seu subiecti, hoc est, cum opposita sunt, vel esse possunt in aliquo subiecto, huiusmodi medium habent contraria & priuatiua, non autem contradictoria, quia vnum extremum est non ens, cui nullo modo conuenit esse in aliquo subiecto, vel respectum dicere ad subiectū. Igitur contradictoria sunt magis opposita quam contraria & priuatiua. Restant Relatiua, quæ quamuis neutrum medium explicatum habeant, non quidem eiusdē generis, quia, inquit D.Thom. non est in relatiuis magis & minus, hoc est vnum relatiuum immediatè ordinatur ad aliud, quatè non est aliquid quod concipiatur tanquam intermedium, vel intercedens. Nec etiam habent Relatiua medium materiæ, quia idem non potest esse pater & filius quatenus pater refertur ad filium, sed tamen reperitur hæc habitudo inter relatiua, vt vnum habeat dependentiam ab alio, & vnum quasi ponat aliud, quod non cernitur in contradictorijs: nec enim ens ponit suum extremum, quod est non ens. Confirmatur tertio. Quia inter ens & non ens, in quibus est oppositio contradictoria, dicitur esse infinita distantia. Propter quam causam colligunt Theologi potentiam infinitam ad producendum ens ex non ente, ita vt nec etiam communicari possit, secundum quosdam, instrumentaliter creaturæ vis creandi; sed in alijs oppositionibus est distantia quædam finita, in relatiuis & contrarijs directè & positiuè, quia sunt inter terminos positiuos. In priuatiuis verò indirectè saltem & præsuppositiuè, quia priuatio dicit quidem negationem, sed in subiecto. Confirmatur denique, quia repugnat Deum facere contradictorium, sed non repugnat saltem secundum multorum opinionem, vt ponat contraria etiam in summis gradibus in eodem; Vel si repugnat non nisi quia contraria implicant in se oppositionem contradictoriam, vt significare videtur Arist.4. *Met. t.27.* Lege Zonf. 10. *Met. q.18* D.Thom. *op.37. cap.1 & q.7 de potent. art.8. ad 4.*

Tertia Propositio. Per se tantum locuti sumus de oppositionibus incomplexis, sicut etiam Arist. hoc loco, quāuis explicauit oppositionem contradictoriam per affirmationem & negationem. Vbi etiam Burl. notat quod oppositio contraria & contradictoria indifferens est ad complexam & incomplexam oppositionem, relatiua autem & priuatiua solum reperiuntur in incomplexis. Quod intelligi debet de complexa oppositione sumpta logicè, de qua dictum est *in Compendio*, & dicemus *in lib. Perihermenias*; nam oppositio cōtraria logicè sumpta, est cum vna propositio vniuersaliter ait, quod altera vniuersaliter negat. Oppositio contradictoria logica est, cum vna propositio est vniuersalis affirmatiua, alia verò particularis negatiua, vel vice versa, siue in vtroq; genere oppositionis prædicata sint verè contraria, aut contradictoria, siue non, nam etiā esse possunt prædicata relatiua & priuatiua. Solum est obseruandū quod Arist. 2 *Periherm. cap. 4.* logicè loquendo contendit magis esse oppositas contradictorias propositiones, quam contrarias, sed quę materialiter etiam loquendo magis sint oppositæ propositiones contradictoriæ, quam contrariæ, hoc est de prædicatis contradictorijs, quam de contrarijs, ex dictis colligi potest. Et confirmatur etiam, quia per se primo opponitur propositio negatiua propositioni affirmatiuæ, in qua prædicatū est de ratione subiecti; secundariò verò & per accidens opponi-

ponitur propositio in qua affirmatur aliliquid positiuè repugnans rei alicui, vt huic propositioni: Ignis est calidus, per se primo & maximè opponitur, hæc: Ignis nō est calidus; mediante verò ista propositione opponitur illi propositioni ista: Ignis est frigidus, vel ignis est tepidus. Obseruandum denique est quod eodem loco inquit Arist. Etiamsi propositiones sint contradictoriæ, opiniones tamē quæ de illis sunt, esse contrarias. Ratio est, quia opiniones dicunt aliquid positiuum, ac veluti posit uè excludens aliud, vt patet in simili, de habitu virtutis & vitij, scientiæ & ignorātiæ, prauæ dispositionis, &c. propositiones verò ideò sunt contradictoriæ, quia vna ex illis formaliter continet prædicatum quod est nō ens. sicut dicti habitus sunt priuatiui, si consideretur præcisè ratio ignorationis, vel malitiæ.

Obijcies: Enti & non enti nihil potest esse commune, nec analogum quidem. Ergo oppositioni quæ est inter positiua & negatiua non poterit esse vna communis ratio. Respondeo. Communis ratio analoga analogię attributionis nulla propriè est, analogiæ verò proportionis esse potest etiam inter nō entia; vt dictum est tract. de analogis; sic enim potest priuatio, quamuis sit formaliter non ens, habere rationem analogam principij, & punctum secundum quosdam, qui negant esse quid positiuum.

Obijcies secundo: Oppositio videtur in hoc consistere, vt vnum dicat elongationem potentiæ ab alio: Sic calor elongat potentiam subiecti à frigore, sed ita elongat, seu distare facit potentiam ab actu priuato, sicut non ens ab ente. Ergo tanta est oppositio inter priuationem & habitum, atque inter ens & non ens, & consequenter æqualis oppositio est priuatiua & contradictoria. Respondeo cum D. Thom. *op. 37. cap. 1.* Ista elongatio vel fit omninò nullo positiuo relicto, & talis est maxima elongatio, qualis solum est inter ens & non ens; vel fit supposito aliquo positiuo; hoc est, potentia in subiecto, ita vt hæc elongatio dicat solum obstaculum & impedimentum, ne possit potentia in actum reuocari, quod rursum fit duobus modis: Vel immobiliter, & pro omni tempore, naturaliter loquendo; talis est elongatio, quam priuatio causat in subiecto, & potentia eiusdem respectu habitus, quia nunquam rediri potest à priuatione ad habitum; Vel fit tantum mobiliter, & ad tempus, & hæc elongatio reperitur in contrarijs, quantum est ex natura sua: nam quod est frigidum, elongat subiectum & potentiam subiecti à calido, non ita tamen, vt non possit res ista calida fieri. Ex his ergo sequitur maiorem esse elongationem quam facit non ens ab ente, quam illam quæ causatur à priuatione respectu habitus: Vnde sequitur, quod quamuis natura sicut non potest de non ente ens facere, ita nec id quod priuatum est facere, vt habitum habeat; tamen ex natura sua difficilius esset ex non ente ens facere, quam ex priuatione causare in re aliqua habitū, & propterea maius miraculum, inquit D. Tho. est quotidiè creare animas, quam cæcos illuminare, quod tamen quia rarius fit, ideò mirabilius esse videtur, & maioris miraculi loco habetur.

Quarta Propositio: Non modo prioritate perfectionis, sed etiam prioritate ac primitate, vt loquitur Zonf. naturę prior est oppositio cōtradictoria, quā quælibet alia. Est contra Zonf. *10. Met. q. 18* & contra Auer. *ibid. t. 15.* qui id probare nituntur authoritate Aristotelis, dicentis contradictoria esse quodammodo priuatiua; reuera tamen non facit contra nos hæc Aristotelis authoritas: ibi enim loquitur de priuatione vt confunditur cum contradictione, ideoque vocat illam oppositionem perfectam, cum tamen concedant aduersarij solam contradictoriam esse verè perfectam. Ratio verò huius est, quia primus conceptus, qui est de aliqua re, est quod sit ens, secundus autem & immediatè sequens est, quod non sit aliares. Ergo immediata oppositio est inter ens & non ens. Atque hinc maximè confirmatur secunda propositio, & facilè occurri potest ad fundamenta aliarum opinionum.

Obijcies

Obijcies: Contrarium includit negationem alterius, & præterea aliquid positiuum, quod nimirum positiuè aliud expellat, vt patet in calore respectu frigoris. Ergo maior est oppositio contraria, quã contradictoria. *Confirmatur*. Quia Arist. *in hoc cap. & 10. Met. t. 13.* dicit contraria esse maximè inter se distantia. Ergo sunt maximè opposita. Propter hæc & alia argumenta Iambl. 10. *Met. q 9 & 2.* & Ant. Andronic. *4. Met. q. vlt.* existimat maximam oppositionem esse contrariorum, qui etiam Amm. secundo obijcit: Quod quantumcunque aliqua parum distent, semper opponi possunt contradictoriè; quia vnum non est aliud, & de quolibet eorum alterum contradictoriorum semper verum est, aut falsum. Propter hoc argumẽtum Zons. refert cuiusdam opinionem, minimam inter oppositiones esse contradictoriam.

Ad primum. Respondet rectè Zons. sermonem esse de oppositionibus præcisè & distinctè sumptis; non autem vt vna aliam includit; & sic si spectetur frigus quatenus includit negationem, sic habet oppositionem contradictoriam, eamque maximam, non verò tantam si consideretur quatenus opponitur calori positiuè, quamuis maior sit oppositio, si vtraque in illo spectetur. Ad confirmationem Aristot. dicit contraria maximè distare, sed in eodem genere, contradictoria autem maiorem adhuc distantiam dicunt, quia nullam habent conuenientiam eiusdem generis. Ita respondet Ianell. 10. *Met. q. 12.* Vel etiam responderi potest maiorem esse distantiam contrariorum physicè, habita ratione actionis, qua vnum alterum corrumpit, non autem Metaphysicè.

Ad secundum In contradictorijs vel cõsiderantur ea quæ sunt substrata contradictioni, vel formaliter affirmatio & negatio. Ratione primi sufficit quæuis distantia; nam de motu verum est dicere, quod est actio realiter, & falsum quod non sit actio realiter, & tamen distant tantum inter se formaliter. Ratione verò secundi significatur maxima distantia, quia affirmatio significat esse, negatio autem non esse. Hoc videtur velle dicere Iambl. & Ianell. Vnde potest eadem solutio applicari, non facta n[illegible]ne propositionum. Lege etiam D. [illegible] *p q. 28. art. 1. ad 1.*

Quinta Propositio Proximum locum post oppositionem contradictoriam habet oppositio priuatiua, posteà oppositio cõtraria, denique relatiua. De priuatiua patet ex Arist. 10. *Met. t. 15.* vbi appellat priuatiuam oppositionem quoquo modo contradictoriam, & ratio euidens est ex dictis, quia priuatiua oppositio est inter ens & non ens, quamuis non simpliciter non ens. Quod verò contraria oppositio maior sit quam relatiua, etiam manifestum est, quia vnum contrariorum alterum expellit, relatiuum verò potius alterum ponit, si tamen, vt obseruat Caiet. considerentur hæ species oppositæ vt dicunt ordinem ad ens, sic contrarius planè ordo in illis seruatur, quia Relatiua oppositio est prima, secunda Contraria, tertia Priuatiua, vltima Contradictoria, & ideò fortè exorsus est hoc ordine, primo à Relatiuis, & deinceps ad alias species est progressus, & quia conuenientia in ente diminuit rationem oppositorum, propterea illa sunt minimè opposita, quæ maximam habent in ente conuenientiam.

Propositio vltima. Commune est oppositis primo vt eorum eadem sit disciplina, vt passim habetur apud Aristot. hoc est vt quæ de vno præcipiuntur, de alio etiam ratione opposita intelligi debeant. Secũdo, Vt quot modis vnum diuiditur, diuidatur & alterum, quod etiam habet Arist. præsertim *in Top.* & intelligitur tum de omnibus, tum potissimum de contrarijs, dummodo tamen diuisio fiat per immediatas differentias: nec enim ne[illegible]sè erit vt posteà ex æquo diuidantur, vt obseruauit D. Thom. *2. 2 q 92. art. 2. ad 1.* Aliæ etiam proprietates tradi possent, sed sunt faciliores & leuioris momenti.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quot sint species oppositionis?

VIdemur quæstione præcedenti tanquã certũ supposuisse esse quatuor species

Contradictoriam, Contrariam, Priuatiuam, Relatiuam, nec tamen inter omnes de hac re conuenit. & nos occaſione tantum a. ec, *ut* diximus, vt explicaremus rationem communem oppoſitorum, & quomodo illa ſe habeat ad ſpecies quæ ſaltem vulgò conceduntur. Tho Bricot. aſſerit has quatuor ſpecies, quas enumerauimus, eſſe tantum oppoſitorum in terminis logicis, in rebus autem eſſe tantum vnam oppoſitionem, nempè contrarietatis. Sed nec ſatis intelligi poteſt quid ſibi is author velit, nec habet pro ſe rationes vllius momenti. Videtur autem alia ex parte quod ſint plures ſpecies; quia homo, verbi gratia, & equus habent quandam oppoſitionem, homo & lapis quandam aliam maiorem, non tamen apparet ad quam ex dictis ſpeciebus reuocari poſſit. Ergo ſunt plures ſpecies.

Prima Propoſitio. Species oppoſitionis conueniunt rebus ipſis, & non tantum terminis logicis. Ratio eſt, quia verè à parte rei pater eſt oppoſitus filio, & cæcus videnti, & ens non enti, & non ſolum vnum contrarium alteri contrario, vt frigus calori &c. ſi tamen nomine terminorum logicorum intelligere velimus has rationes oppoſitionis, prout accipiuntur in abſtracto & in communi, & prout conueniunt in ratione oppoſiti, poteſt id vtrumque concedi.

Secunda Propoſitio. Si accipiatur oppoſitio vt dicit quamuis repugnantiam & incompoſſibilitatem, non videntur ſufficienter aſſignatæ quatuor tantum ſpecies, ſed addi debuit quinta alia, quæ appellatur oppoſitio diſparatorum, quod conuincit ratio paulò antè allata de oppoſitione inter hominem & equum aut lapidem.

Tertia Propoſitio. Sumendo oppoſitionis rationem paulò magis ſtrictè, vt non dicit ſolam diſconuenientiam & repugnantiam, ſed repugnantiam cum ordine vnius ad alterum, ita vt quodammodo tendat ad alterius deſtructionem; ſic ſufficienter aſſignatæ videntur quatuor ſpecies, quas Ariſt. *hoc cap.* ponit, & 5. *Met. cap. de eodem & diuerſo.* Colligit autem hinc numerum primo Amm. hac ratione; Vel enim, inquit, fit oppoſitio mediantibus vocibus, vt vna ſit negata, altera affirmata, & eſt prima ſpecies contradictoriorum; vel ratione rerum in ſe, & tunc aut ſunt inter ſe relatiuæ, & eſt ſecunda ſpecies relatiuorum; aut ſunt abſolutæ, idque vel vt inter illos ſit mutua tranſmutatio, & eſt vltima ſpecies Priuatorum. Secundo ſic colligi poteſt: Oppoſita ſunt quaſi contrà ſe poſita; vel ergo ita ſe habent, vt inter illa ſit ratio dependentiæ vnius ab altero, & ſic eſt prima ſpecies Relatiuorum; vel vnum remouet aliud, & hoc tribus modis: Aut omninò, & eſt ſecunda ſpecies contradictoriorum; aut relinquendo ſubiectum, & eſt tertia priuatiuorum; aut relinquendo poſitiuum, ſed expellendo aliud, & eſt vltima ſpecies contrariorum. Denique D. Tho. *tr.* 37. quem ſequuntur Caiet. & Soto, ita colligit: Oppoſitio aut eſt inter ens & non ens, aut inter entia; ſi inter ens & non ens, vel ſimpliciter, vel ſecundum quid. Si primum, eſt prima ſpecies contradictoriorũ; ſi ſecundum, eſt ſecũda ſpecies priuatiuorum; ſi eſt inter entia, vel illa ſe mutuo reſpiciunt, & eſt tertia ſpecies relatiuorum; vel ſe mutuo expellunt, & eſt vltima ſpecies contrariorum. Alij alijs modis colligunt.

Obijcies: Omnis oppoſitio eſt relatiua; ergo ſunt quatuor. Probatur antecedens: Quia oppoſitum dicitur aliquid reſpectu alterius. *Reſp.* Quatenus omnes hæ ſpecies conueniunt ſub ratione communi oppoſitionis ſic habent relationem, tamẽ ſecundum peculiares & ſpecificas rationes ſuas ſunt ſpecies diſtinctæ oppoſitorum. Hæc reſponſio elicitur ex Iauello 10. *Met. q.* 11. *art.* 2. *com.* 2. *& ad hoc cap. de oppoſ.* & Boil *hoc loco*.

Vrgebis: Hæc ratio oppoſitorum quatenus eſt relatio quædam, continetur ſub relatiuis oppoſitis. Ergo non poteſt eſſe genus relatiuorum. Reſponſio ad hanc obiectionem petitur ex dictis *tract. de vniuerſalibus*; vbi docuimus quomodo poſſit genus vt eſt ſpecies quædam vniuerſalis, habere ſuprà ſe genus aliquod.

QVÆSTIO TERTIA.

De oppositione Relatiua.

ARistoteles hic aliud nihil facit, nisi quod repetit definitionem relatiuorū à se sup à traditam *cap de Relatione*. Quarè nihil quoque nobis dicendum videtetur nisi non sufficienter ex Aristotele hoc loco colligeretur, in quo consistat ratio oppositionis quæ in relatiuis reperitur.

Prima Propositio: Consistit in hoc ratio oppositionis relatiuorum, quod vnum refertur ad aliud, & vt sic, ita sibi repugnāt, vt non possit vnum esse aliud, vt pater & filius. Dixi *vt sic*, quia alia ex parte ratione propriarum entitatum absolutarum seipsis distinguuntur; non quia non potest esse idem pater & filius resp[ectu] eiusdem, nec possunt in eodem esse oppositæ relationes secundum idem, & ex vi relationis, seu relatiuæ oppositionis, quod non modo reperitur in relatiuis disquiparantiæ, sed etiam æquiparantiæ, quia quamuis duæ relationes relatiuorum æquiparantiæ inter se conueniant, & sint eiusdem speciei, tamen non potest relatiuum prout alteri opponitur alterius in se habere relationem. Quarè sine causa Caiet. hunc dicendi modum refellit, & alij quidam recentiores, dicentes esse per accidens quod diximus in relatiuis æquiparantiæ; nos enim tantum contendimus non modo relatiua esse opposita, sed etiam ipsasmet relationes, imò ista non essent opposita, nisi propter oppositas relationes; nec est necessarium, quod videntur illi supponere, extrema opposita distingui specie, vt patet in habitu & priuatione, ente & non ente. Et confirm. ad hominem, contrà Caietanum, nam ipse fatetur quod nos supra probauimus, relatiua sicut & alias species oppositas habere oppositorum rationem, quatenus participant rationem oppositionis contradictoriæ. Idem autem ipse fatetur, relatiua vt opponuntur oppositione contradictoria participata, alterum alterius negationem includere, etiam ratione eiusdem. Atque hæc est expressa A b. sententia hoc loco.

Secunda Propositio. Relatiuorum oppositio differt ab alijs speciebus. Primò quia alia opposita non dicuntur ad conuertentiam sicut Relatiua. Hanc differentiam ponit Aristoteles *hoc capite*; nec enim dicimus frigus esse caloris frigus, visionē esse cæcitatis visionem, ens esse non entis ens, sicut dicimus patrem esse filij patrē. Quamuis si considerentur omnia opposita quatenus habent quandam relationem etiam ipsa in communi loquendo; sic quodlibet oppositum dicitur esse alterius oppositum, seu oppositi oppositum. Secundo. Ex D. Tho. *q. 2. de potent. art. 8. ad 4.* Differunt relatiua, quia alia opposita tollunt suum quæque oppositum, vt priuatio habitum; contradictorium alterum contradictorium &c. non autem relatiua, sed potius se mutuo ponunt, cum mutuam habeant ad se dependentiam, quamuis quatenus sunt opposita, ex vi talis oppositionis relatiuæ sequitur, vt vnum relatiuum non sit aliud, nec alterius habeat relationem, quod est quasi tollere alterū. Tertio. Ex eodem D. Thom. *ibid op. 37. ca. 3.* Ex relatiuis vnum non est altero imperfectius, præsertim, inquit, in relatiuis originis & æquiparantiæ, vt in patre & filio, & æqualibus, sed ex alijs oppositis semper alterum est quid imperfectius altero, vt frigus quam calor, priuatio quam habitus, cæcitas quam visio, non ens quā ens, & ideò inquit ex omnibus oppositis sola ferè vel maximè relatiua oppositio in Deo reperiri potest. Nec tamen negandum est quin sine relationis spectentur fundamenta ipsa, & prout vnum se habet vt effectus alterius materialiter loquēdo, possit vnum altero esse imperfectius; sic enim sup. *in tract de relat.* diximus quædam dici relatiua suppositoria, quædam autē superpositoria qualia sunt pater & filius, dominus & seruus. In relatiuis verò diuinis, quia propriè loquendo nulla cernitur causalitatis & dependentiæ ratio, propterea absolutè loquendo æque sunt perfecta.

Tertia Propositio. Relatiua oppositio, propriè loquendo, reperitur solum in ijs, quæ propriè etiam relatiua nuncupantur, vt sola relatiua secundum esse & prædi-

camentalia. Argumentum est, quod quæ sunt relatiua imperfecta secundum diei & transcendētalia, possint etiam simul quatenus talia sunt habere oppositionem cōtrariam, vel priuatiuā, vt patet in virtute & vitio, scientia & ignorantia &c.

QVÆSTIO QVARTA.
De oppositione Contraria.

NOtandum primo. Hoc nomen contrariorum sæpè vsurpatur apud Aristotelem, aliosque Philosophos pro quouis oppositionis genere, vt 8. *Met. t. 4. & lib. 10. t. 13.* Sic etiam Marc. Tullius *in Top.* Contrariorum, inquit, genera sunt plura, vbi subijcit species oppositorum, & hanc ipsam speciem contrariorum ab alijs distinctam *Aduersorum* nomine appellat. Sic etiam hoc ipsum contrariorum nomen aientibus & negantibus vel contradictorijs tribuit 4. *Acad. q & lib. de Fato.* Aristoteles præterea 1. *Periherm. cap. 5.* apertè transfert nomen contradictionis ad quamlibet oppositionem significandam. Ratio fortassè huius communis acceptionis esse potest, quia nomina oppositorum vulgò intelligimus ea quæ se mutuo expellunt, quod ad speciem contrariorum propriè spectat, vt paulò post dicemus.

Notandum secundo. Contrarietas etiam vt distinguitur ab alijs tribus speciebus, potest adhuc & largè & magis propriè sumi. Largè sumitur, cum de substantijs sumitur; sunt enim quædam substantiæ quæ ita inuicem opponuntur, vt non possit huiusmodi oppositio vllo aliarum genere melius explicari quam contrariorum, vt homo & brutum; quod enim hæc non sint relatiua, vel priuatiua, vel contradictoria, clarius est quam vt vlla probatione egeat. Nec denique sunt disparata tantum; certum enim est maiorem quādam esse oppositionis rationem inter has, quam inter hominem & lapidem, vel inter Petrum & Paulum. Ergo oppositio hæc contraria appellanda erit. Quod autem in substantijs inesse possit huiusmodi contraria oppositio, dicit Aristoteles 6. *Phys. t. 91. & ibid.* Auerroes & *lib. 4. de cælo, com. 38. 2. de generat. t. 49. 1. Phys. t. 56. & 10. Met. t. 24.* quibus locis vel interdum etiam opponi contrariè, & substantiam substantiæ contrariam, & quod differentia secundum speciem est differentia contrarietatis. Hoc ipsum affirmant Zons 10 *Met. quæst. 24.* Andronic. *ibid quæst. 6.* Iauell. *quæst. 18* Et confirmatur ex tractatu de genere, genus diuidi in oppositas differentias. Omissa autem hac significatione contrariorum, prout de substantijs dicitur, vtpote quæ minus propria sit, de ea tantum nobis sermo est, quæ in accidentibus cernitur, estque maximè propria.

Notandum tertio Inter contraria accidentium, cum vnum sit vtplurimum minus perfectum quam alterum, propter illam negationem perfectionis quam dicit, solet aliquando vocari priuatiuum, vel priuatio, vt patet *2. de cælo t. 18. 1. de gener. t. 18 2. Phys. t. 15. 4. Met. t. 27. lib 10. t. 7. & 15 lib. 12. t. 22.*

Prima Propositio. Contraria, vt colligitur ex Aristotele tum *hoc cap.* tum 10. *Met. tex. 13.* sunt, quæ sub eodem genere posita maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se positiuè expellunt. Diximus primo contraria esse sub codē genere, quod tamen repugnare videtur dictis Aristotelis *hoc in cap.* vbi inquit aut esse contraria sub eodem genere, aut esse genera, sed nos vt diximus in expositione textus, locutus est iuxta Pythagoræ & veterum opinionem, qui asserebant bonum & malum esse suprema quædam rerum omniū genera, sub quibus res tum malæ, tum bonæ collocarentur. Hoc testatur Caietanus *hoc loco.* Et D. Thom. 1. *p. q 48. art. 1. ad 1. & 1. contrà gent. cap. 8. & ibid.* Ferrar. Aut certè bonum & malum genera esse dixit, vel generales quasdam conditiones omnium contrariorum, in quantum vnum semper habet rationem quandam boni, alterum rationem mali, saltem entitatiuè, vt ait Ammonius, Soto, &c. Vel denique vocat bonum & malum genera in ratione moris, vnde exemplum ponit in virtute & vitio. Ita D. Thom. 1. *p q 48. art. 1. ad 2. & 3. & Vers. hoc loco.* Adde quod bonum

Contrariorum vera definitio.

num & malum formaliter loquendo non sunt contraria, sed priuatiua tantum. Quod autem necessè sit contraria sub eodem genere poni, vel proximo, vel remoto, hoc est solum sub eodem prædicamento, vel ex eo liquidè constat, quod horum natura sit vt inuicem transmutati queãt, quod non nisi in ijs quæ eiusdem generis sunt fieri potest. Hinc sequitur contraria semper vt minimum specie differre, quod habetur apud Aristotelem 10. *Met. t.* 26. de qua te lege Zons. 10. *Met. quæst.* 23. vbi refellit quosdam dicentes quædam contraria specie non differre, vt albedo & nigredo. Nec tamen hinc sequitur, si vnum contrarium in natura reperiatur, reperiri debere & alterum, ne secum apertè pugnare dicatur; dicendum est eo loco disputasse Aristotelem de ordine & perfectione vniuersi, atque de speciebus perfectis rerum: Cum enim hic mundus nihil aliud sit, quam quædam, sed ordinata coacervatio rerum omnium perfectarum, oportet vt constet ex omnibus rebus perfectis. Ex quo denique non licet inferre, vt tractatu de vniuersali dicitur genus necessariò exigere plures species, quia species si secundum naturam suam considerentur, sunt independentes ab alijs, genus etiam dicit perfectionem quandam, & gradum præcisum ab alijs omnibus speciebus, poterit ergo conseruari genus, etiamsi sit tantum vna in rerum natura species, si Metaphysicè & ex natura rei loquamur. Secundo, ponitur in definitione *quod maximè distet*. id est vt maxima oppositionis ratio, specierum contentarum sub eodem genere inter eas quæ contrariæ appellantur, sit; possunt enim sub eodem genere plures esse species, & tamen non contrariæ, vt patet in multis coloribus medijs sub eodem genere coloris. Est autem obseruandum, hanc distantiam, quæ reperitur in contrarijs, ortum habuisse ex distantia quæ inter loca & spatia reperitur, vt videndum *cap. de quantitate*, quod alibi sæpè docet Aristoteles, imò verò Auerroes in hoc sensu, dicit, contrariorum definitionem principaliter locum habere in ijs quę distant localiter, deinde secundum similitudinem & analogiam quandam de ijs dici quæ sunt in qualitate. Hoc docet 5. *Phys. com.* 59. 8. *Met. com* 4. *& lib.* 10. *com.* 13. Tertio additur in definitione: *Vt à subiecto sese positiuè expellant*, hoc est formaliter; quamuis enim effectiuè & actione propria id causare possint, tamen prius illud satis est ad oppositionem cõtrariam: Verbi gratia, calor opponitur frigori, illudque expellit, non modo formaliter, quia est repugnantia harum formarum in eodem subiecto, sed etiam effectiuè, quia sunt qualitates quædam actiuæ, albedo autem & nigredo, aliæque qualitates quę appellantur secundæ, contrariæ quidem sunt qualitates, vna tamen alteram ex subiecto pellit, non propria efficientia & actiuitate: nec enim sunt qualitates actiuæ, sed formales, quia dicunt incompossibilitatem formarum in eodem subiecto, vel certè dici possunt quodammodo etiam effectiuè se expellere, quatenus ex varia priuatorum qualitate, tempore & commistione resultant, primis verò conuenit vt se effectiuè expellant. Hinc primo sequitur contraria non posse in eodem subiecto vnà esse, in gradibus saltem summis, si naturaliter loquamur; nam per Dei potentiam possitne id fieri, nec ne, scio esse quæstionem apud Philosophos & Theologos, & pars quæ affirmat non vacat sua probabilitate. Possunt tamen absque vlla dubitatione qualitates contrariæ esse in eodem subiecto in gradibus remissis vt calor vetria, & frigus vt vnum, quod patet in aqua tepida, quod probare non est huius loci. Est verò Zons. 10 *Met. quæst.* 22. & Arimin. 2. *s. dist* 17. *quæst* 3. *art.* 2. Nobiscum sentit Iauell. 10. *Met quæst* 3. *& Capr.* 1. *s. dist.* 17. *quæst.* 2. & est communis omnium opinio, quæ etiam confirmari potest authoritate Auerr. 6. *Met com.* 8 vbi tamen vult contrarium quomodolibet reperiri posse in anima, non autem in corpore, quod concedi potest si loquatur de speciebus intelligibilibus, vel etiã sensibilibus obiectorum contrariorum, quæ in eadem potentia recipi possunt; quia enim sunt entia magis immaterialia, non eo modo inter

se opponuntur, quomodo obiecta quorũ sunt species. Vndè fieri potest vt in eodẽ oculo sit species nigredinis & albedinis, in phantasia & intellectu species rerum omnium contrariarum. Lege Zim. *in tab. verbo, contraria vltimo*, & Them. 2. *de anima. in t.* 140. Qui verò negant posse esse contrarias qualitates in eodem subiecto, vel in remissis etiam gradibus, quod nos remissum frigus, & minus intensum calorem appellamus, propter quod dicitur res aliqua tepida: illi contendunt esse quandam distinctam qualitatem mediã, quæ nomine teporis significetur. Sic colores m[illegible] quædam sunt qualitates distincta [illegible] ecies ab extremis. Sed quicquid sit de hac re, probabilius autem est id, quod tepidum appellatur, esse tale propter duas qualitates frigoris & caloris. Certè in vniuersum dici non potest omnẽ qualitatem esse distinctam specie à qualitatibus intensis, & ab extremis, vt patet cum in eadem anima sunt duo habitus: Scientiæ, & erroris; virtutis & vitij. Cæterum quod contraria eidem inesse non possint, præter locum Aristotelis in hoc cap. &c. de substantia, etiam facit locus 10. *Met. t.* 13 *& lib.* 4 *t.* 9. *&* 27. Quod verò possint eidem inesse contraria, sed remissa, colligit Auer 6. *Phys. com.* 83. ex eodem t. qui etiam legere est 2. *de anima. t.* 148 Hinc secundo sequitur vnum vni tãtum esse contrarium, quia maxima distãtia quæ in contrarijs necessaria est, reperiri tantum potest inter duo. Ita docet Arist 10. *Met t.* 14 *&* 17. *l. de cælo. t.* 10. Dubitari tamen potest, quia idem Arist. 10. *Met. à t.* 14. *& deinceps*, oppositum probare videtur; nam æquali, inquit non solum opponitur magnum, sed etiam paruum, & multitudini vnum & paruum; sed ipsemet sibi satisfacit, dicens inæquale potius esse quid priuatiuũ, quam contrarium, magnitudo autem, vt exponit D. Tho. & Auer. & nos *sup de quantitate* diximus, dupliciter considerari potest: Vel quatenus confertur cum eo quod est indiuisibile, & sic omne quod est diuisibile, magnum est, etiam id quod paruum appellatur. Eodem modo multum aut opponitur vni, & sic quilibet numerus multus est, etiamsi paruus sit: & exiguus; si autem tum magnitudo, tum multitudo spectantur, ratio[illegible]e cuiusdam excessus, sic magnitudo paruitati opponitur, id tamen relatiuè potius, quã contrariè: potest enim idem respectu diuersio magnum esse & paruum, multum & paucum.

Dubium.

Difficilior obiectio est, quia albedini non solum opponitur nigredo, sed etiam viridis & rubeus color. Præterea auaritiæ non modo opponitur liberalitas, sed etiã prodigalitas. Respondent quidam vni vnum tantum esse contrarium, si de contrarijs perfectis loquamur, vt sunt extrema sola, non autem media cum extremis collata. Verum melior est responsio Iauelli 10. *Met. q* 14. & Iambl. *q* 10. vni extremo non opponi media, nisi quatenus induũt rationem alterius extremi. Sic igitur opponitur albedini viridis & rubeus color, quatenus vergunt ad nigredinem, & sunt veluti quædam nigredo. Quod verò attinet ad contraria moralia, non potest eodem modo responderi, quia vnum vitium extremum toto cælo oppositum est alteri extremo, & vtrumque virtuti. Dicendum igitur videtur duo vitia extrema, prout conferuntur cum virtute, cui è regione opponuntur, habere rationem vnius extremi, quia dicunt actum malum oppositum tali virtuti, quæ in mediocritate tali consistit. Similiter esse posset in æqualitate, cui excessus, vel defectus opponitur, & vtrumque per modum vnius extremi, vt sicut æquale inæquali opponitur, quomodocunque se habeat, ita mediocritati & inæqualitati virtutis quæcunque inæqualitas opponitur, & deuiatio à medio, quãuis si extrema vitia per se accipiantur, sint inter se contrariè opposita. Et hæc dicta sint de vitio quatenus sumitur pro materiali actus, quoniam formale malitiæ est quid priuatiuum, vt sæpè dictum est. An autem componantur medij colores ex extremis actu, non est huius loci definire, sed legat qui volet Zonſ. 10. *Met. q.* 21. Ant. Andron *q* 5. Iambl. *q.* 38. Porrò in hoc conuenit contrarietas cum contradictoria & priuatiua oppositione; nam contra-

contradictoriè oppositis & priuatiuè, vnum tantum vni opponitur. In relatiuis autem non est par ratio: potest enim eidē parieti albo opponi multiplex relatio similitudinis, quæ in multis terminis, qui ad ipsum referuntur, reperitur, imò etiam in eodem sunt vicissim multæ relationes, vt sup. *tract. de Relatione* diximus, quia Thomistę vocāt diuersos respectus rationis ratiocinatæ. Sed cum relatio aliud nihil dicat, nisi respectum vnius ad alterū, si semel admittatur plures esse respectus in vna re ad plures res, necessariò concedi simul debet esse & in eadem re plures relationes. Vide de hac vltima definitionis conditione Auct. *in paraph. Met. t.* 3.

Secunda Propositio. Contraria diuiduntur in ea quæ habent medium, & in ea quæ non habent, siue immediata & mediata. Hoc docet Arist. *hoc cap. de oppos. & 10. Met. à t.* 14. *& deinceps.* Est autem notandum posse duobus modis medium intelligi. Primò. Vt sit forma quædam realis & positiua intercedens inter extrema cōtraria, vt inter albedinem & nigredinem medij colores, etiamsi actu non componantur ex illis: cum enim aliquid actu componitur ex extremis, tum appellatur medium per participationem, quod etiā conuenit proportionaliter ijs medijs, quæ cum positiua sint, sunt inter extrema, quæ rectius appellantur à D. Thoma, vt diximus, media eiusdem generis. Secundo, Vt id quod medium esse dicitur, sit aliquid carens vtroque extremo, nec eiusdem generis proximi cum extremis, quod appellari solet medium per abnegationem. His ita constitutis, Caietanus asserit, secundū Aristotelem, illa tantum esse contraria immediata, quæ carent medio positiuo, seu medio eiusdem generis, & per participationem; nam medium per abnegationem, nullum, inquit, contrarium est quod non habeat, seu omnia contraria inquit, hoc modo mediata sunt. Sed non ita se res habere videtur; siquidem Aristoteles contrariorum mediatorum, quæque medium habent exemplū ponit in virtute & vitio, quæ tamen si inter se conferantur, id est, vitium quod est in vno extremo, & virtus quod est alterum extremum, habēt tantū medium per abnegationem, id est, actum indifferentem saltem secundum speciem, hoc est qui videlicet neq; bonus est, neque malus. De hoc autem medio sequitur Aristot. hoc ipsum exemplum actus neque boni, neque mali afferens, quamuis si rursum duo extrema vitiosa cum virtute comparentur, virtus poterit dici esse medium per abnegationē, quatenus nihil formaliter loquendo de vtroque vitio participat, quatenus liberalitas, verbi gratia, si materialiter loquamur, aliquid communicat cum vtroque extremo; cum auaritia quatenus dicit negationem nimiæ largitionis, cum prodigalitate autem, quatenus dicit negationem tenacitatis. Quarè per hoc medium quod dicitur per abnegationem, non debet intelligi mera negatio, sed res dicens negationem vtriusque extremi. Atque ex his facilè est soluere obiectionem Nicostrati, apud Simplic. sequeretur enim, inquit, omnia contraria habere medium, quod tamen negat Aristoteles. Probatur consequentia; nam dicam, verbi gratia, id esse medium, quod neque est par, neq; impar, quod neque est rationale, neque brutum, nec sanum, nec ægrum. Hoc argumentū impulit, ni fallor Caietanum, aliosque recentiores in hanc sententiam. Respondemus ergo quod nō loquimur de quacunque negatione, vel de re quacunque cui hęc negatio tribuatur, sed sensus est quod ex ijs, quæ capacia sunt vtriusq; extremi, aliquando quædam vnum necessariò habent, vt corpus animalis necessariò est vel ægrum, vel sanum. Ex animalibus necessariò quoddam est vel rationale, vel brutum. Quædam autem sunt quæ non necessariò habent vnum ex his contrarijs, sed possunt esse sub aliqua alia forma positiua, quæ si participet rationem vtriusque extremi, siue actu, siue alio aliquo modo, dicetur medium positiuū per participationem. Si autem non habeat illa forma hanc conditionem, dicetur mediū per abnegationem. Exemplum est in pariete, qui neque albus est, neque niger, vel in actione quę neque bona est, neq; mala, sed

Medium per participationem.

Obiectio.

Oo

sed indifferens, dicetur enim paries esse medium per participationem, quia quẽpiam alium colorem medium habebit, actio autem indifferens medium per abnegationem, quæ autem in argumento exẽpla ponuntur, non sunt ad rem, quoniam non applicantur rebus quæ aptæ sint extrema recipere, & medium vel positiuum, & per participationem, vel negatiuum, & per abnegationem.

Sed dubitari potest primo. An quando fit actio inter aliqua extrema, necessariò prius transeat per medium, quam ad extremum perueniatur; vt cum ex calido fit frigidum, ex nigro albũ, loquendo de medio per participationem, & positiuo. Sed hæc quæstio pertinet ad librum *De generatione*. Interim non videtur necessarium, vt cum medium est aliquid specie distinctum, fiat per illud transitus, antequam ad extremum perueniri possit. In hoc tamen sensu semper debet fieri processus ab extremo ad extremum per medium, cum medium significat latitudinem & viam, quæ ducit ad extremum; vt si ab hoc loco moueri velim in alium, vel quando ex calido vt vnum fit calidum vt sex: potius enim debet fieri calidum vt duo, tria, quatuor &c. & ad hunc sensum intelligi debet Aristot. *5. Phys. t.19.* vbi inquit non fieri motum ab extremo ad extremum sine medio.

Secundo dubitari potest. Quoniam ex dictis sequi videtur non esse bene assignatam hanc contrariorum diuisionem, vt dicãtur esse quædam contraria, quæ medium non habeãt, quædam verò quæ habeant, non autem priuatiua, vt docuit Arist. siquidem inter cæcum & videns medium dat in subiecto etiam capaci, quod neque cæcum sit, neque videns. In quibusdam etiam alijs priuatiuis non datur medium: aër enim aut est lucidus, aut tenebricosus. Resp. Quod in relatiuis non detur medium, per se satis patet; de contradictorijs etiam tum manifestum est, tum infrà aliquid dicetur. Quod verò attinet ad priuatiua, medium est duplex: Vel formæ, vel subiecti, vel per abnegationem, vel participationem. Iam verò in priuatiuis primo certum est non dari medium formæ, & per participationem; quia cum priuatiuum sit non ens, non potest forma aliqua positiua inter illud & habitum intercedere, quod tamen Aristoteles *hoc in capite* exprimere non curauit. Secundo. Differentia est contrariorum à priuatiuis, quod loquendo de contrarijs immediatis non datur mediũ, si comparẽtur ad subiectum secundum substantiam solam quod sit capax vtriusque: omne enim animal aut est sanum, aut ægrum, in priuatiuis autem ex parte subiecti capacis secundũ substantiam loquendo dari potest medium; vt catulus ante duodecimum vel decimumseptimum diem neque est cæcus, neque videns, quamuis sit secundum substantiam subiectum capax vtriusque. Tertio. Loquendo de contrarijs quæ sunt mediata, & in ordine ad subiectum aptum, secundum omnes circumstantias potest dari medium, vt paries potest esse albus, vel niger, vel medium aliquem colorem recipere, sed catulus vbi peruenit ad duodecimum, vel decimumseptimum diem, quo tempore adsunt omnes circumstantiæ requisitæ ad alterum istorum extremorum, necessariò est vel cæcus, vel videns, ita vt medium dari nequeat. Idem est in actu qui secundum speciem suam esse potest & bonus, & malus, & indifferens, quod est habere medium per abnegationem, sicut contrà paries habere poterat medium per participationem. Quarto. Adhuc differunt contraria à priuatiuis, & hoc docet Aristoteles *in hoc capite*, quod contrariorum mediatorum quædam interdum necessariò & determinatè insunt alicui subiecto, vt igni calor, niui albedo, aquæ frigus &c. At in priuatiuis subiectum etiam positis omnibus requisitis, indifferens esse potest ad recipiendum alterum ex extremis, vt patet in eodem exemplo catuli, qui duodecimo, vel decimoseptimo die esse potest vel cæcus, vel videns. Vbi notandum est primo ita esse vnum contrariorum aliquando vni subiecto naturale, vt quamuis secundum aliquos gradus diminui possit, & subiectum illo destitui, non

tamen

tamē secundum totam latitudinem, quia nunquam potest ignis esse frigidus, vel aqua calida in summo. Secundo. Quod dicit Arist. vnum ex priuatiuis indifferenter esse in subiecto, non autem ex contrarijs immediatis, debet intelligi permissiuè, vt loquuntur, quia ex priuatiuis potest aliquando alterum extremorum in subiecto recipi indifferenter, non autem ex cōtrarijs immediatis, sed semper necessariò subiectum vnum, aut aliud habet. Fieri tamē aliquando potest, vt subiectum sibi determinet vnum ex extremis priuatiuis, vt patet in sole & corporibus natura sua lucidis, in quæ cadere non possunt tenebræ.

Tertio notandum. Id etiam verum est in contrarijs immediatis, quod potest aliquando aliquates vnum sibi vendicare, vt patet in aqua frigida, & igne calido, & in numero binario, qui necessariò est par, & ternario, qui necessariò est impar, quāuis hæc omninò nō sint contraria. Quinto, Differunt. Quia contraria mediata & immediata habent mutuam inter se trāsmutationem, vt ex vno fieri possit aliud; sed à priuatione ad habitum non datur regressus. Vbi sciendum est, quod regressus propriè esset, si habitus qui fuit in subiecto, & est expulsus, iterum in idē subiectum rediret, idem inquam habitus vel specie, vel numero. Dubium autem est quomodo vera sit hæc differentia, posse vnum contrarium in aliud transmutari, non autem priuatiuum in aliud, siquidem videmus ex lucido fieri tenebricosum, & ex tenebris rursum rediri ad lucem, quæ tamen priuatiuè se habent. Resp. primo. Hoc est apertum discrimen inter priuatiua & contraria, quod in tota latitudine contrariorum inter omnia contraria dari potest transmutatio, quia positiua sunt, & se mutuo expellunt. Ex priuatiuis autem aliqua saltem sunt, in quibus non potest dari transmutatio, vt ex cæco ad videns. Secundo. Sciendum est ex D. Tho. *8. Met. lect. 4.* & Zimar. *10. Met q. 19.* quod priuatio est duplex: Quædam perfecta & pura, hoc est quæ tantum dicit negationem in subiecto apto. Secunda, est imperfecta, quo-

Priuatio duplex.

modo supra diximus vnum contrariorū quia altero imperfectius est, eiusdem priuationem dici posse. Et Auerroes *10. Met. com. 7. & 10.* vocat nigredinem priuationem albedinis. *& com 16* meminit huius vtriusque priuationis, vocans priuationem perfectam priuationem secundum totum, secundam autem priuationem carentem perfectione tantum, quomodo liceret quoque appellare calorem remissum priuationem caloris intensi; sed in hoc etiam sensu priuationis imperfectę, magis propriè dicitur priuatio imperfecta, eo modo quo diximus, nempè pro forma quę altera imperfectior est. Iterum priuatio perfecta, de qua tantum propriè est sermo, vel habet ordinem ad subiectū immediatè, vel mediatè. Immediatè, cum dicit tantum negationem in subiecto apto ad aliquid recipiendum, quod vocatur habitus, etiamsi illud nunquam receperit; vt tenebrę respectu aëris dicuntur priuatio, quatenus aër lucem recipere potest, etiamsi illam nunquam receperit, & materia prima hoc modo dici potest habere priuationem, quia ex natura sua formas non habet, cum apta tamen sit illas recipere, etiamsi nunquam formas actu recepisset. Priuatio autem dicens ordinē ad subiectū mediatè est illa quæ dicit negationem in subiecto habitus, quē subiectum antè habuerit, vt mors dicitur esse priuatio in hoc sensu, quia essentialiter mors est separatio animæ à corpore, quatè dicit negationem vitæ, quæ ante fuit in subiecto, quamuis aliqui velint mortem quoque appellari, cum subiectum peruentum est ad eas dispositiones, ad quas vna sequi debebat, in quo sensu diceretur tunc priuatio ordinem habere ad subiectum mediatè medio habitu, quia subiectum illud est corruptum, non quia fuerit antè actu præditum habitu, sed in suis generationibus, quæ tendebant ad illum habitum ex natura sua, quomodo loquitur Caietanus, sed est insitata locutio: id enim mortuū tantū propriè dicitur, quod vitā aliquando habuit. Priuatio prima & immediata sola per se necessaria est ad physicas mutationes, quamuis contin-

gere possit vt transmutatio fiat, cum antè præcesserit in subiecto forma alia positiua. Nam vt videbimus cum Aristotele 1. *Phys.* cum fit ex frigido calidum, non fit vt ex frigido, sed vt ex non calido, & ad priuationem hanc puram & perfectam potest duplex habitudo considerari: Vel connaturalitatis, vt vocant, & independentiæ naturalis, id est vt habitus naturaliter subiecto debeatur, etiamsi illum de facto non habuerit; vt cæcitas conuenit catulo qui nunquam vidit, quia illi naturaliter debebatur, nec fuit necessarium vt verè cæcus diceretur, quod prius viderit. Alia autem est, quæ necessarium nullum ordinem dicit ad habitum, qui inesse naturaliter debuerit in subiecto, qualis est priuatio tenebrarum in aëre. Hoc posito, dico primo, à priuatione quæ dicit ordinem mediatum ad subiectum, ad habitũ non datur regressus, vt quæ mortuo ad viuens, à priuatione verò quæ non dicit hunc ordinem ad subiectũ, potest regressus dari ad habitum, vt à tenebris ad lucem. Secundo, A priuatione ad habitum manente eodem subiecto susceptibili, omninò potest dari regressus, loquendo de priuatione ordinem dicente mediatũ ad subiectum, tamẽ ad eundem habitum specie, descendendo quodammodo vsque ad primum subiectum, quod est materia prima, poterit esse regressus. Ita Caiet. hic, & Aristoteles expresè addit hæc verba: *Remanente eodem susceptibili.* Vnde ex non homine reduci potest ad hominem per varias trãsmutationes naturales. Tertio, Non est hic sermo de priuatione illius formæ, quæ sit apta esse in subiecto semel tantum, vt vult Burl. soluens præsentem dubitationem. Nec enim video vnde ex Aristotele id colligi possit, nisi fortè intelligamus de subiecto immediato, non verò de mediato, quia subiectum immediatum, quod est cadauer, non potest rursum materiam viuentis consequi. Aristot. verò absolutè loquitur, tamen eadem forma numero, seu idem habitus nullo modo redire potest, neque ad subiectum immediatum, vt non modo cadauer eandem animam recipere non potest, quam habebat anteà, sed neq; etiam materia prima, si naturaliter loquamur, vt etiam asserit Arist. 2. *de generat. t. vlt.* & 5. *Phys. t.* 36. Sed id solum virtute diuina fieri potest, quod est mysteriũ resurrectionis, quarè nõ benè de hac re sentire videtur Rich. & Scot. 4. *f. d.* 43. *q.* 3. vbi dicũt naturaliter posse aliqua ex corruptione eadem numero redire. Quarto, Priuatio vel priuat tantum actu & operatione, quæ dici potest habitus prout habitus significat id quod opponitur priuationi alicuius rei, nõ tamẽ prout est qualitas quædam permanens, & comparata vt plurimum per multorum actuũ iterationem, vt est scientia, virtus &c. Vel secundo priuat actu & habitu, vel tertio priuat etiã potentia. A priuatione primo & secundo modo ad habitum dari potest regressus saltem secundum eandem speciem, non autem tertio modo; verbi gratia, somnus priuat tantum actu vigilãdi, quarè à somno dari potest regressus ad actum vigilandi, ignorantia etiam simplex & negationes, vel etiam ignorantia prauæ dispositionis, vel error priuat actu & habitu scientię, & tamen ab his potest esse regressus ad habitum scientiæ, & actum eiusdem. Si autem fiat priuatio tertio modo, hoc est vt potentia amittatur, vt patet in cæco: nam potentia secundum aliquos cum materialis sit, corrumpi potest, vel certè aliquid in cæco corrumpitur, quod ad integritatem potentiæ necessariò requiritur, non potest autem regressus dari ad habitum, quia non potest ex cæco quis fieri videns. Lege Zimar. *Theor.* 2. vbi etiã ponit discrimen inter naturalia & artificialia, quod in artificialibus possit fieri regressio à priuatione ad eundem numero habitum, vt inquit, potest nauis dissoluta refici, & iterum compingi. Quinto & vltimo Cum hoc tamen manet differentia assignata ab Aristotele inter priuatiua & contraria, quoniã omnia contraria huius modi sunt, vt inter illa fit mutua transmutatio, possitque ex vno in aliud mutatio fieri, & contrà. Sed ex priuatiuis saltem aliqua sunt, in quibus hoc reperiri nequit. Ratio est, quia contraria vtrimq; sunt positiua, & ratione illius entitatis positiuæ

positiuæ contrariè oppositę, habet vnum quod positiuè aliud expellat: Ex priuatiuis verò semper vnum extremū est quod non positiuum, quod autem positiuum est, aliquando huiusmodi est, vt nullo modo sit actiuum, ideoque si priuatio sit, non potest amplius ad habitum fieri regressus, vt patet in potentijs, verbi gratia, in visiua quia potentia visiua non est productiua alterius potentiæ visiuæ, imò verè modus productionis harum potentiarum, non est vt per se producantur, sed potius vt comproducantur ad productionem animæ, ex cuius essentia dimanant; sed cum habitus est quid productiuum, tum etiamsi sit priuatio in re, potest tamē iterum similem habitum producere, ita vt dicatur esse à priuatione regressus ad habitum. Hinc est quod quia lumen solis est qualitas quædam productiua, etiamsi sint in aëre tenebræ, per actiuitatem solis eiusdem potest fieri regressus ad habitum lucis. Hæc de Priuatione hoc loco diximus, quoniam necessaria erant ad intelligendam differentiam contrariorum à priuatiuis, quo breuiores deinde erimus in explicatione priuatiuorum. Lege Zonſ. 10. *Met.q* 19. & Am. And. *q* 4.

Tertia Propositio. Multæ sunt contrariorum proprietates, quæ ex dictis elici possunt, & pendent ex dicendis in Physica. Ne tamen desiderari hoc in præsentia videatur, præcipuas tantum indicabo. Prima est, Vt se mutuo expellant, quod præter ea quæ diximus, ait Arist. 1. *Phys.t.*18. Secunda, Vt non sint simul in eodē subiecto in gradibus summis. Tertia, Vt vnum vni sit contrarium, loquendo de cōtrarijs perfectis, & secundum eandem rationem adæquatam consideratis. Quarta. Si vnū est in rerum natura, est & aliud, modo tamen vtrumque pertineat ad vniuersi perfectionem, secus autem non est id necesse. Quinta, Vnum contrarium fortificatur per aliud. Quod solent dicere Physici per antiperistasin, & contrarij circumobsistentiam, seipso quodammodo contrariū fortius euadere. Ita Arist. 1 *Meteor.cap 6.* Sexta, Contrariorum eadem est materia, seu subiectū, 2. *de Cal. t.*18, 10. *Met, t,*14. & *alibi.* Septima, Contrariorum contrariæ sunt causæ. Ita Arist. Ex Auer. 4. *Met. com.* 40 & 41. & expressè Arist. 2 *de generat.t.* 56. Octaua, Actio fit inter contraria, aut inter ea quæ quandam similem contrariorum rationem habent. 1. *de generat.t.*50. Nona, Eadem est causa contrariorum, nō tamen eodem modo. 2. *Phys.t.*30. Vt gubernator præsentia sua est causa salutis nauis, absētia autem causa submersionis. Decima, Cum vnum contrarium imperfectius est, & quod se habet vt priuatio, multò magis debet esse aliud quod perfectius est, & se habet vt habitus. 2. *de Cal. t.*18. Vt si quies est, multò magis motus; si grauitas, multò magis leuitas. Vndecima, Contrariorum si vnum determinatum est & finitum, etiam & aliud. 3 *Phys.t.* 42. 1. *de Cal.t* 44. Duodecima, Vnum contrarium non recipit suum contrarium. Colligit Auerr. ex Aristotele 1. *Phys. com.* 51. 54. 57. & 8. *Phys. com.* 4. 12. *Met. com.* 53. 5. *Phys.t.*4. 1. *de Cal.*106. Decimatertia, Contrarietas vna est in genere. 1. *Phys.t.*50. & 56. Alias faciliores proprietates omitto.

QVÆSTIO QVINTA.

De Oppositis priuatiuis.

MVlta, vt diximus, de priuatiuis dicenda hoc loco essent, nisi quæstione præcedenti explicata fuissent. Quarè pauca tantum examinanda supersunt.

Notandum primo. De priuatione hæc quæri possent. Primo. Quid sit priuatio? an videlicet aliquid sit extra animam à parte rei. Secundo. An sit idem re cum subiecto suo. Tertio. An habeat propriā cognoscibilitatem, seu an directè ab intellectu cognosci possit, & alia eiusdem generis, de quibus physicorum aut Metaphysicorum est ex instituto dicere. De primo tamen breuiter dico, priuationem esse verè in rebus ipsis, & extra animam, fundamentaliter loquendo: nam verè à parte rei aliquis cæcus est, quamuis non habeat rationem entis existentis & realis, nisi prout à nobis concipitur. Et hinc sequitur quid de tertio dicendum sit: nam non habet quod à nobis directè cognoscatur, sed tantum ratione subiecti cui cō-

uenit. De secundo dicendum, esse idem re cum subiecto, vt non semel docet Arist. 1. *Phys.*

Notandum secundo. Priuatiuè opposita sunt habitus & priuatio, vbi habitus nomine intelligimus quamcunq; formam, quæ hoc modo appellatur, prout opponitur negationi in subiecto apto ad habendum illam formam, quæcunque tandem illa sit. Priuatio autem multa significat. Primo id quod ex contrarijs imperfectius est Aliæ significationes colliguntur ex 5. *Met. t.* 27. Vnde secũdo significat id quod dicit negationẽ & carentiã formæ in subiecto, in quo nec secundum speciem, nec secundum genus apta est forma esse; vt si vocaremus lapidem cæcum. Tertio, Pro carentia formæ quæ non est apta esse in subiecto secundum speciem, sed tantum secundum genus subiecti, quomodo dicitur talpa cæca esse, si tamen videndi facultate caret, quod asserere videtur Arist. 1. *de hist. animal. cap.* 9 quanquam dicit habere oculos quoad formam & locum seu descriptionem oculorum, quæ deprehenditur detracta cute, negat tamen omninò videre. Aristotelem secutus videtur Plin. *lib.* 11 *nat. hist. cap.* 37. & vterque id quoque de alijs animalibus affirmat. Quarto, Dicitur aliquid priuatum forma, quam habet quidem, sed remissè & imperfectè, vt qui sunt lippis vel caligantibus oculis, dicuntur esse cæci. Quinto. Quod non est natum aliquid recipere nisi magna cum difficultate, quomodo porphyreticus lapis dicitur esse insectilis propter maximã duritiem quę sectioni resistit. Sexto. Cum aliquid caret forma quam habere potest secundum substantiam suam, etiamsi non secundum tale tempus, quo pacto infantem edentulum appellamus. Septimo. Et quidem propriè dicitur priuatio negatio formæ in subiecto apto, & secundum circumstãtias debitas, qua ratione catulum, qui ad duodecimum vel decimumseptimum diem peruenit, cæcum appellamus. Et de hac priuatione loquitur Aristot. in communi, non autem vt diximus Burleũ velle, de ea forma quæ semel tantum apta sit in subiecto inesse, vt esset anima, naturaliter loquendo. Nec etiam, vt Caiet. ait, de ea tantum priuatione formæ, quæ dicit negationem in subiecto apto nato habere vtrumq; extremum ordine irregressibili; non enim habetur in codice Græco ista dictio, *ordine*, quam Caiet. appon.t, & ex qua id quod dicit affirmat, quod nec etiam probari potest ex eo quod tradit Arist. à priuatione ad habitum non dari regressum: Vt enim id verum sit, satis est si in aliquibus locum habere possit ad modum præcedentis quæstionis.

Dicendum igitur est priuationem hoc vltimo modo acceptam esse negationem formæ in subiecto apto, vbi, quando, & quomodo oportet. Qua ratione materiã primam non omninò planè & absolutè priuatam diceremus, si consideretur antequam haberet dispositiones, quibus talis illi forma deberetur, sed in communi dicitur habere priuationem, quia quantum est ex se, omni forma caret, & tamen apta est vt easdem recipiat.

QVÆSTIO SEXTA, & vltima,

De Oppositione Contradictoriorum.

NOtandum est contradictoriam oppositionẽ aut esse in rebus, aut in terminis & propositione, quod docet Auer 6. *Ph. com.* 19 dicẽs contradictionẽ aliquando esse secundum sermonem, aliquando secundum rem. Quod rectè etiam hic ostendit Caiet. verbi gratia: Socrates habens albedinem, & Socrates non habens albedinem, non sunt complexa quædam, sed aliquid rei alteri coniunctum, vel ab illa separatum, & formaliter tantum incomplexa, in quibus vt sic non est per se aut veritas, aut falsitas, nisi tantummodo Metaphysica & entitatiua. Quamuis quędam sunt incomplexa secũdum rem, quæ simul sunt complexa implicitè, vt verba significantia actionem, vel passionẽ, verbi gratia doceo, vel calefio, quarè quæ huiusmodi sunt, possunt significare veritatẽ formaliter. Reperitur ergo contradictio extra propositionem, imò si Ant. Andro, credimus hoc ea, vniuocè est ratio contradictionis & in propositionibus, & in terminis simplicibus, seu incomplexis. Nos verò

verò cum Arist. *hoc cap.* per se tantum loquimur de contradictione incomplexa, qualis est ens, & non ens. Porrò hæc, vt supradiximus, vocantur à Cicerone cōtraria *in top.* & negantia, & *in 1 ad Heren.* disparata. Quia autem multa dicta sunt in quæst. prima de hac oppositione, vbi ostendimus esse omnium maximam, & egimus etiam de oppositione propositionum, de qua Arist. *in lib. Periher.* Ideò hoc tantum notandum superest, contradictionem quæ reperitur inter ens & non ens, si per propositiones explicetur, vt hoc loco fecit Arist. huius esse naturæ, vt *ibid.* docet Arist. vt altera propositio necessariò vera sit, altera falsa, cum tamen si explicentur per propositiones aliæ oppositiones, possint esse ambæ propositiones falsæ, vt patet in contrarijs & priuatiuis, si nempè subiectum de quo fit prædicatio, non sit in rerum natura, vt etiam diximus in expositione textus. Oportet autem in contradictione seruari leges suppositionis, ampliationis, restrictionis, status, & alias huiusmodi, de quibus in comp. diximus, alioquin fieri posset, vt quæ videntur esse contradictoriæ propositiones, simul esse possent aut veræ aut falsæ, vt omnis homo currit, aliquis homo non currit, vtraque vera esse potest. Prima quidem supposito quod de facto omnes homines qui sunt in rerum natura currant. Secunda autem si homo non habeat eundem statum, sed amplietur ad eos etiam, qui non sunt sed fuerunt: Adam enim est quidam homo, qui tamen non currit. Proprietates contradictoriorum paucæ sunt, & ex dictis colligi facilè potest, hoc tamē habent peculiare. Primo Vt non possint simul esse, sicut nec vera simul esse possunt, vnde dici solet non posse Deum contradictoria efficere, quod non arguit Dei impotentiam, sed implicantiam in rebus ipsis, de quo D. Tho. 1 p q 25. Hinc etiam est quod Arist. sæpè *in Met.* præsertim *lib 4* dicit primum & maximè commune principium, quo omnes errores facilè euerti possint, esse istud: Quodlibet est, aut non est, seu de quolibet vera est affirmatio, aut negatio, de quo dicemus *in lib. Post.* Secundo. Contradictio æquè reperitur in materia necessaria & contingenti, vt homo est animal, homo non est animal, homo currit, homo non currit, Ita D. Tho. 1 *p. q 25. art. 4 ad. 1.* Tertio. Contradictio nihil haber medij. Ita Aristoteles 5. *Phys t. 20. 4. Met. t. 27.*

CAPVT SECVNDMVM.

De modis Prioris.

AGit Aristoteles de priore, seu de modis prioris, quoniam in *cap de Relat.* dixerat scibile & sensibile prius esse sensu & scientia, vt videlicet intelligatur quot modis alterum altero prius esse cōtingat, quæ res etiam plurimum confert ad multas scientias. Quatuor igitur affert prioris modos iuxta vulgarem opinionem, & quintum ipse ad extremum addit. Prima Significatio, vt dicatur aliquid altero prius tempore, quod scilicet altero antiquius est. Secundo. Id dicitur prius, quod non conuertitur secundum subsistendi consequentiā; vt vnum prius est duobus, quia valet: Sunt duo, ergo est vnum, non contrà: Est vnum, ergo duo. Tertio. Prius dicitur aliud altero ordine, vt in scientijs priora sunt principia demonstrationibus, & in Grammatica priores litteræ quam syllabæ. Quarto. Dicitur prius quod dignitate præcedit, seu quod melius & honorabilius est, quo pacto qui nobis cariores sunt, priores esse apud nos dicuntur. Vltimo dicitur esse prius natura vnum altero, cum, etiamsi sit mutua inter illa subsistēdi consequentia, tamen vnum est causa alterius, vt si homo est, vera est hæc oratio, homo est, & contrà si vera est oratio, etiam homo est, cum tamen oratio non sit causa cur homo sit, sed potius hominem esse est causa cur oratio sit vera, eo enim quod res est, vel non est, vera oratio, vel falsa dicitur. Circa explicationē præter hanc vltimam propositionem nihil notandum est.

Notanda.

NOtandum primo. Posuit tantum Arist. omnes prioris modos qui etiam hoc disticho comprehenduntur:

Tempore, natura prius, ordine, cognitione,
Causam causato dicimus esse prius.

Nam plures affert Arist. 5.*Met.t.16*. Vt in spatijs quod vicinius est, prius etiam dicitur. Item quod altero potentius est, & eius alia sequi debent motum & electionem: sic enim quod ordine prius est, vt in tripudijs. Item cognitione secundum sensum priora sunt singularia, secundum rationem vniuersalia. Præterea quod est in potētia, dicitur esse prius actu. Iam aliud prius est secundum intentionem, aliud secundum executionem. Denique dicitur aliud prius esse secundum nos, aliud secundum naturam, &c. Scripsit teste Simplicio, de modis prioris & posterioris librum Straton quidam.

Notandum secundo. Circa secundū modum ab Aristotele assignatum non esse sensum, quod si ex aliquo antecedente propositionis, cuiusuis etiam negatiuę sequatur aliquod consequens, & non cōtrà ex consequente antecedens, significatum consequentis sit prius, sed si sint duo, à quorum vno ad aliud valeat argumentū cum verbo substantiuo, *est*, de secundo adiacente affirmatiuè loquendo, & non cōtrà, illud est quod prius infertur, posterius autē est id quod in antecedente infertur, vt patet in exemplo; nam est vnum, ergo sunt duo, non valet, sed sunt duo, ergo est vnum, valet, igitur vnum prius est duobus, & propterea si ita dicamus: Deus est, ergo Deus non est lapis, benè sequitur, sed: Deus non est lapis, ergo Deus est, nō sequitur ex vi huius illationis, quia negatio non solet esse causa affirmationis. Nec etiam sequitur: Prius est Deum non esse lapidem, quam esse, quod tamen sequeretur, nisi addita fuisset hæc limitatio. Hoc obseruauit Pr. in 1.*post.cap.19. seu in tit.*40. *sub fin.* Item sciendum est, vt obseruauit Fons.4.*Met.cap.1.q* 1.*sect.8. ad* 3. posse intelligi hoc quod Aristoteles dicit duobus modis. Primo. Quoad prædicationē tantum, de quo alterum dicitur, etiam ipsum, & non contrà, quo pacto ab ente ad Deū non est reciproca prædicatio: non enim sequitur: Est ens, ergo est Deus, quamuis sequatur: Est Deus, ergo est ens, quamuis sequitur è contrà. Ex quo sequi videretur prius esse Ens quam Deum. Secundo. Intelligi potest quoad existentiam, vel cum posito vno ponitur alterum in rerum natura, & non contrà, & hoc pacto si est ens, hoc est, existens, valet, Ergo est Deus; ac proinde non sequitur ens esse prius Deo. Sic ergo intelligi debet hoc loco Aristot. alioquin falsum esset exemplum quod ponit, nec enim duo prædicantur de vno, vel vnum de duobus, sed si duo existunt, sequitur vnum existere, non contra. Quāuis negari non possit quod ad Metaphysicam spectat, ens secundum modum nostrum, concipi esse quid Deo prius, quatenus inadæquatè dicitur de multis, quæ non sunt Deus.

Notandum tertio. Circa quintum modum. Estque res valdè obseruanda. Prioritas naturæ non est prioritas in quo, seu non est explicanda per ly *in*, sed est prioritas à quo, & est explicanda per particulam *quia*: nam cum hoc modo prioritatis fiat etiam conuertentia inter duo secundum esse & subsistere, non potest dici vnū in aliquo priore esse altero prius, sed quia ex his vnum se habet vt causa alterius, dici poterit illud esse prius, quod est causa, quia ab eo aliud est causatum, & illud aliud est, qui prius illud est; verbi gratia, risibile & homo sunt simul quod attinet ad subsistendi consequentiam, quia si homo est, etiam & risibile, & si risibile est, homo quoque est, tamen homo dicitur esse prius natura quam risibile, quia risibile est propter hominem tanquam causam, non autem homo est propter risibile, & hoc reperitur in omnibus passionibus quæ ex subiecto fluunt, & in illis omnibus quæ sunt in eodem instanti temporis, vt in actione & passione, in effectu & causa; & reperitur hic modus prioritatis etiam in diuinis personis, ita tamen, vt non vtamur his nominibus prioritatis naturę, vel causalitatis, sed tantum prioritate originis: sic enim prior est pater filio, quia filius habet à patre suum esse. Si tamē contenderet quis illud quod est prius, dici prius esse in aliquo priore; modo id non intelligat de prioritate temporis, seu instantis

ftantis temporis, posset id vtrumque concedi, quamuis vtplurimum per hanc particulam *in*, cum aliquid dicitur esse prius in aliquo priori, solet intelligi prius temporis, seu distinctum instans temporis. Quarè immeritò Burl. hic probare conatur, non dari plura instantia naturæ, quia vt distinguere possimus id quod prius est alio instante aliquo temporis, cum verè sit prius tempore, & veram habet prioritatis rationem, non potuit id rectius explicari, quam per instantia distincta naturæ.

Notandum quarto. Prioritas naturæ potest stare cum eo, vt quod est distinctum secundum naturam ab alio quo posterius est, non possit habere suum esse seorsim ab eo, quod rectè contra Scot. notat Caietanus, qui Scotus vti solet hac veluti maxima: Omne absolutum prius natura distinctum realiter, posse esse sine suo posteriori: Hoc enim imprimis absolutè loquendo, & secundum naturæ conditionem, falsum est, nec puto Scotum in hoc sensu id asserere voluisse; nam sol & lumen semper simul tempore fuerunt, nec tamen naturaliter esse potest sol sine lumine. Si autem id intelligat non de facto & realiter, sed quantum est ex natura rei, non implicare vnum ab alio separari, adhuc est magna quæstio: quamuis enim concedatur passiones distingui realiter à subiecto, non continuo tamen sequitur posse separari realiter passiones à subiecto, quia passiones aliquæ sunt ita intrinsecæ subiectis suis, vt repugnet eas extra illud concipi, vt multi asserunt de potentijs animæ, etiam concedentes realiter distingui, quia huiusmodi potentiæ sunt principia quædam actiua, vitalia, vt dicunt, quæ vt sic, necessariò debent esse coniuncta cum suo principio vitæ, quod est anima.

Notandum quinto. Celeberrima est illa propositio Aristotelis, *Eo quod res est, aut non est vera aut falsa oratio dicitur*, quam etiam supra habuimus c. *de substantia. versus finem*, vbi per rem non debet intelligi res aliqua realis significata per subiectum & prædicatum, quia etiam de non entibus potest fieri propositio vera, aut falsa: Sed sensus est, quod sicut aliquid se habet à parte rei, ita etiam vera est propositio, & falsa est cum non ita se res habet à parte rei. Vnde si quis diceret priuationem esse non ens, vera esset propositio; si verò affirmaret esse ens, falsa esset propositio. Ex quo tamen non sequitur, quod Burl. tamē infert, & est communis opinio Nominalium, propositionem à parte rei reperiri, quod refellere non est huius loci, & est per se satis absurdum: quis enim nescit affirmationem & negationem fieri tantum per complexam intellectus operationem?

CAPVT TERTIVM.

De Simul.

AGit Arist. de *Simul*, eiusque modis, iisque de causis, ob quas egit de priori. Tres autem acceptiones tradit. Prima Est: Simul tempore sunt, quorum generatio est in eodem tempore. Secunda. Simul sunt natura, quæ conuertuntur secundum subsistendi consequentiam, & vnum non est causa alterius; vt dimidium & dimidium Tertio. Dicuntur simul esse species, quæ vna & eadem diuisione genus diuidunt, & ipsæ è diuerso inuicem diuidi dicuntur, genus autem iisdem prius est, vtpote quod vnà cum speciebus mutuam non habeat subsistendi consequentiam.

Circa explicationem verborum nihil est notandum, nisi quæ dicta sunt.

Notandum primo. Modi hi simul hoc disticho comprehenduntur:

Tempore dico simul simul est generatio quorū,
Quæ conuertuntur, dicimus esse simul,
Suntque simul species, genus vnum condiuidentes.

Ex his verò modis, Primo prioris modo opponitur primus, secundus opponitur secundo & quinto. Tertius opponitur tertio. Omittit autem modum quo aliqua dicuntur esse simul dignitate, qui erat quartus prioris modus, quoniam vt priore loco diximus, ille prioris modus minus proprius est. Possunt & alij modi simul fingi, qui respondeant modis prioris. Inter cæteros autem est iste notandus, quo

dicantur aliqua simul esse, simultate, vt ita dicam, immediationis, qualia sunt continua & contigua, hoc est quorum extrema vnum sunt, vel quæ se mutuo contingunt, de quibus Aristoteles 5. *Phys. t.* 26. Dicuntur esse simul mouens & motum, vt inquit Aristoteles 7. *Phys. t.* 10. Denique quædam dicuntur esse simul simultate adæquationis, cum vel res aliqua est in adæquato & proprio suo loco, vel si plura eundem aliquem locum occuparent.

Notandum secundo. Cum inquit Aristoteles simul esse tempore, quorum eadem est generatio, seu in eodem tempore, per generationem Alb. non tantum intelligi vult productionem ipsam, sed etiam conseruationem, ita vt simul tempore sint, quorum generatio & conseruatio sunt in eodem tempore ita adæquato, vt vnum non sit altero prius, & tam diu duret, quã diu & alterum, quo pacto subiecta & passiones simul esse dicerentur tempore, quoniam nec passio est post subiectum, & tam diu est, quam diu est subiectum. Id autem vt diceret Albertus, adductus est propter verba quædam quæ subdit Arist. neutrum enim eorum neque prius, neque posterius est, vel neutrum eorum antiquius est, vt alterum præcesserit, alterum autem secutum fuerit, sed omninò simul reperiuntur; quicquid deinde fit de perseuerantia & conseruatione vtriusque.

Notandum tertio. Circa secundum acceptionem, Posita sunt exempla in Relatiuis, quod intelligi debet de ipsis formaliter loquendo vt relatiua sunt; vt sic enim neutrum est causa alterius, materialiter autem & fundamentaliter potest vnũ esse causa alterius; proindeque possunt non simul esse, vt videre est in patre & filio, de qua re dictum est etiam à nobis *in disputatione de Relatione.*

Notandum quarto. Quod dicũtur species esse simul natura, id propterea verum est, quia participant ex æquo idem genus, & è diuerso vt plurimum diuiduntur, hoc est, tanquam oppositæ, & vna non est alterius causa, formaliter loquẽdo. Ex quo colligi etiam id obiter potest, ens non esse genus ad substantiã & accidens, quia accidẽtis quatenus tale ens est, & formaliter loquẽdo causa est substantia, & propterea prior natura est substantia quam accidẽs. Nec impedit tamen quo minus vna species sit altera prior quoad existentiam, aut etiam quoad perfectionem, imò vt dictum est tract. de genere, fieri vt plurimum solet vt vna species sub eodem genere alijs sit perfectior, & quoad existentiam non repugnat aliquas species nunquam fuisse, aut certè aliquas desijsse. Et secundum opinionem de septenario creationis dierum numero, vt fuerint verè distincti dies, quæ probabilis est opinio, apertè constat fuisse aliquibus diebus aliquas species, in alijs autem non fuisse. Lege Zim. *th.* 13.

Notandum quinto. Quod dicitur esse genus prius specie, videtur pugnare cum eo quod dicitur 1. *de anima. t.* 8. vniuersale aut nihil esse, aut posterius esse, tantum abest vt sit prius. Præterea totum est prius sua parte. At species se habet vt totum, genus autem vt illius pars quædam. Ergo. Respondeo. Genus dicitur esse prius speciebus, prout consideratur tanquam ratio quædam communis, & quatenus etiam secundum subsistendi consequentiam potest in pluribus reperiri, nam homo est, ergo animal est, bene sequitur, nõ tamẽ contra: Animal est, ergo homo. Denique quatenus genus est totum quoddã, habet rationem prioris, sed alio modo prout genus consideratur tanquam materia quędam determinabilis, & tanquam pars, sic habet rationem posterioris, vt etiam diximus in prædicab. Eodem modo si consideretur genus quoad existentiam realem, dicitur esse posterius speciebus, quia species non existit nisi mediantibus indiuiduis, genus autem non nisi mediãtibus indiuiduis & speciebus. Quod autem 1. *de anima* dicitur, nihil aliud est, quã vniuersale vt vniuersale est, & ratione notionis non esse quid à parte rei, sed tantum post abstractionem à singularibus.

(***)

CAPV. II.

CAPVT QVARTVM.

De Motu.

MEminerat Aristoteles *ea de quantitate*, de motu, & poterat alicui videri motum esse genus ad actionem & passionē, vt hic obseruauit Simpl. & nos suprà diximus fuisse opinionem Plotini: Idcircò hoc loco motus acceptiones, speciesque explicat. Adde quod motus est via quędā ad multa prędicamenta; siquidem motus est transitus à non esse ad esse, vel ab esse ad nō esse, quod esse potest esse multiplex. Assignat igitur Aristot. sex motus species. Prima est Generatio. Secūda. Corruptio. Tertia Augmētatio. Quarta Diminutio. Quinta. Alteratio. Sexta. Motus ad locū. Secundo. Dicit manifestā esse distinctionem inter alios motus, dubium solum esse de alteratione & augmentatione: nam videtur fieri alteratio per alias mutationes, sed non est inquit ita; dum enim fit alteratio, non est necessè fieri augmentationem, vel diminutionem, vel alios aliquos motus. Praeterea non est necessè cum augmentatio fit, fieri alterationem; vt si quadrato circumponatur gnomon, fiet enim quadratum maius, sed fine alteratione, remanebit enim quadratum. Tertio. Docet motui simpliciter & in communi opponi quietem, singulos autem singulas habere contrarietates, vt generatio corruptionem, augmentatio diminutionem, mutatio secundum locum, tum quietem, tum verò maximè mutationem ad contrarium locum: motui enim sursum opponitur motus deorsum. Alterationi verò non est facile assignare quidnā contrariè opponatur, tamen illi opponitur tum quies, tum ad contrariam qualitatem mutatio; Vt si ex albo efficiatur aliquid nigrum.

Notanda.

NOtandum primo. Sumitur hic ab Aristotele motus in lata significatione, nam propriè loquēdo solet distingui motus à mutatione, quę vel in substantijs reperitur, vel certè instantanea est, cū motus vel sit essentialiter successio quędam, vel certè eam includat tanquam propriā passionem, solumq; reperiatur in formis accidentalibus. Caeterum hic senarius motuum numerus colligitur ex terminis ad quos est mutatio, qui sunt substantia, quātitas, qualitas, Vbi, siue locus. Ad substantiam acquirendam est generatio, ad eiusdem deperditionem est corruptio, ad quantitatem tum acquirendam, tum deperdendam augmētatio & diminutio, ad qualitatem vtroque modo est alteratio, ad Vbi, siue locum est motus localis, aut latio, quod idem est.

Obijcies. Cum termini sint quatuor, aut quatuor tantum erunt mutationes, aut certè octo, & nō solum sex. Confirmatur. Quia sicut augmentatio est acquisitio quantitatis, & diminutio seu decretio deperditio eiusdem; sic etiam datur alteratio per quam qualitas acquiritur, & etiā alia per quem amittitur. Resp. Non sunt imposita nomina in quantitate & substātia, quibus vtraque mutatio significetur simul, sicut & in alteratione, & motu locali: nam alteratio tam dicitur de acquisitione, quam de deperditione qualitatis, non autem augmentatio dicitur de deperditione quantitatis, vel generatio de amissione substantiae. Quomodo verò distinguantur hae species motuum, disputandū est *in Physica*.

Notandum secundo. Augmentatio dupliciter sumitur, Primo. Prout significat in communi quamuis acquisitionē quantitatis, quomodocunque fiat. Secundo. Magis propriè, prout solū reperitur in viuētibus. 2 *de gener. t. 43.* Arist. hic loquitur de augmentatione in communi, quam dicit esse posse sine alteratione, illa enim quę in viuentibus reperitur, quamuis formaliter non sit alteratio, semper tamen praeuiam, aut subsequentem alterationem annexā habet. Imò etiam quae appellatur rarefactio & condensatio physicè & realiter coniuncta est semper cum aliqua alteratione. Ideò Aristot. exemplum posuit in Mathematica, vbi rectè intelligendum, fieri accretionem quantitatis sine vlla prorsus alteratione, verbi gratia, addito gnomone augetur quadratum, non autē alteratur; nam Mathematicis figuram

augeri est maiorem euadere, alterari autē est mutari in alteram figuram: hæc autem additio est quam alij appellant iuxtapositionem. Præterea alteratio duobus modis accipi potest. Primo. Ample pro quauis mutatione ex vna qualitate in aliam, vel pro acquisitione qualitatis, aut deperditione eiusdem, quamuis aliquis terminus huius mutationis sit priuatiuus, qualis est illuminatio & obtenebratio. Secundo. Propriè prout significat mutationem ex vna qualitate positiua in aliam, vt ex calido in frigidum. & hęc apud Physicos solet propriè alteratio appellari.

Notandum tertio. Quies propriè loquendo non est contraria motui, sed potius priuatio quædam eius. Item nō omnis, in cōmuni opponitur cuiuis mot' quieti, sed hic motus huic quieti determinatò. Quare potest aliquid mutari secundum vnam mutationem, & quiescere secundum terminum alterius mutationis, vt mutari secundum locum, quiescere autem secundum quantitatem. Denique quies quę est motui contraria, duplex esse potest; vna, cum iam est acquisitus terminus; altera, cum necdum cœptus est acquiri, tamen hæc secunda quies magis opponitur motui, quoniam propter primam fit motus, & prima dicitur quies in termino ad quē, secunda autem in termino, à quo, de qua re in 5. *Phys.* Hic autem Aristot. vocat ea quæ sunt tantum priuat uè contraria.

CAPVT QVINTVM.

De Habere.

EXplicat tandem Arist. varias significationes *Habere*, quia pauca dixerat de vltimo prædicamento, & hæc vox potest referri ad multa prædicamenta. Primo. Dicimus habere quantitatem. Secundo. Qualitatem. Tertio. Vestem. Quarto. Partem vt materiam. Quinto. Dicitur habere id quod aliud continet, vt amphora vinum. Sexto. Qui aliquid possidet, vt domum. Septimo. Vir vxorem, & contra. Et hoc idem significat quod cohabitare simul, estque maximè improprius modus. Denique inquit Arist, quamuis alij modi sint, hi tamen fere vsurpari solent.

Circa verba, nihil.

Nota, Aliæ significationes sunt 5. *Met. t.*25. & 28. primo autem & secundo videtur significare illum modum, quo subiectum dicitur habere quodcunq; accidens, tertia verò significatio constituit vltimū prædicamentum, vltima autem dicitur veluti reciproca: quoniam in cæteris id quod habet non habetur, in hoc vltimo modo cernitur hoc, vt Amm. obseruat, & significat modus hic idē quod cohabitare.

Finis Prædicamentorum.

IN LIBRVM PRIMVM PERI-HERMENIAS ARISTOTELIS,

PROLEGOMENA.

VIdendum est initio quis sit huius operis Author; quodnam sit Obiectum, & quæ sit Inscriptionis ratio, De diuisione, de ordine quem obtineat; ex quibus simul extabit quanta sit huius operis vtilitas.

De Authore.

AN hoc sit legitimum Aristotelis opus, nemo in eiusdem lectione vel mediocriter versatus, inquit Amm. si tum orationis probabilitatem, artificiosamque seriē, ac familiare Philosophis præceptorum genus, quę in eo traduntur, tum cum alijs eius libris consensum respiciat, dubitandum existimabit. Et Boet. Magna, inquit, huius libri apud Peripateticam sectā probatur authoritas; verè enim nemo ex

Peripa-

Peripateticis hac in re dissentit, quin etiã quamplurimi in hos libros commentaria ediderũt, inter quos Aspasius fuit, & Alex. vt testatur Boëtius: vnus Andronicus fuit vndecimus ab Aristotele, qui de hac re dubitare capit, vt testatur Ammon. & Boët. *hoc loco* Philop. *3. de anima int. 39.* & D. Thom. *hoc loco lect. 2.* Mouebatur hic author verbis quibusdam Aristotelis in initio huius libri quibus ait voces esse notas passionum animæ, de his autem dictum esse in libro *de anima*; non enim, inquit Andron. disputauit Aristoteles in libro *de anima*, de animæ affectibus, ira, odio, amore &c. nec vsquam in libro de anima animi conceptus reperietur Passiones appellasse. Cum igitur necesse sit vel negare Aristotelem lib. De anima scripsisse, vel hos de Interpretatione, mauult Androm. retinere libro De anima, quam De Interpretatione. Verum nihil hæc efficiunt, quin confirmant potius communem sententiam de Authore horum librorum, nã cum suos Arist. de anima libros hoc loco citet, signum est eundem vtrorumque librorum scriptorem fuisse. Accedit quod non modo *in cap. 1. lib. 1.* meminit librorũ De anima, sed etiam *in cap. 4. & in fine libri primi* citat libr. *De sophistica reprehensione*, & *lib. 2. cap. 1.* libros Resolutorios, hoc est *de priori & posteriori analysi &c. 2. libro Top.* quos certè libros omnes Andro. exactus & diligens, vt eum Boëtius vocat, Aristotelis librorum iudex & repertor, nunquam negauit Aristotelis: Quo magis mirandum est cur hos voluerit de eorundem Aristotelis librorum numero eximere. Quarè meritò eum Alex. *apud Boët.* fortiter reprehendit. Respondet igitur Boëtius Andronico, vocari intellectiones ab Aristotele animi passiones, quas nimirum voce & verbis declaramus, quoniã alicuius vtilitatis gratia, & velut passione quadã id facimus. Vnde Ammonius & Philop. ipsas etiam motiones animi passiones ab Aristot. *lib. de anima* vocari ostendit: nam *initio libri primi t. 3.* sed magis perspicuè *in t. 12. & 13. & lib. 2. à t. à 155. ad 162.* docet imaginationem esse quandam passionẽ, & proptereà eam potentiam appellat passiuam, seu intellectum passiuum. Deniq; passiones animi vocat intellectiones *in hoc loco*, vel eo modo quem suprà diximus communi nomine passiones appellari solere omnes formas quæ in subiecto recipiuntur, vel quod est peculiare intellectioni, quoniam ipsa semper fit præcedẽte imaginatione, quę non est sine quadam passione; & quia quidam intellectus dicitur esse passibilis, nempè propter species intelligibiles quibus informatur, & à quibus quodãmodo patitur: alioquin enim loquendo de passione propriè, vt significat mutationem corrumpentem, certum est posse intellectum passibilem appellari, nec in eo vllam inesse passionem, quod expressè etiam docet Arist. *lib. de anima t. 65. & 66 & lib. 2. t. 21. & lib. 3. ad init. & alias sæpè ibid.*

Probatur præterea hoc ipsum quod diximus non leuibus coniecturis. Primo. Quia Theophrastus Aristotelis auditor, sicut in alijs solet, vt obseruauit Boët. ita & in libro suo De affirmatione & negatione, seu De Enunciatione, ijsdem aliquibus verbis vtitur, quibus suus in his libris magister, & quæ diligentius ab eo tractata sunt, leuius ipse persequitur, quæ verò fortè ipse tacuit, accuratius edisserit. Secundo. Argumentatur Alex. quoniã de syllogismis scribere nunquam rectè potuisset, nisi quædam prius de propositionibus explicasset. Tertio. Quia stylus, vt inquit Boëtius, propter breuitatem pressior, ab Aristotelis obscuritate nõ discrepat, & quanquam multa, inquit, sint Aristotelis, quæ subtilissima Philosophiæ arte celata sint, hic tamen ante omnia liber nimis & acumine sententiarum, & verborum breuitate constrictus est, ita vt eius series scrupulosa impedita sententia, & sublimibus pressa sententijs aditum intelligentiæ facilem nõ relinquat. Ex quibus colligere quoque possumus quanta sit operis huius vtilitas, & quantum studium requiratur. Quod etiam ex eo cognosci potest, quoniam de hoc ipso argumento scripserunt Authores 80. Stoici librum, cui titulũ fecerunt περὶ τῶν ἀξιωμάτων; ex Peripateticis verò scripsit lib. Theophrast.

Ita Aristot. commentaria edidit præter Alex. & Aspas. & alios, Psellus, Magentinus &c. & inter cæteros omnium optimè D. Tho. extrema iam ætate, cum plurimos de Philosophia & Theologia libros edidisset, tandem ad hos quoq; libros interpretandos se contulit. Deniq; verissimum illud est quod testatur Am. *in proœm super Porphyrij voces*, cum tres potissimū causæ sint, cur soleant hominum animi à legendis veterum libris abhorrere; vel quod reconditam doctrinam contineāt, vel quod obscuri sint, vel etiam quod iusto sint prolixiores, hunc librum plurimum in se obscuritatis continere.

De Obiecto & inscriptione.

N*otandum primo*. Certum est agi ab Arist. in his libris ijs de rebus, quæ maximè iuuant ad secundam intellectus operationem dirigendam, sicut in præcedenti qui fuit de prædicamentis, disputauit de rebus quæ maximè seruiunt primæ operationi, vnde, vt videre est *in ca. 2. & 4. primi libri*, Enunciationem tum definit, tum diuidit, posteà verò sigillatim cuiusque naturam persequitur, & hoc apertè docet D. Thom *lect. 1* Hinc ergo sequitur nulla ratione posse obiectum huius libri dici terminos simplices, vel voces quasdā significatiuas, quæ esse videtur opinio Alb. & Occam, nec prætereà orationem in communi, etiamsi illius tradatur definitio *in lib. 1. c 3.* & partium eiusdem *in ca. 1.* Quā opinionem Alb dicit esse Andron. referēte Boëtij, quod tamen apud illum reperire non potui. Solum autem dicit Interpretationem, seu orationem scriptam videri Alexandro, & Aspasio ab Arist. esse explicatam, quamuis, vt ait Alex. non de quauis oratione loquatur, sed de ea quæ verū aut falsum significat. Vtrumq; facile probatur; quia termini simplices & oratio in communi loquendo non dirigir per se operationem secundam intellectus. Agitur ergo solum de Enunciatione, quæ & *Interpretatio* appellatur.

Notandum secundo. Interpretatio græcè ἑρμηνεία, quæ dictio duo significat, vnius linguæ per aliam expositionem, & in genere locutionem eius quod mente conceperis. Quarè ideò veteres deorum interpretem & internuncium Mercuriū ἑρμῆν nuncupauerunt, à verbo εἴρω, id est *dico & enuncio*. Iterū significat quamuis vocem significatiuam, vel eam duntaxat quæ verum aut falsum exprimit. Præterea Interpretatio significat aliquando elocutionem, quomodo Demet. Phalet. inscripsit suos de Rhetorica libros περὶ τῆς ἑρμηνείας & Hermogenes Rhetor ait ἑρμηνείαν in intellectu verborum & ipsorum compositione fiam. Sed quod ad rem nostram facit, primo, Alexander Interpretationem significare dicit orationem quālibet, ideoque sibi videri libri titulum imperfectum esse, cum non sit hic liber de quauis oratione, quod Boëtius ex Porph. falsum esse dicit: & quamuis, inquit, ita est, non propterea malam esse inscriptionem; Vt si quis disputare volens de homine, tractationi suæ titulum asscriberet de animali, acturus enim de homine, de animali acturus est. Sic etiam qui instituit disputare de Enunciatione, etiam & de oratione agere intendit. Verum non potest hoc responsum excusare inscriptionem hanc, quominus si non falsa, certè manca sit. Secundo. Definit Boëtius interpretationem tum in prima, tum in secunda sua editione, vocem significantem, quæ per se aliquid denotat, siue simplex sit, siue composita, articulatam, ad internas animi conceptiones significandas natura institutam. Ex qua definitione, vt eius interim explicationem omittam, apertè colligitur, Interpretationem Boëtio esse omnem vocem significatiuam, quoniam explicat aliquam notionem Entis, vt cum dico: Homo, animal &c. Tertio. Sumitur Interpretatio pro Enunciatione, seu pro oratione significante verum & falsum. Ita vsurpat Ammonius, Alexander apud Boëtium & D. Thom. Limitat enim Alexand. generalem illam significationem pro omni oratione ad hanc quam dixi: quia enim finis Enunciationis & Interpretationis est interpretari, per voces autem simplices

plices non propriè dicimur animi nostri sensa interpretari; siquidem quamuis proferendo hanc dictionem, *Homo*, gignat in audientis mente conceptum hominis, significemque me concepisse hominem, tamen non significo an homo sit, vel non sit, vel quid tandem de homine sentiam, ac propterea nihil quoque occultum manifesto. Hinc est quod Enunciationem vocat Aristoteles ἀπόφανσιν παρὰ τὸ ἀποφαίνεσθαι, hoc est, *manifestare*, & *nunciare*. Alij, vt Alex. sermonem & orationem Philosophicam intelligũt, vt notat Boet. nempè quia Grammatica oratio sola cõgruitate, Rhetorica solo ornatu contenta est, in Philosophica verò veritatis falsitatisque cognitio potissimum exponitur. Denique Stoici, vt supr. quoq; retulimus, Enunciationem ἀξίωμα appellabant, qua voce Aristot. in libr. de Demonstratione, solam eam quæ perspicua sit ac demonstratiua, verumque ac falsum significat, intelligit, Cic. nunc *Enunciatum*, nunc Pronunciatum, nunc effatum, nunc *Enunciationem*, alijsque nominibus passim *in lib. de Rhet. & Philosophia* appellat. M. Varro *Prolatum* quoque & *Proloquium*, teste Gell. *lib* 16. *cap* 8.

Notandum tertio. Cum enunciatio sit triplex: *Mentalis*, qua intus nobiscum loquimur: *Vocalis*, quæ voce denotatur: & *Scripta*, quam litteris & characteribus cõsignamus, dubitari potest non quidem de scripta, sed de vocali & mentali, vtra habeat obiecti rationem.

Notandum quarto. Potest quæstio esse de obiecto materiali, hoc est, de re quæ materialiter hic tractatur; tum de obiecto formali, siue, quod idem est, de ratione, sub qua consideratur res illa materialis, & de materiali, vel remoto, vel proximo.

Notandum quinto. Enunciatio vel consideratur latè & amplè, vt est oratio significans verum aut falsum, vel certè in hac peculiari significatione, vt coincidit cum propositione, & est Syllogismi pars. Vt ergo omittamus opiniones paulò antè refutatas, prima opinio est subiectum esse enunciationem vocalem. Est Amm. Boet. & græcorum ferè omnium. Ratio verò est, quia Aristoteles orationem vocalem, eiusque partes nomen & verbum definit & explicat. Et confirmatur, quia Interpretationis nomen non potest dici nisi de oratione vocali: vocibus enim sensus animi euulgantur. Secunda opinio est Scoti, & Ant. And. obiectum esse enũciationem mentalem, quoniam eo tandẽ omnia referuntur, vt nempè rectè à mente & in mente fiat enunciatio.

Prima Propositio. Enunciatio in communi, siue vocalis, siue mentalis, prout est hypothetica, non pertinet ad hunc librum. Est communis sententia omnium ferè Interpretum, Ammon. Boët. & D. Thom. Ratio est, quia aut per propositionem hypotheticam intelligitur ea quę conditionalis est, & propriè hypothetica appellari solet. Aut ea quæ ex pluribus particula copulatiua coniunctis composita est. Prior illa, quoniam nihil veri aut falsi per se significat, non spectat ad hoc opus, posterior autem non differt à simplicibus Enunciationibus, ex quibus cõstat. Hoc argumento vtitur D. Thomas. Secundo. Quia non est vtilis Enunciatio hypothetica ijs quæ de Syllogismo traděda sunt: Aristoteles enim in lib. prior. nihil de Syllogismo hypothetico Et quamuis *lib.* 1. *huius operis cap.* 4. Aristoteles definiat Enunciationem hypotheticam, id tamen facit, vt eam tanquam inutilem reijciat, vnde postea de illa ne verbum quidem.

Secunda Propositio. Enunciatio simplex prout per se dirigit secundam operationem intellectus, non spectatur ab Aristotele, sed quatenus vlterius ad directionem tertiæ operationis refertur Hæc propositio expressè asseritur hic à D. Thom. & implicitè ab Ammon. Boëtio, ijsque omnibus qui dicunt esse ordinatum hoc opus *ad lib Prior. & De demonstrat.* Patet id etiam ex dictis in proleg. ad vniuersam Logicam, vbi ostendimus totam Logicã Aristotelis in eo esse, vt præcepta tertię operationis nobis explicet. Quare idem erit Enunciatio, prout de ea agitur hoc in loco, atque propositio, quamuis non

consi-

consideretur vt actu est pars syllogismi, quod fit *in lib. Priorum.*

Tertia Propositio. Enunciatio mentalis est ea, de qua per se hic agitur. De vocali verò solummodo materialiter, atque vt de conditione. Hæc propositio sequitur ex dictis seq. de obiecto Logicę in cōmuni, vbi probatum est voces non esse obiectum Logicæ: nam sicut se habet obiectū totale ad totalem artem, sic & partiale ad artis partem.

Obÿcies. Enunciatio mentalis vt voce exprimitur, non est eadem apud omnes. Ergo non agitur de illa sub hac conditione. Resp. Sonus quidem & verba particularia diuersa sunt, non tamen dispositio secundum quam quod mente à nobis cōceptum est, explicatur per vocem quæ sit subiectum, & per aliam quæ sit prædicatum, seu nomen & verbum,

Quarta Propositio. Enunciationem mentalem esse obiectum huius libri idem est quod secundam operationem intellectus obiecti locum tenere, prout dirigibilis est, & tamen vlterius ordinatur ad tertiā, ita vt absolutè loquendo dicatur secunda operatio esse obiectum, prout tamen ad tertiam refertur. Hæc propositio sequitur ex dictis de obiecto Logicæ in communi, quod fecimus ipsasmet operationes intellectus, & asseritur hic à D. Thom. *lect.* 1. Quarè non est audiendus Zabar. *lib* 2. *de nat log. ca* 5. vbi hoc negat, dicens, spectare hunc librum non modo ad secundam, sed ad primam quoque intellectus operationem; quia, inquit, in eo agitur de interpretatione, quę significat quamuis vocem significatiuam, nec vnqnam per se pro Enunciatione sumitur; hæc enim quę dicit hic Author, satis refutata sunt ex antè dictis. Ex quibus etiam occurri potest rationibus pro prima sententia. Secūda autem sententia vera est, nisi quod nō satis sibi cōstat, cum velint Scotistę obiectum Logicæ esse Ens rationis, huius autem operis Enunciationem mentalem, quę nihil aliud est, quam realis intellectus operatio: Vnde si qui fortè dicunt esse ens rationis enunciationem, quam obiectum esse dicimus, cum primum illud affirment, benè & conuenienter loquuntur.

Quem ordinem habeat hic liber inter alios Aristotelis libros?

QVæstio est, vt cuius manifestum esse potest, de libris Logicis; nam quod in his libris Aristoteles citet libros *de anima*, non est ideò argumento illos istis priores, etsi fortè prius scripti fuerint, quod parū refert: pari enim ratione quod ad Logicos attinet, præcederent hos libros Resolutorij, Topici, & Elenchi, quos citat hic Aristoteles. Communis igitur Interpretū omnium opinio est, sequi hos libros immediatè librum Prædicamentorum, quo nomine Adrastum reprehendit Simpl. & Ammonius, vt meminimus *in Proleg. ad librum Prædicamentorum*, quod libro Prædicamentorum titulum antè Topica affinxisset, quoniam post eum libros Topicos statim collocari vellet. Eadem quoq; de causa meritò Amm. Bernardin. Morand. Bald. & Aug. Thyum ibid. reiecimus, qui ab hoc libro initium Logicæ sumi volebant, quod ea tantum ratione verum esse posse diximus, si de propria Logicæ Aristotelicæ parte sermo esset. Prædicamentorū enim liber commodus tantum est, sed non planè necessarius, ratione subiectę materię, & est introductorius, atque vt Boëtius loquitur, Elementalis. Qua in re loquitur rectè Zabar. *lib.* 2. *de nat. Log. cap.* 5. asserens Prædicamentorum librum posse dici & esse primum librum Logicum, & non esse primum fabricationis Logicæ, quia incipit Aristoteles secūdas notiones fabricare, & imponere primis, non autem primum, quatenus lib. Categ. continet vniuersæ Logicæ fundamenta, agitque de vocibus primæ intentionis, seu de rebus ipsis, vt propterea non pars, sed fundamentum potius & præludium quoddam sit, idque significasse Aristotelem, cum nullum prędicamentorum libro proœmium apposuit. In quo hoe vnum nobis displicet, quod hoc opus de Interpretatione asserit esse de secundis intentionibus.

(***)

De

De distributione huius ordinis.

GRæci Arist. Interpretes totum hoc opus vno libro complectũtur, sed Græci codices in quinque sectiones distribuunt, quod etiam facit Magent. Vnde Diogen. Laertius inter libros Aristotelis vnicum De Interpretatione recenset 30. in secunda editione partiri videtur in sex libros hoc opus, in prima verò in duos. Ammonius solus inter Græcos diuidit in quatuor partes, vt in prima agat de principijs Enunciationis, Nomine, & Verbo, in secunda de simplici enunciationis forma, quę solo subiecto & verbo constat, In tertia de composita, in quarta de ea adhuc quæ magis composita est, & modificans dicitur. Recepta iam diuisio est in libros duos, vt ab eo capite libri secundi initium sumatur, quod est græcis septimum. Sed primus liber rursum distribui potest in quatuor membra: In primo agitur de principijs Enunciationis, & de ipsa Enunciatione. In secundo, de nonnullis eiusdem speciebus. In tertio, de affectionibus, præsertim verò de oppositione. In quarto, soluit dubitationem quandã circa enunciationes in materia contingenti. Ante verò omnia præmittit procemium, in quo aliqua explicat de voce.

CAPVT PRIMVM.

COntinet hoc caput procemium, in quo quatuor dicit Aristoteles. Primo. De quibus agendum sit. Secundo. Quid significent voces, ibi: *Sunt ergo ea &c.* Tertio. Quomodo significẽt. ibid. Quarto. In quibus vocibus sit veritas & falsitas, ibi: *Est autem quemadmodum.*

PRIMA PARS CAPITIS.

DIcit imprimis ponendum esse quid sit Nomẽ & Verbum, Negatio & Affirmatio, Enunciatio & Oratio.

EXPLICATIO VERBORVM.

POnere) hoc est definire, vt Amm. cum tamen hoc verbum alias significationes habeat, vnde deductæ sunt quæ appellantur suppositiones & positiones. Quod ita autem accipiendum sit, indicant quæ sequuntur: *Quid nomen, verbum &c.* quoniam horum etiam deinde definitiones tradit. Et confirmatur: Nam positiones sæpè sunt Aristoteli idem quod definitiones, vt 6 *Met* t.1.1. *post* 4.2.2 *post* 1.*com*. 46. Solus Bald. putat *ponere* hic sumi pro *supponere* id quod notum est, vtens authoritate Auer. 1.*post. com* 14. ex quo tamen nihil tale colligitur; hic autẽ explicat Auer. ponere pro dicere.

Notanda.

NOtandum primo. Aristot. mos est suos libros inchoare tribus præsertim modis. Primo, ab vniuersali aliqua propositione, quæ faciat plurimum ad id de quo postea dicturus est. Sic init. Ethic. *Omnis ars &c.* & init. *Met & 1 Phys & 1. de anima.* Secundo Ex repetitione eorum quæ dicta sunt in alijs libris, vt init. *lib. 2. de generat.* Id autem sæpè facit in libris qui non sunt primi. Tertio. Ex propositione illorum quæ dicenda sunt; vt 1 *generat*. 1.*Top*. 1.*pr*. 1.*Elench*. & sic exorsus est hunc librum.

Notandum secundo. Non eodem ordine singula explicat Aristotel. quo proposuit; prius enim definit orationem quam affirmat & negat, & quam enunciat, illam tamen fortè postponit tanquam minus hoc loco intentam. Item anteponit hic negationem affirmationi, quia etsi sit prior à toto genere affirmatio, tn his tamen quæ vitium que habent, prior est negatio quia prius est nomen quam esse. Et orationem Boët. ait vltimo loco esse positam, ne si prior poneretur, arbitraremur Authoris institutum esse de qualibet oratione agere, idem autem, ac D. Thom. quoque, parum, vel nihil potius referre, dicunt, quod negatio præposita sit affirmationi, cum sint species orationis, simulque illam tanquam genus diuidant, quare omittantur quæ de hac re nimis fusè Am. & Magent. dicũt. Alb. etiam Boët. & apud illos Alex, & Magnus Syr.

Notandum tertio. Proponit Aristotel. se tantum agere velle de nomine & verbo

inter orationis partes; tum quia, vt dicit D.Tho.simplex Enunciatio, de qua agere per se instituit, ex his per se componitur tanquam ex principalibus partibus, & ex quibus solis potest Enunciatio cōponi,etiamsi aliæ desint. Vnde ad has duas partes reliquæ omnes reducuntur;pronomen quidem ad nomen,participiū autem ad verbum;vel ad nomen cum quo habet quandam cognationem. Cæteræ autem partes sunt potius allegationes quædam harum principalium orationis partium, quæ significant habitudinem earum inter se, vt est aduerbium, propositio, coniunctio &c.vt obseruat Amm.Alex Boët.D. Thom.& alij.Ideò Arist. *3. Rhet.cap 2.* has tantum duas ponit. Plato etiam *in Soph.* & D. Augu *in Categ.* Imò etiam Plut.*lib. de quæst. Platon.* hoc ipsum probat ad hunc modum,quoniam hæ solæ duæ partes videntur animi nostri affectus exprimere, diciteque reliquas conducere ad orationē tanquam salem ad obsonium,& velut aqua ad mazam, id est, bis coctam, quod significare voluisse videtur Homerus cū sæpè aliàs, tum *Iliad.* 4. hunc loquendi modum vsurpat ἔπος,&c.hoc est, *verbum dixit & denominauit*, quasi diceret, animi sui sensa expressit verbo & nomine. Quinetiam testatur ibid.Plut.Platonem nomine λόγε, & orationis, intellexisse quod alij vocant ἀξίωμα & πρότασιν, hoc est *propositionem*,atque *enunciatum*, in quo veritas aut falsitas est, quod valet ad confirmationem, id quod diximus de Enunciatione,significare nempè eam orationem, in qua verum & falsum est. Denique obseruat ibid. Plut.quod est notatu dignum, Homerum,quanquam studio (vt ipse loquitur) vnum in versum, qui est Iliada,simul conìecisse omnes orationis partes: quem ibi apud Plutarchum vide.

Notandum quarto. Non proponit hic Arist. agere de voce, quoniam vt notat D. Tho.id spectat ad Physicam, vt patet *ex 2. de anima.t.77.& vlt. de generat. animal. & lib.4.de hist. animal.cap 9.* Quę autem desiderari poterāt, satis sunt naturali lumine nota. Adde quod nec propriè Vox est genus orationis, vt infrà videbimus.

Notandum quinto. Cum Ammonio & D.Thoma: De vocibus simplicibus, vt significant simplices conceptus, dictum est *in Prædicamentis.* Vt autem ex eis constituitur ordo syllogisticus, agendum est *in lib. prior.* vt sunt partes orationis hoc loco. Et quidem quatenus significant formaliter & cum tempore, vel sine tempore, dicuntur *nomina & verba*, vt autem sunt partes enunciationis, appellantur *dictiones.* Quo vtroque modo considerātur hic ab Aristotele,etiamsi hęc ab Interpretibus non distinguantur.

SECVNDA ET TERTIÆ Pars.

QVoniam statuerat Aristoteles agere de nomine,verbo, Enunciatione, & oratione, quæ sunt voces significatiuæ, magna autem quæstio erat de significatione vocum, antequam descendat ad explicationem quid sint horum singula, agit breuiter de vocum significatione. Vnde quasi inferens ex dictis, ait: *Sunt ergo &c.* Quasi dicat, cum agendum diximus de Nomine, Verbo, & alijs, prius igitur de Voce significante dicendum est. Primo. Itaque docet quid significent voces, atque esse notas seu signa passionum animi, ea verò quæ scribuntur atque characteres, signa ipsarum vocum. Secundo. Docet, quam nos tertiam partem huius capitis esse diximus, quomodo significent, dicens quod sicut non sunt eædem apud omnes litteræ & characteres, sic nec voces, passiones tamen animi, quarum primum notæ sunt voces ipsæ, & res quarum passiones similitudines sunt, easdem esse apud omnes. De his, inquit, dictum est *in lib. de anima*, & sunt alterius negotij.

EXPLICATIO VERBORVM.

PAssionum.) Quid hæc vox significet, diximus *in proleg. huius operis*, nempè significat notiones ipsas & intellectionē, quod vel eo liquidò constat, quoniam paulò

paulò infrà has passiones rerum similitudines vocat, quod profectò animæ perturbationibus, ira, odio &c. nullo modo conuenit, sed intellectioni solummodo, quæ appellari solet species & imago expressa rei intellectæ, vel alio nomine, verbum mentis. Sicut è conuerso appellatur species intelligibilis imago, & species impressa. Hæc est communis interpretatio, quæ etiam placuit Mirand. *init. suæ Logicæ*.

Nota) Rectè; sic enim Cicero interpretatur dictionem græcã σύμβολα, vnde *in Top* inquit: *Hoc idem Aristot. symbolon appellat quod latinè est nota.* Sententiam verò illam totam Aristotelis: *Sunt ergo ea quæ sunt in voce earum quæ sunt in anima passionum notæ*, paucioribus verbis optimè complexus est idem Cicero 1. de leg. *Interpresque est mentis oratio.* Sic etiam quod postea docet Aristoteles esse voces notas rerum, expressit *in Top.* vocans Verba rerum Notas.

Quarum tamen hæc primum) D. Thom. legit *primarum*. Vnde collegit, sermonem esse solum de primis passionibus, hoc est, de primis intellectionibus, quæ sunt in prima operatione, de qua re postea.

Eadem omnibus.) Alex. Porph. & alij, excepto Hermino, legunt ταῦτα, non autem ταὐτά, causam postea dicemus.

Notanda.

NOtandum primo. Aristotel. per ea quæ sunt in voce (sic enim loquitur) intelligit Nomen & Verbum, quæ ideò fortè dixit esse in voce, quoniã loquitur non de voce in se, & vt profitetur, quod tamen placere videtur Buil. sed prout est ex institutione significatiua, alioquin quæ scribuntur, non essent signa vocum, quia non sunt signa vocis in se consideratæ, & materialiter; potest enim & mutus scribere, & hæc dicuntur esse in voce veluti in sua materia, vt dicitur 5. *de generat. animal. c. 7.* Nam voces quæ naturaliter planè significant, quales sunt gemitus, non hic considerantur, de qua re paulò post. Vel etiam dixit quod sunt in voce, quoniam superius mentionem fecerat nominis, verbi, & aliorum, quę sunt in mente, etiam & in litteris, tanquam in significato, & in significãte. Ita interpretantur Porph Am. & Bo.

Notandum secundo. Hæc quatuor hic Arist. enumerat: *Res, notiones, voces, & litteras*; nam prius est esse res, deinde concipi, tum voce significari, denique litteris, si naturalis ordo seruetur. Quæ duo vltima attributa sunt homini non propter se solum, sed propter alios, quoniam est animal politicum & sociabile, quare animi sui sensa non modo cum præsentibus per voces, sed litterarum quoq; adminiculo cũ absentibus communicat. Vocalis tamẽ ratio, quod idẽ est de scripta, totam vim habet à mentali, quod sæpè habet Arist. præsertim 1. *post. c. 8.* vbi dicit, demonstrationem non in oratione externa, sed in ea quæ mente perficitur consistere.

Notandum tertio Indicat satis clarè Aristot. Voces & litteras ex hominum institutione esse, non autem notiones & res. Imò de vocibus, vt ait Alex. quamuis id Porphyrio non probetur, per litteras probat ex institutione hominum significare, vtpote de quibus id minus dubitari poterat, quæ tamen ratio non est necessaria, sed congrua. Et ratio vtrisque communis est, quoniam non sunt eędem apud omnes voces & litteræ, sed res & notiones. Hoc modo intellexerunt Aristotelem Alex. Porph. alijque, excepto Hermino, qui, vt diximus in explicatione textus, non legit ταὐτὰ παθήματα, cum accentu in vltima, sicut habetur in nostris codicibus, sed ταῦτα cũ circumflexo in penul vt sit sensus: Illa quorum voces sunt notæ, illa inquã sunt passiones omnibus, & illa quorũ passiones sunt similitudines, illa inquam sunt omnibus res. Et quod ita legendum sit probat: nam si sensus sit quem nostra lectio præfert, passiones & res esse easdem apud omnes, id fassum erit. Primo. Quia prolata voce æquiuoca, verbi gratia, *Canis*, aliam notionem formabit qui profert, aliam qui exprimit. Secundo. Confirmatur ex Aspasio, & Boëtio. Diuersæ sunt hominum de his rebus sententiæ, vt de summo bono tantum, de quo D. August. 19 *de ciui. Dei, cap. 2.* ex

relatione M. Varronis citat ad 228. vel etiam 33 opiniones. Sed respondet Porph. ad primum, si is qui profert vocem æquiuocam, determinat quid intelligat, ei etiam qui audit eandem formationem, esse notionem. Melius D. Thomas dicit comparari rationes non ad voces, sed ad res, ita vt vni rei vna notio respondeat apud omnes, quicquid sit de voce quæ variari potest. Ad secundum Resp. intelligi debere dictum Aristotelis de notionibus veris; qui enim falso aliquid concipit, non est assecutus rem, nec illius in animo similitudinem habet. D. Thom. respondet intelligi de simplici apprehensione, quæ est in prima operatione, circa quam, non contingit falsitas, sicut nec etiam propriè veritas, sed res vel tota, vel nihil illius apprehenditur. Quare eadem erit hæc apud omnes notio. Optimè sanè D. Thom. & verissimè diceret, si ea lectio, qua vsus est, retineretur, vbi enim nos legimus: *Quarũ tamen hæ primum*; ipse legit, *primarum*, vt supra diximus, & ita volunt esse hunc sensum, quarum primarum passionum, hoc est, intellectionum. Nihilominus sentẽtia D. Thom. in se vera est, & Aristoteli conformis, quoniam & res ipsæ solum simplices sunt, notiones verò compositæ nihil aliud sunt quam aggregatio simplicium, & si hæ fuerint eædem apud omnes, etiã & illę. Itaque consequenter loquitur Aristoteles de omnibus operationibus intellectus, easque ad sensum explicatum dixit esse easdem apud omnes. Qua etiam de causa sapienter paulò antè litteras appellauit notas vocum, & voces notionum, notiones verò ipsas non notas, aut signa, sed similitudines rerum esse dixit; quoniã quod est signum alterius, potest fingi & mutari ad arbitrium hominis, nec est necessè attendi in eo rationem similitudinis; at non sic est de similitudine rei, vt per se patet: neque enim pendet ex arbitratu hominum. Dicuntur etiam eędem notiones similitudines rerũ ob aliam causam, quoniam, vt inquit D. Thomas, res non cognoscuntur ab anima, nisi per aliquam sui similitudinem existentem, vel in sensu, vel in intellectu, hoc est, per speciem vel sensibilem, vel intelligibilem. Denique dici potest quod si notio & res inuicem conferantur, vnius rei vna erit notio, eademque apud omnes: sed res eadem atque notio diuersis possunt tum vocibus, tum litteris exprimi, & hoc sufficit Aristoteli, hinc enim satis colligitur easdem esse apud omnes res & notiones, non autẽ vel voces, vel litteras, sed hæc duo vltima ex hominum institutione esse, de qua re postea dicemus.

Notandum quarto. Ex ijsdem verbis Aristotelis colligi potest, voces significare quidem primum notiones, tum verò res ipsas; sic enim inquit 1. Quarum tamen, nempè passionum, hæc primũ notæ sunt, hoc est, voces aut litteræ eædem omnibus passiones animæ sunt, de qua re etiam dicemus.

DISPVTATIO DE *significatione Vocum & Litterarum*.

QVÆSTIO PRIMA.

An voces significent à natura, vel ex hominum impositione?

HÆc est celeberrima apud Philosophos cõtrouersia. Supponendum initio est primo, Quod diximus hominem, quoniam est animal politicum & sociabile, egere vocibus quibus suos alijs conceptus communicet, cum adsunt, & litteris cum absunt. Et hanc causam dat Arist. 1 *polit. cap. 2.* cur nobis natura sermonem tribuerit, vnde inanimatis & brutis hoc natura negauit, vt de illis non nisi impropriè dicatur quod vocum administerio vtantur ex Platone docet Plut. *lib. 4. de pl. Philos. cap. 19.* Dicens præterea dictum esse græcis φωνὴν, quod latinis vocem significat, ab illustrando & declarando interiores animi sensus; fortassè enim φωνὴ dicta est, vel à verbo φαίνω, quod *illustrare* significat, vel à φῶς, quod *lucẽ* sonat, & νοῦς, quod *mentem* significat, quasi vox sit lux quædam mentis. Hinc etiam Ægid. *Quodlib. 1. q. 17.* ait, ipsum loqui vniuersè sumptum naturæ munus esse; animalia enim quæ

humanas

humanas interdum voces imitantur, solum edunt sonum quendam, de qua re lege Plutarch. *li de solertia animalium*, & Plinium.

Notandum secundo. Loquimur de vocibus tantum significatiuis, in quibus est considerare materiam, id est sonum animalis ore prolatum, de quo 2. *de anima. t. 77 & vlt. de generat. animal & li 4. de hist. animal. cap. 9.* Et formam, quæ est ipsa formalis significatio rei.

Notandum tertio. Sensus quæstionis est: An voces vt significatiuæ sint à natura, hoc est, an vis significandi sit à natura indita, ita vt nomina sint naturæ, & non hominum opificia; & tam est sermo de vocibus ante diuisionem idiomatum, cū terra, vt ait scriptura erat labij vnius, quā postquam exortæ sunt vt minimum plusquam 72. discrepantes inter se loquendi formæ. Lege D. Augustin. *lib. de init Dial.* Euseb. 11. *de præpar. Euang cap 3* Mars. Fic. *in Cratylum, & Phileb. Plat.* Alex. 3. *nat. hist. cap. 11.* Psellum, Ammon. Magent. Boët. & D. Thom. *in hoc loco.* Leonic *in Dial, Peripatet. seu de morum instit.*

Prima Opinio Est Cratyli sectatorum, Heracliti *apud Plat. dial. eius nominis.* vbi in ipso principio Hermog. exponens Socrati Cratyli sententiam, sic ait: Cratylus hic, ô Socrates, rebus singulis ait natura inesse rectam nominis rationem, neq; id esse nomen quod quidam ex institutione vocant, sed rectam rationem aliquam nominum & Græcis & barbaris omnibus innatam. Idem sensit Heracl. & Pythag. teste Dexip. *lib. 1. in Categ. cap 5.* & rectè Simpl. *cap. 1. antepræd. de denominatiuis ad fin* Et propterea auferebant Pythagorici omnia nomina æquiuoca. Eadem est sententia Nigidij *apud Gell. lib. 10 cap. 4* Et Arch. teste Dexippo, qui eadem etiam de causa de æquiuocis & multiuocis non egit in Prædicamentis. Idem videtur sentire Lucret *lib 5 post medium*, inquiens:

Proinde putare aliquem tum nomina distribuisse,

Desipere est, nam cur hic posset cuncta notaret? Volunt ergo isti omnes, sicut res vnaquæq; propriam habet naturam, proprium etiam à natura nomen obtinere, quamuis nos lateat; sapientis autem esse id non imponere, sed inuenire; quo fit vt quoniam pauci huiusmodi reperiuntur, pauca quoq; admodum sint nomina reperta. Denique dicitur, nomina hæc esse specierum, non autem indiuiduorum. Ratio pro hac sententia hæc esse potest: Vox est naturalis, nomē est vox, ergo est quid naturale. Confirmatur. Constat inesse vim quandam nominibus ad quosdam effectus naturales, vt patet ex Musica, Magica, & Cabala Hebræorum, De qua re Plin. *lib. 28. nat. hist. cap 2.* Orig. *lib. 1. contra Cels.* vbi asserit, in diuinis quibusdam nominibus latere quandam virtutē; quod confirmat authoritate Trismegisti, Plat. Iambl. Pythag. &c. qui etiam quamplurimos morbos prolatis duntaxat nonnullis vocabulis expulerint. Præterea totam Zoroastri sapiētiam, quam Plato in Alcibid. diuinam vocat, nominibus constitisse. Ad hæc magno argumento est quod omnes nationes conuenerint in Deo appellando quatuor litterarum vocabulo: Hebraicè enim vocant, nempè *Iehoua*, Græcè θεὸς, Latinè *Deus*, Arabice *Alla*, Persæ, Syrę. Magi *Orsi*, Mahumetani *Abdi*, Itali *Iddio*, Hispani *Dios*, Galli *Dieu*, Germani Gott. &c. Vnde Plato in Philebo & Cratylo magnam præcipit diuinis nominibus habere reuerentiam, & alibi, maiorem etiam quam delubris deorum & statuis. Idem eos qui peierarent, & diuinum mendacio nomen polluerent, sacrilegos appellat, iubetque à quouis impunè cædi, quique id non fecisset, proditorem & legum transgressorem censendum esse. Confirmatur. D. enim Dionys. qui maximè Platonem secutus est, omnia ferè diuina mysteria in suum illum librū *de diuinis nominibus* congessit. Et D. Paul. *In nomine*, inquit, *Iesu omne genu flectatur*, significans inesse quandam veluti naturalem vim in tali nomine. Confirmatur etiā à Nigidio *apud Gell.* ex naturali quadam prolatione, quam quæque vox diuersam per se exigit. Præterea si quis infans segregetur ab hominum consortio, ita vt nullam humanam vocem audiat, tamen

cum ad legitimam ætatem peruenerit, loquetur: sic enim Samiliorum Ægyptiorum Regem narrat Herodotus *in Euterpe*, cum scire cuperet quinam primi hominum extitissent, duos pueros pastori tradidisse inter pecudes educandos eosdemque binatio tam exacto, hanc vocem crebrius manibus extensis iterasse: *Beccus*, quæ vox apud Phrygas *panem* significat. Signum ergo est nomina naturaliter significare.

Secunda Opinio. Est Hermog. discipuli Parmeniani, apud Platonem in Cratylo, qui contrarium sentit, sed liberior est in hoc asserendo quam par sit, dicens, cuiq; integrum esse arbitratu suo nomina rebus indere; quod idem sensit apud Amm. *in cap. de nomine*, Diodorus quidam Dialecticus, qui quempiam ex suis seruis Cedelin. vocabat. Eadem fuit opinio cuiusdam Aræi Patræi.

Tertia Opinio. Est media, sapientis esse imponere nomina rebus, atque ita partim esse à natura, partim ab impositione. Est communis opinio, & Plat. *ibid.* & Aristotelis, *tum hic, tum in cap. de Relat.* & magis explicabitur in sequentibus. De qua re lege Amm. qui Aristotelem cum Platone concordare dicit, & Sext. Empir. *li.* 2. Pyrrhon *hypot. cap.* 18.

Prima Propositio. Nomina simpliciter non sunt dicenda naturaliter significare. Probatur primo. Ex Alex. *loco cit.* Nec enim credendus est esse Aphrod. quem Magent. recitat pro contraria opinione, quia homo experitur in se vim quandam denominandi res, signum ergo est non esse iam imposita nomina. Præterea nullam ferè vocem eandem esse apud omnes, nisi fortè paucissimas, vt dicunt esse vocem sacri. Item experimur multas esse voces æquiuocas. Secundo. Deberent potius à natura esse nomina rerum singularium, quam specierum, sola enim singularia natura fecit, & hæc nobis in vsum veniunt. Tertio. Nomen naturaliter significans non est in nobis, ergo in rebus, ergo vt accidens rei, & sic quomodo significabit totam substantiam? si enim est tota ipsamet substantia, idem erit denominans & denominatum. Imò cum ipsum nomen sit res aliqua, habebit aliquod nomen, & sic dabitur progressus in infinitum. Denique illud est quod Ammonius D. Thom. alijque asserunt, nomina esse quædam entia artificialia. Et certè de nominibus entium rationis, rerum fictarũ, rerum arte fictarum, dubitari nullo modo potest, quin non sint à natura rebus indita.

Secunda Propositio. Possunt dici voces esse à natura tribus modis. Primo. Quia hoc est naturale homini, vt initio diximus, vocibus animi sui sensa exponere. Secundo. Quoniam homini est naturale hanc aut illam vocem particularem modo ad istam, modo ad illam rem significandam assumere. Et hoc est quod Alex. sup. dicebat inesse vim à natura nomina imponenti. Tertio. Quoniam habenda est ratio in horũ impositione alicuius proportionis & similitudinis ad naturas rerum, quam maximè fieri potest, & hoc ex professo probat Plato: nam oratio vera est, quæ significant res vti sunt, ergo & partes eius dicuntur cum re consentire; & quia voces sunt instrumenta quædam ad explicandas naturas, debet autem instrumentum aptari rei, qui nomina rebus impositurus est, sapiens esse debet & Dialecticus, inquit Plato, hoc est qui res teneat consentaneè regulis Dialecticæ. Denique id probatur ex Etymologia & notatione nominum non modo græcorum, sed barbarorum etiam, quæ ratio est Platonis, sicut & magna ex parte præcedentis, vbi ostendit quam congruenter rebus indita sint nomina. De Latinis etiam extant multorum libri, vt *Laurentij Vallæ, Scaligeri lib. de cauf. ling. latinæ, & Isidorus in lib. Etymolog.* Quare rectè ille.

Conueniunt rebus nomina sæpè suis,

Et propter eandem causam, similem esse dicit Plato aptam vocem picturæ, quæ tũ esse bona dicitur & proba, si res prout sunt referat, atque repræsentet. Lege Alci. *lib. de dol.* Plat. *cap.* 6. Ammon. & Euseb. *locis cit.* Confirmantur quæ dicta sunt; experimur enim esse in quibusdam vocabu-lis

lis non modo de nouo factis, sed in alijs quoque vim quandam ad res significandas ob certum quendam syllabarum concursum: Verbi gratia, apud Virg. in Ecloga.

Saltantes

Et alibi: *Quadrupedante putrem sonitu quatit vngula campum.*

Et. *Qua data porta ruunt, & terras turbine perflant.*

Cæterum si qua in lingua huiusmodi consensio reperitur, profectò vel imprimis in Hebraica quam ideò D. Hiero. cum alibi, tum potissimum *in cap. 3. Sophoniæ*, matricem cæterarum linguarum appellat: fuit enim qui primus hebraica nomina rebus indidit, saltem volatilibus & animantibus terræ, vt habetur *Gen. 2.* Omni sapientia & eruditione cumulatus, quare & *quod vocauit eam, ipsum*, inquit scriptura, *est nomen eius*, hoc est, vt interpretatur Eusebius in ipsa natura, vel conuenienter ad ipsam naturam rei. In alijs quoq; idiomatibus est sua quoque cum rebus consensio, de qua vide quos dixi, & Ammonium hoc loco, vbi rationem præterea reddidit, cur quidam ex rebus animatis sint masculini generis, quædam fœminini. Multa quoque ab Aristotele inuenta vocabula, vt in Logica primus Aristotel. excogitauit *categoriæ* nomen, *termini, figuræ nominis infiniti*; In Physica nomen *casus vacui, ἐνδελεχίας*. Præterea ait, Aristoteli visum esse, imponi debere nomina accommodatè ad res ipsas, ac proinde hac ratione esse quodammodo à natura, alia verò ex parte etiam ex impositione, quod nos in *expositione textus notabili 3.* clarè ex Aristotele deduximus, qui idem Aristoteles *cap. seq. de nomine*, ait, nomen esse vocem ad placitum. Et *in cap. de orat.* idem repetit. Imò etiam nonnunquam ex notatione nominis argumentum petit, vt *in lib. de cælo* probat cæli perpetuitatem ex nomine *Aetheris*, quod significat semper currens.

Porrò notandum est, primo posse imponi nomina de nouo, seu innouari & fieri, vt sæpè docet Cic. & Hor. in Poët. & Aristoteles noster *in cap. de Relat.* & de rebus diuinis docet D. Thom. *1. p. quæst. 29. art. 3. ad 1.* Quamuis præclarum fuerit illud Alexandri martyris Lugdunensis ad Tyrannum responsum; Cum enim quæreret, Deum quem coleret appellaret, respondit, non eodem modo vocitari Deum vt homines & creaturas, vt Euseb. *lib. 5. hist. Eccl. cap. 1.* refert.

Secundo. Nota, Imponi debere rebus nomina prout à nobis concipiuntur, nec enim semper possumus adæquatum rei alicuius conceptum nomine aliquo innouato explicare. De qua re D. Thom. *1. p. quæst. 13. art. 1. in corp. & ibid.* Caietan. Ex quo colligi potest malè contra nos argumentari hæreticos, quod nouis interdum nominibus ad res fidei magis explicandas vtamur, quod olim Arriani Ecclesiæ obijciebant, propter vocẽ τὸ ὁμοούσιος. Denique tandem ex dictis sequitur, simpliciter loquendo nomina esse ex impositione, secundum quid verò à natura. Vnde rectè Horat. in arte poet.

Vt syluæ folijs pronos mutantur in annos,
Prima cadunt, ita verborum vetus interit ætas,
Et iuuenum ritu florent modo nata, vigentq;.

Et paulò infrà.

Multa renascentur, quæ iam cecidere, cadentque.
Quæ nunc sunt in honore vocabula, si volet vsus,
Quem penes arbitrium est & vis, & norma loquendi.

Ad rationem primæ opinionis patet, quomodo sit vox naturalis; id enim tantum verum est ratione vel soni, vel facultatis naturalis ad nomina imponenda, vel denique proportionis & similitudinis, quæ penes res in nouandis nominibus attenditur. Ad primam confirmationem quod attinet ad Cabala, & Magiam, & verba quæ ad medicamenta adhibentur, & solent carmina appellari, sunt meræ vel nugæ, vel præstigiæ. Quoad Musicam verò, valet illa verò ad abigendos dæmones, & leuandam etiam tristitiam & mœrorem, quo qui corripiuntur, facilius solent à dæmonibus obsideri. Vnde Dauid Lyram pulsans expellebat à Saul spiri-

spiritum nequam, sed hoc est ratione soni, melodiæ, & concentus. Narrat etiam Plut. *de fortuna vel virtute Alexandri, oratione posteriori*, cum Aristonicus cytharœdus Antigenidam modum, qui harmateos dicitur, caneret, ita concitatum eo motu & inflammatum fuisse, vt vno impetu arma, quæ propè iacebant arriperet. Vnde Spartani cecinerunt: *Ferrum capessere, infligas cytharæ melos.* Fortè etiam attributa fuit vis quædam vocibus quibusdam à Deo, qualis fine dubio inest verbis sacramentalibus ritè prolatis, & qualis etiam fortè fuit olim in ineffabili illo tetragrãmato nomine Dei, *Iehoua*, quamquam multa de illo superstitiosè, vel fabulosè potius in suo Talmuth Iudæi.

Ad secundam rationem resp. Quod talis puer educatus seorsim vteretur vocibus quibusdã vel à se inuentis, & adhibitis nutibus, & voces hæ essent inarticulatæ, aut proximè accedentes ad aliquam linguam: quod enim quidam locuturum dicunt talem infantem lingua Hebræa tanquam maximè naturali, figmentum est. Pueri autem illi, de quibus Herod. protulerunt illam vocem *Beccos*, quę maximè accedit ad balatum ouium *Bee*, inter quas fuerunt educati. Quinetiam narrat Plin. *lib.6 cap.* 30. quandam gentem esse quæ pro sermone nutibus motibusque membrorum vtatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

De significatione litterarum.

NOtandum primo. Non agimus de litteris elementalibus, ex quibus dictiones & articulatæ voces constant; eadem nim videtur esse ratio illarum quæ de vocibus. De quibus litteris refert Plut. *lib. de quæst. Plat.* olim apud veteres vndecim tantum fuisse, & *lib.8. Sympos. q.9.* scribit Xenocratem dixisse, syllabarum numerũ, quas inter se compositæ litterę faciunt esse centies millenum & ducentorum millium. Et *lib.9. q.2.* & 3. dicit, Mercurium primum litterarum inuentorem fuisse, ideoque illi quaternionem esse dicatum. Præterea fuisse aliquãdo solum sexdecim litteras, quę Punicæ propter Cadmum dicerentur. Palamedem verò alias quatuor inuenisse, Simonidem etiam totidẽ alias addidisse, vt Græcæ litteræ essent omninò vigintiquatuor. Hebręi habent solum viginti duo, Latini vigintitres, Arabes vigintisex, aliique aut plures, aut pauciores.

Notandum secundo. Non est dubium significentnè litteræ voces à natura, vel ex institutione, quoniam hoc secundum certum est; sed an omnes litteræ significent voces, siquidem videtur quod aliquæ significent etiam immediatè conceptus, vel quod vna tantum significet conceptus & voces, quales sunt litteræ hieroglyphicæ Ægyptiorum, de quibus præclarum volumen scripsit Pierius. Dicitur etiam extare apud Ioannem Trithemium *in sua Polygraphia* fragmentum libelli scripti à Cicerone, siue Cicero ille fuerit orator, siue libertus: non enim constat, qui etiam à D. Cypr. ampliatus fit, in quo singulę notæ singulas res significent, sed certè non potui reperire locum apud istos authores. Secundo. Ergo videtur quod sicut voces, ita etiam litteræ immediatè significare possint conceptus, vel res. Resp. sine dubio potuit id fieri, vnde Ægyptij sermonem significare volentes, effingebant linguam, & manum iuxta illam; secus tamen factum est. Tertio. Significatio quæ fit figuris & pictura, potius dicenda est descriptio, quam scriptio, scribere enim est characteres ita efformare & componere, vt articulatæ voci respondeant. Itaque non sufficit scriptioni exprimere vocis significationem, nisi etiam eius articulationem repræsentet. Vnde etiam Orus Apollo, qui scripsit De notis hieroglyphicis, & illius interpres Philippus, non dicũt Ægyptios scribere, sed pingere, quod etiam testatur Paulus Iurisconsultus *lib. 4.* & 25. *ad edictum,* & *ff. de bon poss l.b.6.* Lege etiam *tit. de verb signif.* Quarto. Aliquando compendij causa fit, vt singulæ ferè litteræ singulas dictiones exprimant, vt patet in antiquis marmorib. & huiusmodi fortè est fragmentum Ciceronis istud. Atque ex his patet ad argumenta. Solum obseruandum est quod in hoc similes

miles sint litteræ in vocibus significandis ipsismet vocibus in rebus, quem conceptibus etiam significandis; quod sicut mutatis vocibus non quibusuis diuersarum nationum, sed ijs quæ impositæ sunt ad rem vnam significandam, quamuis pertineant ad diuersas nationes, conceptus quoque rei & significatio mutari censetur; Vt si quis dicat hominem, & deinde equum: nam si latinè dicas hominem, & græcè ἄνθρωπον, & hebraicè, idem significabunt. Ita multis characteribus, & eorum articulatione mutata, voces mutantur. Lege Ammon. & Magent. Quare non est quod Boëtius & Porph. negent, eo modo esse litteras notas vocum, quo voces rerum vel conceptuum proportione seruata, quæ est sententia Alex. & sufficienter à nobis explicata.

QVÆSTIO TERTIA.

An voces significent res immediatè, vel conceptus?

CErtum est significare voces & quid animo conceperis, & rem ipsam quæ à te concepta est. Quæritur ergo vtrum ex his prius significet vox, conceptumne an rem? Aristoteles omninò videtur, *vt sup. not. vltim.* collegimus, velle significari vocibus immediatè conceptus, & illis mediantibus res ipsas, & sic planè Aristotelem interpretantur Am. Boët. Porph. D. Thom & alij. Verum idem Arist. 1. *Elench. cap.* 1. videtur oppositum asserere; ait enim loco rerum vti nos nominibus, & 4. *Met. sum.* 2. *cap.* 2 dicit nomen significare substantiam & definitionem rei. Et probatur præterea: nomina enim imposita sunt ad res ipsas designandas. Vnde etiã dicuntur de rebus ipsis, easdemque denominantibus. Boët. *edit.* 2. *in hunc lib in cap* 1. duas de hac re opiniones recitat. Primam, significare voces res vel corporeas, vel secundum alios incorporeas, æmulatos, vt ipse loquitur, Ideas Platonis. Secũdam. Quod significarent aliquid in anima, aut sensus, aut imaginationes, aut intellectus, seu cõceptus, ipse verò vnà cum Porphyrio, ex quo hanc duplicem veterum sententiam accepit, existimat voces significare conceptus ipsos primo & per se, & quod ita secundum veritatem res se habeat, sentiũt ijdem quos suprà citauimus. Iamblichus etiam, Dexip. Simplic. Herm. Boët. Syrianus, Nyphus, & Burl. *in hunc locum.* Et Alex. 1. *Elench com.* 4.

Notandum est Quod ad litteras spectat, non est necessarium vt significent res per voces intermedias, hoc est, vt primo voces, deinde autem res, vt quidam volunt apud Tartar. *hoc loc. artic.* 2. *sub fin.* Nam etiamsi nullæ essent voces, nihilo adhuc minus possent litteræ exprimere res ipsas, vt patet in ijs qui vocem nullam ediderunt, quia tamen est hic naturalis ordo vt primum sint res ipsæ, tum conceptus, tertio voces, & vltimo litteræ, propterea solent sæpè litteræ significare immediatè voces ipsas, cum præsertim præ se ferant ipsarum vocum articulationem. Dicendum igitur quod ad voces attinet, sunt illæ immediatè impositæ ad res significandas: Vnde solum per se supponuntur ac verificantur de rebus ipsis, non verò de conceptibus Quia tamen ideò sunt impositæ rebus nomina, vt nostros mutuo conceptus communicare possimus, ideò dici solet habita ratione finis, à quo artificiatæ res, cuiusmodi sunt nomina, solent appellationem desumere, esse signa conceptuum. Quare propter eandem causam solent absolutè ab Aristotele appellari voces signa conceptuum, & à D. Thom. 1. *p. q* 13 *artic.* 1. & Boët. *lib.* 1. *diuis. cap.* 2. & Scot *hoc loc. q* 1. & 4. *s. d.* 1. *q* 4 & *in* 1 *d* 27. *q.* 1. *in solutione secundi argumenti ante oppositum.* Idem facit Albert. quamuis addat, voces esse similitudines rerum ipsarum significatarum, quod, vt diximus, impropriè dicitur. Sic etiam non placet nobis quod dicit Albertus de Saxonia, significari principaliter per voces res, mediatè autem conceptus tanquam similitudines rerum, sicut, inquit, D. Petrus dicitur esse de imagine ipsius, cum tamẽ primò & per se significet D. Petrum. Etsi enim id verũ sit, tamen non semper consequitur conceptus, sed vt plurimum formari debet prius ab eo qui est vocem prolaturus, etsi is qui audit, statim vnà cum voce percepta

rei conceptum formet. Hinc sequitur primo, hoc quod diximus esse vniuersaliter intelligendum de quauis voce, quãuis per quandam veluti accommodationem dicantur specialiter voces esse signa immediatè conceptuum eorum quæ sunt de rebus vniuersalibus; quoniam cum res vniuersales per se non sint, vt Platoni tribuitur, ideò vt esse aliquo modo possint, egẽt abstractione à singularibus, & propterea prius concipi debent, quam vt imponi queat nomẽ illis. Hac ratione interpretatur D. Tho. Aristotelem, quia vt Porph. notat apud Boët. ideò Aristot. dixit voces esse signa conceptuum, quoniam quidam volebant significari res incorporeas & vniuersales primo & immediatè; æmulari, vt ait Bo. Platonis ideas; tamẽ quod absolutè verũ sit id quod diximus, nullo modo negaret D. Tho. Ex quo etiam refelluntur Nominales, qui tollentes omnes conceptus obiectiuos vniuersales, consequenter aiebãt nomina significare res ipsas singulares immediatè. Secundo. Sequitur, si absolutè accipiantur res vt significantur, & si vox non significet rem, nisi mediante conceptu, quem de re ipsa efformemus, tamen non propterea dicetur conceptus immediatè significari, quia non semper à nobis vox profertur, vt conceptum exprimamus alteri audienti. Propter quã caussam, etiamsi ex natura rei vox non significet rẽ nisi intercedente conceptu, tamen non ita dicitur significare conceptũ, quod id semper intendamus, etiamsi ex se vox sit expressiua conceptus, & ideò, vt hoc obiter etiam dicamus, statuit Ecclesia vt sententiam excommunicationis incurrãt hęretici, qui hęresin suam exterius proferunt voce prolata, etiamsi nemine audiẽte. Nihilominus semper vox conceptum prius significat, quoniam rem ipsam per vocem significatam solemus ante concipere, quã voce proferamus. Et quod prærequiratur hic conceptus, non est planè significari cõceptum; quo pacto vestigiũ animalis non dicitur significare conceptum animalis. Malè igitur quidã hic asserunt voces significare conceptus immediatè, quia non possunt res significatæ per voces cognosci, nisi medijs conceptibus. Tertio sequitur, quamuis dum intẽdo voce explicare conceptum, significẽ & conceptum & rem simpliciter tamen dici potest vna eademq; vtriusq; significatio: sicut dum certno imaginem D. Virginis, idem censetur motus esse in imaginem illam & B. Virginẽ; nam eo ipso quod vox significat rem, repręsentat etiam & significat conceptum rei, quem proferẽs habet de ipsa re, etiamsi is qui audit, fortè explicitè solum feratur in solam rẽ. Propterea Scot. & Tartar. *locis citatis* appellant voces signa subordinata in significando.

QVÆSTIO QVARTA.

Quomodo per voces communicetur conceptus?

QVæstio hæc magis pertinet ad Physicam & tractatũ De anima. Ideò paucis illam, ne quid desideretur, expediemus. Dico igitur vocibus communicari conceptus rei, quoniam homines scientes has vel illas voces istam aut illam rem significare, de quibus aliquando formarunt aliquod phantasma, & eorum memoriam retinent, statim illis auditis determinãtur extrinsecè ad concipiendam hanc aut illam rem. Quare experimur id in nobis nõ fieri, si quis peregrina lingua loquatur, vel si tyrones fuerimus in aliqua sciẽtia, quoniam nec conuenit nobiscum cum alijs de his aut illis vocibus significatiuis, nec adhuc animo concepimus res illas quæ per voces significantur, vt cum proferuntur, in eorundẽ memoriam redire possimus. Hinc sequitur falsam esse sententiã, quam de hac re refert Christoph. Marcel. *in lib. suo 3 de anima. cap. 61.* Et Apollinaris *2. de anima. quæst.* 25. quam ferunt esse Alb. Magni, deferri vnà cum voce, speciem rei significatæ seu similitudinem conceptus rei eiusdem ad audientis phantasiam, atque ita in concepta voce concipi etiam loquentis conceptum. Marcellus autem ait, imprimi huiusmodi speciem ex institutione, non eius qui imposuit primum rei nomen, sed illius qui loquitur. Qui autem contendunt voces significare naturaliter, dicerent etiam imprimi naturaliter.

titer. Albet. autem creditur sensisse id fieri ex institutione alicuius absolutè loquendo. Ratio Marcelli est, quia nisi imprimatur aliquid voci, vel simul cum voce, non poterimus audiendo aliquid de nouo addiscere: Vox enim nuda non habet quod ingeneret in animis nostris aliquam cognitionem. Illud autem est contra Aristotelem *lib. de sensu & sensibili, cap. 1.* Sed huic difficultati abundè occurretur, si attendatur modus à nobis ante explicatus. Secundam sententiam eidem Authores ponūt, non deferri aliquam speciem, sed tantum excitari conceptum eundem, qui ante praerat in audiente, vel à natura, vt defendit Plato, asserens scientiam nostram esse solam reminiscentiam, vel per acquisitionem, vt tenet Apollin. Et hæc est probabilis sententia, eademque cum modo nobis explicata. Item Aristoteles *lib. de sens. & sensib. cap 1.* dicit, sermonem per accidens tantum facere cognitionem, vbi significat & acquiri de nouo aliquam cognitionem, & præterea nihil de nouo effici, nisi vt iteretur à nobis conceptus rei, qui anteà habitus est à nobis.

QVARTA PARS CAPITIS.

EST *autem quemadmodum &c.*) Cum dixisset Aristoteles voces significare res & conceptus, explicat quænam ex vocibus significent veritatem & falsitatē; quoniam postea de Enunciatione ex professo acturus erat, quæ veritatem aut falsitatem per se significat. Id autem explicat ex ipsis notionibus & conceptibus, vnde inquit: Sicut in anima aliquando est intellectus siue notio sine veritate & falsitate, cum nimirum est simplex, aliquando cū veritate & falsitate, nempè cum est compositio, vel demonstratio. Sic etiam & in voce, siquidem nomina & verba respondent è regione, & similia sunt simplicibus notionibus, vt hircoceruus, quod nomen non significat verum, vel falsum, nisi addatur esse, vel non esse, aut simpliciter, aut secundum tempus.

***

EXPLICATIO VERBORVM

H*ircoceruus.*) Græc. τραγέλαφος. vtitur hoc exemplo, tum quia cum non sit in rerum natura, videri poterat falsum significare, tum quia cum sit aliquid cōpositum, apparebat significare aliquid veri, aut falsi, cum tamen reuera non sit ita.

Vel simpliciter, vel secundum tempus.) Simpliciter, ait Auct. & D. Tho. quando additur verbum præsentis temporis. Secundum tempus, quando additur verbum præteriti, vel futuri temporis; quod enim è tempore præsenti, simpliciter est, nō verò quod in præterito, aut futuro: solum enim est secūdum quid habita ratione ad præsens. Vel secundo dicitur, *simpliciter*, secundum Am. & Bo. *in 2. edit.* cum additur verbum cuiuscunq; temporis, secundū quid autem, cum opponitur aliqua particula significans quandā temporis determinationem, qualia sunt aduerbia temporis. Denique, secundum Alex. & Alb. dicitur simpliciter significari vel poni esse & non esse, quando verbum significat essentialem connexionem prædicati cum subiecto. Secundum quid autem, quando significat existentiam rei in aliquo tempore, quę est extra essentiam & connexionem essentialem.

Notanda.

N*otandum primo.* Am. Bucl. & alij volūt eam rationem, qua probat Arist. voces quasdam non significare verum, vel falsum, quasdam autem significare, nempè quia respondent intellectus operationibus, etiam non modo à simili, sed quadam etiam ratione à causa, quoniam intellectus operationes se habent vt causa formationis & impositionis nominum. Quod quidem verum videtur, quicquid hoc loco sentiat Nyphus, & patet ex dictis superiori disputatione.

Notandum secundo. De veritate & falsitate multa hic extra rem disputantur à nonnullis, quæ spectant potius ad lib. 6. Metaphysicorum. Nos igitur id tantum obseruabimus, quod alias quoq; diximus *in Proleg. Logicæ,* veritatem esse duplicem:

Transcendentalem vnã, alteram formalem & propriam. Transcendentalis reperitur in omnibus rebus, & significat rei cuiusque conformitatem cum suis principijs, vel, vt ait D. Augustin. est similitudo principij sine vlla ratione dissimilitudinis. Formalis autem & propria solum consistit in operatione intellectus componente, vel diuidente, affirmante, aut negante, & denique vno verbo iudicante, vocaturque veritas in cognoscendo, sicut prior illa veritas in essendo. Quare veritas in cognoscendo locum habet duntaxat in secunda & tertia operatione, veritas in essendo in qualibet operatione, sicut & in qualibet re. Ita ergo proportionaliter loquendo in verbis non dicetur veritas esse, nisi quæ aliquam includunt compositionem, eamque per se, & formaliter. Dixi formaliter, quia aliquando vna dictio vim habet integræ propositionis, vt ningit, scribo, &c. Vel quædam sunt dictiones, quibus quia respondere solemus, vim habent propositionis tacitæ, vt etiam, non. Denique in diuino atque angelico intellectu prout vnum asserunt esse vel non esse, proutque de rebus ferũt iudicium, veritas est, aut etiam falsitas, citra tamẽ compositionem eiusmodi, qualis in nobis reperitur, & citra vllam temporis successionem. Quod autem omnis nostra oratio, si propria sit & significatiua, includat verbum esse, vel nõ esse, quod hoc loco docet Aristoteles eleganter expressit Virgilius, vel potius Decius Ausonius in Epig de Est. & non Est:

Est, inquit, & Non cuncti monosyllaba nota frequentant;
His demptis nihil est hominum quod sermo voluter.
Omnia in his, & ab his sunt omnia siue negotii,
Siue oti quicquam est, seu turbida siue quieta.
Hinc omnis certat Dialectica turba Sophorũ.
Qualis vita hominum, duo quam monosyllaba versant!

CAPVT SECVNDVM.

De Nomine.

INcipit Aristoteles explicare simplicis Enunciationis partes, Nomen & Verbũ, & incipit à Nomine; Vel quia se habet vt materia, verbum autem vt forma, quemadmodum inquit Escul. vel quia significat substantiam, verbum autem actionẽ, vt inquit Amm. & significat verbum id quod adiacet, nomen autem rem ipsam & substantiam, vt inquit idem Amm. & D. Thom. & Alb. *tract 2. cap 4*. Vel quia nomen est quid simplicius, significat enim rem, sed sine tempore, verbum autem cũ tempore significat, quo pacto *1 post. ca 23.* inquit Aristoteles, priorem esse Arithmeticam Geometria, quia Geometria est de quantitate constante partibus habentibus positionem, non autem Arithmetica. Duæ sunt potissimum huius capitis partes. Primo enim definit nomen, eiusque definitionis partes explicat. Secundo excludit nonnulla à definitione nominis.

PRIMA PARS CAPITIS.

NOmen, inquit, est vox significatiua ad placitum sine tempore, cuius nulla pars separata significat. Explicat hanc vltimam partẽ, nam in hoc nomine: Æquiferus, hæc par *ferus* nõ significat id quod significabat in compositione. Et hæc est differentia inter nomina composita & simplicia, quod etsi vtriusque parte, non id significent quod in compositione, tamẽ nominum compositorum, quam simplicium magis videntur partes significare: nam huius dictionis *homo* constat apertè partes nihil significare. Explicat tertiò aliam particulam: *Ad placitum*. Dicuntur enim sic significare nomina, quoniam, inquit, natura, hoc est, naturaliter nullum nomen est, sed quando fit nota, hoc est, quando imponitur vt nota quædam ad res significandas, alioquin si naturaliter significaret nomen, soni illiterati, hoc est, qui litteris rectè describi nequeunt, quales sunt soni ferarum, essent nomina.

EXPLICATIO VERBORVM.

IN his vult quidem.) hoc est, videtur. *Illiterati.*) hoc est, inarticulati. Videtur autem alludere Aristotel. ad quandam diuisionem vocis, quæ erat Plat. vt testatur.

tur Diogen. in animatam & in inanimatam. Illiterati autem soni dicuntur, qui commodè literis non possunt designari, & dicuntur ab Aristotele huiusmodi soni nō habere nomina, non quod soni non habeant, dicimus enim mugitum, balatum, &c. sed quia nullus talis sonus est nomen, vt ait D. Thom.

Notanda.

NOtandum primo. Omisit Aristot. explicare primam partem definitionis, vox *significatiua*, quoniam satis ex superioribus constabat. Item illam aliam, *sine tempore*, quoniam de ea pluribus dicet *Cap. de Verbo.*

Notandum secundo. Cum definierit nomen per vocem, nihil tamen de voce præm fit, quod Stoicos studiosissimos Dialecticæ factitare solitos testatur Laërt. *in li. 7 in vita Zenonis*, quia hæc res est physica, de qua tamen ipse & Boët. *in 2. ed.* disputant. Ponitur verò *Vox* loco generis, cum tamen propriè sit tantum materia, quoniam artificialia, de quorū numero sunt nomina, significant formas accidentales in concreto; accidens autem in concreto definiri solet per materiam in recto, vt simum est nasus curuus. Igitur genus nominis potius erit, esse quid significatiuū, prout est ad vocem contractum, vt indicat Ammon. Vnde etiam significatiuum est quidam respectus, & veluti forma necessario requisita, licet propriè loquendo non sit aliqua forma intrinseca, & inhærens, sicut nec in hedera, quod sit signum vini vendibilis. Et hoc docere videtur Albert. *tract. 1. prædic cap. 2.* & Buil. *hoc loco.* Non ergo erit nomen, nisi sit quid significatiuum, quod est contra quosdam, de quibus Simpli. in definitione æquiuocorum. Quæ cum dici possent de signo in vniuersum eiusdemque speciebus, petātur ex *Compendio.*

Notandum tertio. Nominis compositi partes, quamuis separatæ significent, tamen nō dicuntur propriè significare, quia nomen vnum imponitur ad vnam rem & vnum conceptum significandum, & quāuis significatio partium quodammodo concurrat ad significationem nominis compositi, tamen nomen illud compositum significat rem per modum simplicis & vnius, non autem compositionem. Et consequenter partes separatæ non significant partes conceptus illius simplicis. Vnde dictum Aristotelis in communi intelligendum est de omni nomine; quod est contra quosdam recentiores, qui id negant de quibusdam, quæ retinent suam significationem in compositione, vt aiūt Respublica; verè enim res & publica non significant seorsim idem, quod hoc totum Respublica: Vnde Perion. in sua versione ponit hoc nomen *Reipublicæ.* Deniq; putatur hoc dictum esse ab Aristotele contra Platonem, qui in Cratylo oppositum sentire videtur.

Notandum quarto. Vt patet ex dictis, Nomen hic sumitur vt distinguitur à Verbo & alijs partibus orationis, alioquin plures alias nominis dictio significationes habet; nam significat interdum quamcumque vocem significatiuam, vt patet ex definitionibus æquiuocorum, vniuocorum, & Denominatiuorum. Et hoc modo vsurpat Plato nomen *in Sophista*, circa finem. Præterea sumitur hæc vox pro ea dictione quę in propositione constituit subiectum; ita vt ècontrà Verbum sit dictio significans prædicatum, etiamsi verè sit nomen. Hoc modo vsurpat Arist. *2. Periberm. cap. 1 circa fin.* vbi inquit, transposita nomina & verba idem significare, vt homo est albus, est albus homo, vbi fit transmutatio hominis & albi. Eodem modo videtur esse locutus *sup. praeced. cap. versus fin.* vbi dixit, consimilia esse nomina & verba ei qui sine compositione & diuisione est intellectui; ponit enim exēplum, vt homo & album. Quo loco notat Amm. album se habere vt verbum, quia est prædicatum. Adhæc significat nomen id quod propriè est nomen, prout tamen distinguitur à nomine infinito, & prout significat aliquid determinatum. Vltimo sumitur nomen etiam pro peculiari parte orationis, verum pro solis rectis, non autem pro casibus.

Notandum quinto. Sub hac definitione

solum per se continetur nomen, quod ab alijs orationis partibus distinguitur, & est finitum atque rectum, vt notat D. Thom. nec fuit quod hæ particulæ adderentur, vt quidam volunt; nam nomen infinitum verè & propriè non significat, quia nihil determinatè significat. Casus etiam solum consignificant, si addatur aliquis rectus alterius nominis, quod expresse infra docebit Arist. vtrumque ab hac definitione reijciens. Non ergo nomen definitum vt prædicti interpretes volunt, ab Aristotele diuiditur in finitum & infinitum, in rectum & obliquum, cum infinitum & obliquum reijciantur à definitione. Vnde etiã casus dicti sunt, quasi à recto cadentes, & propterea malè Stoici & Grammi. apud Am. rectum etiam vocant casum, quoniam inquiunt etiam rectus cadit à notione quæ est in mente. Si enim hæc causa valeret, omnes partes orationis dici possent esse casus, non tamen prorsus inutiliter huiusmodi partes, nempe vt nomen sit vox finita & recta, à quibusdam adduntur, & inter cæteros à D. Thom. *op. 48 in cap. 1.*

Notandum sexto. Arist. *in arte Poet cap. 2.* addit ad definitionem nominis, *vox composita*, Plato verò, vt testatur Speusipp. *lib. de definit. Plat.* addit, *dictio simplex*, sed illud dictum est ab Aristotele ad distinctionem syllabarum, & primorum elementorum, de quibus ante egerat, dixeratq; esse simplices voces. Plato verò non satis excusari potest; siquidem reperiuntur etiam nomina composita; nisi dicas eo sensu appellari nomen dictionem simplicẽ, prout vna dictio per se sumitur, quæ vt sic, dicitur esse quid simplex: cum enim sumitur cum verbo, aut cum alijs partibus orationis, iam non est quid simplex, sed vel oratio, vel propositio.

Notandum vltimo. Rectè probat Arist. nomẽ esse vocem significatiuam, quoniã alioquin illiterati soni essent nomina, cũ & ipsi aliquid significent, significãt enim, sed naturaliter tantum. De quibus locutus videtur Arist. *7. pol. c. 2.* dicens, vocem esse molesti & iucundi significationem, quod in brutis etiam reperitur.

SECVNDA PARS *Capitis.*

Reijcit Aristot. voces negatas, vt, *non homo*, quibus ait nullum esse assignatum nomen; nec enim dici posse orationes, vel negationes, sed vocetur, inquit, nomẽ infinitũ, nam huiusmodi nomen est in quolibet, & in eo quod est, & in eo quod non est. Secundo reijcit casus nominum, quia etsi in alijs conueniant cum nomine, differunt tamen, quia verbum additum nomini veram vel falsam efficit significationem, non autem si addatur casibus nominum, vt si dicam, *Philoni*, aut *Philonis est.*

EXPLICATIO VERBORVM.

Neque enim oratio) Videlicet, appellari potest nomen infinitum, quia infiniti nominis partes separatim non significant eo modo quo simul cum toto nomine, quod se habet vt compositum.

Neque negatio) Quoniam negatio est oratio quædam & propositio; id autem de negatione tantũ dixit, & non de affirmatione, quia poterat videri infinitum nomen propter præfixam negationem, negationis rationem habere, constabat autem non posse esse affirmationem.

Ratio autem ipsorum est in alijs quidem eadem.) Id est, quod ad alia attinet, quæ de nomine dicta sunt, possunt vtcunque casibus nomina esse communia, vel vt inquit Nyphus, conueniunt hæc in ratione nominis in communi, vel vt interpretatur D. Tho. ratio quam nomen significat, eadem est in alijs, hoc est in casibus, id est, significatum nominis non solum in recto, sed etiam in obliquo reperitur. Clarior est lectio Græca; nec enim habetur: *Ratio autem eorum*, sed *ratio ipsius*, vt referatur immediatè ad præcedentem dictionem nominis, vt sensus sit nominis rationem cætera eãdem esse in casibus. Quare Perion. reddens hunc textum periphrasticè, etsi verum dixit, non tamen est assecutus mẽtem Aristotelis.

Quoniam cum est, vel fuit.) Rectè, vt monet D. Tho. & alij, protulit Arist. exemplũ in

in verbo substantiuo: sunt enim verba quædam alia impersonalia, quæ cum obliquis significant verum, aut falsum; vt: *pænitet me*, quamuis tandem eorum significatio resoluatur in verbum substantiuũ; sensus enim illius propositionis est: Ego sum pœnitens.

Notanda.

Notandum primo. Nomen infinitum est, cum præponitur negatio, cuiusmodi pleraque sunt apud Græcos, quod ipsi faciunt præponendo duntaxat α priuatiuũ, & vocantur huiusmodi nomina, nomine ab Arist. inuento, infinita, vt ipsemet hic indicat, & nos supra ex Amm. retulimus: appellat enim illa græcè ἀόριστα, hoc est, indeterminata, sine termino & fine, ac proinde infinita. Quo etiam modo Grãmatici appellant χρόνον ἀόριστον, id est, *tempus indeterminatum*, quare rectius apud Latinos vocatur, *nomen indefinitum*, Aristoteles autem 2. *Periherm.* vocat *nomen anonymon*, id id, absque nomine, quod ante ipsum nondum accepisset nomen. Videtur tamen Plato huiusmodi nomen infinitum agnouisse *in Parm. & in Sophista*, vbi hæc identidem vsurpat: *Non ens, non magnum, non pulchrum, &c.* & in fin. 5. *de Repub* meminit peruulgati illius ænigmatis: *Homo, non homo, percussit non percussit, lapide, non lapide, alitem, non alitem, sedentem in arbore sedentem non in arbore*, hoc est, Ennuchus non per se, sed per alium, percussit pumice vespertilionem sedentem in sambuco. Latini autem formant talia nomina adhibita præpositione *In*, vt *iniustus*, sed non pari vel facilitate, vel felicitate in componendo, quare verò magis exprimant, solent præponere aduerbium negandi, quod vbi ponitur, non fit propositio negatiua, sed tantum cum præponitur verbo.

Est autem notandum, differre negationem negantem, priuantem, & infinitantem; nam negans prorsus tollit rem, nihil formaliter supponendo, priuãs supponit aptitudinem in subiecto, quæ autem infinitat, supponit aliquid indeterminati, siue sit verum ens, siue non, & dici potest de Ente.

Notandum secundo. Arist. hic apertè excludit à definitione nominis non modo casus, sed etiam infinitum nomen, quod sup. cum D. Tho monuit. Ratio est, quod ad nomen infinitum attinet, de casibus enim satis est quam Arist reddidit causam, quoniam infinita nomina non conducũt ad Enunciationem, in quibus attendi solet per se veritas, aut falsitas, & aliquid determinatum. Quare malè quidam asserũt simpliciter nihil obesse, quo minus illis definitio nominis competere queat, quoniam huiusmodi sunt nomina infinita, quæ possint dare quandam verbo suppositionem, subordinari simplicibus conceptibus, inflecti ac ordinari per casus. Verũ vt id concedi possit grammaticaliter loquendo, non tamen logicè, quamuis de illis & propositionibus infinitis agatur ab Arist sed tantum vt reijciantur.

Notandum tertio. Nomen, & quoduis aliud vocabulum vt infinitum sit, requiritur primo, vt neget, propterea termini transcendentes & supertranscendẽtes, etiamsi nihil determinatè significent, vel quod sit ens reale, vel quod sit determinatum ens reale, tamen quia nõ negant, non possunt dici infinita nomina, vt ens opinabile, imaginabile &c. nomẽ enim infinitũ formaliter nihil posituum dicit, etiamsi videatur significare per modum positiui, contrà quam sentiunt quidam apud Alb. alioquin non posset nomen infinitum etiam de eo quod non est prædicari, quod tamen videtur hoc loco Arist. asserere.

Obijcies. 1. Pri sect. 3. cap 3. vers fin. Aliud est esse non æquale, aliud autem non esse æquale, quia non æquali aliquid subijcitur, nempè inæquale. Item aliud est lignum non esse album, & lignum esse non album, quia primum dici potest de ligno quod non sit, secundum verò de eo tantũ quod est. Ergo non album & non æquale supponunt aliquid positiuum. Propterea Burana in illum locum Aristotel. contendit, nomen infinitum dici tantum de Ente, sed cum hoc apertè pugnet cum Aristotele, dicendum est in nominibus

commo-

connotatiuis, quæ significant accidens connotando subiectum; aliquando negatio tollit formam ipsam accidentalem, non autem subiectum, ita vt non album, verbi gratia, significet corpus quod est, sed non est album: Sic etiam non æquale, quod tunc idem est atque inæquale. Aliquando verò tollit totum quod inuenit, id est, formam & subiectum ipsum, & sic non album significat non esse aliquid quod albedinem habeat. Primo modo nomen est negatum, & dicit negationem in subiecto, ponitque aliquid reale, nec potest conuenire non enti. Secundo modo non ponit aliquid positiuum, & conuenire potest non enti, nam non album, verbi gratia, dicitur & de ligno & de chimæra. Aristot. igitur 1. *pr.* loquitur primo modo, vnde ibid. dicit idem esse non æquale & inæquale; nihilominus quoniam in nominibus connotatiuis negatio vtploriumũ accipitur primo modo, ideò etiam non sunt infinita nomina, ideoque Aristotel. ibid. simpliciter locutus est, in alijs autem nominibus non connotatiuis, quia negatio simpliciter videtur facere nomen infinitum ideò illorum Arist. exempla ibid. non posuit, sed hoc loco, vbi nomen infinitum vocat, non hominem. Secundo. Dicunt quidam requiri ad nomen infinitum vt negetur aliqua res per nomen. Ex quo sequitur quod voces, quæ vel nihil significant, vel non sunt per se significatiuæ, non possint infinitari, vt sunt præpositiones, coniunctiones, de qua re multa Alb. quod certè loquendo de nomine & verbo addendum nõ fuit, quoniam significãt aliquid. Tertio. Requiritur negatio alicuius rei determinatæ, nam ita debet nomen negari, vt alia permittat quibus conuenire possit, tam quæ veræ sunt, quã quę non sunt. Hinc sequitur non posse infinitum nomen fieri ens, vt dicit quicquid est vel reale, vel non reale, quia negatio proposita nihil relinqueret cui posset tale nomen conuenire. De ente verò reali & transcendentali, quicquid alij dicant, videtur, secundum Arist. dicendum, non posse infinitum fieri; vult enim dici posse & de eo quod est, & de eo quod nõ est. Ita sentiunt Doct. Louaniens. Nyph. Versor. & alij, contra Sot. *lib 2 sum. cap 2. not. 6.* Aliqui tamen recentiores secuti, vt videtur, Burl. sic distinguunt: Si ens accipiatur in sua maxima communitate, vt est commune ad omne intelligibile, non potest infinitari, tamen si accipiatur ens prout est ad existens, potest, quia ipso infinitato relinquitur aliqua alia natura possibilis, de qua prędicari possit illud nomẽ. Sed si adderet Burleus, tale nomen posse etiam tunc prædicari de eo quod est plane non ens, vel quod non est possibile, benè tunc saluaretur Aristoteles. De infinitate rationis lege Bald. quamuis parum vtilia sint quæ dicit. Vltimo tandem nomen infinitum potest formaliter loquendo vniuocè dici de omnibus nominibus infinitis, siue ea quę negant, sint vniuoca, siue alia; nam omnia nomina infinita significant sub vna ratione negationis infinitantis rationem, & hoc est commune omnibus entibus rationis, de quorum genere est negatio, vt videlicet vniuocè prędicari possint de omnibus, vt supra diximus de genere & notionibus. Reliqua quæ de hac re & nomine desiderari possunt, legantur in Compendio.

CAPVT TERTIVM.

De Verbo.

CONstat hoc Caput tribus partibus. In prima definit Verbum & exponit definitionem. In secunda ibi: *Non valet autem*; reijcit verbum infinitum, & casum verbi. In tertia ibi: *Differunt autem*, duo colligit de Verbi significatione.

PRIMA PARS CAPITIS.

VErbum *est*, quod cõsignificat tempus, & cuius separata nihil significant, & semper est nota eorum quæ de altero prędicantur.) Explicat primam partem assignando differentiam inter nomen & verbum; nam valetudo inquit, significat ipsam rem simpliciter, sed non in aliquo tẽpore, ac vale, significat nunc esse valetudinem. Explicat etiam tertiam particulã, quia verbum est nota eorũ quæ de subiecto prædicantur, vel in subiecto sunt.

EXPLI-

EXPLICATIO VERBORVM.

Consignificat.) Græcè est προσσημαίνει, hoc est, adsignificat, vt etiam vertit Argyr. & Perion. hoc est, quod insuper tempus significat, sed eodem tandem res tedit.

Et est semper eorum quæ de alt. prædicantur nota.) Porphyr. apud Amm. legit: Semper est nota eorum quæ insunt, vt eorum quæ de subiecto, & sic vult dici de sumi pro inesse. de qua re nos supra diximus in Antepredicamentis.

Notanda.

Notandum primo. In hac definitione omittit Arist. verbum esse vocem significatiuam ad placitum, quia hoc erat illi commune cum nomine, atque apponit illam particulam, Cuius pars separata nihil significat, quæ est quoque communis cũ nomine. Id propterea facit, quoniam in alijs particulis definitionis subintelligi non poterat, sicut prior illa: nam verbum consignificare, est esse vocem significatiuam, & esse notam eorum quæ prædicantur, est esse significatiuam ad placitum, fit enim prædicatio sæpè ad placitum. Nec tamen eandem particulam explicauit, quoniam in capite præcedenti satis de illa egit.

Notandum secundo. Verbum multis modis accipi. Primo. Vt significat id omne quod habet rationem prædicati: sicut etiã in capite præcedenti diximus vsurpari nomen pro eo quod subiecti rationem habet. Secundo. Latius adhuc sumitur pro omni dictione, quo pacto soleut etiã nomina verba appellati. Tertio. Vt est pars orationis distincta, & tempus consignans. Quarto. Vt præterea habet quod significet aliud determinatum, & consignificat tempus præsens, quomodo hic accipitur.

Notandum tertio. Circa primã partẽ definitionis: Consignificat tempus, hæc distinguenda: Significare tempus, significare habitudinẽ temporis, & consignificare tẽpus. Primum conuenit nomini, vt dies, nox, &c. Imò etiam connotat tempus, vt cœna, prandium, &c. non tamẽ consignificat tempus, vt mensuram rei quam primo significet, seu, quod idem est, non significat rem prout fit in aliquo tempore; hoc enim est solius verbi. Ratio est, quia solum verbum significat actionem & passionem prout in tempore fiunt, & ab eo mensurantur, nomen autem vt summũ significat rem eam quæ est actio, vel passio. Conuenit etiam nomini significare habitudinem temporis, & etiam aduerb. vt heri, &c. Hæc eadẽ definitionis huius particula abundè verbum secernit à participio, nec addenda fuit vltima particula ad ponendum discrimen inter ista, sed propter aliam causam, quod est contra Sot. in sum. Id autem ait P. Hisp dicens vltimam particulam, quod etiã ait Auct. significare proprietatem quandam cum verbo conuertibilem, & patet hoc exemplo; Currens enim non significat cursum prout in tempore fit, sed tantum motum illum, connotando subiectum, de qua re etiam diximus in Compendio.

Obijcies. In hac propositione: Homo est animal, verbũ est, non consignificat tempus, quia hæc propositio est sempiternæ veritatis, id est, nullum ordinem dicit ad vllam temporis differentiam. Propterea quidã cum in verbo tria spectari possint, Primo. Significare existentiam. Secundo. Coniunctionem prædicati cum subiecto. Tertio. Tempus præsens, dicunt verbum est in propositione de prædicato necessario & intrinseco, esse solummodo copulã, nec consignificare tempus, vel existentiã, satisque esse quod hæc in alijs rebus reperiantur, vt vera esse possit Aristotelis definitio. Alij respondent quoniam Aristotel. absolutè de omni verbo loqui videtur, omne etiam verbũ cõsignificare tempus, & in proposito sensum huius propositionis esse, homo qui est, aut fuit, aut erit, aut possibilis est, est animal. Vtraque solutio probabilis est, & vtraque suo modo explicat, quid sit verbum à tempore absolui.

Notandum quarto. Verbum in genere est duplex: Substantiuum, quod significat essentiam, aut substantiam, vt sum, es est, & adie-

& adiectiuum, quod significat aut actionem aliquam realem, aut formam accidentalem: Omne autem verbum dicitur significare per modum actionis & passionis. Vnde Plato *in Sophista* notat, verba significare actionem quæ fit, nomina autem ea quæ faciunt actiones. Est autē obseruandum primo, aliqua verba significare actionem aliquam veram & realem, vt *calefacio, calefio*. Secundo. Alia potius significant accidens, quod est in subiecto, vt *caleo, frigeo*. Tertio. Quædam significant existentiam rei; aut propriam substantiæ, vt *subsisto*; aut propriam accidentium, vt *inhæreo, insum*; aut communem vtrisque, vt *sum & existo*. Si ergo consideretur in verbo id quod significat, non differet interdum à nominum significatione, sed tantum si spectetur modus significandi. Vnde *ad finem huius cap.* ait Aristot. ipsa secundum se dicta verba nomina sunt, & significant aliquid, modus verò est, quoniam omnia verba consignificāt tempus.

Notandum quinto: Circa vltimam particulam definitionis, *Et est semper eorum &c.* Hinc videtur sequi verbum semper habere rationem prædicati, quod si sit aliquod accidens, dicetur esse in subiecto, vt loquitur hic Aristoteles. Vel si sit prædicatum essentiale, dicetur esse nota eius quod de subiecto dicitur, vt exponit D. Thom. & Burl. contra Porph. apud Boët. qui, vt diximus *in expos.7* ad idem referri vult, *dici de subiecto, & inesse in subiecto*. Aliqui tamen hæc sic intelligunt, vt esse notam eorum quæ prædicantur, sit tantum esse copulam qua prædicatum iungitur subiecto; siue prædicatum contineatur in ipsomet verbo, vt *Ioannes valet*, siue non contineatur, vt *Petrus est animal*. Sciēdum est autem quod si verbum est adiectiuū, certum est esse aut totum prædicatum, aut prædicati partem, vt *Franciscus ambulat, Benedictus amat Deum*. Item si verbum sit substantiuum, & sic in propositione de secundo adiacente, sine dubio erit prædicatum, vt, *homo est*. Si autem sit de tertio adiacente, tunc quidam absolutè dicunt verbum in talibus propositionibus tenere solum vicem copulæ, siue propositio sit de prædicato essentiali, vt *homo est animal*, siue de accidentali, vt *homo est albus*. Hoc docere videtur Philop. *1. pr. in definit. termini*, Burl. Antip. And. & Bald. *hoc loco*. Recentiores quidam id ita limitant, vt si propositiones sint de prædicato necessario, verbum *est* sit tantum copula; si verò de accidentali, habeat etiam quandam prædicati rationem, quia accidentale prædicatum non coniungitur subiecto, nisi quod existit, & cui inexistere significatur. Argumenta sunt, primo. Quia si verbum *est* in propositione de tertio adiacente in materia necessaria sit prædicatum, erit terminus aliquis propositionis, sed nullus est: nec enim ponitur ab Aristotele *1. pr.* Secundo. Debet in omni propositione posse fieri conuersio; tunc autem fit, cum subiectum transmutatur in prædicatum, sed verbum *est*, non potest conuerti. Alia plura vide apud Burl. Cæterum contraria sententia est probabilior, & sequitur ex dictis Aristotelis; nam esse notam, vel signum prædicati, est significare prædicatum: sic enim semper Aristoteles hanc dictionem *nota* vsurpauit, nempè pro ea quæ verè significat. Secūdo. In fine capitis ait quod verbum *est* cōsignificat compositionem, ergo aliquid aliud significat. Tertio. 2. *Periherm cap.2.* dicit, quod hæc propositio: *Homerus est Poëta*, est de prædicato composito. At si verbum *est* nihil significat vt prædicatum, id erit falsum, imo ibid. ait Aristoteles verbum *est* in ea propositione prædicari saltem per accidens. Quarto. Verbum *est* aliquid sine dubio significat, vt patet ex propositione de secundo adiacente. Cur ergo ex eo quod fiat additio de tertio adiacente, perdet suam attributionem? Confirmatur. Significare prædicatum inesse subiecto, est propriè significare aliquid per modum prædicationis. Confirmatur etiam. Absurdum esse videtur per se dicere posse aliquam propositionem esse, quæ sit sine termino quod sit verbum. Et hæc opinio est Eridenij *apud Alex 1.pr. cap.1.* Albert. *hoc loco*. Ægid. *1. pr. cap 1. dub. vltim* Babolini *ibid. annotat. 3.* Alexand. *ibid.* Doct. Louaniens. Auer. *his*

hic expresse, & Nyphi. Ammonij, & Boëcij, qui ex Porphyrio id acceperunt, & D. Thom. non obscurè *hoc loco* idem significat.

Ad primum argumentum oppositæ opinionis. Verbum *est* in propositione de tertio adiacente reducitur ad terminum, nam prædicatur per accidēs saltem. Arist. verò loquens de terminis, sermonem facit de propositione de tertio adiacente, imò eodem loco vocat verbum tertium adprædicatum. Sic autem intelligendus est Alex. & Auer. ibid. qui oppositum insinuare videntur.

Ad secundum eodem modo, conuersio enim fit inter terminos qui per se subijciuntur & prædicantur, vel vt Babolinus ait, conuersio est transpositio eorum, quæ possunt indifferenter prædicari & subijci, quale non est verbum, quod semper se habet vt prædicatum formale.

Obijcies. In hac propositione, *Philosophari vtile est*: Verbum subijcitur. Ergo. Respondent Porph. apud Amm & D. Thom. accipi hic verbum loco nominis, & ob id etiam græcè præfigi articulum. At verò verbum formaliter sumptum semper prædicatur, illud autem quod iam diximus; indicat Arist. *ad finem huius cap.* vt videbimus, habere nempè aliquando Verbum rationem nominis.

Notandum sexto. Verbum habet per se hanc vim, vt per se iungi possit nomini, & cum eo facere propositionem, non autem nomen si vel infinitis nominibus addatur, quare non potest propositio esse sine verbo, vt ait Arist. *infrà cap. 4 & lib 2, ca. 1.* Quare maximè vsui est verbum quod est substantiuum, quia nempè significat inhærentiam prædicati cum subiecto; vnde reliqua omnia resolui solent in hoc verbum per participium, vt homo currit, vel homo est currens. Imò etiam hæc propositio: Homo est, id est, homo est ens. Vbi obseruandū verbum *est*, etiam in propositione de tertio adiacente significare aliquid quod de altero prædicetur, non autem necessariò existentiam, nisi fortè per accidens, quatenus id quod per se prædicatur, est aliquid accidentale, quod necessariò inexistit, & consequenter supponit subiecti existentiam. Quæ causa fuit erroris illius opinionis, de qua antè diximus, nempè verbum *est* in propositionibus de tertio adiacente non habere locū prædicati, sed solum designare copulam. Et confirmatur, nam in hac propositione: *Homo est*, coguntur etiam ipsi fateri verbum *est* aliquid significare, & tamen resoluitur in istam aliam: *Homo est ens*, in qua non significat ens existentiam, sed esse quomodolibet, seu habere entitatem.

SECVNDA ET TERTIA *Pars Capitis*.

Reijcit Aristo. duo: Verbum infinitum, & casus verbi, nam verbo quidem infinito conuenit consignificare tempus, & semper esse notam alicuius quod de alio prædicetur. Verum nihil determinatè significat, vnde & potest conuenire ijs quæ non sunt. Casus etiam verbi reijciuntur, quia verbum consignificat tempus præsens, casus verò id quod est circa tempus præsens, vel præteritum & futurum. Subdit in tertia parte quædam circa significationem verbi, quæ ex dictis sequi videntur. Primo enim ait verba secundum se considerata esse nomina, & significare aliquid: Qui enim verbum profert, sistit & determinat in audientis animo aliquem intellectum, seu notionem. Secundo, Docet non significare verba per se verum, vel falsum, necdum enim, inquit, significant, si est, vel non est, cum hæc dicant quandam compositionem, quæ compositio intelligi non potest nisi in rebus quæ sunt compositæ ex prædicato & subiecto, quam compositionem verbum tantum exercet in propositione.

EXPLICATIO VERBORVM.

Constituit enim qui dicit intellectū, & qui audit quiescit.) id est, qui profert, format cōceptum, vel in se tantū, vel quodāmodo in audiēte, ita vt ipse idē cōcipiat, & is qui verbū profert. Dicitur aūt vterq; quiescere respectu primæ operationis,

hoc est simplicis orationis, non autem respectu secundæ: Qui enim audit verbum *curro*, etsi formet conceptum simplicem rei significatæ, id est cursum qui in præsenti fit, tamē adhuc desiderat scire quisnam sit is qui currit, aut quonam tendat. Ita hic D. Thom. & Boët.

Neque enim signū est rei esse, vel non esse.) Id est, verba ipsa maximè vniuersalia in quæ alia resoluuntur, videlicet verbum *est*, & *non est*, non significant verum, aut falsum, multò ergo minus alia. Ita Boët. & Am. Cum autem subdit, neque si ipsum ens dixeris nudum, vel etiamsi proferas ens à quo deducitur verbum Est, vt ait Amm. & Alex. 1 *post.* tamen ipsum per se nudum non significat verum, vel falsum. Porph. aliter verba illa prima legit, *non enim ipsum esse rei, nota est, vel non esse*, hoc est *verbum*, & sic intelligi dictum Aristotelis de omni verbo, quod quidem aliquid significat per se, sed non ita esse, vel non esse, quare nec verum, nec falsum; tunc autem verba sequentia: *Ipsum enim nihil est*, refert Porphyrius ad omnia verba, hoc est, nihil significat veri, vel falsi. Alexand. refert ad verbum *Est*, iuxta sensum supra positum.

Consignificat autem compositionem.) hoc est, verba ex se apta sunt iungere prędicatum subiecto; nam apposito nomine statim, significant actualem compositionem, in qua consistit verum, aut falsum, & in hoc differt verbum à nomine, quod iunctum nomen quibuscunque alijs nominibus sine verbo, id non habet, quia non facit id verbum actu, nisi in propositione, propterea nō potest cognosci dicta compositio, nisi in propositione, & partibus eius.

Notanda.

N*Otandum primo.* Quæ supra dicta sunt de nomine infinito, & casibus, proportionaliter intelligi debent de verbo, Solum obseruandum est, cum in verbo quatuor considerari possint. Primo. Res quam significat, hoc est actio, vel passio. Secundo. Quod consignificet tempus. Tertio. Quod consignificet quandam compositionem aptitudinalem, quatenus aptum est verbum coniungi subiecto, & propositionem efficere. Quarto. Quod actu cōsignificet talem compositionem, seu coexistentiam formæ in subiecto, per quam fit propositio affirmatiua; quando præponitur negatio verbo, tollit primum & quartum: negando enim formam de subiecto, negatur etiam simul inhærentia formæ de eodem subiecto, & si negatur inhærentia, negatur etiam forma. Non autem per se tollit secundum, vel tertium, id est, consignificationem temporis, & aptitudinem illam compositionis, quia semper de aliquo dicitur verbum infinitum, alioquin propositio negatiua non esset propositio, cōtra Arist. *qui 3. de anima, t. 22.* dicit, hoc non est album, esse compositionem quandam. Tollit igitur verbum infinitum rei significationem, & actualē prædicati inhærentiam, & in hoc conueniunt verbum infinitum & negatum, quamuis soleat verbum negatum per se primo inhęrentiam tollere, formam verò consequenter, & propterea considerando verbum negatum sub ratione duarum dictionum, quarum vna significat formam, altera autem tollit inhærentiam, ideoque formaliter negatum verbum opponitur negationi, infinitum verò verbum primo & per se tollit formam, seu prædicatum, consequenter autem dicit negationem formæ inhærentiæ in subiecto. Et propterea explicari solet per modum vnius dictionis, & prædicatur interdum de subiecto per modum rei inexistentis, vt, Socrates non currit, vel Socrates est nō currens. Quia verò realiter æquiualet negatum verbum infinito, propterea solet sæpè dici verbum infinitum, cum est in propositione, esse idem atque verbum negatum, cum tamen formaliter loquendo possit affirmatiua propositio confici ex verbo affirmatiuo. Hinc sequitur primo, quo pacto conciliari possint Authores, qui partim negāt posse verbum infinitum vt infinitum in propositione reperiri, partim verò id affirmant: Priores enim, in quibus est Alexander, Ammonius, D. Tho. & Albertus 2. *Periherm. cap.* 1. intelligendi sunt propter æquiualentiam quā diximus

infiniti

infiniti verbi cum negato, ex eo videlicet quod vtrumque consequenter formam saltem tollit. Posteriores verò absolutè rectius sentiunt, vt Nyph. Doct. Louan. & alij: nam Aristo. *hoc in cap.* apertè dicit etsi infinitum verbum non habeat propriam verbi à se definiti rationem, nihilominus verè esse nomina eorum quæ de aliquo prędicantur, & tēpus consignificare. Quę profectò duo nullo modo conuenire possunt verbo infinito extra propositionem. Præterea 1. *post. t.* 30. hunc Syllogismum format: *Stellæ non scintillantes sunt propè nos. Planetæ non scintillant. Ergo planetæ sunt propè nos.* Hic syllogismus est in prima figura, in qua nulla propositio minor potest esse negatiua. Cum igitur istius Syllogismi minor sit hæc: *Planetæ non scintillant,* dicitur verbum accipi infinitanter, non verò negatiuè, id est planetæ sunt non scintillantes, alioqui pręterea debuisset conclusio syllogismi esse negatiua.

Obijcies secundo. Periherm cap. 1. ait Arist. propositionem omnem constare ex nomine & verbo, vel ex nomine infinito & verbo, vbi nihil de verbo infinito. *Resp.* Agit ibi de variatione propositionum secundum affirmationem & negationē quę fieri debet per resolutionem in participium, quod quia proximè accedit ad nomen, propterea satis illi fuit, si propositionem diceret constare ex nomine infinito & verbo, quia participium cui est præfixa negatio, se habet vt nomen infinitum. Secundo. Sequitur, verbum *Est*, quatenus significat inhærentiam & affirmatiuam propositionis compositionem, non posse negari, potest tamen infinitari, quatenus non tollit hanc inhærentiam, & esse potest cum affirmatione: nam verbum infinitum potest ingredi propositionē affirmatiuam.

Notandum secundo. Non comprehenditur verbum infinitū sub definitione verbi, quia verbum infinitum significat carentiam actionis & passionis. Hæc est Boëtij & Burl. Quod verò attinet ad casus verbi, etiam excluduntur, quia eorū veritas vim non habet, nisi prout resoluūtur ad tempus præsens, qui appellatur rectus Verbi. Per tempus verò præsens, vt id semel cum Ammonio admoneamus, non intelligitur punctum indiuisibile, sed latitudo aliqua temporis, quę moraliter loquendo dicitur esse præsens.

CAPVT QVARTVM.

De Oratione & Enunciatione.

Explicatis partibus orationis, enunciationisque, accedit ad orationem quæ est enunciationis genus, circa quam duo facit. Primo. Definit & exponit definitionem. Secundo. Agit de Enunciatione.

PRIMA PARS CAPITIS.

Dicit orationem esse vocem significatiuam, cuius partium aliqua significatiua est separata, vt dictio, non autem vt affirmatio, vel negatio. Secundo. Explicat hanc vltimam particulam; nam, homo, verbi gratia, significat per se aliquid, non tamen aliquid esse, vel non esse, sed affirmatio erit, aut negatio, si apponatur verbum. Tertio. Docet per hoc distingui orationem à nomine & verbo, quoniam istorum partes nihil per se significant, quatenus sunt partes nominis, aut verbi, vt huius nominis sorex, huius nominis rex nihil per se significat, vt veniebat in compositione dictionis illius. In compositis quoque nominibus & verbis eadem est ratio, etiamsi magis præ se ferant propriam aliquam significationem, vt per se sumuntur; & quamuis etiam vt componunt nomen & verbum, habeant peculiarem vim significandi, vt Respublica. Quarto. Monet orationem esse significatiuam, non tamen vt instrumentum, sed ad placitum.

EXPLICATIO VERBORVM.

Vt dictio.) Aliquando hoc ipsum vocabulum dictionis significat totam propositionem, quod malè negat Nyphus; id enim apertè est apud Aristot. 3. *de anima.* t. 26. Malè etiam vertit Perion. vt nomē, quod ipsum obseruant Alex. & Porphyr. apud

apud Boët. Hoc verò loco dictio significat quamuis vocem significatiuam.

Vel negatio.) Non habetur in codice græco, nec fuerunt apponenda: nam *dictio* etiamsi, vt diximus, significat interdum propositionem, propter quam causam, vt indicauit Aristo. se non ita dictionem vsurpare, addidit, sed non vt affirmatio: Tamen non significat dictio nisi solam affirmatiuam propositionem, quod eodem loco 3. *de anima*, Aristot. satis indicauit, satisque per se id græcum vocabulum pr͡ς se fert; dictio enim dicitur φάσις, à verbo φημὶ, quod est dico. Nihilominus si nō significat pars orationis vt affirmatio, multò minus vt negatio. *In duplicibus.*) hoc est in cōpositis, significat partes aliquid, & concurrunt ad vnum aliquid significandum, non tamen seorsim retinent significationem quam causabant in composito, vt patet in exemplo Sotex, & huius dictionis. *Equiferus*, equus vt est pars, concurrit ad significationem totius compositi.

Notanda.

NOtandum primo. Omisit Aristot. quod oratio sit vox significatiua, ad placitum, quia cum nomine constet & verbo, id satis ex ijs quæ de his dicta sunt colligi poterat. Quodque ad finem huius capitis id etiam non omisit. Quod quidē, vt Burl. & Bo. volunt, dictum est contra Platonē, qui in Cratylo orationem instrumentum appellabat, proindeq; nolle videbatur orationem significare ex impositione solū, sed à natura, de qua re diximus. Vel etiā, vt Amm. obseruauit, occurrit Arist. argumento Platonis: Omnis virtus naturalis instrumentum habet naturale, quia natura non deficit in necessarijs. Sed virtus interpretatiua est naturalis. Ergo sunt instrumenta naturalia. Rursum: Oratio est instrumentum huius virtutis interpretariuæ; nam per orationem animi nostri sensa exprimimus. Ergo oratio est naturalis, & à natura. Soluitur argumentum: nam oratio nō est instrumentū, sed opus quoddam facultatis interpretatiuæ, instrumenta verò naturalia sunt; lingua, pulmo, guttur, &c. nisi velis dicere esse instrumenta naturalia ea omnia, quæ propter insitam à natura vim effici quoq; à nobis possunt. Vel etiam nisi quæ in nobis sunt à natura appellare placeat instrumenta artificialia, vt sunt artis ædificandi instrumenta, brachia ipsa, manus, &c. Denique vt ante diximus, possunt nomen & verbum appellari instrumenta naturalia, quatenus à natura habemus vim excogitandi tum nomina, tum verba.

Notandum secundo. Quod ait Arist. orationis partes non esse significatiuas nisi vt dictionem, intelligi debet per se loquēdo, hoc est, id orationi sufficere, quamuis fieri interdum possit vt compositæ orationis partes aliquid significent, vt oratio, vt affirmatio & negatio. Et id dixit Aristot. vt omnem dictionē comprehenderet, vt exponit Alex. Boët. Porph. & D. Tho. contra Aspas. qui contendebat solum definiri hic orationem simplicem. quin etiā sequitur comprehendi hac definitione orationem imperfectam, quæ videlicet animum nostrum suspensum tenet, nec perfectū sensum gignit, vt, *me orante*. Asserunt hoc Am. Boët. & D. Thom. contra Syr. qui hac ratione friuola vtebatur: Id tantum definitur quod perfectum est, sed sola perfecta oratio est huiusmodi. Ergo huiusmodi sola definitur. Idem asserunt, si Nypho credimus, Philop. & Albert. qui hoc argumento vtuntur: Definitur hic oratio quæ est genus enunciationis. Huiusmodi autem est sola perfecta. Ergo. Verum, falsum est orationem perfectam, prout ait aliquid, aut negat, esse genus propositionis, quia affirmare & negare solius est propositionis. Confirmatur ex Arist. qui ait hoc loco, & in c. de nomine, orationē quæ ex his fit equus, & ferus, esse orationem, & tamen non est perfecta.

Notandum tertio. Orationis partes potissimum sunt nomen & verbum, de quibus ideò antè orationem egit Arist. vt etiā indicat Plato in Soph. in Theæteto, & Crat. idemq; docent D. Thom. Amm. Bo. init. c. de nomine. Quare ad has duas partes reuocandæ sunt cæteræ orationes: Pronomen ad nomē, participium ad nomen

men vel verbum. Aliæ sunt ex Plut. vt diximus verè colligationes quædam, & instar salis respectu obsonij, vel aquæ instar respectu Mazæ. Nihilominus illa etiam omnia si ad dictionem referantur, quam ab oratione distinguere solet Arist. illamque appellat λέξιν, illam verò λόγον, vt notat Am. init. pr. Simpl. in fin. antepræd. Dexip. in prædicamenta. Boët. *init. 1. peri herm.* poterunt appellari dictionis partes, quo pacto Arist. *lib. de arte poët. cap. 20.* dictionis, inquit, vniuersæ partes hæ sunt: Elementum, syllaba, coniunctio, nomen, verbũ, articulus, casus, oratio, vbi orationem eodem penè modo definit, quo hoc loco, additq; non necessariò constare hãc orationem semper ex nominibus & verbis, sed satis esse si aliquot significantes partes habeat. Si verò aggregatio quædã vocum fuerit non significantium, nõ dicetur, inquit, oratio, sed dictio. Eodẽ modo Plutar. *op. de quæst. Plat.* orationem ait λόγον appellari, cuius partes propriç sunt nomen & verbum, quoniam, inquit, sumitur à Platone hoc nomen λόγος pro axiomate & pronunciato, siue pro ea oratione in qua verum vel falsum cõtinetur.

Notandum quarto. Oratio multipliciter diuiditur, quarum diuisionum potissimi authores dicuntur Stoici & Platonici, de quibus lege Diog. in Zen. & Plat. Am. & Mag. initio huius libri. Præcipuç sunt istç. Prima. Alia est mentalis, alia vocalis, alia scripta, de qua Am. Boët. *init. huius lib.* Secunda. Alia est perfecta, quæ perfectam reddit sententiã; alia imperfecta, quæ auditionẽ suspendit. De hac diuisione Stoici apud Laert. Bo. & Auer. hoc loco. Tertia. Perfecta, authore Am. Bo. & D. Tho. alia est enunciãs, alia vocans, alia interrogãs, alia imperans, alia optans, seu deprecans. Oritur hæc diuisio, vt inquit Am. *præf. in Porph & init. huius lib.* & D. Thom. *ibid.* quia in nobis est vis intelligendi & appetendi. Ratione prima oratio est enunciãs, qua notiones nostras explicamus. Propter secundam sunt aliæ species orationis, quas omnes explicat D. Thom. *lect. 7.* Ex his omnibus sola enuncians spectat ad Logicum, reliquæ verò pertinent vel ad Rhetores, vel ad Poëtas, vt notat apud Amm. Theoph. & infrà docet Arist.

SECVNDA PARS Capitis.

De Enunciatione.

Agit Arist. de Enunciatione, præmissa antè orationis diuisione in species suas, cum breui earundem specierum explicatione. Dicit igitur primo orationem aliam esse enunciatiuam, aliam verò non enunciatiuam. Enunciatiua est, per quam verum aut falsum significatur. Non enunciatiua, in qua neutrum significatur, qualis est, inquit, deprecatio, & alia huiusmodi, quæ quia Rhetorum potius sunt, & oratorum, ac poetarum, propterea omittẽdas monet. Secundo. Diuidit Enũciationem in affirmatiuam & negatiuã, quæ est prima Enunciationis diuisio. Secunda autem est in vnam per se, vel incompositã, quæ veluti extrinsecus vnitatem habet propter aliquam coniunctionem. Tertio. Quasi incidẽter & obiter dicit Enunciationem omnem constare debere verbo, aut casu verbi, per quem vna fieri solet Enunciatio. Occurrit etiam obiectioni, quoniã videri poterat sequi orationẽ definitiuam non esse orationem enunciatiuam, vel non esse quid vnum, quoniã nec verum, nec falsum in ea significatur. Respondeo autem non esse propterea vnum quid definitionem, quia partes eius propinquè iaceãt, & sine intercalatione proferantur, hoc enim ipsum reperire est etiã in ente per accidens, cum nimirum ea, ex quibus constat, habeant mutuam inter se propinquitatem. Cæterum quomodo definitio vna sit, est alterius negotij, vbi existimandum est Aristotelem cõcedere definitionem quidem esse orationem vnã; non vero enunciationẽ, quia, vt sæpe docet Aristotel. in definitione non est veritas, vel falsitas. Ostendere verò quo pacto definitio sit vnũ quid, pertinet ad Metap. & nos diximus in prædicabil. Quoniã vnum se habet vt potentia, alterũ vt actus. Quarto. Ponit quintã diuisionẽ; nam alia est vna, quç nempè vnum quid significat, vel saltem coniunctione est vna. Alia verò est enunciatio plures, quç nempe plura significat

significat ob vocis æquiuocationem, vel quia caret copula & coniunctione. Quinto. Docet nomen & verbum esse tantum dictionem, nec significare verum, aut falsum, siue cum interroganti respondemus, siue cum ipsi sponte illa proferimus. Quæ ideò dicuntur ab Aristotele, quoniam acturus erat de Enunciatione, affirmatione, negatione, & contradictione, quæ græcè appellantur ἀπόφασις, κατάφασις, ἀντίφασις, & φάσις, in quibus spectetur φάσις, hoc est dictio. Sexto. Ponit quattam diuisionem: alia enim est Enunciatio simplex tum affirmans, tum negans; alia est composita ex simplicibus. Septimo. Describit species simplicis Enunciationis: Aut enim significat aliquid esse, vel non esse, vel significat alia tempora, vel præteritum, vel futurum. Item affirmatio est prædicatio alicuius de aliquo, negatio est enunciatio alicuius de aliquo. Octauo. Agit de contradictione, quæ dupliciter consideratur. Primo. In re ipsa, vel esse, & non esse. Secundo, respectu nostri, hoc est, vt dicimus rem esse, vel non esse, potest enim respectu nostri oppositio realis fieri in quouis membro, vt si quid est, dicamus esse affirmatione vera, & non esse negatione falsa. Vel etiam quod non est, dicendo esse affirmatione falsa, non esse negatione vera. Hinc colligitur quicquid affirmatur, negari posse, & contra, ideoq; omni affirmationi oppositam esse negationem, & contrà; quam oppositionem ipse nomine à se primo excogitato appellat contradictionem. Vt tamen legitima sit hæc oppositio, debet affirmatio & negatio esse eiusdem de eodem, & termini debent esse vniuoci, aliaque obseruati debent, quæ determinata sunt aduersus Sophistas.

EXPLICATIO VERBORVM.

EX *verbo esse, vel casu verbi.* Et tamē) supra reiecit casum verbi à definitione verbi. Vide quemadmodum hic intelligendum sit caput præcedens. *Vel aliquo interroganti.*) Et tamē interroganti respondetur vno verbo significante verum, vel falsum; Dicendum est, quod huiusmodi dictio per se sumpta, nō significat verum, vel falsū, sed si sumatur vna cum interrogatione, ablato signo interrogationis. *Et sic hoc contradictio.*) hoc est, sic à nobis appelletur, nouato nomine, quomodo suprà dixit, appellans verbum infinitum, idque de nomine dixit, hoc verò esse repertum à Philosopho, testatur Amm. vt diximus. *Contra sophisticas determinamus.*) Nempè *lib. 1. c. 3.* vbi cum hic alleget libros Elenc. rectè sup. ex hoc loco collegimus esse Aristotelem horum librorum de Interpretatione authorem, contra Andron.

Notanda.

NOtandum primo. Oratio significans verum vel falsum, præcisè vt sic appellatur enunciatio; vt verò refertur ad Syllogismum tanquam illius pars, dicitur propositio, præmissa vel conclusio. Vt autem probanda assumitur, & interrogatur tanquā dubia, vocatur problema & quæstio. Instantia dicitur vt affertur contra illum qui contrarium asserit, vt partim à nobis dictum est in comp. partim notat *Philop. 1. pr. c. 1.*

Notandum secundo. Quod attinet ad diuisiones propositionis, satis sunt ea quæ diximus in comp. vbi decem ferè attulimus. Solum nota, Enunciationem de ea quæ vna dicitur & plures prædicari analogicè, quia Enunciatio plures non habet rationem orationis verum vel falsum significantis, nisi vt ex simplici constat, nec est per se vtilis ad syllogismos. Quod verò attinet ad affirmationem & negationem, hæc videntur esse vniuocæ Enunciationis species, nec refert quod affirmatio prior sit negatione, quod sæpè alias, cum præsertim docet Arist. 1. *post. t. 40.* Propter quam causam Alex. & Aspas. apud Amm. & Boët. hoc negant; non inquam hoc refert, quoniam ista prioritas non est ratione Enunciationis, sed aliunde, vt dicemus. Quod ergo enunciatio ad ista sit genus, tenet Porphyr. apud Boët. ipse hoc loco, Simplic. in prædicament. quant. Am. hoc loco, & D. Thom. *lect. 8. Philop. 1. pr. cap 1.* Albert. hoc loco. Vnde definit Aristotel

enun-

enunciationem quę verum vel falsum dicit, & sæpè hoc obseruat Aristoteles, vt enunciationem per hæc duo definiat, non quod talis definitio sit essentialis, sed quia est per maximè essentiales & maximè notas eius species: cum enim propositio pertineat ad secundam intellectus operationem, & dicat compositionem quandam, non potuit id melius exprimi, quam per affirmationem & negationem. Verum si consideretur affirmatio & negatio vt sunt tales species, solet affirmatio prior dici negatione. Primo. Quia negatio superaddita affirmationi partē negantē. Secundo, Quia similis est affirmatio habitui, negatio verò priuationi. Est verò habit⁹ priuatiuis prior, saltem vt plurimū, & sine dubio perfectior est. Tertio. Quia affirmatio se habet vt cōpositio quędā, negatio verò vt diuisio; illa verò ista posterior est. Hac ratione vtitur Arist. *1.post.c.*40. dicens, ideò etiam affirmationē priorē esse, quia prius est ens, quam non ens, & quia non solemus negationem cognoscere nisi per affirmationem, ideò enim aliquid cognoscimus de aliquo negari, quia nouimus aliquid alicui tribui. Absolutè tamen loquēdo ex parte rerum ipsarum, sicut prius est illas non esse, quam esse, ita prius formari potest negatio, quam affirmatio. Præterea circa diuisionem propositionis, in eam quæ est de secundo adiacente, & de tertio (de qua diximus in Compēdio) obseruandum est videri Alex. *1.Pr. cap.*1. non dari propositionem de secundo adiacente, nisi nomine & voce tenus. Sed hoc esse falsum, satis colligi potest ex dictis de Verbo *in notab.5.prima partis cap.* Et opposita sententia est communis omnium, quod dicitur ex professo multis in libro *περὶ τῶν λέξεων*. Hic & obseruandum est, Arabes, vt ait Leui Gerson, in vsu habere, vt in propositionibus de tertio adiacente non apponant verbum *est*, quare dicunt: Socrates sapiens, non autem: Socrates est sapiens, quod idem factitasse Eretrienses quosdam Philosophos, & Lycophrona Aristotelicum notat Burana *1.pr.cap.*1.

Notandum tertio. Cum definitur, *Oratio significans verum vel falsum*, sensus est, significare rem inesse, vel non inesse, prout à parte rei se habet, vel non habet; seu, quod idem est, in actu exercito, non verò in significato. Propositiones quas reflexiuas appellant, vt, hæc propositio est vera, non debent sumi pro seipsis, nam & qui profert, & qui audit huiusmodi propositiones concipit dici de re quadam alia; & sic ratione illius alterius propositionis erit dicta reflexiua vera vel falsa, pro seipsa verò non item, quia seipsam destruit: nam cum de hac propositione: Homo est lapis, formo istam, Hæc propositio est falsa, si pro se accipiatur hæc vltima propositio, pro se vera est; si verò pro alia, est falsa, hoc est, significat illam esse falsam.

CAPVT QVINTVM.

De oppositis propositionibus.

HÆC quæ sequuntur, à plerisq; omitti solent, quod de ijs magna ex parte actum sit *in Summulis*; quod ipsi etiam fecissemus, nisi quædam in ijs arbitraremur esse notatu digna: quibus notatis, si quæ alias fortè in Compendio diximus, alia hoc loco missa faciemus. Duo præstat Aristot. hoc in capite. Primo. Præmittit diuisionem quandam necessariam ad species oppositionum. Secundo. Explicat oppositionem contrariam & contradictoriam; seu, quod idem est, in prima agit de quantitate propositionum, in secunda verò de oppositione. Dicit igitur primo. Rerum aliæ sunt vniuersales, aliæ singulares; vniuersale verò est quod in pluribus prædicari natum est; singulare, quod non est huiusmodi. Secundo. Hinc sequitur propositiones alias esse vniuersales, alias singulares, nempè quæ aliquid dicunt de subiecto communi, vel singulari. Tertio. Propositiones contrariæ sunt, cum vna in vniuersali vniuersale aliquid prædicat, & alia negat: In vniuersali vniuersaliter enunciare est, cum ponuntur hi termini *Omnis* & *Nullus*. Quarto. Propositiones quæ constant ex subiectis communibus, id est, ex indefinito, non sunt formaliter contrariæ, etsi fortasè materialiter sint, vt: Homo est albus, homo non est albus

quia enim nõ adest nota *Omnis* & *Nullus*, etiamsi homo sit vniuersalis, non tamen fit prædicatio vniuersaliter. Quinto. In propositione affirmatiua prædicatum nõ est distribuendum, erit enim propositio falsa, vt: Omnis homo est omne animal. Sexto. Cum propositionũ vna est vniuersalis affirmatiua, altera particularis negatiua, sunt cõtradictoriæ, vt: Omnis homo est albus, non omnis homo est albus, nullus homo est albus, aliquis homo est albus. Septimo. Contrariæ non possunt esse simul veræ. Octauo. Quæ ijs opponũtur, possunt esse simul veræ, vt in eodem: Non omnis homo est albus, aliquis homo est albus. Nono. Contradictoriarum semper altera est vera, altera falsa, nempè cũ propositiones in vniuersali vniuersaliter prædicantur, vel quę in singularibus sunt, vt: Omnis homo est albus, quidam homo non est albus, Petrus est albus, & Petrus non est albus. At verò contradictorię aliquando possunt esse simul verę, cum nempè fit prædicatio in vniuersali, sed non vniuersaliter, vt: Homo est albus, homo nõ est albus; nec enim, inquit, idem est; Homo nõ est albus, quod, nullus homo est albus; vel homo est albus, quod, omnis homo est albus. Et sic illi propositioni: Homo est albus, non opponitur, Nullus homo est albus, sed, Homo non est albus; alioquin duæ negatiuæ vni affirmatiuæ opponerentur, quod fieri non potest. Vnde decimo & vltimo dicit vni affirmatiuæ vnam tantum esse oppositam negationem, si tamen propositio non contineat aliquid æquiuoci.

EXPLICATIO VERBORVM.

Sunt hæ quidem rerum vniuersales.) Vocat res ipsas vniuersales, & dicit vniuersale esse aptum prædicari de multis. Ergo probabile est, vt diximus, de vnitate formali in rebus.

Non vniuersaliter.) Id est, sine nota & signo vniuersalitatis, vt ipse etiam explicat.

Quæ autem significant.) Varias expositiones habent hæc verba, de quibus postea.

Non omnis homo albus est.) Dicit hanc propositionem opponi illi: Omnis homo est albus, cõtradictoriè, quia negatio præposita tollit quantitatem & qualitatem.

Quæcunque igitur contradictiones.) id est, oppositiones; quod enim hic dicit, tantũ locum habet in contrarijs.

Quocircà has.) Hinc multi incipiunt aliud caput.

Ijs verò oppositas.) Oppositas propositiones contrarijs propositionibus eas intelligit, quas vocant Dialectici subcontrarias.

Et si fit aliquid non est.) Hoc est, Dici potest simul aliquid esse verũ, & aliquid non esse, quatenus fit, quia quod fit, nondum planè est. Ita Burl. noster tamen codex pro *fit* habet *fit*.

Vna autem affirmatio.) Hinc etiam alij exordiuntur caput nonum.

Notanda.

NOtandum primo. Quid sit *quantitas & qualitas propositionum, terminus vniuersalis, particularis, singularis, materia indefinita, necessaria, contingens* & alia similia, diximus in Compendio. Quæ tamen omnia, si quis attendat, clarè elici possunt ex Arist. hoc loco, verbi gratia, cum propositione nona ait, prædicationem in vniuersalibus non vniuersaliter fieri, & exemplũ ponit: Homo est albus, homo non est albus, quam vtramq; propositionem dicit simul esse posse veram, indicat materiam indefinitam, hoc est non notatam signo vniuersalitatis, vel particularitatis, & contingentem; nam propositio absolutè posita æquiualet particulari, vt idem sit: Homo est albus, homo non est albus, atque quidam est, quidam non est: & in materia necessaria æquiualent propositiones sine nota vniuersalibus, vt homo est animal, id est, omnis: homo non est animal, id est, nullus, quæ sunt contrariæ propositiones, & ita appellantur, vt inquit D. Thom. & Am. quia maximè opponuntur in quantitate & qualitate, nec tamen habent denominationem, nisi cum apponitur nota, que

quo respiciens Aristot. *prop.* 4. negauit esse contrarias propositiones, in quibus non fiat prædicatio vniuersaliter, etsi fiat in vniuersali: materialiter enim loquendo poterunt esse contrariæ, hoc est in materia necessaria, vel in possibili, quæ reuocatur ad necessariam, vt exponunt Alex. & D. Thom. ad illa verba: *Quæ autem significantur est, esse aliquando contraria.* Quæ expositio mihi maximè placet, cum tamen alias sex recenseat hoc loco Toletus. Hinc sequitur propositiones indefinitas in materia necessaria potius esse dicendas contrarias, quam subcontrarias, quamuis vtræq; reuocentur quodammodo ad contrarias, & hac ratione dici possent vtræque subcontrariæ, quasi contrarijs, tamen vsus obtinuit vt contrariorum nomine intelligantur solum affirmatiua vniuersalis, & negatiua particularis, vel contrà. Quare non placet quod dicit Nyphus esse duplices propositiones subcontrarias, indefinitas & particulares, quoniam indefinitæ in materia contingenti æquiualent subcontrarijs, in materia autem necessaria contrarijs.

Notandum secundo. Regularum illarum quæ traditæ sunt de veritate & falsitate, dantur quædam veluti fundamenta. Primum. Impossibile est idem affirmare & negare simul de eodem, & in hoc fundamento fundantur leges contradictoriarum, quæ consistunt in negatione & affirmatione. Secundum. Ad falsitatem vniuersalis propositionis satis est vnum singulare falsum esse, ad veritatem necessaria est omnium veritas; distribuitur enim vniuersalis propositio vniuersaliter pro omnibus. Tertium. Propositio quæ est alteri contraria, negat quod illa affirmabat, & superaddit aliquid aliud, vt: Nullus homo est albus, negat quod dicit hæc propositio: Omnis homo est albus, & vlterius ponit, nullum hominem esse album. Hinc etiam non possunt simul esse veræ contrariæ, quoniam vna negat alteram, & iuxta primum principium est impossibile idem affirmare & negare simul de eodem; possunt autem simul esse falsæ, ratione illius quod vlterius additur, quoniam, vt patet ex secundo principio, ad falsitatē vniuersalis sufficit falsitas vnius particularis: Et hoc indicat Aristoteles. Quia verò in subcontrarijs vna non perfectè negat quod affirmat alia, vt: Quidam homo est albus, quidam non est albus, ideò possunt esse simul veræ, sed non simul falsæ. Item loquendo de oppositis propositionibus, quæ habent nomina vniuersalitatis, vel particularitatis in materia necessaria, nunquam possunt contrariæ esse simul veræ, nec falsæ, vt: Omnis homo est animal, nullus homo est animal. Eadem ratio est subcontrariorum, vt: Quidam homo est animal, quidam homo non est animal. In contradictorijs in nulla materia possunt esse simul veræ vel falsæ. Quod si demantur signa, ita vt remaneat propositio indefinita, quid dicendum sit cum materia est necessaria, vel contingens, ante dictum est. Cum autem termini sunt singulares, est tantum oppositio contradictoria, vt diximus in Comp. & dicit hic Burl.

Notandum tertio. Oppositionis species duas tantum explicitè ponit Aristoteles: Contrariam, & Contradictoriam, vt etiā patet ex conclusione capitis. Subalternarum autem & subcontrariarum oppositiones negare videtur. Vnde D. Thom. de subcontraria id asserit *lect.* 1. *& op.* 48. *cap.* 8. Caietan. *lib.* 2 *periher. lect.* 2 *&* 3. Nyph. *in fin. lib.* 2. *&* 2 *pr. cap.* 15. qui præcedenti etiam loco subalternas tollere videtur. Idem de subcontrarijs dicunt Doct. Louaniens. 2. *pr cap.* 15. Licet vtrique hic secus sentiant, vel exponendi sunt vt dicemus. Eadem est Versor. *hoc loco, &* 2. *pr. cap.* 15. & Burl. *hic* sententia: Contraria opinio est communis, de qua P. Hisp. Soto. Titel. Iaueil. Nyph. Doct. Louan. *hoc loco.* Et videtur esse sententia Aristot. dum ait: *Quæcunque igitur contradictiones vniuersalium sunt vniuersaliter, & quæcunque in vniuersalibus quidem non vniuersaliter.* Per hoc enim secūdum membrū saltem in materia contingenti intelligi subcontrarias supra ostendimus, in qua etiā materia exēpla ponit Arist. vbi præterea nomine contradictionis intelligit oppo-

ftionem in communi;nam propofitiones vniuerfaliter oppofitæ non funt contradictoriæ, fed contrariæ. Dicendum primo. Sicut de oppofitione incomplexa diximus *tract. de oppofitis*, ita & incomplexa largè aliquando fumitur : hoc enim modo quæcunq; propofitiones non poffunt effe fimul veræ,fiue affirmatiuę fiat, fiue negatiuæ,dici poterunt repugnantes, vt Petrus eft albus, Petrus eft niger. Secundo. Certum eft fubcontrarias maiorem habere rationem oppofitionis, quam difparatas tantum, nam faltem vna ex illis eft affirmatiua, altera negatiua. Tertio. Subcontrariæ non habent perfectam oppofitionem,nec enim idem de eodē planè negant,quod indicat Ariftot.2.*pr.cap*.15. Hinc enim eft quod poteft vtraque fimul effe vera,quoniam, vt diximus, vna non perfectè negat, quod affirmat altera, verbi gratia : Quidam homo eft albus,hæc alia propofitio : Quidam homo non eft albus , non abfolutè negat quendam effe album, fed tantum affirmat quendam nō effe. Denique ad oppofitionem perfectā requiritur , vt vna tollat quod altera tribuit,hoc eft fi totaliter,totaliter;fi in parte,etiam in parte, vt: Omnis homo eft albus,Nullus homo eft albus,& per hæc facilè conciliantur duæ recitatæ fententiæ, tamen ad fundamentum fecundæ, vt poteft effe contra dicta,dicendum eft,ad oppofitionem perfectam non fufficere affirmationem & negationem, nifi fit de eodem,& fecundum idem. Quarto. Subalternæ funt omnium minimè oppofitæ; opponuntur enim tantum ratione quantitatis,& quia femper funt aut fimul veræ, aut fimul falfæ, particularis enim fequitur veritatem , vel falfitatem vniuerfalis fub qua eft.

Notandum quarto. Quæri poteft,quænā ex his oppofitionibus maxima fit?ptæfertim loquendo de contraria & contradictoria;de alijs enim non eft dubium. Hāc quæftionem indicauit fuprà *tract.de oppof.* fed prȩterea dicendum eft primo,Hę duę oppofitiones fe habent ficut excedens & exceffum : nam contradictoria fuperat contrariam in hoc quod eft ratio immediata repugnantiæ & oppofitionis;cum enim propofitio pugnet cum alia , ratio per fe totalis eft, quia quod vna negat, altera affirmat, & quod vna dicit effe verū, altera negat verum effe. Contrarietas verò in hoc videtur excedere, quoniam non modo vna propofitio negat, quod affirmat altera, verum etiam vna alteram totaliter aufert, quoniam hæc oppofitio eft inter vniuerfales , contradictoria autem inter vniuerfalem & particularem. Secundo. Simpliciter tamen loquendo maior eft contradictoria oppofitio , quia illius exceffus eft per fe & totalis, atq; effentialis, contrarietatis autem eft fecundū magis & minus. Imo quod habeat tam magnam oppofitionem, hoc eft propter contradictoriam. Debent ergo iftæ fpecies confiderari fecundum præcifas ipfarum rationes , non verò vt vna alteram velut excludit,ficut diximus fup. de incomplexis. Hæc fententia eft Ariftotelis *lib.2.Periherm.cap vlt.* vbi contrariam oppofitionem reducit ad contradictoriam. Eft etiā D.Thom. *op. 48 cap.8.* Caietani *in locum Ariftotelis*, Nyphi *hoc loco*, qui etiam hac ratione vtitur , quoniam contradictoria habet oppofitionem in quantitate & in qualitate, contraria tantum in qualitate. Et *lib.2.verfus fin.* idem docet , vbi refert Theoph. opinionem fuiffe contrariam oppofitionem maiorem effe , cuius ratio erat,quoniam contrarietas dici folet maxima diftantia. Sed facilis eft folutio. Refpondet autem Nyph. effe maximam differentiam, non autem maximam oppofitionem. Tertio.Patet ex dictis *in tract. de oppofit.* quæ fit diuifio oppofitionis in has fpecies;eft enim analogi in analogata , fi confideretur oppofitio fecundum fe;fi autem quatenus oppofitorum rationes accidunt propofitionibus, fubiecti in accidentia.

Notandum quinto, cum Burl.& Nypho. Quintæ propofitionis , quæ eft prædicatum non effe diftribuendum in propofitione affirmatiua vniuerfali , hæ debent effe limitationes. Primò. Excipitur cum prædicatū remouetur natura fua à fubiecto,poteft enim dici:Omnis homo nullus lapis.

lapis est. Secundo. Quando prædicatum non habet nisi vnum suppositum, vt Sol est omnis sol, & Petrus est omnis homo albus. Tertio. Negatiuè potest prædicari aliquid vniuersale vniuersaliter de subiecto vniuersali vniuersaliter, vt: Nullus homo est omnis homo, nullus homo est omnis lapis, nullus homo est omne animal. Hinc sequitur signum vniuersale nõ debere addi in cõtrarijs propositionibus, nisi subiecto; nam in illis subiectum vniuersale subijcitur vniuersaliter, non autem sequitur nullo modo esse addendum signum vniuersale prædicato, quod tamẽ quidam hic colligunt.

Notandum sexto. Propositionis vltimæ, quæ est vni affirmationi vnam tantum oppositam esse negationem, non est sensus absolutè loquendo; nam vniuersalis affirmatiua habet oppositam vniuersalem negatiuam, & particularem negatiuam, vnam contrariam, alteram contradictoriam. Sed aut loquitur Aristoteles de oppositione contradictoria, vt D. Thomas ait, vel sensus est quod in quouis genere oppositionis vni propositioni vna tantũ opponitur, id est, contradictoriæ vna contradictoria &c. Hoc modo seipsum videtur explicare Aristot. *lib. 2. cap. 1.* Debent autem seruari leges suppositionis, & aliarum proprietatum, de quibus *in Compendio*. Vel denique vni affirmationi opponitur vna tantum negatio, quæ nimirum sit vna, & non plures, hoc est, quæ non sit æquiuoca, debetque vtraque in omnibus conuenire, & certa negatio, affirmatio, & quantitas, atque hoc solum intendere videtur Aristot. hic cum ait: *Oporteret quidẽ negare negationem, quod affirmationem affirmare, & ab eodem, id est, ab aliquo vniuersaliter, vt vniuersaliter, vel non vniuersaliter*, & idẽ postea magis explicans, dicit, quod sit vna affirmatio, vel negatio.

Obijcies Huic propositioni: Omnis homo est albus, opponitur ista: Non omnis homo est albus, & quidam homo non est albus. Resp. Has duas esse æquiualentes, vt diximus *in Compendio*.

CAPVT SEXTVM.

De futuris Contingentibus.

VVlt Arist. *hoc capite* ostendere quomodo locum habeant leges oppositionũ in propositionibus de futuris contingentibus. Vbi primo monet certum esse propositiones de præsenti & de præterito cõtradictorias esse aut determinatè veras, aut determinatè falsas. Secundo. In singularibus de futuris contingentibus non est altera determinatè vera, altera autem determinatè falsa. Primo. Quia alioqui tolleretur à rebus contingentia, casus, & fortuna, & omnia necessariò euenirent. Secundo. Nullus esset locus consultationi & deliberationi; quæ enim necessariò eueniunt, in deliberationem non cadunt. Denique ex propositis medijs ad finem aliquem consequendum nulla causa esset cur vnum potius arriperemus quam alterum. Experimur autem & in rebus ipsis contingentiam, & in voluntate nostra liberam vtramque in partem propensionem. Tertio. Docet esse nihilominus ex contradictorijs vnam necessariò veram, alteram falsam, quia hæc est lex contradictoriarum, vt simul veræ vel falsæ esse nequeant, quamuis neutra sit determinatè vera, vel falsa. Quarto. Licet non omnia quæ sunt necessariò sint, & quæ non sunt, necessariò non sint, tamen quod est quando est, necesse est esse, & contra quod non est, quam diu non est, necesse est non esse.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

NOn enim propter negare. *) hoc est, non propter nostram affirmationem, vel negationem sese res ita habet, sed potius quia ita res est à parte rei, vera vel falsa est, affirmans aut negans propositio. Similis sententia habetur *ad fin. cap. & in postpræd. cap. de priori &c. de substantia. circa fin*

Videmus enim esse futuri principium.) Ex hoc loco, & alijs quæ passim hoc capite dicit Aristot. colligitur iuxta eiusdem opinionem nostræ libertas voluntatis, quã

impiè, etiam Christiana fide imbuti hæretici sustulerunt.

Et quod est omninò in ijs.) id est, in rebus naturalibus contingentia quoq; est; nam in ijs est potentia indifferens ad fieri, vel non fieri, ad esse, & non esse &c. de qua re disputant Theologi in 1. *p.*

Sed alia quidem vtrumlibet.) Duplex genus contingentię ponit Arist. Ad vtrumlibet, & vtplurimum; Ad vtrumlibet est, cũ æque vnum atque oppositum illius euenire potest, vt sedere, non sedere. Vtplurimum autem est, cum sæpius vna res contingere solet, quam oppositum eiusdem, quam habere quinos digitos.

Igitur esse quod est) Id est, quod est, dum est, necesse est esse, & non esse quando non est, quę vocari solet necessitas ex suppositione, non autem simpliciter.

QVÆSTIO PRIMA.

De futuris contingentibus.

LAtè patet hæc quęstio; potest enim tractari moraliter, theologicè, physicè, & logicè. Moraliter, dum quæstio est Philosophis moralis de libertate arbitrij, de qua etiam & Theologi Theologicè, tum hoc ipso nomine, tum etiam cum agunt de Dei scientia, quomodo stare possit cum rerum contingentia & libertate nostra. Physicè, quoniam disputat Physicus de causa & fortuna, hoc est de contingentia in rebus. Denique logicè tractanda est, vt inuestigetur quomodo vni propositioni insit veritas, vel falsitas. De qua re lege Interpretes *in exposit. ad hoc cap.* præsertim D. Thom. *lect. 3. & 14. & 1. p. q. 14. & ibid.* Caietan. *& in op. de veritate Enuntiat. cap. 1 f. d. 38 q.* 1. Atim *q.* 1. *art. 2.* Scot. *d.* 40 *qu. vnica* 1. *f.* Trompeta *op. de diuin. præscien. fut. conting.* Ambros. Caterin. *op. de veritate. Enunc &c.*

Notandum primo. Sensus quæstionis est, an ex propositionibus de futuro contingenti vna sit necessariò vera, altera falsa? Sciendum est quod contingens, vnde desumitur propositionum contingentia, tripliciter esse solet. Primo. Ad vtrumlibet, hoc est, cum æque potest vnum ac alterũ euenire. Secundo. Vtplurimum, cum sæpius vnum solet euenire. Tertio Raro cõtingens, vt inuenire thesaurum terram defodiendo.

Notandum secundo. Propositiones de contingenti ad vtrumlibet, si fiant in terminis communibus indefinitè sumptis, id est, sine nota vniuersalitatis, vel particularitatis, sunt vtplurimum veræ, vt: Homo curret, homo non curret. Si autem fiant in terminis singularibus, de ijs solet esse potissimum quæstio. Si denique fiãt in terminis notatis in signo vniuersali, sunt vtplurimum falsæ, vt: Omnis homo curret, nullus homo curret.

Notandum tertio. Necessarium dupliciter dicitur: Simpliciter, & ex suppositione. Simpliciter est, cum prædicatum habet necessariam connexionem cum subiecto, vt: Homo est animal. Ex suppositione est, cum dicta conditio non reperitur, sed propter aliquid extrinsecus appositum, siue propter conditionem accidentalem extrinsecam, dicitur aliquid necessario euenire, vt ait Aristoteles: Quod est, quando est, necesse est esse. Vnde ab hoc necessario ad illud prius necessarium non licet argumentari; esset enim argumentum à dicto simpliciter ad dictum secundum quid.

Notandum quarto. Vnam de futuro contingenti esse veram, & alteram falsam, accipi potest dupliciter: Vel disiunctiuè, vel diuisiuè. Disiunctiuè, vt hanc vel illam esse veram, vel falsam. Diuisiuè, hanc determinatè veram esse, vel falsam, quod alij dicunt in sensu composito, vel in sensu diuiso.

Notandum quinto. Contingens solet magis propriè dici de effectu ipso, qui videlicet non habeat esse determinatum in sua causa proxima, sic enim accipi debet cum loquimur de propositionibus de futuro contingenti, quia quod futurum est, cum nondum sit, non potest aliud esse habere nisi in sua causa, idque siue cognoscamus effectum futurum contingentem, siue nos lateat. Vnde quamuis Deus infinita sua scientia omnia penitus cognoscat, ac veluti præsentia coram intueatur, adhue

adhuc tamen verè permanet in rebus ipsis contingentia, etiam in voluntate nostra libertas, quod hoc loco supponi dicitur; est enim Theologorum id probare. Potest tamen vno aut altero exemplo res hæc illustrari. Dicimus igitur Deum determinatè cognoscere quicquid in rebus euenturum est, ita vt dictio hæc *determinatè* cadat non super rem quæ futura est, vt sensus sit, determinatè futura res, sed super Dei cognitionem cui omnia sunt nuda & aperta, & sic quamuis ego te videam scribentem, nō tamen propterea tibi scribendi necessitatem impono. Vel quamuis dominus quispiam duos seruos eundem in locum diuersis itineribus mittat, præuidens fore vt in eodem loco sibi fiant obuij, non tamen ideò dicimus hos duos seruos id itineris confecisse. Ita etsi Deus omnia cernat, ita tamen cernit, vt naturas rerum saluas esse velit, id est, necessarias necessariò agere, contingentes & liberas, liberè & contingenter.

Prima Opinio Est Gregor. & aliquorum recentiorum. Vnam ex propositionibus singularibus de futuris contingentibus esse determinatè veram, alteram determinatè falsam; nempè verā est, cum id quod dicitur futurum esse, erit falsa, si non erit. Nihilominus posse rem esse, vel non esse, & sic non necessariò aliquid fieri, quicquid tandem eueniat. Addunt alij, Nec enim id reperitur apud ipsum, Determinatè veram propositionem esse illam, quæ cognoscitur esse futura, falsam autem, cuius effectum nouimus non esse futurum. Probatur hæc opinio. Primo. Quia si hæc propositio: Petrus leget, non est determinatè vera. Ergo est determinatè falsa. Ergo vna saltem erit determinatè vera, altera falsa: Nec enim dari potest medium inter ista, cum sint contradictoria. Secundo. Illa est vera determinatè de præterito, cuius prædicatum aliquando de præsenti fuit, vel non fuit. Ergo erit determinatè vera vel falsa de futuro, cuius etiam prædicatum aliquando de præsenti erit, vel non erit. Huc reuocantur plurima alia argumenta, quæ lege apud Greg. & Caiet.

Secunda Opinio est. Neutram esse veram vel falsam, non modo determinatè, sed etiam absolutè, quoniam non est, aiunt, differentia inter esse verum & esse determinatè verum, sed affirmat Aristot. neutram esse determinatè veram, vel falsam, neutra ergo est vera, vel falsa absolutè. Probatur maior. Esse verum est conformitas propositionis ad rem ipsam affirmatam, aut negatam, sed hoc ipsum est esse determinatè verum, vel falsum. Ergo esse verum vel falsum idem est quod esse determinatè verum, vel falsum. Hæc opinio est quorundam recentiorum, & elici posse videtur ex Caietino. Cum igitur Aristoteles affirmat vnam ex propositionibus veram esse, vel falsam, sic isti Authores interpretantur, quod quamdiu significatum propositionis vnius, vel oppositum eiusdem non euenit, propositio nec est vera, nec falsa; quando autem euenit, si sumatur illa propositio de futuro, vt vnitens extrema, quod eo tempore, pro quo iam res est, erit propositio falsa. Si autem sit propositio vnius extrema pro illo tempore, antequam res significata fuerit, erit vera, non ita quod propositio illa antea vera fuerit, sed quod tum incipiat esse vera, quando res incipit esse. Confirmatur. Quia veritas vel falsitas propositionis sumitur ex eo, quod res est, vel non est. A parte autem rei effectus qui futurus esse dicitur, aut non futurus, non habet esse determinatum in sua causa. Ergo non potest propositio esse aut vera, aut falsa. Huic sententiæ fauere videtur D. Thom. 1. *Periherm. lect.* 13 & 14.

Tertia Opinio est. Propositionum vnam esse veram, alteram falsam, neutrum tamen determinatè aut veram, aut falsam. Hæc est Arist. opinio, & communis.

Prima Propositio. Propositionum de futuro contingenti sine dubio altera vera est, altera falsa. Ratio. Quoniam hæc est prima propositionis diuisio in veram & falsam, & verum esse, & non esse, contradictoria sunt. Ergo quælibet propositio alterutrum ex his habet. Loquor autem de propositione vt futura est, quia

ita dicitur propositio vera, vel falsa dici, quemadmodum significat. Cum igitur propositio contingens de futuro significet aliquid vt futurum est, debet illi vt futura est, veritas vel falsitas inesse. Hæc propositio est contrà primam opinionem.

Secunda Propositio. Ex propositionibus de futuro contingenti non modo vna necessariò falsa est, vel vera (quod apertè docet Aristoteles, dicens similiter se habere orationes in veritate sicut res. Et præterea non contingere dicere, quod neutrum ex contingenti neque erit, neque non erit, & quod propositio neq; vera sit, neq; falsa) sed etiam potest propositionum vna dici esse determinatè vera, altera falsa, si accipiatur effectus secundum se, quatenus necessariò habebit esse extra suas causas, vel non habebit, vel prout vna propositio affirmat effectum futurum esse, altera autē id negat. Ratio est, quoniam necessariò res vel est futura, & habitura esse, vel non futura. Ergo etiam propositio affirmans vel negans vera erit, vel falsa determinatè. Et in hoc sensu loquitur Cap. 1. *f. d.* 38. *q.* 2. *conc.* 8. ad argumenta contra concl. Et elicitur ex D. Thom. 1. *p. q.* 19. *art.* 7. *ad* 2. & *de ver. quæst.* 12. *art.* 4. *ad* 7. Verum hoc modo nec Aristoteles loquitur, nec communiter eius Interpretes, sed ad modum quem sequenti propositione explicabimus.

Tertia Propositio. Si consideretur effectus qui contingens esse dicitur prout est in sua causa, sic neutra propositio est determinatè vera, vel falsa. Ratio est, quia causa contingens hoc ipso quod contingens est, non est magis inclinata & propendens ad effectum vnum quam ad alium, nec ita est determinata ad effectum vnum, quin ex natura sua oppositum efficere possit, vel ab eodem impediri. Igitur effectus futurus cum non aliter sit, quam in sua causa, non est, si ita consideretur, determinatus vt sit, vel non sit. Ergo propositio affirmans rem futuram esse, vel non esse, nec est determinatè vera, vel falsa. Hoc apertè docet Aristoteles, dicens in hoc capit. quæ sunt vt plurimum, eorum propositiones de futuro esse vt plurimum veras, & magis quodammodo determinatè, cuius nulla alia esse causa potest, nisi quia huiusmodi res habent causam quodammodo magis inclinatam ad tales effectus. Et 2. *de generat. t.* 64. quod inquit, verum dicere, quod erit, oportet hoc esse quandoque verum quod est. Quod autem nunc verum dicere, quod erit, oportet aliquando posse fieri, & nihil prohibet aliquando posse fieri, & nihil prohibet aliquando non factum esse; ambulaturus enim non ambulauit. vbi apertè significat modum vtrumque, tam enim de quo diximus præcedenti propositione, quam istum de quo in præsenti. Quem posteriorem modum optimè prosequitur Cap. & D. Thom. qui secundæ opinioni fauere videbatur, ideò dici non habere propositionem quod sit determinate vera, quia res per illam significata non habet determinationem in sua causa. Dices. Arist. loquitur de propositione futura vt futura est; sed res significata per propositionem, vt est in sua causa, non est futura. Ergo nō loquitur Aristoteles ad modum explicatum. Resp. Loqui Aristotelem de propositione futura, vt tamen ordinem dicit & dependentiam à sua causa, quæ quia contingens est, ideò asserit propositionem affirmantem, aut negantem nec esse veram, vel falsam determinatè.

Quarta Propositio. Hinc sequitur neutram propositionem disiunctiuè veram esse ad modum dictum, sed potius vtraq; dici potest esse falsa: nam aliquam ex his esse determinatè veram, est causam esse determinatè ad efficiendum effectum, vel ad non efficiendum. Hoc autem est contra rationem causæ contingentis, vt contingens est, quare neutra erit dicenda vera, vel falsa, quia rectè illi sentire videntur qui asserunt idem esse verum, & determinatè verum. Cum igitur non sit determinatè vera vel falsa propositio, nec etiam erit absolutè vera vel falsa. Consequenter igitur dicēdum est solum verum esse hoc complexum, contradictoriarum de futuro contingenti altera erit vera, altera falsa, quod idem est, ac dicere: Causa contin-

contingens aut habebit hunc effectum, aut non habebit, & sic propositio quæ asserit effectum futurum, aut quæ negat, vera erit, aut falsa, non autem de facto, sed solummodo id verum de facto est, quod altera est vera, quia verum est quod effectus erit, altera falsa, quia potest esse verum, effectum non futurum. Seu quod idem est, assignatis contradictorijs propositionibus, verum est quod aliqua illarum vera erit; nec enim fieri potest quin è duobus alterum eueniat, sed quia non est comparatum in rerum natura, vt vnū potius sit quam alterum, ideò non licet demonstrare vllam illarum certam esse, & asserere esse veram, Lege Caiet. *in resp. ad quartum argumentum.*

Quinta Propositio. Ex dictis sequitur quomodo conciliari possint recitatæ opiniones. Prima enim loquitur de futuritione rei, vt ait Cap. quatenus res in se spectatur, ad sensum nimirum secundæ propositionis. Quod autem addunt alij esse determinatè veram illā propositionem quam scimus futuram esse, friuolum est; nam vt multa omittam alia; non ex nostro affirmare, vel scire, vt hic docet Aristoteles, pendet quod res vera sit, vel falsa, sed potius contrà ex eo nostra affirmatio vel scientia vera est, quia conformis est rebus ipsis. Sequeretur etiā propositiones necessarias de futuro, quæ à nobis ignorantur, non esse determinatè veras. Contra hunc loquendi modum teste sic disputat Boët. & Caietanus supra citati. Displicet autem maximè in hoc Gregorij opinio, qui Aristotelem erroris arguere non veretur. Secunda verò opinio verum dicit, quod non potest propositio esse vera determinatè, & propterea loquendū ad modum explicatum in secunda propositione; sicut vna propositio dicitur esse vera, sic est dicenda determinatè vera; idem enim sunt verum, & verum determinatum. Quare sicut si consideretur effectus secundum se, vnam diximus esse veram, alteram autem falsam, ita etiam vna dicenda est esse determinatè vera, altera falsa. Et sicut si consideretur effectus vt est in causa, non est determinatè vera vel falsa vlla ex propositionibus, ita propriè loquendo neutra dicenda est esse vera. Quare quæstio tandem erit de modo loquendi. Modus autem quem assignat dicta propositio, falsus est, vt diximus in prima opinione, nec satis intelligi potest.

Denique tertia opinio explicata ad modum dictum, vera est & defendenda, nisi quod illud, alteram propositionem esse veram, sed indeterminatè, intelligi debet, vt indeterminatè non cadat suprà veritatem, vt obseruat Caiet. sed sensus Aristotelis est, quod etsi liceat, verbi gratia (vt exemplo & sententia Aristotelis vtar) coniunctim verè dicere, erit, vel non erit naualе bellum, & ita coniunctim oportet vnam earum propositionum asserere esse veram, non tamen liceat soluere, ac determinare, seu definire, hanc puta affirmatiuam: Erit naualе bellum, & de ea pronunciare quod est vera. Et simile est de negatiua. Atque ex his facilè patet quid sit dicendum ad argumenta, quæ partim sunt pro nobis, partim vt nobis aduersarij videntur, nihil efficiunt.

Ad primum enim primę opinionis dicitur, quod altera propositionum est determinatè vera, ita vt accipiatur sensus secundæ propositionis, hoc est considerādo rem in se, tamen quia simpliciter rei futuræ determinatio pendet ex causæ determinatione, hinc est quod absolutè dici solet alteram esse veram, sed non determinatè, sumendo ly determinatè prout refert effectum ad causam, quæ non est determinata. Quando verò dicitur inter contradictoria non dari medium, concedo. Sed hæc non sunt contradictoria, propositionem non esse determinatè veram in suis causis, & esse determinatè veram ratione rei, quæ erit; nam erit etiam contingenter, quamuis eum erit, necessariò erit ex suppositione. Caietanus respondet primo argumento Greg. verum & falsum esse contraria, quare in illis reperiri posse medium. Sed quicquid sit, saltem quoniā ex contradictorijs verum vel falsum deducuntur, satius est vt in priore solutione acquiescamus.

Ad secundum eodem modo dicitur:solum enim probat quod vera est propositio vna determinatè ratione rei vt futura est in se, seu ratione futuritionis, vt ait Cap. Quanquam hoc est discrimen inter propositiones de materia quoque contingenti cum sunt de præterito ac præsenti tempore,& cum sunt de futuro:quoniam propositio de præterito & præsenti,cum includat determinata tempora,& causam etiam determinatam, est determinatio vera, vel falsa, quamuis contingenter, & solum necessaria ex suppositione. Vnde veritas determinata est, & propositio est vera determinatio etiã in ordine ad causam contingentem. Fundamentum & rationes secundæ opinionis fauent nobis, &c.

IN LIBRVM SECVNDVM PERIHERMENIAS.

HINC *Latini initium sumunt libri secundi, cum tamen apud Græcos vnus tantum liber esse dicatur. Et certè diuersum argumentum est, quod in hac parte pertractatur. Agitur enim de Enunciatione vt illi additio fit ratione subiecti, vel copula, vtque illationes & æquipollentia indè colliguntur. De qua re quoniam diximus multa* in Compendio: *ideo solum indicabo in Aristotele esse, quæ à nobis alias dicta sunt, & quædam notabimus.*

CAPVT PRIMVM.

De Enunciationibus infinitis.

QVoniam hoc caput longum est,parũque vtilitatis habet,redigam breuiter in summam,& meliore methodo, quę dicit Arist. Agit Arist. hic de Enunciationibus infinitis, & primo quædam supponit. Secundo. Nonnullas veluti propositiones colligit. Primum quod supponit,est, omnem propositionem ex nomine constare & verbo, aut ex innominato & verbo, id est, ex nomine infinito & verbo. Vbi nota non meminisse Aristotelẽ verbi infiniti, quoniam verbum substantiuum infinitari nequit, vt docent D.Thom.& Boët & Doct. Louan. Nam negatio addita verbo, quoniam ipsum etiam simul est copula, tollit connexionem,& consequẽter efficit in propositione negationem. Vnde Am. & Alex. dicunt non infinitari verbum ratione copulæ, sed tantũ quoad significatum suum categoricum,&quoad participium virtute in ipsa inclusum, quo pacto reducitur ad participium & nomen infinitum. Idem docet Alb.& Arab. Secũdo Supponit quod propositio alia est in qua ponitur verum Est; erit, vel fuit, quæ dici solet propositio de secundo adiacente. Alia est in qua verbum *Est* est tertium adiacens, vt: Homo est iustus. Tertio: Propositiones de secundo adiacente variari possunt, penes finitum & infinitum, sed ex parte tantum subiecti; Vnde nullus potest inter has propositiones esse ordo consequentiæ & illationis, quoniam habent subiecta diuersa & disparata, propositiones autem de tertio adiacente penes finitum & infinitum tripliciter. Primo. Ex parte tantum subiecti, vt: Homo est albus, non homo est albus; & inter has etiã nullus est ordo consequentię propter causam dictam. Secundo. Ex parte tantum prædicati, vt: Homo est albus, homo est non albus, quod fit infinitæ affirmatiuæ, & infinitæ negatiuæ, vt: Homo est albus, homo non est albus. Tertio: Ex parte subiecti & prædicati, vt: Homo est albus, non homo est non albus. His positis, deducuntur hæ Propositiones.

Prima. In propositionibus in quibus verbum *Est* est secundũ adiacens, mutato subiecto ex finito in infinitum, fiunt oppositiones secundum affirmationem & negationem in omni temporis differentia. Exempla in pręsenti tempore sunt primò oppositio: Homo est, homo non est, quæ vocatur simplex. Secunda: Non homo est, non homo non est. Tertia, opposito signo vniuersali *omnis*: Omnis homo est,

est,non omnis homo est, quæ etiam est oppositio simplex. Quarta: Omnis non homo est,non omnis non homo est.Idem fieri potest in propositionibus præteriti & futuri temporis, & sic erunt duodecim oppositiones,& viginti quatuor propositiones.

Secunda,Cum propositiones sunt de tertio adiacente,erunt hæ oppositiones. Prima.Homo est iustus, homo nō est iustus, quæ est simplex.Secunda. Homo est non iustus,homo non est non iustus. Tertia. Apposito signo vniuersali *omnis*: Omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus,quæ est simplex. Quarta. Omnis homo est non iustus,non omnis homo est nō iustus. Ex his propositionibus & oppositionibus primæ duæ propositiones infinitæ, quæ sunt in secunda oppositione, opponuntur secundum affirmationem& negationē sicut priuationes. Vnde sicut priuantes habent attributum negatum, vt: Homo est iustus,homo non est iustus,homo non est iustus,sic etiam & dictę infinitæ,vt:homo est non iustus,homo non est non iustus, & hoc est id quod dicit Aristoteles se habere ad affirmationem& negationem, id est, in ratione oppositionis secundum consequentiam, vt priuationes, nempè, quoniam sicut in illis, ita & in his semper est attributum negatum, siue affirmando, siue negando; & idem est iudicium tam in oppositione sine signo, quam cum signo vniuersali, vel tam in tertia & quarta oppositione, quam in prima & secunda: quinta verò & sexta propositio, siue quæ sunt in tertia oppositione, non possunt esse simul vera, quoniam se habent vt contradictoriæ, vt: Omnis homo est iustus, non omnis homo est iustus, ista enim æquiualet illi; aliquis homo non est iustus. Denique duæ vltimę propositiones:Omnis homo est non iustus, non omnis homo est non iustus,non possunt esse simul veræ; nam primæ sensus est: Omnis homo est iustus. Secundæ autem: Aliquis homo non est iustus. Hinc sequitur quod ab affirmatione simplici, hoc est à prima propositione primæ oppositionis valet ad negatiuam infinitam propositionē, vel ad quartam, siue ad secundam propositionem secundæ oppositionis, vt: Homo est iustus, Ergo homo non est non iustus, & contra. Item ab affirmatiua infinita, id est, à tertia seu prima secundæ oppositionis valet ad negatiuam simplicem, id est, ad secundam propositionem,& contrà, vt:Homo est non iustus, Ergo homo non est iustus. Dixi *&* *contrà*, quoniam etsi communiter repugnate videantur interpretes, dicentes non valere: Homo non est iustus, ergo homo est non iustus;nam illa, inquiunt, est vera etiam de homine nō existente; ista autem posterior supponit hominem existentem. Sicut non valet: Chimæra non est homo, ergo chimæra est non homo; tamen si verum est quod supra ex Aristotele, & communi opinione diximus, nomen infinitum dici tantum de ijs quę sunt,quam quæ non sunt, cur non licebit dicere: Si homo non est iustus,siue existat, siue non. Ergo est non iustus. Et si chimæra non est homo, ergo est non homo. Lege Toletum hic. Addit autem Aristoteles non similiter angulares propositiones esse veras in prima duplici oppositione,ac in postrema duplici, hoc est, omnes angulares in se sumptas: nam quia in primis duabus possunt esse propositiones in materia contingenti, & ipsæ sunt indefinitæ,possunt omnes esse veræ, vt: Homo est iustus, homo non est iustus, & homo est non iustus, & homo non est non iustus. Non sic autem est de duabus vltimis oppositionibus, propter appositum signum vniuersale, quamuis possint aliquæ interdum simul esse veræ,quæ fiunt particulariter propter appositam negationem,vt: Non omnis homo est iustus, non omnis homo est non iustus: vel aliquis homo non est iustus, aliquis homo non est non iustus,seu,quod idem est,aliquis homo est iustus. Vocantur autem propositiones angulares, vel vt Arg. vertit, propositiones per diametrum collocatæ, quia affirmatiua simplex est prima, negatiua secunda, affirmatiua infinita est tertia, negatiua quarta.

Vnde facto quadrato, & interiecto duplici diametro, quæ sunt in primo angulo, & in tertio, & quæ sunt in secundo & quarto, inuicem opponuntur, & dicuntur angulares, quia in angulis ponuntur.

Tertia Propositio. Numerus oppositionum & propositionum simplicium, quæ constant verbis adiectiuis, respondet propositionibus de secundo adiacente, nempè quoad vocem; nam quoad rem ipsam, æquiualent propositionibus de tertio adiacente, vt: Homo valet, vel: Homo est valens. Quare sicut prius erant quatuor oppositiones, & octo simplices propositiones, in quauis temporis differentia, ideoq; erant omninò viginti quatuor propositiones, ita & in his de secundo adiacente quoad vocem in verbis adiectiuis, & consequenter erunt omninò quadraginta octo propositiones, vt: Homo valet, homo non valet, non homo non valet, omnis homo non valet, non omnis homo non valet.

Quarta Propositio. In propositione singulari negatio non mutat sensum, siue præponatur, siue postponatur, vt: Petrus non est sapiens, Petrus est non sapiens. At in vniuersali propositione non idem est, vt: Non omnis homo est sapiens, & omnis homo non est sapiens.

Quinta Propositio. Quouis modo verbũ & nomen transmutentur, eadem sententia retinetur; æquiualent enim ista: Est homo albus, homo est albus, homo albus est; sitamen non sequatur indè transpositio formæ, quod fiet, si subiectum & prædicatum locis suis mouerentur: Idcirco valdè differunt hæ propositiones: Omnis homo est animal, omne animal est homo.

Obijcies. 2. *Post. t.* 19. dicitur, valdè referre an dicas: Animal mansuetum bipes est; & bipes animal mansuetũ. Ergo transpositis nominibus & verbis nõ remanet idẽ sensus. Resp. Loquitur Arist. de modo diuisionis, in qua diuisum debet semper præcedere, & de definitione, quæ ex vno constat tanquam potentia, & ex altero tanquam ex actu, hoc est ex genere & differentia; genus autẽ & id quod est in potentia præcedere debet. Lege Caiet. ibid.

EXPLICATIO VERBORVM.

VEl ex infinito nomine & verbo.) Verbo, scilicet non infinito; quod non dicitur simpliciter verbum, sed eum addito.

Ipsum est tertium dico adiacere) Nomen vel verbum. Nomen, quatenus in genere aliquando sumitur pro quauis dictione. Vbi etiam nota hoc verbum *Est* prædicari in propositione de tertio adiacente, quod suprà probauimus. Vel certè sensus est, quod verbum *Est* est tertium adiacẽs, quãdo adiacet nomen vel verbum, id est, quando ipsum verbum *Est* est tertium, vel est aliquod nomen aliud tertium Absolutè tamen dicitur verbum *Est* tertium tanquam forma vniens prędicatum & subiectum, vt ait Alber. Nomen autem dicitur tertium solo ordine prolationis: Homo est albus.

Se habent secundum consequentiam vt privationes:) Exposita sunt hæc verba in secunda propositione.

Quemadmodum in resolutorijs dictum est) 1. *Post. ad fin.* Vnde etiam collige horum librorum authorem esse Aristotelem.

Tamen non similiter angulares.) Vide quę diximus in secunda propositione.

Notanda ne longiores essemus, & quia pauca sunt, in ipsa explicatione textus posita sunt, quod deinceps etiam fiet.

CAPVT SECVNDVM.

De vnitate ac pluralitate Enunciationum.

DEclaratur hoc capite quo pacto diuisæ & coniunctæ propositiones se cõsequantur, & quam secundum veritatem ac falsitatem affectionem habeant. Primum igitur ex dictis supponit quid sit propositio vna & multiplex; nempè quæ vnum significat, est vna; multiplex, quæ multa, siue propter vocem vnam ęquiuocam; siue propter multas, quarum vocum multarum nomine significat Auerr. eas quæ significãt definitionis vel descriptionis partes. Quoniam autem idem est interrogatio & propositio, vt dicitur 1. *Top. cap.* 12. & 13. proptcrea propositionem vnã vel multiplicem esse dicis, cui vna respõsione

sione satis fieri potest, aut quæ multas desiderat. Secundo. Ostēdit quomodo liceat argumentari à diuisis ad coniuncta, nam plura prædicata quæ seorsim conueniunt eidē subiecto simul coniuncta, nō semper conueniunt, atq; ita non licet à diuisis ad coniuncta argumentari, vt: Est magnus, & est Philosophus. Ergo est magnus Philosophus, vel contrà: Est Philosophus, & est magnus, Ergo est magnus. Confirmatur. Quia cum liceat ex suppositione dicere, hic est magnus, & hic est Philosophus, & hic est magnus Philosophus, & alia ex parte liceat quoque, secundum aduersarios, quæ separatim pronunciantur coniungere, dicere liceret, hic est magnus Philosophus Philosopus, & sic in infinitū, quæ est mera nugatio. Igitur quæ seorsim veræ enunciantur, si mutuo sibi sint accidentia, aut etiam vni tertio, non licet ea simul colligere, vt patet in exemplo: nam & accidit magno esse Philosophum, & Philosopho esse magnum, & homini vtrumque. Tertio. Si vnum fuerit alterius accidens, non tamen contrà, licebit diuisa coniungere, vt: Petrus est homo, & est Philosophus. Ergo est homo Philosophus. Etsi enim accidat homini Philosophus, non tamen Philosopho homo. Quarto. Quando attributa posteriora includuntur in prioribus actu non dicuntur coniūgi, vt: Petrus est homo, & Petrus est animal, Ergo Petrus est homo animal, nam in homine includitur actu quod sit animal. Vel non licet dicere: Homo est homo & animal, sed Socrates est homo, id est animal. Quinto. Cum attributa repugnant, non licet à coniunctis ad diuisa argumentari, vt: Socrates est homo mortuus, Ergo est homo. Eodem modo cum attributa per accidens de aliquo dicuntur, vt: Homerus est Poëta, non valet, Ergo Homerus est; nam verbum *Est* in prima propositione dicitur ratione Poëtæ, qui concipitur vt præsens. In posteriori autem significat existentiam. Similiter non valet: Non ens est opinabile, Ergo non ens est.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

Dictum est autem de his in Top.) Hinc supra intulimus esse Aristotelem horum librorum authorem.

Ipsum quid est Dialectica interrogatio.) Docet *Quid est* non esse interrogationem Dialecticam, nam sumitur in demonstratione determinatè tanquam illius mediū. Interrogatio verò Dialectica vtramque contradictionis partem continet. Quod si *lib. 1. Top. cap. 4. & lib. 6. & 7.* sæpè ait quæstionem Quid est ad Dialecticam spectare, id fecit quatenus includit quandam rationem ipsum quid est interrogationis Dialecticæ vtramq; contradictionis partem complectentis; vt si quæratur sitne homo animal bipes, nec ne? Absolutè tamen loquendo ipsum Quid est vt definitionem dicit, ad solum demonstratorem pertinet.

Secundum accidens enim prædicatum est.) Nempè in illa propositione: Homo est poëta. Ex quo etiam colligitur quod *lib. sup.* diximus, verbum *Est* habere semper prædicati rationem, etiam in propositione de tertio adiacente.

CAPVT TERTIVM.

De Enunciationibus modalibus, & earum oppositione.

AGit Aristoteles de oppositione & æquipollentia modalium, verum præter ea quæ diximus in Compendio, nihil aliud explicat; imò verò hinc deprompta sunt quæ ibi diximus. Solum igitur notandum est quod 1. *Pr.* solum ponit duos modos propositionum: Necessarium, & contingentem, hic autem quatuor, nempè additis possibili & impossibili. Alij prætereà addunt modos veri & falsi. Nyphus modum de inesse, quo denotat prædicatū nunc actu conuenire, vel non conuenire subiecto. Cæterum, sicut etiam diximus in Compendio, non est dicendus modus id omne quod quauis ratione limitat & determinat alterius significatum, sed quod determinat verbum & copulam quoad connexionem & vim Enunciatio- *Quot modi propositionum.*

nis. Igitur modi sunt illi quatuor qui ab Aristotele enumerantur, qui tamen *lib. 1. pr.* cõfundit impossibile cum necessario, quia quod impossibile est, necessariò non est. Vnde quoad artem syllogisticam, de qua ibi agit, propositio impossibilis dicitur necessaria, videlicet quoad falsitatem. Hinc ergo sequitur esse tantum tres modos: Necessarium, contingentem, possibilem. Porrò possibilis potest contineri sub contingenti; nam vt significat in cõmuni id quod potest esse; & solum est in suis causis, hoc modo est quid cõmune ad contingens, & ad necessarium: vtrumque enim esse potest. Quare distinctionis tantum maioris causâ positi sunt hi quatuor modi ab Arist. de qua re in Comp. Propositio autem de inesse nullo modo est dicẽda modalis, quia potius è regione opponitur modali. Adde quod in tali modo, si modus dicendus est, nulla est specialis difficultas, nec pertinet talis habitudo ad formam propositionis, sed tantum ad materiam, quæ sufficienter explicatur per verbum *est* de præsenti. Deniq; propositionem esse veram vel falsam, non est habere aliquos modos, qui per se pertineant ad formam syllogisticã, sed ex natura rei omnis propositio aut est vera, aut falsa.

Propositiones Modales. Deniq; notandum est: alio modo disponit Arist. modales propositiones, quam alij vulgò; primo enim ponit propositionẽ de necessario. Secundo, De possibili. Tertio. De contingenti. Quarto. De impossibili, quoniã hic, inquit, ordo in rebus ipsis reperitur; sunt enim primo quædam entia necessaria, hoc est æterna, quales sunt substantiæ primæ, hoc est, immateriales & incorruptibiles. Secundo. Quædã sunt quæ possunt non inesse, & aliquando non fuerunt, vt res corruptibiles. Tertio. Quædã non sunt actu, sed potestate tantum, vt tẽpus & diuisio continui in infinitum. Alij autem disponunt hoc modo. Primo. Ponunt eam quæ est de possibili. Secũdo. De cõtingenti. Tertio. De impossibili. Quarto. De necessario. Et quia isti modi sumi possunt quadrupliciter. Primo. Absq; negatione. Secundo. Præposita tantum negatione. Tertio. Solũ postposita. Quarto. Præposita & postposita. Hinc est quod efficiuntur sedecim propositiones; quatuor absque negatione, quatuor præposita negatione, quatuor postposita, quatuor præposita & postposita, ad quæ omnia significanda excogitata sunt hæc vocabula secundum quidẽ ordinem vulgarem: ***Amabimus, Iliace, Edentuli, Purpurea.*** Vbi prima cuiuis syllaba significat primum modũ & alios deinceps. Litera autem A affirmat modũ & dictum. E negat vtrumq;. I negat modum & affirmat dictum. V negat modum & dictum. Secundum autem ordinem Arist. sunt hæc: ***Argutule, vestigia fine metu, nutabitis,*** quæ habent easdem conditiones, in quibus quisque sibi exempla confingat. Solum est reuocandum in memoriam, dictũ esse propositionem ipsam sumptam fine modo, & propositionem de modo affirmato esse affirmatam, & de negato negatam, quomodocunque tandem se dictum habeat, vt, Possibile est hominem non currere, affirmatiua propositio est, quamuis dictum sit negatum.

EXPLICATIO VERBORVM.

Q*Va igitur secundum rationem &c.*) Illustris est hic locus, & valdè vtilis ad inueniẽdum quomodo fit distinctus gradus entis, & magis eleuatus anima, quam aliæ formæ substantiales.

Sed hoc iidem &c.) Dicit possibile vocari quod etiam actu est, vt possibile est ambulare eum qui actu ambulat.

Et hæc quidem sine potestate &c.) Vocat actus substantias primas, id est, immateriales. Paulò autem antè dixerat actum esse priorem potẽtia; quoniã priora sunt quæ sempiterna sunt, quæ sunt actus sine potestate. Ex quo colligi videtur, primas substantias secundum Aristotelem esse puros actus, hoc est intelligentias: vocat enim illos solum actus. De quo grauis est quæstio in Metaphysica. Non tamen id necessariò efficitur; sufficit enim quod non habeant intrinsecè potestatem ad nõ esse, nec loquendo secundum Aristotelem prius habuerint potestatem ad esse, quod

quod tamen secundum veritatem falsum est, nam ab æterno non fuerunt angeli. Et quæstio est apud Theologos an esse potuerint? Saltem negari non potest quin prius habuerint non esse in potentia Dei obiectiua, si non in subiectiua ipsorummet angelorum.

Alia nunquam actu sunt &c.) Iam explicatus est hic locus, intelligit enim secundum D. Thomam illa entia, quę nunquam in actu habent id ad quod potestate ordinantur, vt patet in continuo respectu diuisionis in infinitum, & in tempore respectu esse. Atque ex his omnibus generalis & celebris diuisio entis, *in actu & potentia.*

CAPVT QVARTVM.

De Enunciationum contrarietate.

An capitis huius Aristoteles auctor.

HOc caput quartum, seu hęc quinta sectio secundum Græcos dubium est an sit Aristotelis, aut alicuius posterioris. Videtur enim multa dicere quæ alijs ipsius dictis aduersantur. Quare plerique hoc caput non interpretantur, vt Porph. D. Thom. Butl. &c. Ammonius verò asserit sibi non videri Aristotelem ob iam dictam causam, aut si sit Aristoteles, ipsum in hoc capite rationibus probabilibus auditores exercere voluisse, cui tamē opinioni refragari videtur Alex. 10. *Met. t.* 15. Cæterum quicquid sit, esse Aristotelis probat contra Amm. Bald. & quicquid etiam alij dicant de argumento ipsius: In hoc capite explicatur quænam sit oppositio maior propositionum ex parte copulæ, vel ex parte prædicati oppositi. Transfert autem quæstionem ad opinionem & cogitationem mentis, quoniam vt se habet in mente cogitatio, ita & in voce enunciatio. Probat autem magis opponi affirmationi negationē eiusdem rei, quam affirmationem oppositi attributi, sex potissimum rationibus. Prima est, maxima repugnantia est solum inter duo, vt vni affirmationi vna tantum negatio, affirmationi autem quæ continet oppositum prædictum multæ aliæ propositiones opponuntur. Ergo. Probatur Minor, vt, Hoc est bonum, hoc non est bonum, quæ opponuntur sicut affirmatio & negatio eiusdem, & hoc est bonum, & hoc est malum, quæ opponuntur ratione oppositi prædicati affirmatis: nam huic eidem propositioni, hoc est bonum, non modo hæc opponitur, hoc est malum, sed etiam hoc est fugiendum, perniciosum, indecorum &c. Illi autem, hoc est bonum, solum negatiuè opponitur illa, hoc non est bonum. *Secunda ratio.* Maximè opponuntur in quibus prima contingit deceptio, hoc est, quando quis opinatur non esse quod est, vt non esse bonum, quod est bonum. Secunda verò deceptio est, opinari esse quod non est, vt esse malum quod non est. *Tertia:* negatio eiusdem attributi magis repugnat affirmationi, quam affirmatio oppositi; est enim magis verum, bonum est malum, quam bonum non est malum. Sed huic propositioni respondet tanquam affirmatio, bonum est malum. Ergo priori respondet ista, bonum non est bonum. *Quarta Ratio:* Simplex propositio simplici opponitur, sed simplicior est ista: Bonum non est bonum, quam bonum est malum, nam bonum est malum, implicitè dicit bonum non esse bonum, at bonum non est bonum, explicitè id dicit, & nihil aliud implicitè. Ergo. *Quinta Ratio:* Oppositio eodem modo sumi debet in omnibus, sed in illis quæ non habent contrarium, necessario sumitur secundum affirmationem & negationem, vt, Homo est, homo non est. Ergo. *Sexta Ratio.* Sicut se habent hæc: Bonum est bonum, & bonum non est bonum, ita istæ Non bonum non est bonum, & non bonum non est bonum; nam opponitur maximè, sed illi propositioni: Non bonum non est bonum, non opponitur maximè, non bonum est malum, quia vtraque propositio est vera; siquidem superbia non est bona, & simul est mala. Ergo neque huic propositioni: Bonum est bonum, opponitur hęc: Bonum est malum, sed illa alia: Bonum non est bonum. Nec inquit refert siue propositiones habeant notam vniuersalis, siue nō, eadē enim est in vtrisque vis & ratio, vt exēplis quoq; illustrat.

Argumentū.

Denique.

Denique, quamuis, inquit, non possint cōtradictoriæ eodem tempore esse veræ, possunt tamē diuersis temporibus, idemque dicit esse de contrarijs propositionibus. De hac vtraque oppositione, vtra maior esset, *suprà diximus tum lib præcedenti, tum capite de oppos.* Solum nota, Videri Caietano opinionem veram & falsam opponi contrarie, Nypho autem contradictorie, quoniam, inquit, Caietani opiniones sibi mutuo aduersantur, & sunt quid positiuum. Nyphus verò ait opinionem falsam ideò opponi contradictoriæ, quia falsitas est non ens. Rectius tamen dicendum videtur, etiamsi ratione eius quod positiuum est in vtraque opinione tum contrariè, tum etiam relatiuè oppositæ vocari possint, quia dicunt conformitatem & difformitatem realem; tamen si spectemus id quo formaliter dicitur opinio vera vel falsa, opponi tantum priuatiuè, falsitas enim nihil aliud est formaliter, quam priuatio. Et sic intelligendus est D.Tho. qui oppositum videtur sentire, 1.p q.17.art.4.

IN LIBROS PRIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

COMMENTARIA.

Monet hic Alexander ea vt præcognoscantur quæ nos in alijs Aristotelis libris initio præmisimus, potißimum quæ ad huius operis scopum intelligendum facere videntur: illum enim qui nesciat, similes inquit Alex, esse his qui iter facientes, & quo tendant ignorantes, in multos & Meandros & Labyrinthos incidunt. Itaque de Authore, obiecto, inscriptione, ordine, & diuisione operis dicemus.

De Authore.

HIC proculdubio est Aristoteles, nec vllus est qui ea de re hactenus, quod sciam, dubitauerit, quod ipsum satis testatur breuitas, obscuritas, & grauitas styli; tum etiam quoniā in his libris alios suos libros nō semel citat, & hos ipsos in alijs. Themist. tamen, vt ait Philop. negat Resolutoria esse Aristotelis partum, quoniā Plato *tum in Phæ.* tum *in alijs dial.* identidem argumentatione & demonstratione vtitur; credit tamen Philop. composuisse Aristotelem hoc opus *de Resolut.* & eadē regulis quibusdam in artem redegisse. Idem Phil. testatur, quadraginta olim Analyticorum libros sub Aristotelis nomine in celebri illa Ptolemæi Bibliotheca repertos fuisse, solos nihilominus quatuor Priores & Posteriores binos & binos Aristoteli adiudicatos esse; quicquid Dioge. dicat de priori Analysi ab Aristotele scriptos esse. Id autem quod dixit Them. nihil aliud est, quam quod ipsi quoq; ante notaui, nō ita Aristotelem de syllogismo scripsisse, vt prima planè illius inuentio ipsi sit deferenda, sed ideò Authorem syllogisticarum præceptionū appellari posse, quoniam meliore quam vllus ante ipsum methodo eas nobis reliquit. Quo etiam modo intelligendus est, cum *ad extremum 2. Elench.* sibi syllogismi inuentionem arrogat.

De Obiecto, Inscriptione, & Ordine horum librorum.

PRima opinio de obiecto est esse argumentationem; siue illa sit genus æquiuocum ad reliquas species; Exemplum, Inductionem, &c. quod vix vllus est qui afferat; siue sit genus vniuocum ad syllogismum & inductionem, quod indicat Mirand *lib.8 Apol.sect.5.* Siue denique sit genus analogum, tum ad has duas species, syllogismum & inductionem, tum ad alias quoque, quod est verisimilius. Ratio pro hac sententia est, quoniam Aristot. *in his libris* disputat de Syllogismo, Enthymemate,

Secunda

Secunda Opinio. Obiectum esse syllogismum secundam solam & præcisam formam, vel certè quatenus tantum includit ma. etiam indeterminatam. Ratio est, quoniam nihil his in libris de syllogismo in materia necessaria, aut in alijs.

Tertia Opinio. Obiectum esse simul & syllogismum & Demonstrationem, quoniam ex his duobus de priori resolutione, & alijs item duobus de posteriori, vult hęc opinio opus vnum confici. Innuit hanc sententiam Philop. Alex. Mag. Nyph. & Burl. Secundam verò opinionem Doct. Louan. & Ægid. Rom.

Prima Propositio. Obiectum horum librorum videtur esse Syllogismus & Demonstratio; nam Aristot. in initio horum librorum proponit se de vtraq; agere velle, & in fine secundi post. per modum Epilogi & conclusionis de vtroque se egisse concludit. Dici tamen fortaßè posset, instituisse quidem Aristotelem agere etiam de Demonstratione non tanquam de obiecto proprio, sed tanquam de fine extrinseco, in quem ea, quæ his in libris traduntur, redigerentur. Sic interpretantur Aristotelem Doct. Louan. & Philop. Alex. & Mag. non videntur aliud voluisse. Auerr. etiam *in prol. 1. post.* & Ægid. *hic* idem asserit. Et confirmari potest; alioquin enim sequeretur ex libris Ethicorum & Polit. vnum opus effici, siquidem 1. *Eth. ca. 2. versus fin.* refert Arist. doctrinam de moribus monasticam, ad doctrinam politicam. Vel quamuis id probabiliter dici posset, & non incongruè defendi secunda opinio, quia tamen Aristot. absolutè loquitur, & *in fine secundi Poster.* infert & concludit se de vtroque egisse, non video quid obstet quo minus dicamus obiectum, qui cum duobus de post. Analyt. vnũ opus faciunt, esse syllogismum & Demonstrationem. Et confirmatur: Nam ad eandem scientiã spectare videtur agere de materia & forma rei alicuius, quoniam hæc habẽt mutuam inter se relationem Si autem disputat de alijs argumentationis speciebus, id tantum facit, quatenus tanquam minus perfectæ ad perfectissimam reuocari possunt. Et quamuis forma syllogistica possit accommodari materiæ probabili & fallaci, nihilominus peculiaris ratio est, cur ex his duobus libris & alijs posterioribus fiat vnum opus, non autem ex his ijsdem & libris Topicis & Elenchis; nam de probabili & sophistico syllogismo agitur tãquam de syllogismis qui à propria syllogismi ratione deuiant. De syllogismo autem Demonstratiuo, quoniam is solus est qui perfectè syllogismus vocari possit, & perfectè dirigat tertiam operationem intellectus.

Obijcies. Habent hi libri diuersam inscriptionem. Ergo. Resp. Commoditatis tantum causa subdiuiditur hoc totum opus in duas partes. Imò verò eadem & cõmunis vtrisque libri inscriptio est, saltem apud Aristotelem, qui ferè semper omnes hos libros eodem *Analyticorum seu Resolutoriorum* nomine appellant, vt patet 2. *Periberm. cap. 1.* vbi appellans libros Analyticos, hic citat quod habetur 1. *pr. ad fin.* Item 8. *Top. cap. 4. loco 76. 1. Elench. cap. 2. 6. Eth. cap. 3. 4. Met. t. 8. lib. 7. t. 42.* Et confirmatur, nam Anonymus *in 1. post. in init.* dicit in primis illis verbis Aristotelis deesse particulam *Ergo*, vel *Igitur*, continuatiuam illius libri cum prę cedentibus, ita vt mendum sit in codicibus græcis, & legendũ sit: *Omnis ergo doctrina, & omnis disciplina, &c.* Hinc ergo sequitur ex libris Priorum & Posteriorum vnum opus effici.

Secunda Propositio. Si non tam intentionis Aristotelis, quam rei ipsius ratio habeatur, non videtur absurdum dicere ex his libris, & *ex libris Poster. Topic. atque Elench.* vnum opus effici; nam hi omnes libri versantur circa tertiæ operationis directionem. Item quoniam par est vt eodẽ in opere materia & forma pertractetur, quo pacto nõ malè fortè diceret, qui vellet ex libris *de anima, & alijs de hist. & partibus animalium* vnum opus cõfici, quamuis propter magis vastam & amplam materiam de anima & animalibus causa fuerit aliquanto maior, vt illi libri distinguerentur. Certè Auer. *in Proleg. poster. lib. de partib. animalium,* appellat *lib. 11. de animalibus,* & eadem etiam de causa dici posset vnum opus, quod complectatur moralẽ

Philosophiam monasticam, Oeconomicam, & politicam.

Verum obiectum horum librorum.

Tertia Propositio. Iuxta opinionem nostram de obiecto totius Logicæ, dicendũ est, horum librorum, prout sunt pars quędam cum alijs duobus de posteriore analysi, obiectum esse tertiam operationem, vt dirigibilem secundum formam. Totius autem operis eandem, vt est dirigibilis secundum formam & materiam; nam quæ dicuntur in Topicis & Elenchis, non ita per se primo spectant ad directionem, sed tantum vt ea quæ vitanda sint, vt rectè ratiocinari possimus.

Quarta Propositio Sequitur ex dictis, inter Aristotelis libros hos *de Priori Resolut.* præcedere illos *de Posteriori*: nam id indicat inscriptio ipsa, tum etiam Aristoteles, tum in locis citatis, tum maximè *cap.* 5. *li.* 1. *pr.* vbi inquit, prius de syllogismo dicendum, quam de Demonstratione, eo quod vniuersaliter syllogismus est, demonstratio namque syllogismus quidam est. Et Auer. hoc ipsum probat *in proleg. Poster.* triplici ratione. Pari verò de causa sequitur immediatè libros Poster. post lib. Prior. collocandos esse; tum verò maximè si verum sit ex vtrisque vnum opus elici. Vnde profectò non videtur consequenter locutus esse Philop. qui cum cõcedat obiectum esse etiam Demonstrationem, nihilominus post hos duos vult statim collocari lib. Topicorum, tum libros Elenchorum. Similiter reprehendẽdus est Auic. qui contendit Topicos esse ponendos post libros Priorum, vt infert Auer. Nitebatur autem hoc argumento: Quoniam in alijs rebus quæ inquiruntur, vt obseruari potest passim apud Aristotelem, prius procedi videtur per rationes probabiles, quam per demonstratiuas. Ergo præcedere debẽt libri Top. &c. Quæ causa fortasse impulit alios, qui per se de arte hac scripserunt; vt prius ea persequerentur, quæ ad inuentionem & part. Top. pertinebant, quam alia. Quod fecit Boet. & Rudolph. Hæc eadem ratio est Philop. Et prætereа, quia probabilis syllogismus vniuersalior est; at postulat doctrinæ ordo vt à magis vniuersalibus ad minus vniuersalia pedetentim gradum faciamus.

Sed respondendum est ad primum argumentum, non prius agendum fuisse de Topico syllogismo, quoniam se habent alij syllogismi tanquam priuatio, si cum demonstratiuo conferantur, & tanquam syllogismi minus recti & obliqui. Rectum verò est iudex sui & obliqui, vt ait Arist. *1. de anima.* t. 8 *t.*

Ad secundum. Probabile non se habet propriè vt vniuersale ad demonstratiuum & sophisticum syllogismum, sed tantum se habet, vt diximus, tãquam minus quid perfectum & priuatio, & vt condistincta species. Quo etiam modo Aristotel. *lib.* 1. *cap.* 1. propositionem tanquam in species diuidit in Dialecticam & Demonstratiuam. Potest etiam probabile dupliciter accipi. Vel id significat quod probari potest, nec est plane improbabile, & sic est quid commune ad necessarium, & quod propriè probabile dicitur, quod nempè euidentia & certitudine perfecta caret. Et sic nullibi agitur de probabili, sed tantum semel cum disputatur de syllogismo Topico & necessario. Alio modo probabile propriè vsurpatur, quo pacto est species quædam distincta syllogismi, sicut & necessarius. De horum librorum ordine lege Alb. & Doct. Louan.

Obijcies Cap 1. *& lib.* 1. Aristot. dictum esse ait in Topicis de illis ipsis rebus, de quibus in præsentia disserit. Ergo antecedunt libri Topici. Resp. Nulla est consecutio, vt etiam infrà explicabimus.

Quinta Propositio. Sequitur ex dictis quatuor hos libros esse inscriptos Analyticos. Primos quidem priores, alios autem duos posteriores, quoniam præcedit argumentandi modus & forma materiam cui illa duo applicantur.

Cur autè inscribantur *Analytici*, multas solẽt Interpretes congerere causas. Breuiter Analysis seu Resolutio, finitor ib. Alex. & Philop. est regressus rei in ea ex quibus componitur. Quare opponitur compositioni; & sicut hæc, ita & illa multiplex est, de quib. diuisionibus lege Alex. Compẽdiò autem tripliciter eam diuidit, Danes. apud

apud Buranam *hic, & infrà sect. 3. inanu,* nempè in Naturalem, Mathematicam, & Logicam. *Naturalis* est verbi gratia mixti in elementa, vel compositi in materiam & formam. *Mathematica*, authore Themist. est, vera conclusione posita propositiones ex quibus confecta sit inquirere. *Logica*, quæ etiam appellari potest rationis, duplex est: Vel rei incomplexæ, vel complexæ. Si incomplexæ, aut est essentialis in partes essentiales, aut effectus in suas causas, aut totius integri in partes integrantes. Sumitur autem nomen resolutionis rationalis pro ea quæ mente tantum fit, & non per realem separationem, & potest etiam ad Metaphysicam, aliasque scientias transferri. Si autem resolutio fit rei complexæ, est resolutio syllogismi in suas partes integrales propinquas & remotas, de quibus iudicandum est an rectæ sumptæ sint, & rectè cohæreant, an non. Hęc iterum duplex est: Prior est in principia necessitatis consequentiæ, hoc est quæ certò & infallibiliter indicat consequentiam syllogisticam esse necessariam, & illatam conclusionem sequi ex propositionibus assumptis tanquam ex principijs illationis, ob idoneam medij termini cum extremis collocationem; & appellatur Resolutio, quia tenditur ratione solius formæ. Posterior est in principia necessitatis consequentis, qua deprehenditur necessitas cõsequentis, seu conclusionis ex necessitate principiorum assumptorum, & appellatur resolutio materialis, quoniam fit ratione materiæ necessariæ, & illa appellatur resolutio prior, hæc autem posterior, quoniam ista necessariò illam priorem supponit, ideoque libri qui tractant de dicta præcedenti resolutione, appellantur, analytici priores, qui autem de posteriori, posteriores. Alia de Resolutione *in lib. de Demonstratione* dicemus. Quare omittendum est quod Ale. ex Platone refert, triplicem esse resolutionem: A sensibilibus ad intelligibilia, vt à bono corporis ad bonum animæ, ab hoc ad bonum quod in legibus est. Denique ad infinitum bonitatis pelagus, quod est Deus. Secundam Resolutionem dicebat Plato esse regressum à demonstratis & subdemonstratis ad indemonstrabiles & immediatas propositiones, de qua in lib. de Demonstratione. Tertia erat, ascendens à suppositione ad principia quæ non egent suppositione. Obseruandum etiam est quod diximus dum ageremus de instrumentis, visum esse Platoni resolutionem esse distinctum quoddam Dialecticæ instrumentũ. Alij autem dixerunt esse Demonstrationẽ quia, nonnulli etiam demonstrationem propter quid, secuti, vt ipsis videtur, Galenum *lib. 1. artis Paruæ.* De qua re alias dicemus, & legatur Haly hoc loco. Verum ex duplici illa resolutione, quæ ad rem nostram facit, ortum habuit celebris illa Dialecticæ distinctio in *Iudicatiuam & Inuentiuam*, vt Iudicatiua dicatur de libris Analyticis, Inuentiua autem de Topicis & Elenchis; non quod solummodo conueniat libris Analyticis modus resolutorius & iudicium, vel alijs tantum libris inuentio; potest enim proportionaliter fieri resolutio etiam in Top. & Elenchis. Et inuentio locum quoque habet in Analyticis, imò quod rectè obseruant Doct. Louan. *init. Top.* nulla ferè Logicæ pars est, quæ non simul contineat & ea quæ ad inuentionem pertinent, & ea quæ ad iudicium, quod testatur Boëtius *in Top. 6 in init.* nam, inquit, etiam cum definit aliquis, vel diuidit, inuenit definitioni diuisionique differentias accommodatas; sed an rectè vel definiat, vel diuidat, iudicatione perpendit. Sic etiam in Analyticis præcepta adhibentur & regulæ inueniendi medij syllogistici, & dicti simpliciter ac demonstratiuè. Insuper in Topicis traduntur propositiones quædam maximæ, secundum quas Dialecticos construamus syllogismos. Hæc Boët. Nihilominus dicuntur isti libri simpliciter Resolutiui & Iudicatiui à parte principaliore, inquit Philop. Etsi enim in his libris sit quædam ratio compositionis, cum syllogismus sit comprehensio quædam propositionum, & propterea syllogismi ortum & copiã subministrat Arist. tamen quoniam resolutio, quam vltimo

loco intendit, est antiquior, & magis præcipua, quia omnis syllogismi figura ex propria resolutione pendet, & qui artem resoluendi tenet, etiam & componendi. Ideò absolutè sic appellandi sunt isti libri, quemadmodum & Topici dicti sunt Inuentiui, ab eo quod præcipuè spectant. Aliter respondet Nyphus 1. *Post.*

De Diuisione huius libri.

DVo sunt hi libri Priorum. In primo agitur de natura Syllogismi. In secundo de passionibus & proprietatibus eius. Primus in tres partes iterum distribuitur. In prima disputat Aristoteles de his quæ spectant ad structuram syllogismi, id est, de Partibus, Figuris, & Modis. In secunda de arte inueniendi medium ad probandã quamcunque conclusionem. In tertia de reductione imperfectorum syllogismorum ad perfectos, quam partem vocat Alex. Resolutionem.

CAPVT PRIMVM.

DVo potissimum facit hoc in capite. Primo. Proponit scopum & intentionem. Secundo. Præmittit quasdam definitiones eorum de quibus postea acturus est.

PRIMA PARS CAPITIS.

DIcit sibi agendum esse de Demonstratione & scientia demonstratiua. Secundo. Esse definienda hæc omnia: Propositionem, Terminum, Syllogismum perfectum & imperfectum, Esse in toto, Non esse hoc in hoc, Dici de omni, & Dici de nullo.

EXPLICATIO VERBORVM.

PRimum dicere.) nempè χρῆ *oportet*, per dialectum Atticam. Sic omnes ferè Interpret. præsertim Philop.

Circa quid & cuius sit consideratio.) Parui, inquiunt Doct. Louan. refert, cur dixerit *circa quid & cuius*; sed hoc inquirere, est nodum in scirpo quærere. Alij tamen id non omittunt, vt Alb. Auerr. Philop. vt nempè particula *circa*, quæ deinde refertur ad Demonstrationem, significet finem extrinsecum, quo referendi sunt isti libri. Particula autem *cuius*, nempè demonstratiuæ scientiæ consideratio, significet vtilitatem librorum de Demonstratione. Sed fortè melius est iuxta ea quæ diximus, quod etiam notat Nyphus, per demonstrationem explicari finem intrinsecum, seu obiectum istorum librorum, qui vna cum duobus posterioribus vnum opus faciunt: Per scientiam autem demonstratiuam finem extrinsecum & vtilitatem. Cæterum quod dixit Demonstrationem & scientiam demonstratiuã, Philop. Alex. Mag. intelligunt per scientiam habitum ipsum, & per demonstrationem actum. Quare Philop. confert ista cum sensu & sentire, nam sensum etiam dormientes habemus, sentire autem non nisi vigilantes. Auerroes autem per Demonstrationẽ intelligere videtur artem ipsam conficiẽdæ demonstrationis per scientiam cognitionem de re demonstratiua. Melior tamen fortè expositio est, pro eodem sumi vtrumque; Vnde *cap. penult. lib. 2. Post.* de syllogismo, inquit, igitur ac demonstratione, ac scientia demonstratiua &c. manifestum est, simul verò & de scientia demonstratiua, idem enim est. Quod ipsum non obscurè significat Alex. Sensus denique est sibi esse propositum considerare ipsammet operationem intellectus, & cõsequenter modum quo rectè fieri posset.

Circa demonstrationem &c.) Legit Alex. etiam cum accusatiuo scientiam demonstratiuam, & tunc regetur à particula *circa*: si verò legamus cum genitiuo, refertur ad illa verba, *cuius sit consideratio*.

Notanda.

NOtandum primo: Mos est Aristotelis primum proponere totale obiectum, deinde partes & principia. Sic init *Post. Top. Phys.* quanquam & id verum est quod Philop. monet, imitatum esse Geometras, qui theoremata semper præmittunt, quæ ad ea quæ probanda sunt conferant: hæ autem partes quæ explicandæ proponuntur, sunt quidem, vt Ægid. & Nyph. obseruant, intentione Posteriores, quare

secundo

secundo loco positæ sunt, sed Priores executione.

Notandum secundo. Prius proposuit agere de propositione quam de termino, quoniam vt quidam dicunt apud Phil. à nonnullis incipere voluit, de termino enim aliqua ratione egerat *in lib. Periberm.* præsertim cum termini nomen alijs adhuc inauditum esset, & primum ab Aristotele excogitatum. Verum quia nō potuit intelligi terminus fine propositione, dicturus enim erat terminum esse eum, in quem resoluitur propositio, vtrumque respondet Mag.

Notandum tertio. Cum de quauis re quæri possit quid sit, & quas causas habeat, hæc omnia Aristoteles proponit se de syllogismo ijs in libris persequi velle, quid sit, dum ait quid sit syllogismus, causam materialem dum subdit quid sit propositio, quid terminus: hæ enim sunt partes quæ locum habent materiæ. Efficientem, cum dicit quid in toto esse, aut non esse, hoc in hoc, & quid de omni & nullo prædicari; nam hæc sunt principia regulatiua, & velut effectiua syllogismi. Finem, dum initio proposuit sibi agendū esse de Demonstratione, Formalem causam, cum sibi agendum esse dixit quid esset syllogismus. Denique etiam accidentia dum ait, & quis sit perfectus, & quis syllogismus imperfectus, intelligens per perfectum, syllogismos primæ figuræ, vel directos, vel indirectos, vt Philop. & Magent. volunt. Per imperfectum verò, vel indirectos primæ figuræ, vel solos alios cæterarum figurarum.

Notandum quarto. Dum Aristoteles agit de termino, simul etiam implicitè disputat de nomine & verbo, quod etiam fecit Bo *in lib. suo de syllogismo categorico.* qui his libris respondet. Et quemadmodum etiā obseruat Philop. ista re & subiecto eadem sunt: Terminus, vox simplex, nomen, & verbum, sola autem habitudine differunt, & vt alia omittam, terminus dicitur in ordine ad propositionem, & quatenus est pars cuiusdam syllogismi. Sic etiam Enunciatio, propositio, problema, instantia, interrogatio, & conclusio idem sunt, differunt tamen ratione quadam & consideratione, & inter cætera propositio quæ ad rem facit, dicitur ratione syllogismi, & ita appellatur tanquam quæ proponatur vt concedenda, & illa ex qua aliud in syllogismo inferatur. Quare errat Valla *cap. 44. Dialecticæ*, asserens Enunciationem esse genus propositionis: Cum enim te idem sint, non potest vnum alterius genus esse. Hoc etiam est quod *sup. in prol. lib. de Im.* diximus disputari ab Aristotele in illis libris de Enunciatione, vt quidem refertur ad syllogismum, non tamen vt est actu propositio & pars syllogismi.

Notandum vltimo, In toto esse & Dici de omni, vt etiam notat Mag. re idem sunt. Hoc solum differunt, quod esse in toto dicitur respectu prædicati, vt consertur ad subiectum, vt: Omnis homo est animal, quia prædicatum dicitur de omni homine, & de toto homine. Esse autem in toto, dicitur de subiecto in ordine ad prædicatum, quo pacto dicitur homo tanquam inferius esse in toto animali tanquā in suo superiore. Sed de his etiam postea.

SECVNDA PARS
Capitis.

PRimo. Definit propositionem, orationem affirmatiuam vel negatiuam alicuius de aliquo. Secundo. Diuidit in vniuersalem particularem, indefinitam. Tertio, ait differre propositionem demonstratiuam & Dialecticam, quod hæc vtrāque contradictionis partem contineat, illa verò non contineat, sed vnam tantū accipiat, atque demonstret, vtrique autem conuenire allatam propositionis definitionem, quam etiam syllogisticam vocat. Quarto. Definit terminum in quem dissoluitur propositio, vt in prædicatum & id de quo prædicatur. Quinto. Definit syllogismum, orationem in qua positis quibusdam, alterum quid à positis necessè est contingere, eo quod hæc sint. Sexto, Ait syllogismum perfectum esse, qui nullo eget vt necessarius appareat, præter sumptas propositiones, imperfectum vero, qui aliquo alio extrinsoco indiget. *Propositionis definitio & diuisio.*

Septimo. Esse in toto, & dici de omni, idē esse, dici verò de omni, esse, cum alterum de subiecto, & omnibus sub eo contentis dicitur. Contrà autem dici de nullo.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

Vt non alicui.) Dicit particularem propositionem conuenire alicui, aut non alicui, vbi sensus solum est, particularem propositionem habere in se hunc terminum aliquis, aut affirmatum, aut negatū: Si enim accipiamus totum hoc, non aliquis, pro vno termino, non erit terminus particularis, sed vniuersalis negatiuus, qui idem significat atque nullus; sicut nō omnis significat aliquis non, non possibile significat impossibile, vt diximus, & Arist. hæc non semel vsurpat in suis exemplis. Eodem igitur modo intelligendus est cum eadem loquendi forma infrà Aristoteles *lib. 2. cap. 8. & 15. & 6. Ethic. cap. 7.* vtitur, & cum paulò post subdit: *Aut non omni*, illa particula significat, *Alicui non.*

Quemadmodum in Topicis dictum est.) Hinc primo infertur hos libros esse Aristotelis. Secundo. Ex hoc ipso loco quidā inferebant, *vt est apud Doct. Louan. init Top.* debere libros Topicos poni ante hos libros. Sed hoc argumentum friuolum est, vt diximus *in Proleg.* Imò verò licet hoc argumentum contrà illos retorquere; statim enim subdit Aristoteles quomodo differat propositio syllogistica, & demonstratiua, & dialectica, dicendum esse in sequentibus, videlicet *in libris de Demonstratione, & Topicis.* Itaque id semel obseruandum est, sæpè eos qui scribunt, dicere, in aliquo præcedente libro dictum à se esse aliquid in aliquo alio posteriore, quem vel iam meditati sint, vel certè etiam ediderint; non quod ille liber ordine prior sit, quoniam res illa de qua tunc agebatur, non erat præsentis instituti.

Terminum voco.) Nempè innouato à me nomine, vt ait Philop. & vt nos ex Amm. retulimus. *Dissoluitur.* Alij resoluitur, verbum græcum est ἀναλύεται, quod magis sonat, *dissoluitur* quam lectionem magis probat noster Interpres, cuius rationem dat in suo Compendio, quoniam resolutio est in partes formales, dissolutio in partes materiales, cuius est terminus.

Syllogismus est oratio.) Alij *Ratio*, nonnulli, vt Burl. in com. *Argumentatio*, quod postea ex professo examinabimus, cum agemus de genere syllogismi. Ex hoc autem loco sumunt Doct. Louan. initium alterius cap.

Aliud.) Burl. in comp. legit diuersum, græcè enim est ἕτερον.

Notanda.

Notandum primo. Inter diuisiones Propositionis Auerr. illam vult esse, qua propositio alia dicitur esse affirmatiua, alia negatiua, quam diuisionem appellat secundum qualitatem, cęteras autem quę sunt hic apud Aristotelem secundū quantitatem; & sine dubio colligitur hæc diuisio ex definitione, vel descriptione potius propositionis quam affert Arist. dum inquit, Propositionem esse orationem affirmatiuam vel negatiuam. Diximus autem alias has esse species Enunciationis, nec propriè definiri propositionem, vel Enunciationem per illas. Et in hac re benè sentit Alex. contra Ph. esse species propositionis, licet Alex. nolit propositionem vel enunciationem esse genus vniuocum ad vtramque, quem hoc loco sequitur Burl. Meritò autem Aristoteles talem descriptionem adhibuit, sicut & supra cum egit de Enunciatione; quoniam, vt inquit Amm. definita est Enunciatio vt est instrumentū Entis, in qua verum vel falsum est, hic autem cōsideratur propositio vt est pars syllogismi. Addit etiam quędā magis diuersificari species syllogismi per has duas species affirmationis & negationis, quam per quātitatem propositionum. Hoc idem dicit Ægid. Cæterum omittit Arist. propositionem singularem, vel quia ęquiualet particulari, nec propriè in scientijs locum habet, vel quia quod attinet ad formam syllogisticam, terminus singularis vim habet termini distributi: nec enim

in

plura distribui potest, quare quodammodo comprehenditur sub vniuersali, meminit tamen propositionis indefinitæ, quia etsi aliquando æquiualet vniuersali, æquiualet etiam interdum particulari, ideoque dat Arist. tantum exemplum in propositionibus indefinitis, quoniam illa materia partim est vniuersalis, partim particularis, in materia necessaria vel contingenti. Tum etiam quia æquiualet propositio indefinita vniuersali & particulari, & illis solum addendum est signum vniuersale, vel particulare. Addunt Doct. Louan. propositionem mixtæ quantitatis, vel ex vniuersali & particulari, vt, Cuiusque hominis alter oculus est dexter. Vel ex vniuersali & indefinita, vt, Omnis animalis voracis dentes sunt serrati. Et colligitur hæc diuisio ex his quæ Aristoteles docet de modo syllogizandi ex obliquis. Has omnes diuisiones ex parte quantitatis, & illam primam ex parte qualitatis vocat Auerr. secundum formam, quia vtiles sunt ad formam syllogismi. Cum autẽ Arist. ait differre propositionem dialecticam & demonstratiuam, Auer. & Burl. dicunt esse diuisionem ex parte materiæ, nec mẽtionem facit sophisticæ, quoniam vt idem Burl. ait, & Nyph. non spectat ad scientias.

Verum an habeat locum in syllogismo propositio particularis & singularis, loquendo præsertim de syllogismo demonstratiuo, solet esse grauis controuersia, quæ quod ad Demonstrationem spectat, melius *in libris de Demonstratione* dirimetur. Quod autem attinet ad syllogismum, disputat de ea re Bald. *in q.* 5. negatque præcisè locum habere in syllogismo. Alij tamen id communiter concedunt, dicentes singularem propositionẽ æquiualere particulari, & vt Ægid. loquitur, esse contractam particularem. Lege Storellam *opere de hac re contra Bald.* vbi vndecim argumẽtis id probat. Potissimum est, quoniam ingreditur particularis & singularis propositio Enthymema, Exemplum, Inductionem; hæc autem omnia ad syllogismum reducuntur, quod facit infrà Aristot quin etiam 1. *post. t.* 4. conficit Aristotel. hunc syllogismum: Omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis. Hæc figura est triangularis. Ergo. *Et* 1. *Ethic. cap.* 5. *&* *lib. de motu animalium, cap.* 4. ait syllogismi practici maiorem esse vniuersalem, minorem autem singularem. Et 1. *Post. comp.* 160. dicit quartam demonstrationem esse particularem, vel singularem, & non signatam signo particulari, vt habet Auerroes. Opinionem verò Baldi sequi videtur Albertus *tract.* 1. *pr. cap.* 3. Alij autem dicunt cum propositionis signatum singulare est, non ingredi huiusmodi propositionem syllogismum. Si autem sit tantum singularis terminus determinatus, ita vt natura vniuersalis sit, posse ingredi, vt si dicam: Hic homo est animal. Ita Aquilinus 1. *Phys. t.* 5. Dicendum tamen videtur propositionem singularem per se non ingredi syllogismum hic ab Aristotele definitum, illæ enim solæ propositiones ingrediuntur, quæ ab ipso sunt & diuisæ, & explicatæ, qualis non est singularis, quamuis vtrumque reuocari possit ad aliquam ex illis. Et confirmatur: debent enim omnes syllogismi hic definiri reduci posse ad primos duos primæ figuræ. Sed syllogismus constans singulari propositione non potest reuocari. Ergo Hæc sententia est Auerr. 1 *post. com* 4 Phil. *com. suo* 28. Durand. 2. *f. d.* 3. *quæst* 7. Burl. 5. *Phys. t.* 5. Bur. *hoc loco.* Quod si id negant aliqui, intelligendi sunt ad modum iam dictum, nempè propositionem singularem non propriè ingredi, sed particularem. Et si id quoque de particulari negant, loquuntur solum de propositione faciente ad scientiam, quo pacto 13 *Met. cap vlt* docet Aristotel. non posse ingredi syllogismum hanc propositionem: Hic triangulus habet tres angulos. Hoc planè docet Phil. 1 *pr sect* 2. *init.* Alb. 1. *pr. tr.* 1 *c.* 3. Nec tamen negauerim syllogismos particulares nonnihil conducere ad scientias vel ratione experientiæ, ex qua gignũtur, vel certè ad magis confirmanda principia scientiæ.

Notandũ secund. Hic tantũ definitur propositio categorica, vt ait Al. Hypothetica verò,

verò, non in eo, inquit, quod aliquid de aliquo dicatur, per se consistit, sed in consecutione, vel repugnantia veritatis, si de hypothetica propriè dicta loquamur, quę cõditionalis vocatur. Copulatiua autem pendet ex simplicibus, quare nihil ab illis differt. Item hic definitur propositio vt est tantum de tertio adiacente, vel quoad vocem, vel quoad saltem ęquiualentiam; nam definitur propositio quæ ex ijs constat, quæ tãquam termini resolui possunt in subiectum & prædicatum, per se distincta à copula, & debet semper propositio constare ex medio, termino, & altero extremorum. Vnde etiam sequitur terminũ hic accipi vt idem significat quod subiectum & prædicatum. Est autem obseruãdum appellari terminum hic ab Aristotele ὅρος μον, quæ dictio alibi significat *definitionem*, vt 1. *Top. cap.* 4. vbi, *terminus*, inquit, *est oratio, quod quid erat esse explicans.* Quia autem significat hæc vox in communi id omne quod terminat, vsurpatur hic ab Aristotele, quatenus, vt ait Alexander per terminum propositio terminatur, vel vt ait Philop. quia in hunc syllogismi dissolutio terminatur.

Notandum tertio. Quod supra diximus ex Aristotele de Esse in toto, & Dici de omni, intelligi debet de Dici de omni prioristico; est enim aliud quod Posterioristicum dicitur. *Prioristicum* autem in hoc consistit, vt in propositione subiectum sit distributum, quomodocunque tandem id postulet natura rei. *Posterioristicum* est, cũ prædicatum inest in re semper & necessariò, & omnibus sub eadem comprehensis, quamuis fortè Enunciatio vniuersalitatem non præ se ferat, vt: Homo est animal.

Notandum quarto. Circa definitionem syllogismi multa sunt examinanda, quod vt commodius fiat, breuiter est nobis instituenda de eodem disputatio.

DISPVTATIO DE *Syllogismo in communi.*

SVpponi debet initio, dari syllogismum contrà Ephecticos, quorum secta & Aporematica, ijdemque Authores sceptici, quasi hæsitantes & dubitantes appellati sunt, & præcipui illius sectæ Authores à Pyrrhone *Pyrrhonij* dicti sunt, vt habet Laërt *lib.* 9. & Empiricus in suis libris hypopos. de quibus etiam lege Ciceronem *in Acad quæst.* & contrà hos nos agemus *in tr. de scientia.* Tota igitur ferè disputatio nostra erit in examinatione definitionis ab Aristotele tradita, eaque tantum attingemus, quæ in compen. omissa sunt. Quia verò syllogismus est argumentatio & operatio quædam intellectus, quæ appellatur discursus, pauca etiam de eodem necessariò præmittenda videntur.

QVÆSTIO PRIMA.
De Discursu in communi.

MVltò adhuc magis supponi debet dari in rerum natura discursum, siue tertiam intellectus operationem, quam D. Thom. 1. *p q.* 14. *art.* 7. 58. *art.* 3 85. *art* 5. 1. 2. 89. *art.* 4. 1. *contrà gent. cap.* 57. & 58. *li.* 3. *cap.* 91. *De ver q* 2. *art.* 3. *ad* 3. & *q.* 8. *art.* 15. *in corp* & *ad* 2. ait esse cognitionem vnius ex alio, seu per aliud, & post aliud. Et hæc est communis omnium sententia, quicquid Scotus dissentire videatur 5. *sent. in proleg q. An Theol sit scientia,* & 2. *f. d.* 7. *q.* 1. & *d* 9. *q.* 3 Arum. 2. *f. d* 7. *q* 5. *a.* 2. Contrà Scotum verò lege *cap* 2. *f d* 9. *q.* 2. *ar.* 3. *ad* 1. *contra* 6. *concl.* Ex qua discursus explicatione sequitur, includere plures propositiones illatione colligatas, sicut secunda operatio plures terminos copula coniunctos. Et quemadmodum secunda operatio est iudicium quoddam quod vnum alteri inest, quod exprimit copula; ita discursus vel argumentatio continet formaliter iudicium quod vna propositio sequatur ex alia, quod exprimit particula illatiua *Et*, quoniam in hoc vtraque conueniunt secunda & tertia operatio, quod iudicium de re ferant, & quod sint complexa operatio intellectus. Ideò fortasse Arist. 3 *de anima t.* 21. duas tantum intellectus operationes recenset, scilicet, simplicium apprehensionem, seu indiuibiliũ, vt ipse loquitur, in qua nec est verum, nec falsum. Et compositionem, in qua hæc ipsa reperiuntur. Hoc tamen interest inter

vtramque

utramque operationem, quoniam secunda operatio aut est affirmans, aut negans, tertia verò, quod fortassè mirum alicui videatur, semper est affirmãs, in hoc sensu quoniam etsi conclusio negans esse possit, semper tamẽ iudicium est affirmatiuum, quatenus videlicet iudicatur vnum ex alio necessaria illatione sequi. Cæterum quomodo distinguatur tertia hæc operatio à secunda, & de proprietate ac quidditate, non est huius loci.

Notandum secundo. Quæcunque alias diximus *in Comp.* de discursu formali, vel de formali consequentia, eiusque regulis, omnia huc transferenda sunt: solet enim appellari discursus formalis, cum consecutio fit non tam ob euidentem, & per se necessariam connexionem materiæ, tunc enim dicitur materialis discursus, quam ob aptam dispositionem terminorum maioris, minoris, & medij in idonea tum figura, tum modo, de quibus etiam alias dictum est. Habuit autem, vt ait Philop. *init. Pr.* ortum discursus ex ignoratione rerum, atque eamdem peruestigatione, quia inquisitum est vtrum aliqua sint verè connexa, an non? Quod vbi primo & per se constat, non est amplius, inquit ille, discursu opus. Vel etiam initium habuit discursus, vt obseruat D. Thom. *in 1. p. & 1. cont. gent locis citatis.* Et Alb. *Dial de apprehens. p. 6.* ex debilitate nostri intellectus, qui conceptus, quos de re habet confusos & imperfectos, perficit deinde paulatim per tertiam operationem.

Notandum tertio. Discursus & argumentationis species vulgo quatuor enumerantur: Syllogismus, Inductio, Enthymema, Exemplum, de quibus tribus vltimis nihil præter ea quæ diximus *in Comp.* & paulò post eum Aristotele dicemus. Præsertim cum Arist. & alias sæpè, tum *1. Post. cap. 1.* dicat esse illas rationes Rhetoricas. Quod autem aliqui distinguant consequentiam ab argumentatione, fortè apud Alex. *leg. 1. Pr. cap. 1.* Ratiocinationem omnem esse consequentiam, non autem vice versa, perperam faciunt; nam ipsamet cõsequentia non est aliud, quam discursus & argumentatio quædam. Alex. autem loquebatur de syllogismo, præter quem Inductio aliæque species sunt consequentiæ quædam, non autem syllogismi. Eodẽ modo reijciuntur ab vera ratione argumentationis nonnulla alia, de quibus Alex. Sed nominatim dubitari solet de conuersione, quæ tamẽ, vt rectè notant Doct. Louan. potius dicenda est principium perfectiuum syllogismi, quam vlla certa species argumentationis. Iam verò de enumeratis speciebus constat dici argumentationem solum analogicè, nam primariò & per se de syllogismo dicitur de alijs per habitudinem & respectũ ad illud. Dices: Atqui in definitione syllogismi non est posita *argumentatio*, sed *ratio*, vel *oratio*. Ergo non est genus. Propterea Burl. & alij quidam recentiores volunt dictionẽ λόγος in definitione syllogismi Latinè reddendã esse *argumentatio*, & inquit, Burl. lutatem animã Philosophi, nunquam per λόγον intelligẽdam esse orationẽ, sed sciebat bonus vir paruam se facturum iacturam, si causa caderet. Quare enim deserit Bardolinus ipsius discipulus, & meritò: credendum enim est hac in re Græcis qui omnes vertunt, *orationem*, quamuis hoc ipsum nomen λόγος inter alia id quoque significet argumẽtationem & discursum, quod etiam *Rationis* dictio latinè significare potest, vt *1. Top. cap 3. lib. 8. ca. 3. 4. & 5.* Obijcit etiam Burana primo Nam dicẽdum potius fuit *orationes*, quam *oratio*. Secundo. Quia non est oratio proximum genus, nec contrahitur per proprias differentias, quod tamen faciendum in definitione monet Aristot. in qua genus proximum assumitur. Denique quoniam ita definiuit Boët. *lib. 2. de different. Top* Galenus. *lib de hist. ph.* Resp. ad primum cum Alb. dici orationem, quia orationes & propositiones particulares vniuntur termino vno illationis, vel etiam vnico medio, vt Aristoteles docet *2. post. t. 11. & ibid.* Auer. &c. Instat Burl. sic etiam appellari posse totam Iliadem orationem vnam. Verum id est, imò ita vulgò loqui solemus; & apertè admittit Arist. *de arte poet. cap 20. & 2. Po. non semel.* Et ratio est, quia vna oratio est, quæ index est vnius alicuius

rei, seu operationis. Adde quod Aristot. hic definiuit propositionem & syllogismum, aliaq; omnia vt voce exprimuntur, ideò maluit pro genere ponere orationē, vt sibi in omnibus definitionibus consentiret. Confirmatur etiam ex Etymologia, dicitur enim syllogismus, inquit Alex. à σὺν & λόγος, quasi consermocinatio quædam, & orationum collectio & compositio. Ad secundum. Falsum est non cōtrahi orationem per differentias, quæ in seq. particulis continentur, vt docent omnes Interpretes, & nos dicemus. Ad vltimum. Nihil refert; verè enim & rectè vtrique siue argumentationem, siue orationem pro genere posuerunt.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid sit Syllogismus?

Nihil attinet hic disputare, quod tamē in quæstionem vertunt Interpretes, an de syllogismo haberi scientia possit; certum enim est, si de certa cognitione sub scientiæ nomine loquamur, haberi posse. Ita docet Phil. Ægid. &c. Ratio autem quæ in contrarium duplex potissimū afferri potest, nō habet peculiarem in syllogismo difficultatem, sed communem illi cum alijs multis, videlicet, tum quod syllogismus sit aliquid complexum, de huiusmodi autem ꝙ sicut nec definitio, ita nec scientia esse possit; tum etiam quod si habeatur de syllogismo scientia, necessè sit abiri in infinitum: nam per syllogismū scientia definitur. Hæc inquam ratio duplex eandē solutionē habet, atq; si contra definitionem, propositionem, aliaque id genus permulta afferantur. Dicendum enim est ista omnia simul & posse esse id quod scitur, & sibiipsis instrumēta vsciātur, quemadmodum de Dialectica initio diximus Præterea ista omnia etiāsi designent aliquid complexum, & dicant compositionem quandam rerum ipsarum in intellectu, tamen secundum se, vt sunt ipsa etiam aliquid, eam simplicitatem habent quæ satis sit ad scientiam, quod alij dicunt esse complexa in actu exercito, non autem in actu cognito, Hoc sic constituto, Aristoteles *hoc capite* ita syllogismum definit: *Est oratio in qua positis quibusdam, alterum quid à positis necesse est contingere, eo quod hæc sint.* Eadem definitio colligitur ex *1. Top. cap. 1. 1. Elench. cap. 1. 1. Rh. cap. 2.* Primam partem huius definitionis ante explicauimus. Secunda pars est, *quibusdam*, ex qua sequitur plures in syllogismo propositiones esse debere, hoc est, duas vt minimum. Ad excludendum, vt inquit Alexand Philop. Magent. quæ apud Rhetores dicuntur *Monolemata*, nos *solicapias argumentationes* vertere possumus, vt sunt Enthymemata. Quemadmodum sunt etiam Dilemmata, quasi dicas *binicapias argumentationes*, sunt enim velut duplicia Enthymemata. Hoc ipsum ex notatis nominis sup. probabat Alex. & Aristot. docet *1. Pr. cap. 25.* Tertia particula est *Positis*, hoc est primo dispositis, & certa quadam methodo & ordine collocatis in figura & modo, vt aiunt *Doct.* Louan. & Burl. & indicant Alexan. & Ægid. quod tamen alijs displicet, quoniam; inquiunt, sequeretur esse superuacanea quæ subdantur. Vel secūdo, vt inquit Nyphus, qui priorem rationem videt. *Positis*, id est, concessis, præmissis, vel assumptis. Ita etiam Auer. Mag. Bo. *li. 2. de differentijs Top.* & D. Tho *op. 48.* Vel tertio, quoniam sequi videtur solum definiri syllogismum, quem vocāt probatiuum. *Positis*, id est, vt etiam Alex. addit & Burl. propositionibus Categoricis & prædicatiuis, non autē hypotheticis tantum & suppositiuis, quæ supponi potius dicuntur, quam poni. Secundam explicationem huius particulæ probare videtur Gell. *lib. 15 c. 26.* Sic enim veluti verbum verbo reddens, hanc Arist. definitionem vertit: *Syllogismus est oratio, in qua consensis quibusdam & concessis, aliud quid, quam quæ concessa sunt, per ea quæ concessa sunt, necessariò efficitur.* Quarta particula *Alterum*, id est, diuersum, ait Burl. nō verò *aliud*; græcè enim ἕτερον, non ἄλλο, quæ quemadmodum differant, patet ex Porp. *in cap. de differentia & proprio.* Significatur verò hac particula, debere esse id quod ex præmissis sequitur diuersum ab ijsdem, siue ab antecedenti; nec enim res

acci-

accipiuntur, inquit Auerroes, in ostensionem sui ipsarum, sed alicuius alterius. Quare hinc excluduntur, vt notant omnes Græci, præsertim Alexander, syllogismi qui appellantur ἀδιάφοροι, hoc est indifferentes, & vt ita dicamus, bis lati videlicet, bis idem repetentes, vt: Si dies est, dies est, sed dies est, Ergo dies est. Denique excluduntur illæ omnes ratiocinationes, quæ principium petunt, hoc est, quæ id assumunt, quod deinde concluditur, quod etiam obseruat Ægid. Syllogismus enim, inquit Alexan. est instrumentum alicuius vsus causa: Quare qui inutilis est, ne syllogismus quidem appellandus est, quod præterea probat facta inductione per omnes species syllogismi: Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum. Vnde etiam Philop. Præmissæ, inquit, sunt gratia conclusionis, sed idem suiipsius gratia non est, sed alterius, cum habeat instrumenti rationem. Tandem sola obscuri manifestatio per id quod clarum est, vtilis est in syllogismis. Sed idem seipso non potest esse magis minusque perspicuum. Ergo &c. Ponitur etiam hæc particula *Alterum*, tanquam correlatiuum præmissarum duarum propositionum, quæ vnius antecedentis rationem habent, si cum conclusione, quæ antecedens appellatur, comparetur. Quinta particula *Quid*, hoc est, *aliquid determinatum*, inquit Magent. Quare propter hanc particulam reijciuntur argumentationes inutiles, in quibus nihil nec omni, nec nulli, nec alicui, nec non omni, siue alicui non, inducitur. Hoc ipsum docet Philop. Sexta particula: *Necessè est contingere*. Per hoc, inquit Ægid. excluditur Exemplum, quod est argumentum Rhetoricum, nec necessariò concludit, quin etiam in genere excluduntur argumentationes, in quibus non fit necessariò illatio, vt notant Alexan. Philop. Auerr. & alij. Intelligitur autem de necessitate consequentiæ, quamuis sæpè non sit necessitas consequentis, sed contingens esse possit, vt inquit Alexand. & Philop. hic, & Auerroes *Epit. Log.* Est enim obseruandum, aliam esse necessariam illationem consequentiæ, aliam consequentis: Illa fit ratione formæ, ista autem ratione materiæ; quare in legitima forma nunquam potest negari consequentia, & in Enthymemate non debet distingui consequentia, quæ simpliciter infertur, erit enim semper aut vera, aut falsa, sed consequens, vt diximus *in Comp.* Quod verò dicitur, *necesse est contingere*, contradictionem videtur inuoluere; nam quod necesse est, non contingit, sed sensus est, inquit Scotus, quod si præmissæ veræ sint, & conclusio formetur, necessariò quoque ipsa vera erit. Intellige per præmissas veras, vel reuera, vel in opinione. Denique *contingit* sæpè significat idem quod euenire, aut fieri, aut sequi, siue necessariò, siue contingenter. Per hanc particulam excluduntur Inductio & Exemplum, inquit Leui Gersonides, quæ nullam habent necessitatem, nisi fortè omnia per sensum singularia accipiantur. Sciendum est autem in syllogismo plures actus plurium iudiciorum concurrere; sunt enim plures propositiones, nihilominus cognita maiore & minore, & mutua earundem connexione, videtur aut eodem instanti, aut non multò post tempore necessariò sequi iudicium de conclusione, quod ex definitione ipsa potest colligi, significat enim definitio, se habere præmissas vt causam efficientem, quod præterea apertè docet Aristoteles 2. *Phys. t.* 89. Vbi autem causa est sufficienter disposita, sequitur necessariò quamprimum effectus. Nec tamen me latet Aristotelem 2. *Phys. t.* 31. referre præmissas ad causam materialem, & 5. *Met. t.* 3. Sed Simplicius & Auerroes 2. *Phys.* Alexander autem 4. *Met.* dicit præmissas respectu conclusionis, & rei quæ per conclusionem scitur, se habere vt causam efficientem, respectu autem totius syllogismi se habere vt causam materialem, conclusionem autem vt causam formalem, quod rectè declarat D. Thomas ad illa loca Aristotelis, dicuntur enim præmissæ, materia, quoniam ex illarum terminis construitur conclusio. Sic etiam intelligendi sunt

Philop. 2.*com.*19. Eust. *ibid.* Alex. 1.*pr.tx.*1. Quod autem præmissæ sint causa efficiēs, docet D. Thom. 1.*cont.gent.cap.*17. Ferrar. *ibid* Ba. Ven. & Soto 1 *po cap.*8. Gregor. *in prol q.*3 *art.* 1. Denique Auerr. sæpissimè, aliique omnes Interpretes appellantes *prænotionem*, siue *præcognitionem agentem*, de qua in lib. *de demonstratione*. Solus Appell. ex veteribus id negat 1 *p. q* 2. dicens præmissas se habere vt dispositionem. Nihil autem absurdi est, vt tenet probabilis opinio, de qua modo non disputo, eodem instanti aliquam potentiam plures actus exercere si subordinati sint, sic enim dum iudicium de re aliqua ferimus, necessariò simul videmus rem illam apprehendere, quod tamen est opus distinctæ potentiæ, vel certè sunt distincti actus eiusdem. Ex quo sequitur de ratione syllogismi & discursus non esse vt vnum ex alio inferatur diuerso tempore, sed tantum diuersis actibus. Sciendum præterea est, cum assentimur cōditioni, debuimus prius assensum præbere præmissis, non tamen illo ipso actu, quo præmissis assensi sumus, nisi vt summum virtualiter, quo pacto qui medicinam amat, virtualiter amat etiam sanitatem Hoc docent *cap.*1.*s d.*1.*q.*1.*ad arg. contra* 4.*concl.* Dur. 2 *s d.*38. *q.*3. *ad* 3 *arg.* Aureoli. Adam apud Greg. *in prolog q.*3. *art.*1. Et indicat D. Thom. 1.2 *q.*8.*art* 3.& *ibid.* Caietan *expressè*. Item D. Thom. *q* 11. *art* 4. *q* 57 *art* 2. *ad* 2. Zons. 6. *Met qu.*10. Greg. *loco cit.* Quamuis duo hi posteriores sentire videantur eodem actu & præmissis conclusioni tanquā obiecto quod nos assentire, & non solum tanquam vni propter aliud. Probatur autem quod hi actus sint simul, præter ea quæ dicta sunt ex 1.*po.t* 2. iuxta omnium ferè Latinorū Interpretationem, vbi inquit Aristoteles. *Est autem cognoscere, alia quidem prius cognoscentem, quorundam verò & simul accipiētem conclusionem*, id est, cōclusio cognoscit ex priore propositione quę tempore prius cognoscit, sed simul tempore cum posteriore, hoc est cognita vtraque præmissa; siue prior illa sit maior, siue minor. Si enim maior, simul cum minore, erit cognitio conclusionis; si minor, simul cum maiore. Ideò cum Arist. & alij Philosophi non semel priore loco ponunt propositionem eam quę esset postponēda, volunt nihilominus retineri propriam vtriusque collocationem, vt maior dicatur non quæ priore loco, sed in qua maius extremum cum medio contingitur. Aristoteles verò ibidem exemplū posuit cum maior priore loco cognoscitur. Idem docet Auerr. *quæsito* 8. *colum.*5. & Thom. 1.*post.in t.*2. *Periherm.lect* 13.1.*p q.*82.*art.*2. *in corp.* Alber. 1.*po.t.*2. Sed quod hæc non fiant vnico actu, probatur; nam præmissæ sunt magis certæ quam conclusio, quia propter quod vnumquodque tale, & illud est magis tale 1.*po.t.*5. Tum quia ex præmissis vna est affirmatiua, alia negatiua Conclusio partim affirmatiua partim negatiua, non potest autem vnus & idem actus esse magis & minus certus esse affirmatiuus & negatiuus. Confirmatur. Experimur enim assensum conclusionis in nobis, absque eo quod de principijs cogitemus. Sicut etiam experitur quis quandam appetētiam medicinæ, etiamsi nihil actu de sanitate cogitet Hoc est contra Ocam *in prol. q* 8. vbi asserit posse esse vnicum actum, cum tamen *q* 1. & 2. concedat posse esse & actū & habitum vnum distinctum solius conclusionis. Eodem modo loquitur Gabriel *in prolog q* 8. Multò magis est id contra quosdam recentiores, qui dicunt habito assensu conclusionis semper & necessariò elici assensum principiorum & conclusionis, quem appellant scientiam comparatam videlicet per Demōstrationem. Nominales verò, cum sit dictus assensus, vocant sapientiam. Quoniam autem hæc res pertinet tum ad tractatum De scietia, tum ad libros De anima, satis nobis est earum vi ad consequentiam rescindam statim, vel eodem instanti, vt quidam volunt, vel imperceptibili post tempore sequi necessariò assensum conclusionis. Nec aliud potest necessariò ex Aristotele 1. *po. t.*2. inferri, quamuis enim dicat simul cognoscentem aliquid aliud cognoscere, sensus est potest, simul, hoc est eodem ferè momento. Multi alij interpretantur simul, id est, absque alio medio. Lege etiam D. Thom.

D. Thom. 1. *cont. gent. cap.* 55. & 57. *q.* 8. *de Ver. art.* 15 1. *p q* 14. *art.* 7. Confirmantur quæ dicta sunt, nam alius etiam dicitur habitus conclusionis, alius autem principiorum. Ergo & actus. Cum autem dicitur sapientiam constare ex habitu intellectus, seu ex habitu principiorum, & ex habitu scientiæ, sensus est sapientiam esse cognitionem, sed per altissimas causas & principia, quorum si per se sumantur, habitus est intellectus, quomodo autem distinguatur sapientia à scientia, est alterius loci.

Obijcies. Eodem actu volumus medium propter finem, & ipsum finem. Ergo eodem actu assentior conclusioni propter præmissas. Responderi potest, dispatem esse rationem; medium enim nullam propriè habet appetibilitatem quatenus medium est, sed totam à fine, præmissæ verò aliquam in se continent veritatem distinctam à veritate conclusionis. Quod si aliunde medium aliquando habeat propriam aliquam appetibilitatem, cum credibile est appeti medium ratione illius appetibilis distincto quodam actu, quanquam de hac ipsa te grauis est quæstio apud Morales Philosophos & Theologos *in* 1. 2. an possint in eundem actum coalescere appetitio medij & finis. Septima & vltima particula est: *Eo quod hæc sint*, Quam Arist ipsemet explicat, dicit enim sequi conclusionem, *eo quod hæc sint*, id est sine vlla alia extrinseca propositione, & ob solas præmissas positas, siue intelligas ordine dispositas, siue concessas, seu, vt ipse dicit, eo quod hæc sint, hoc est, propter hæc. Quare excluduntur Enthymemata, quæ egent extrinseca aliqua propositione, vt notat Alexander, quoniam illis tanquam in animo inclusa desideratur alia propositio. Excluduntur præterea quidam syllogismi, vt vult idem Alexan. quos Stoici *sine methodo* appellant, nempè qui non concludunt, nisi adiungatur aliqua alia propositio; vt si dicamus: Primū secundo est maius, secundum tertio. Ergo primum tertio; necesse enim est ponere aliam propositionem, quod maiore maius est, minore etiam maius est. Notandum etiam cum Alex. per hanc particulam non intelligitur præmissas debere continere causam necessariam rei quæ per conclusionem infertur, alioquin sola demonstratio hac definitione comprehenderetur. Sensus igitur tantum est inferri cōclusionem ob vim quæ in præmissis inest, propter aptam earum dispositionē, quomodocunque tandem se habeat materiale propositionum, ad materiale conclusionis. Idem obseruat Philop. & hæc quidem ex Aristotele, quæ omnia comprehendit sua definitione Albumazar *cap.* 5. *lib. de syllogismo* dicens: *Syllogismus est oratio in qua ponuntur res plures; vna, quæ postea quā compositæ sunt, sequitur ex ipsis per se, & non per accidens res alia ab ipsis de necessitate.* Et Auerroes sex ponit syllogismi conditiones. Prima. Est vt propositiones quæ assumuntur, concedantur. Secunda. Vt sint plures. Tertia. Vt conclusio sit aliquid aliud distinctum ab assumptis propositionibus. Quarta. Vt ex illis sequatur certa conclusio. Quinta. Vt nullo termino vel propositione extrinsecus egeat, pro illationis necessitate. Sexta. Vt non inferat per accidens, per quod, inquit, differt à syllogismo ex vtraq; affirmatiua in materia necessaria in secunda figura.

QVÆSTIO TERTIA.

Quibus syllogismis conueniat dicta definitio, & quomodo?

ETsi ex dictis colligi vtcunque potest, quinam in hac definitione syllogismi tum contineantur, cum excludantur; tamen quia de nonnullis peculiaris quæstio esse solet, ideò breuiter id expediemus. Syllogismus in genere primo diuiditur in materialem & formalem, sicut & discursus atque argumentatio, de qua quæstione prima diximus. Per quam diuisionem quidam intelligunt syllogismum illatiuū & probatiuum. Illatiuus est formalis, probatiuus materialis, secundum nonnullorum interpretationem. Secundo. Alius est syllogismus categoricus & simplex, alius hypotheticus & compositus. Tertio, alter est perfectus, imperfectus alter. Quarto. *Syllogismi diuisiones.*

Ratione materię quidam est Demonstratiuus, quidam Topicus, quidam Sophisticus. Hæ sunt celebriores diuisiones: nam minus præcipuæ sunt illæ, in syllogismum vniuersalem & particularem, affirmatiuum & negatiuum, & in syllogismos in tribus figuris contentos. Quęstio ergo est, an omnes isti syllogismi sub hac definitione comprehendantur, & syllogismi ratio in communi dicaturne vniuocè, an analogicè de omnibus?

Prima Propositio. Si per syllogismum illatiuum intelligatur sola forma abstrahens ab omni materia quomodolibet, vel quæ applicari potest materiæ etiam apertè falsæ, & disparatæ, vt elementis A.B.C. profectò definitio syllogismi non conuenit illatiuo. Est contra Bardol. *1. Pr. annot. in definitione syllogismi*, quod ipsum indicat Burl. *lib. 2. cap. 23.* eum syllogismum qui concludit falsum esse verum syllogismum. Idem docere videtur Scot. & Ægid. *in hunc locum.* Alij tamen ita hanc sententiam limitant, vt soli syllogismi sint sub hac definitione, qui constant ex significatiuis & diuersis terminis, quoniam in definitione dicitur, aliud quid necessariò sequi debere. Materia verò quænam tandem illa sit, nihil referre. Sed probatur hęc nostra sententia. Primo. Syllogismus est instrumentum quoddam nostri intellectus, sed elementa sola vel materia apertè falsa non modo non iuuat, sed obest potius intellectui. Ergo. Confirmatur. Non potest concipi syllogismus, nec vis illatiua sine iudicio aliquo illatiuo; illatio verò non potest esse, si nulla sit in materia connexio. At hoc est syllogismum esse probatiuum, vnde propositiones sunt iudicia quædam, quibus vnum alteri inesse aut affirmamus, aut negamus. Secundo. Probatur ex communi sententia Interpretum; sic enim docet Alexan. & Philop. *hic.* Auct. *in Epit. Logica.* D. Tho. *op. 47. & 48.* Boet. *lib. 2. de syllogis. categorico.* Et Aristoteles in hac ipsa definitione id apertè significat; nam necessariò aliquid contingere ex præmissis, est, id quod sequitur habere connexionem cum illis, non conditionalem & hypotheticā, quia syllogismus hypotheticus non pertinet ad hanc definitionem. Ergo simpliciter & categoricè. Idem Arist. *1. Top. cap. 1.* assignans hanc eandem definitionem, syllogismum definitum diuidit in *Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum.* Sed hæc est diuisio syllogismi probatiui. Ergo. Illatiuus enim idem planè specie est in omnibus, sicut & forma syllogistica eadem specie est in quacunque materia.

Obijcies. Aristoteles *in hoc cap. 1.* distinguit propositionem syllogisticam à Demonstratiua & Topica, & ait, Syllogismum definitum non esse demonstratiuū, nec Topicum, nec Sophisticum, sed si hęc omnia auferas, nullus remanet locus syllogismo probatiuo. Secundo. Affert Arist. in his duobus libris exempla in elementis, litteris. Tertio. Ex Arist. 2. *Pr.* ex falso sequi potest verum, non propter connexionem in re ipsa. Ergo propter solā formam. Et 1. *Top. cap. 1.* syllogismum peccantem in materia, sed non in forma, ait esse verum syllogismum, quod etiam retulit 1. *Elench. cap. 1.* At hoc solum est propter formam syllogisticam. Ergo. Ad hæc omnia primo, simul respondeo: Syllogismus & propositio possunt rerum cæterarum more obijci intellectui in prima intellectus operatione absq; eo quod feratur iudicium, quod vel experientia patet. Sæpè enim audimus propositionem vel discursum, quæ non statim iudicamus, sed tantū apprehendimus, & hæc ipsa apprehensa possunt voce à nobis explicari, vt si dicā: Homo est bestia, huic propositioni non assentior. Potest præterea syllogismus & propositio considerari eum continēs materiam falsam, quæ apertè falsa sit, & cui non assentiamur. Tunc autem non erunt formaliter loquēdo syllogismus, vel propositio, quia hæc tanquam instrumenta pertinent ad secundam & tertiam operationem, in quibus est iudicium. His positis, ad primam seorsim respondeo, propositionem & syllogismum definitū nec esse demonstratiuum, nec Topicum determinatè, tamen necessariò in communi aliquam materiam includit. Ad secundam, affert Aristoteles exempla in litteris, ad osten-

ostendendam indeterminationem materiæ, & etiam facilitatis causa, quomodo Mathematici faciunt in suis demonstrationibus. Vnde Aristot. *sect. 3. cap. 1. post medium*, occurrens veluti huic obiectioni, monet se elementis vti more Geometrarum, qui accipiunt lineam sine latitudinem, etiamsi à parte rei nulla talis detur, quoniam non vtitur, inquit, linea tali modo accepta, quasi inferens aliquid ex ea. Et concludit syllogismum nullum fieri, nisi se aliquid in syllogismo habeat vt totum & pars, hoc est vt subiectũ & prædicatum. Simile quid habetur *13. Met. s. 1. cap. 3.* Ad tertiam. Cum assumitur falsum in syllogismo, erit syllogismus verus solum quoad formam, nec tamen simpliciter dicendus erit syllogismus, quia intrinsecè syllogismus vtrumque dicit, & materiam & formam. Si tamen id quod falsum est, nobis videatur esse verisimile, poterit absolutè appellari syllogismus, quãuis si cum alijs perfectis conferatur, quodammodo æquiuocè. Et propterea Arist. syllogismum *litigiosum* non vult simpliciter appellari syllogismum, multò autem minus *Pseudographum*, quod intelligi debet si tantum decipiendi causa sumantur.

Secunda Propositio. Si per syllogismũ probatiuum intelligatur is qui dicit necessariam connexionẽ, quomodo accipi videtur à Burl. non comprehenditur sub hac definitione, quoniam hic est demonstratiuus. Si autem per probatiuum intelligitur ille quem paulò antè diximus, nempè qui idoneam formam dicit, & aliquã materiam, in qua aliquid ex alio concludatur, siue sit necessarium, siue probabile, siue tantum apparens; tunc syllogismus probatiuus sub hac definitione comprehenderetur, nec differet ab Illatiuo, cum tamen nomine illatiui intelligi soleat sola & præcisa forma.

Tertia Prop. Syllogismi hypothetici nõ ponuntur per se in hac definitione. Patet ex illa particula, *Positis*, hoc est, supponentibus aliquid positiuè. Et hoc expressè inde colligũt Alex. Doct. Lou. Phil. & alij. Confirmatur. De eo enim syllogismo agitur in præsentia ab Arist. qui constat ex propositionibus suprà definitis, ostensum est autem solas categoricas ab Arist. esse definitas. Ergo. Præterea syllogismus hypotheticus non est vnus syllogismus, sed multiplex, propositio enim hypothetica si propriè accipiatur, est argumẽtatio quędam. Deniq; *toto hoc lib. & seq.* solum disputat de syllogismo simplici & categorico. Ergo hunc solũ definiuit: quamuis Bo. *lib. 2. de diff. top.* præposita syllogismi definitione, vtrumq; contendit illa cõprehendi, fortè quia hypotheticꝰ cõmode potest ad categoricũ reuocari. Idẽ sẽtit Algazer.

Quarta Propositio. Perfectus & imperfectus syllogismus continentur sub hac definitione, id est, tum illi qui sunt in prima figura, tum alij qui sunt in alijs duabus. Ratio est, quoniam hi syllogismi sub hac definitione sunt, de quibus deinceps disputat Aristot. Huiusmodi autem sunt hi quos diximus.

Obijcies. Arist. ponit in definitione, *eo quod hæc sint*, quam particulam ipse explicans, ait, syllogismum à se definitum talẽ esse debere, vt nullo extrinseco termino aut propositione egeat. Sed syllogismi imperfecti egent reductione ad duos primos primæ figurę modos. Ergo non continentur sub hac definitione. *Resp.* Conuersio per quam syllogismi imperfecti ad perfectos reuocantur, nihil extrinsecè dicit, sed solam terminorum transpositionem. Vult autem Arist. nõ egere syllogismum definitum extrinsecus termini adiumento, vel adiumento termini extrinseci. Adde quod nõ egẽt syllogismi imperfecti hac reductione vt necessariò inferant, sed vt necessaria eorũ illatio clarꝰ elucescat.

Quinta Propositio. Continentur sub hac definitione syllogismus Demonstratiuus, Topicus, & Sophisticus. Indicat hoc Arist. *1. top. c. 1.* vbi hanc eandem definitionẽ repetens, syllogismũ definitum trifariam in has species diuidit, cuius in triplicẽ syllogismum diuisionis rationem reddit Phyl. dicens, si res quarũ syllogismus est quędã veluti *συλλογή*, & *collectio* ex intellectu quẽ *νοῦν* vocat, deducuntur, quæ sunt velut principia & communes animi notiones, fit Syllogismus Demonstratiuus.

si ex

si ex opinione, Dialecticus; si ex phantasia, Sophisticus. Hæc tamen ratio non est admodum curãda, præsertim cum videatur Philop. diuersas potentias facere, qua intelligimus & discurrimus, quod est falsum; vnica enim potentia intellectiua est, etsi ob diuersos actus diuersa aliquãdo nomina sortiatur: vt si phantasiæ nomine intelligat, quod omnes reliqui Philosophi, sensum animæ nostræ interiorẽ, multò magis absurdum est dicere in ea effici syllogismum, quicunque tandem sit.

Sexta Propositio. Non dicitur hæc definitio vniuocè de his tribus syllogismis. Ratio est, quoniam definitur syllogismus prout est probatiuus, & quatenus est quoddam intellectus nostri instrumentũ ad res cognoscendas; sed est probatiuus syllogismus quatenus includit aliquam materiam, nihil autem commune vniuocum esse potest, necessariæ, probabili, & sophisticæ materiæ. Ergo nec communis vniuocè esse potest ratio syllogismi probatiui ad has tres species. Docet hoc Arist. 1. *Top. cap.* 1. & 1. *Elench. cap* 1. Quare de syllogismo demonstratiuo & topico analogicè dicitur ob iam dictam causam, de sophistico autem & alijs, & præsertim si cum demonstratiuo comparetur, quodãmodo æquiuocè: Dicit enim Aristoteles 1. *Elench cap* 1. videri syllogismum sophisticum esse verum, nec tamen esse, sed perinde se habere ad verum, atque hominem pictum ad viuum. Si tamen spectetur sola forma syllogismi, sine dubio pari ratione in quouis ex istis esse potest, sed tunc nõ se habebit syllogismus tanquam genus quoddam, sed tanquam subiectum respectu accidentium, vel etiam tanquam accidẽs respectu subiectorum; Vt si dicamus albedinem eodem modo esse in multis subiectis specie differẽtibus, vel etiam rationem subiecti rei alicuius habere hãc aut illam formam; ita enim se habet forma syllogistica, sicut albedo, vel etiam sicut subiectum cui accidit habere materiã necessariam, probabilem, & sophisticam. Hoc docet Aristoteles 1. *Pr. cap* 1. tum de propositione, tum de syllogismo, dicens, nihil referre siuè propositio demonstratiua sit, siue Topica, & vtrumuis etiam esse syllogismus, quoniam semper retinet ratiocinationis rationem, & hoc est quod tandem Scotus, licet obscurè, concludit, dicens, Syllogismum respectu istorum esse totum quoddam in modo.

QVÆSTIO QVARTA.

An conclusio sit pars vel effectus Syllogismi?

QVoniam Aristot. in definitione dixit Syllogismum esse orationem, in qua quibusdam positis necesse est aliud contingere, quæritur an illud aliud, quod sine dubio est conclusio, se habeat tanquam pars syllogismi, an tanquam finis extrinsecus, & effectus quidam?

Prima Opinio. Esse effectum seu terminum extrinsecum. Est Achillini *op. de potest syllogismi*, vbi etiam pro se citat Auer. 1 *pr cap* 1. & 25. & *lib.* 2. *cap* 4 & 14. qui etiam id docere videtur *in Epit. Log in init.* Videtur accedere Alber. *tr* 1. *lib* 1 *po. cap.* 5. Est etiam expressa Nyphi sententia 2. *po. com.* 2. *dub.* 2. Idem videtur velle Alex. explicans definitionem syllogismi, & alias, licet aliò ab alijs trahatur. Est etiam opinio Pamphili Montij *glossemate ad t.* 8. *in anno.* Lincon. *li* 2 *post.* Probatur hæc opinio; nam Arist. *t* 3. per medium aliquid de aliquo probari, non ergo per conclusionem. Et *t* 30. idem colligit hic Author *ex t* 5. vbi dicitur ex tota aut parte propositionis, hoc est, ex maiore aut minore, syllogismum esse. Et *t.* 11. dicit ex duabus vt minimum propositionibus esse syllogismum, vbi videtur syllogismus in duabus tantum propositionibus consistere. Confirmatur. Nam 1 *post t.* 2. definitur scire, rem per causam cognoscere; & Demonstratio, syllogismus scientificus. Sed solæ præmissæ faciunt scientiam, quia solæ cõtinent causam. Ergo. Confirmatur secundo. Alioquin peteretur in omni syllogismo principium, nam assumeretur conclusio ad seipsam probandam. Denique vis tota huius sententiæ in hoc consistit, quia conclusio est res quæ scitur. Sed ad rem sciendã adhibetur syllogismus. Ergo syllo-

syllogismus non potest tanquam partem continere conclusionem ipsam, sed tanquam effectum. Cōfirmatur. Nam 1. *Top. cap* 1. *Elench.* & 1. *Rhet cap* 1. considerat syllogismos ratione tantum præmissarū, & in lib. de Demonstratione, demonstrationem ratione solius causæ & medij. Imò etiam in his libris; nam tota varietas figurarum & modorum attenditur solummodo penes præmissas. Tandem 1. *pr. cap* 25. dicit syllogismum constare tribus terminis, & duabus propositionibus.

Secunda Opinio. Conclusionem esse partem essentialem. Est Bardol. 1. *pr in definitione syllogismi*, Bur. *in cap.* 1. *lib.* 2. *pr.* Videtur etiam esse Phil. Nam conclusionem appellat syllogismi formam, & 2. *pr. com.* 1. 2. & 3 & *alias*, sæpè idem dicit. Rationes hæ sunt. Primo. Syllogismus essentialiter & ex natura sua est discursus: sed discursus est motus quidam animæ, tendens à præmissis ad cōclusionem. At de essentia motus est vterque terminus, maximè autem terminus ad quem à quo specificatur. Ergo conclusio est essentialis syllogismo. Confirmatur. Quia sicut secunda operatio essentialiter consistit in coniunctione prædicati cum subiecto per iudicium, & necessariò includit plures terminos, ita syllogismus essentialiter consistit in illatione vnius ex altero & in quadam veluti coniunctione antecedentis cum consequente. Secundo. Probatur. Ponit Aristot. apertè in definitione conclusionem, dicens aliud quid necesse est contingere. Ergo pertinet ad essentiam. Confirmatur. Nam Phil Auerr. & cæteri Interpretes dicunt in definitione syllogismi orationem habere locum generis, cæteras autem partes essentialiter illud contrahere tanquam differentias quasdam, tum ex parte materiæ, vt præmissas; tum ex parte formæ, vt conclusionem, & id expressè dicit Aristot. cum Interpretibus 2. *Phys. t.* 2. & 2. *Met. t.* 3. Confirmatur denique. Nam infrà agens Aristotel. de syllogismo connexo & completo, plures, inquit, sunt syllogismi, plures enim sunt conclusiones. Significat ergo conclusiones esse quid essentialiter pertinens ad syllogismum.

Tertia Opinio. quæ hoc tempore maximè videtur communis apud recentiores, syllogismum posse dupliciter considerari. Primo. Pro discursu completo & sic sine dubio conclusionem esse partem essentialem illius. Quod rectè probant argumenta secundæ opinionis. Secundo. Vt est processus quidam, quo ex notioribus ad ignoti cognitionem deuenire volumus, & appellant instrumentum sciendi vel cognoscendi in communi, & ita volunt solas præmissas esse de essentia syllogismi, conclusionem verò esse effectum. Id probant argumentis primæ sententiæ. Addūt præterea Aristotelem frequentius vsurpasse syllogismum in hac posteriori acceptione, & semper de demonstratione mentionem fecisse, prout continet in præmissis causam & medium rei probandæ. Itaque non erit hac ratione conclusio pars essentialis, nec de essentia syllogismi, sed ordo tantum quidam præmissarum ad conclusionem. Vnde definitio Aristotelis ita erit intelligenda, Syllogismus est oratio, in qua aliqua ponuntur, nempè præmissæ, ex quibus deinde aliud sequetur, nempè conclusio, tanquam effectus quidam, ita vt essentia syllogismi sit continere tales præmissas, vt inferre possint deinde conclusionem.

Prima Propositio. Conclusio absolutè & in communi loquendo est pars syllogismi. Probatur, quia, vt diximus 2. *Phys t.* 31. & 5. *Met. t.* 3. suppositiones, id est, præmissas conclusiones vocat Aristot. id ex quo, seu materiam, sicut elementa, syllabarum, & corpora simplicia, mixtorum, & partes totius. Idem habetur 2. *pr. t.* 11. Ex quo sequitur conclusionem in syllogismo se habere vt formam. Quo loco duo meritò quæri possunt. Primum est, quomodo verum sit præmissas se habere vt materiam, cum ipsæmet sint velut causa efficiens cōclusionis, asserat autem Arist. 2. *Phys t.* 70. materiam & causam efficientem nunquā coincidere. Alex. 5. *Met. com.* 5. & Simpl. 2. *Phys. com.* 39. dicunt præmissas respectu conclusionis esse causam efficientem, respectu autem syllogismi esse materiam, conclusionem verò esse formā. Sed Arist. *Dubium* 1.

apertè ait præmissas respectu etiã conclusionis habere se vt materiam. D. Thom. vtroq. in loco. Ægid. & alij concedunt esse materiã respectu conclusionis, habita ratione terminorum, qui in præmissis sunt, & ex quibus conclusio componitur: Esse autem causam efficientem ratione medij & vi illatiuæ, quam in sese continet. Hũc dicendi modum refutat Auic. lib. 1. sufficientiæ cap. 10. Auer. 2. Ph. com. 31. & Alb. ibid. t. 2. cap. 7. dicunt præmissas esse materiam conclusionis, quoniam virtute & in potentia conclusio est in præmissis, quomodo formæ potentia dicuntur contineri in materia. Dicendum est præmissas & esse materiam, & causam efficientem, sicut causa efficiens, quatenus intellectus, qui est principale agens, vnà cum præmissis producit cognitionem rei quæ in conclusione est, vi præcedentis cognitionis, quam habet in præmissis. Est autem materia præmissæ, prout conclusio virtute continetur in præmissis, & præmissæ se habent vt dispositiones quædam, quibus præparatur intellectus ad obtinendam rei per conclusionem illarę cognitionem. Atque ita idem secundum diuersas rationes habere potest locum efficientis & materialis causæ, sicut etiam naturales dispositiones, quatenus iuuant agens principale ad introducendam formam, se habent vt causa efficiens, quatenus autem disponunt materiam, tenent se ex parte materiæ. Maxima autem illa Aristotelis 2. Phys. intelligitur de vera materia, & causa efficiente.

Responsio.

Secundum, de quo dubitari potest, est, quomodo conclusio sit forma; nam habet se ad præmissas sicut in propositione prędicatum ad subiectum, sed non illud est forma alterius, verum copula tantum. Dicendum igitur est, conclusio non est reuera forma, nisi respectu præmissarum, quatenus illæ præbent conclusioni terminos, ex quibus componitur, & quia natura sua ordinantur præmissæ tanquam minus perfectæ ad conclusionem, vt quid magis perfectum & materiale, quo etiam modo in propositione, si compararetur prędicatum cum subiecto, potest appellari

Dubium 2.

Responsio.

forma. Simpliciter autem loquendo, syllogismi forma est iudicium ipsum illatiuum ad modum supra explicatum, quod explicatur per particulam illatiuam Ergo, vel igitur.

Secunda Propositio. Syllogismus sumptus pro tertia operatione, & pro cõpleto discursu, includit essentialiter cõclusionem. Hæc propositio est per se clara, & conceditur à secunda & tertia opinione. Quare optimè confirmant argumenta secundæ opinionis, nec potest vlla ratione negari à prima.

Tertia Propositio. Si syllogismus aliquãdo sumatur pro duabus solum præmissis, interdum etiam simul pro conclusione, quæstio mihi tota de nomine esse videtur. Et in prima quidem acceptione, nemo dubitabit non esse de essentia syllogismi conclusionem. Sed quæstio esse tãtum potest de syllogismo in secunda acceptione, nihilominus crediderim nõ sumi propriè syllogismum primo modo, sed posteriori. Imò nunquam ita Arist. vsurpauit, quicquid dicant Burl. Babolinus, Nyph. & Aut. tertiæ sententiæ. Et quoties dicitur ab Interpretibus, syllogismum esse instrumentum sciendi, accipitur syllogismus vt significat tertiam operationẽ, & completum discursum. Probo id ex Aristo. vel ex ipsa definitione syllogismi, vt rectè secunda opinio argumentabatur, & ex alijs eiusdem locis ibid. citatis. Et præterea 1. pr. sect. 3 ca. 1. Tentare, inquit, oportet, ex syllogismo duas propositiones excerpere. Ergo aliqua alia propositio restabat tanquam pars. Adde quod si quid obstaret, maximè quia, vt argumentatur prima opinio, considerat Aristot. syllogismum ratione præmissarum. at id fecit Aristot. quoniam ritè dispositis præm. ssis, necessariò & immutabiliter sequitur cõclusio, præmissæ autem multis modis variari possunt: Quare totus error & tota rectitudo ex illis pendet. Dices: Ex eodem syllogismo inferri possunt multæ conclusiones. Ergo non est pars essentialis syllogismi. Antecedens apertè habet Aristot. 2. pr. cap. 1. Respondeo primo cum Auerr. non sequi plures conclusiones ex

iisdem

Eisdem præmissis vnius syllogismi immediatè, sed mediatè, nempè intercedente ea conclusione, quæ primo & immediatè colligitur, quę etiam conuersa appellatur, vt fit in omnibus syllogismis indirectis. Ita respondet Ipsemet Achill. dicens quod *Barbara* cōparatus ad *Ra*, est syllogismus naturalis, sed comparatus ad propositionem illi subordinatam, est artificialis, & nominatur *Baobari*, sed contra *Baralipton*. Similiter respondet Burl. Vbicunque sunt plures conclusiones, plures etiam esse syllogismos formaliter loquēdo. Et quidem certum est syllogismum directum & indirectum esse diuersos. Illi autem sunt, qui cum habeant easdem præmissas materialiter loquendo, habent tamen conclusionem non eandem. Aristot. verò 2. *pr. cap.* 1. solum dicit, agens de potestate syllogismorum, hanc vnam esse, vt cum sit vnus actu syllogismus & materialiter, plures tamen conclusiones potentia concludat. Hoc videtur confirmare Phil. dicens mutata conclusione non esse eundem, sed similem syllogismum. Secundo. Resp. Cum aduersarij quoque velint ordinem saltem ad conclusionem esse de essentia syllogismi, tenentur respondere qui fieri possit vt idem syllogismus plures inferat conclusiones. Concludo igitur nunquam esse diuersam dispositionem præmissarum, quin diuersa etiam fit & sequatur formaliter conclusio, vnde syllogismorum distinctio petitur saltem etiam à posteriori à conclusione, quamuis nō seorsim à præmissis. Confirmatur. Quia 1. *Post.* dicit Aristotel. & ibid. omnes Interpretes, præmissas esse prænotionem egentem demōstrationis. Ergo demonstratio non sunt solæ præmissæ. Item argumentationis in cōmuni loquendo essentialis pars est non modo antecedens, sed etiam consequens, alioqui posset argumentatio esse vna tantum propositione constans, vt Enthymema & Exemplum. Iam verò quod syllogismus propriè non sit, aut significet solas præmissas, sed discursum quatenus est instrumentum sciendi, probatur, nam prima & secunda operatio sunt instrumentum sciendi, quatenus formaliter sunt prima & secunda operatio, seu, quod idē est, definitio & Enunciatio dirigunt primam & secundam operationē intellectus, quatenus sunt realis eiusdem operatio prima vel secunda. Ergo syllogismus est instrumentū sciendi, vel cognoscēdi, quatenus formaliter est realis intellectus discursus, seu tertia operatio. Secundo. Nemo vnquam dixit syllogismum pertinere ad vllā aliam operationem, quam ad tertiam, quomodocunque tandem consideretur. At vt sic necessariò includit illationem, illatio conclusionem, ergo essentialiter syllogismus, &c. Vnde quidam ex aduersarijs, vt conuenienter loquantur, dicunt syllogismum & tertiam operationem intellectus nihil à secunda differre, propter locum Aristotelis 3. *de anima.t.21.* vbi solius primæ & secundę meminit. Sed de hac re alibi obiter diximus, in præsentia autem constituatur tanquam principium, quæ est communis opinio, tertiam operationem distingui à prima & secūda. Denique ita communiter loquuntur Interpretes cum Aristotele, vocantes conclusionem syllogismi formam. Nominatim Auerr. 2 *po com.* 11. 2. *de anima. com.* 48. Est autem hic notandum, quod conclusio si cōferatur cum toto syllogismo, est pars quædam, vt propositio, res autem cognita & contenta in conclusione est effectus. Item conclusio vt propositio respectu duarum præmissarum potest dici effectus quidam, quoniam quodammodo resultat & efficitur ex apta illarum collocatione, & accipit ab illis terminos, ex quibus ipsa componitur. Nihil autem est absurdi, idem secundum diuersas considerationes & effectum esse, & partem. Atque ex his patet quid dicendum sit de recitatis opinionibus, nam nobis sola secunda absolutè probatur. Ad secundum argumentum primæ opinionis iam responsum est, cur nempè consideretur ab Aristotele syllogismus ratione præmissarum. Ad primum autem dico, ipsamet tertia operatio & discursus atq; syllogismus est, quo rem ipsā apprehēdimus & cognoscimus, & potest aliquo modo dici distinctus à cognitione ipsa, quę per illū habetur. Ipsa enim

cognitio conclusionis per se sumpta dicitur aut opinio, aut scientia. Eadem vt actualiter per tertiam operationem deducitur, & sub conclusione continetur, potest appellari syllogismi pars. Confirmatur. Nam quæram etiam ego quomodo definitio & propositio sint instrumenta sciendi, cum sint ipsamet apprehensio definiti, & iudicium quo vnum alteri inesse, aut non inesse iudicamus. Et sicut nemo negare potest definitionem & propositionem esse vera instrumenta, cognoscendi, quamuis etiam contineant actualē rei cognitionem; Ita etiam negari non debet, syllogismum vt dicit tertiam operationem & completum discursum, esse instrumentum cognoscendi, quamuis in illius conclusione rei quæ cognoscenda quæritur, habeatur cognitio. Tertia verò opinio satis ex iam dictis est refutata.

CAPVT SECVNDVM.

IN hoc capite secundo, & duobus sequētibus agit Aristoteles de propositionum cōuersionibus, quoniam vt Alex. Philop. & alij notant, opus erat hac cognitione, vt syllogismos imperfectos ad perfectos reduceremus; sunt enim conuersiones principium perfectiuum syllogismorum, inquit Ægid. & Doct. Louan. In isto capite secundo dicit, Primo, propositionem aliam esse de inesse, aliam de necessario, aliam de contingenti; tum affirmatiuam, tum negatiuam; quarum propositionum sufficientiam facili ratione ostendit hoc loco Alex. Secundo. Vniuersalis, inquit, propositio, si affirmatiua sit, conuertitur in particularem; particularis affirmatiua in particularem affirmatiuam; vniuersalis negatiua in vniuersalem negatiuam; particularis autem negatiua non conuertitur.

EXPLICATIO VOCABVLORVM.

SEcundum vnamquamque elocutionem.) Id est, vt Perion. interpretatur, pro ratione cuiusque modi enunciandi.

Vniuersaliter priuatiuam.) Id est, negatiuam vniuersalem, sicut per prædicatiuam intelligitur affirmatiua.

Terminis conuertere.) hoc est simpliciter, solo verborum ordine immutato & conuerso.

Notanda.

NOtandum primo, Philop. & Magent. videntur velle per propositionem *de inesse* intelligendam propositionem quæ modalis dicatur de inesse, quod tamē nos supra refutauimus. Philop. tamen tandem dicit perspicuitatis solum causa modum vocari.

Notandum secundo. Non meminit hic Aristoteles propositionis modalis, possibilis & impossibilis, de quibus egerat *in lib. Periherm.* quoniam possibile non differt à contingenti, impossibile ad necessarium reuocatur. Ratio quoque istius est, quoniam de ijs propositionibus non docet postea syllogizare, vt obseruat Nyph. Doct. Louan. & Phil. Sed de hac re diximus suprà.

Notandum tertio. Quid intelligatur per propositionem de inesse, grauiter disputant moderni Philosophi, quæ propositio appellatur etiam inexistens, inhærens, simplex, absoluta. Primo. Auer. intelligit propositionem absolutam & inuentam in actu, & non necessariam, cuius prædicatum inest actu omnibus partibus subiecti, & omni tempore, vel certè pro maiori parte temporis, vt: Omnis coruus est niger. Ita docet *hoc loco, & quæst. 3. & in epit cap. 5.* Idem sequitur Burl. quamuis hanc dicat esse propositionem de inesse, necesse est omnem coruum esse nigrum. Item istam aliam: Homo est animal, quia inquit, non habet modum de necessario, quare appellabitur propositio de inesse secundum quid. Eadem est opinio Pamphilij Monti, *op. de mixta syllogismi generatione.* Refellit hanc opinionem Nyph. quia sequeretur omnem propositionem de inesse vniuersalem: ideoq; ista non esset de inesse: Homo nauigat, Socrates disputat; nec enim id pro maiori temporis parte facit. Secundo. Nyph. ait propositionem de inesse esse propositionem de contingenti positam in actu aut re, aut consensu, vt con-

vt contingit Socratem currere, est propositio contingens, si quidem exiuit in actũ, actu, si autem quod ita quis existimet, consensu; & si quidem prædicatum insit subiecto, de præsenti, pro omnibus, vel nullis, esse vniuersalem; si pro parte, particularem, aut indefinitam. Sed hæc opinio falsa est, vt dixi. Alex. non longè aliter sensit, vocat enim propositiones de inesse contingentes in actu, contingentes autẽ, quę possunt esse, sed non sunt necessarias, quæ sunt in materia necessaria; siue habeant modum, siue non. Fortasse hæc opinio respexit ad significatum verbi *Inesse*, quod actu inhærere significare videtur; necessarias autem propositiones intelligit non essentiales, sed quæ includunt prædicatum inseparabile à subiecto, saltem realiter, vt cygnus est albus. Tertia opinio est Alb. propositionem de inesse, quę in mixtionibus syllogismorum miscetur cum propositione de necessario, non differre à necessaria, nisi quia non habet modum de necessario, quæ verò cum propositione de contingenti, esse eam, quæ de contingenti nato oriunda est, vt si dicatur: Grãmaticum est animal, nam etiam animali contingebat esse grammaticum. Quarta opinio est Remigij Meliorati *tract. de propofit. de inesse. cap.7.* propositionem de inesse esse probabilem, & quæ syllogismo Topico seruiat; propositionem necessariã esse propositionem demonstratiuam, cõtingentem esse propositionem syllogismi oratorij. Quinta opinio Alpharab. qui & Albumazar dicitur, Hermini, Theophrasti, Them. & Amm. apud Auerr. omnem propositionem sine modo esse propositionem de inesse. Hæc vltima opinio cõmunis est & vera, vnde Aristoteles inf. in mixtionibus propositionum, vtitur omnibus propositionibus modo carentibus in quacunque materia, tanquam propositionibus de inesse, & in fine huius capitis in materia necessaria. Confirmatur. Nam omnis res aut est contingens, aut necessaria. Ergo omnis propositio realiter loquendo vnius ex his modis est. Ergo propositio de inesse aut necessaria est, aut cõtingens. Ergo propositio de inesse, quæ neutro istorum modorũ affecta est, quod attinet ad ipsa nomina modorum, nihil aliud est quam necessaria, vel contingens, carens nomine modi necessarij, vel contingentis. Dicũt quidam modum contingentis esse rerum futurarum, de inesse pręsentium. Contrà. Nam malè Arist. sup. distinxisset propositiones contingentes in eas quæ sunt de præterito, & de futuro, & de præsenti. *Dices cap 9. lib 1. Pr.* inquit: Aliud est inesse, aliud necessariò, aliud cõtingenter, quia multa insunt, sed non ex necessitate, alia verò non insunt, contingunt tamen, vel possunt inesse. *Resp.* Non diuidit tres propositiones: De inesse, necessario, & contingent, vt de inesse significet actu inesse, nõ tamen necessariò, sed solum vult distinguere necessarium ab eo quod non est huiusmodi; necessarium enim necessariò inest actu, contingens autem inest actu, sed contingenter, aut non inest, sed inesse potest, sed etiam contingenter. Lege Alb. Doct. Louan. Flam. *in q. Log. cap.15.* Tamen obseruandum est solere aliquando Aristotelem sparsim in suis libris per propositionem de inesse intelligere eam quę contingens est, quam etiam probabilem appellat. Nihilominus quod attinet ad hos libros Prior. per propositionem de inesse solam eam quam diximus intelligi. Cęterum an diuisio in propositiones modales sit ratione modorum tantum, vel materiæ tantum, latè disputat Buil. dicens cum Leui Gersonide, esse penè inexplicabilem quęstionẽ, & Gordiano inuolutam nodo, quæque Oedipode egeat. Sed facilis est solutio, nam petitur hæc diuisio ex materia affecta modo, vt tamen propositio vera sit, attendendum est vt pro ratione materiæ modus adhibeatur. Erit igitur hæc diuisio propositionis subiecti in accidentia, nec appellari debet propositio de inesse, vt Theopr. vult, genus ad contingentem & necessarium. Hæc quæ diximus valdè vtilia sunt ad intelligenda ea quæ paulò post Arist. dicet de mixtione propositionum de inesse & modalium.

Notandum quarto. De conuersione propositionum lege quæ diximus *in Comp.*

 Solum

Solum obſeruandum eſt cum Nypho, cõuerſionem quatuor modis accipi. Primo. Secundum denominationem, vt: Si homini ineſt albedo, ergo eſt albus. De quo loco Ariſt. 2. *Top*. Secundo. Inter terminos conuertibiles, vt: Eſt rationalis, ergo eſt homo. Tertio. In ſyllogiſmis cum ex oppoſito conſequentis cum altera præmiſſarum infertur oppoſitũ alterius præmiſſæ. Quarto. Per mutationem extremorum, vel eorundem, quod hic docet Ariſt. vel ſumendo extrema contradictoria, quæ dicitur conuerſio per contrapoſitionem de qua 2. *Top. cap* 3.

Notandum quinto. Cum Burl. & Porph. Cauſa cur non conuertatur particularis negatiua, eſt, quia, inquit Bur. ad deſtruẽdum & demoliendum vnum ſufficit, ad conſtituendam autem alteram propoſitionem plura deſiderantur. Poteſt tamen ratione materiæ, vt notant Philop. & Alex. fieri conuerſio in hac propoſitione, vt: Quidam homo nõ eſt lapis. Ergo quidam lapis non eſt homo. Denique hoc loco vterque author citatus examinat an conuerſio ſit ratiocinatio? Et rectè concludunt negantem partem. Sic etiam Alb. negat eſſe argumentationem, licet Doct. Louan. videantur dicere eſſe Enthymema, quod hac ratione concedi poteſt, quoniam omnis illatio habet quandam argumentationis rationem, etiamſi interdum ijdem ſint termini in antecedente & conſequente; ſatis enim eſt quod vis illationis non ſit eadem. Nos autem ſup. diximus ſaltem conuerſionem non eſſe diſtinctam ſpeciem argumentationis.

CAPVT TERTIVM.

DOcet eaſdem conuerſiones fieri, eodemq; modo in propoſitionibus neceſſarijs, quod explicatione non eget.

CAPVT QVARTVM.

AGit de conuerſione propoſitionum, de modo contingenti, & dicit primo, contingens ample ſumi pro neceſſario, nõ neceſſario, & poſſibili. Per neceſſariũ autem & non neceſſariũ intelligit propoſitionem de ineſſe, quæ eſt ſine modo, quicquid Alb. Puluerbinas, Nyph. & Burl. dicant, & Bernardinus quidam Plumarius. *q. de hac re*, quæ ponitur initio Log. Alb. Magni. Poſſibile autem pro quo accipitur propoſitio contingens id quod poteſt eſſe, vel vtplurimum, vel ad vtrumlibet, vel rarò, vel certè quod actu eſt, ſed contingenter, & opponitur quodammodo neceſſario & impoſſibili. Secundo. Dicit Ariſtoteles quomodocunque accipiatur contingens, ſi propoſitio ſit affirmatiua, conuerſio fiet eodem modo qui ſup. explicatus eſt. Si autem accipiatur contingens tertio modo, hoc eſt pro poſſibili, ſi propoſitio ſit negatiua & vniuerſalis, non conuertetur, ſed ſi ſit particularis & negatiua, vt infrà, inquit, dicetur. Tertio. Monet quod etiam (*contingit non*) in propoſitione dicitur affirmatiuè, ſiue ſit propoſitio vniuerſalis, ſiue particularis, quia contingit ſe habet ſicut eſt, hoc autem eſt quod ſup. diximus loquendo de propoſitionibus modalibus in communi, ſi modus ſit affirmatus, propoſitionem etiam eſſe affirmatam, etiamſi dictum ſit negatiuum.

Circa hoc Caput non eſt aliud notandũ.

CAPVT QVINTVM.

De tribus figuris ex propoſitionibus inexiſtentibus.

ACcedit iam Ariſt. ad tractatum de ſyllogiſmo, illiuſque compoſitionem & ſtructuram explicat. Prius autem agit de propoſitionibus de ineſſe, quatenus ex illis ſyllogiſmus conficitur, & primo incipit à prima figura. Dicit autem primo, ſe prius agere de ſyllogiſmo, quam de demonſtratione, quamuis & de illa differere initio conſtituerat, quoniam latius patet ſyllogiſmus quam demonſtratio. Ex quo colligi poteſt quod ſup. *in proleg*. diximus, probabile eſſe ex his libris & libris Poſterior. vnum opus effici.

Secundo. dicit ſyllogiſmum perfectum eſſe, cum conſtat tribus terminis: Maiore extremitate, medio, & minore. Medium eſt in prima figura, quod vel eſt, vel nõ eſt in toto maiore extremo, nunquam autem extremum, quod eſt vel non eſt in toto medio

medio, seu quod idem est, cum minor extremitas subijcitur medio vniuersaliter, medium verò subijcitur vniuersaliter maiori extremo. Vnde medium, inquit, est, quod & alteri subijcitur, & alterũ ipsi, seu quod de altero etiam prædicatur, & situ ordinatur inter alia duo. Quare etiam in exemplis huius figuræ hoc eodem ordine terminos collocat: Minor extremitas est, quæ tãtum subijcitur, maior, quæ tantum prædicatur. Maiorem extremitatem vocat primum terminum, minorem vltimum, syllogismum autem extremitatem, quoniam in conclusione, quæ est veluti forma & quidditas syllogismi, vtraq; hæc extremitas, nunquam autem medium ponitur. Hinc infertur duplex modus primæ figuræ. Primus vniuersalis affirmatiuus: *Barbara*. Secundus vniuersalis negatiuus: *Celarent*, quos modos, aliosq; huius figuræ & aliarum, sicut Latini quibusdam dictionibus, ita etiam græci græcis vocabulis appellarunt, quæ videri possunt apud Hunæum in Dialectica.

Medium quid.

Tertio. Ibi: *Sed si primam*.) docet duobus modis non fieri bonum syllogismum in prima figura, vel quod alij dicunt, ostendit coniugationes asyllogisticas vniuersales, id est, ex parte propositionum vniuersalium. Primo. Cum de medio vniuersaliter affirmatiuè prædicatur maior extremitas, medium autem de minore vniuersaliter negatiuè. Sensus est, cum maior propositio vniuersalis affirmat, & minor vniuersalis negat, nihil necessariò ex tali combinatione accidet, quæ est tamen definitio syllogismi, nihil inquam neque vniuersaliter, neque in parte. Ratio est, quia ex eadem dispositione propositionum potest interdum inferri conclusio vniuersalis affirmatiua vera, & negatiua etiam vniuersalis vera, vt: Omnis homo est animal, nullus equus est homo, ergo omnis equus est animal. Conclusio vniuersalis affirmatiua vera est, sed huius syllogismi conclusio vniuersalis negatiua etiam vera erit: Omnis homo est animal, nullus lapis est homo, ergo nullus lapis est animal. Et hoc vocat Arist. *dare terminos, in quibus contingit omni & nulli*, hoc est, vt postremo termino, seu minori extremitati omni & nulli insit prima, hoc est maior, vniuersaliter. Secundo. Idem inconueniens sequitur, si vtraque sit negatiua & vniuersalis, vt: Nulla linea est scientia, nulla medicina est linea, Ergo omnis medicina est scientia, vbi conclusio vniuersalis affirmatiua est vera. Sed etiam sequitur conclusio vniuersalis negatiua vera, vt: Nulla linea est scientia, nulla vnitas est linea. Ergo nulla vnitas est scientia. Ex his sequitur duplex Regula pro prima figura. Prima est, *ex minore negatiua nihil sequitur*. Secunda. *Ex vtraq; negatiua nihil etiam fit*.

Duæ Regulæ primæ figuræ.

Quarto. Ibi: *Si verò hic*) Explicat bonas primæ figuræ coniugationes, nempè si maior sit vniuersalis affirmatiua, vel negatiua, & minor sit particularis, sed negatiua, recta cõclusio inferetur; secus si fiat, non item. Perinde verò ait esse si propositio sit particularis, vel indefinita, intellige in materia contingenti, in qua propositio æquiualet particulari. Hinc deducuntur duo alij modi primæ figuræ: *Darij & Ferio*.

Quinto. Ibi: *Sin autem ad minorem*.) Ostēdit asyllogisticas conclusiones particulares, si inuertatur, inquit, ordo, vt maior sit particularis, minor autem vniuersalis, siue affirmatiua, siue negatiua, nihil efficitur propter dictam inconuenientiam, vt: Quidam habitus non est bonus, omnis prudentia est habitus, ergo quædam prudentia non est bona, vel ergo nulla prudentia est bona: Hic falsa est conclusio. Item: Quidam habitus est bonus, nulla ignorantia est habitus, Ergo quædam vel omnis ignorantia est bona, etiam falsa est illatio. Hinc sequitur tertia Regula pro prima figura; *Maiore existente particulari, nihil sequitur*.

Tertia regula primæ figuræ.

Sexto. Ibi: *Neque quando*.) Si maior sit vniuersalis vel negatiua, vel affirmatiua, & minor particularis negatiua, nihil sequitur, propter idem inconueniens. Hinc colligitur etiam prima Regula, de qua diximus; per particularem autem intelligi debet ea quæ ex se vera est, vel falsa, non autem propter vniuersalem, qualis est cõtingens & indefinita illi æquiualens: Ratione

tione enim materiæ fieri poterit vt posita tali propositione, fit nihilominus bona conclusio.

Septimo. Neque autem. Ambæ, inquit, præmissę, quas vocat interualla, si fint particulares, vel indefinitæ, affirmatiuæ, aut negatiuæ, vel si vna fit affirmatiua, altera negatiua, nihil sequitur propter idem inconueniens. Hinc sequitur quarta regula, cuius tertia est pars: Ex vtraque particulari nihil sequitur.

Quarta regula prima figuræ.

Octauo. Planum igitur.) Concludit qui modi sint vtiles, & qui inutiles in prima figura, non meminit autem nisi quatuor priorum modorum, cum tamen sint alij quinque, quoniam inquit Auerroes in illis quatuor fit tantum syllogismus naturaliter & directè, reliqui autem pertinent ad quartã figurã Galleni & sunt præternaturales. Vnde Boët. *lib.2 de syllogis. categ.* ait quinque illos modos fuisse à Theopr. & Eucl. repertos, quibus consentit Porph. & Verger. vltima parte suæ Dialecticæ, quanquam Boëtius asserit ab Aristotele fuisse datam illis Authoribus occasionẽ. Alex. Arabes reliqui, & Burl. dicunt facere contra mentem Aristotelis, qui illos modos addunt. Verum non ita se res habet nam vltimos duos: *Fapesmo, & Frisesemorum* expresse ponit *cap.8.* alios autem satis indicat *lib.2. ca 1.* vbi ait omnem syllogismum posse inferre indirectè conuertentem conclusionis, quam directè infert.

Octauo, Ibi: *Manifestum autem.*) Colligit omnem conclusionem posse inferri in prima figura, vniuersalem & particularem tum affirmatiuè, tum negatiuè, ob quam causam inquit Auer. & Alex. prima figura dicitur esse maxima & præcipua. Circa litteram textus id solum obseruandum est, ἀναθίαν, vt notat Alex. sumi tanquam habitum & imprudentiam, cum tamen quod attinet ad vim dictionis græcæ, ignorantiam significet. Item per interualla intelligit Aristot. præmissas, quoniam vt obseruant Græci Interpretes, in syllogismo subiectum & prædicatum se habent vt puncta & ὅροι, hoc est termini, propositiones se habent vt linea, dispositio autem syllogistica se habet vt figura, & Græce vocantur ὅροι, σχῆμα, in qua re Geometrico more loquitur Aristoteles.

CAPVT SEXTVM.

De secunda figura.

DOct. Louan. alijque nonnulli vnum caput conficiunt ex isto præcedenti & sequenti, nos tamen eum alijs distinctionis causa seiungemus. Eodem ordine Arist *hoc capite*, sicut & præced. colligit modos vtiles & inutiles secundæ figuræ. Primum in vniuersalibus tum in particularibus propositionibus. Docet autem primo secundam figuram esse in qua medium prædicatur de vtroque extremo, sed tunc medium est positione primum, maius extremum quod ad medium iacet, id est, secundo loco ponitur, minus extremum quod longius est à medio, hoc est, vltimo loco collocatur.

Secundo. Ibi: *Perfectus autem.*) In hac secunda figura nullus, inquit, est perfectus syllogismus, videlicet quoniam, vt dictũ, non apparet manifestè eius conclusio sine reductione per conuersionem ad primam figuram.

Tertio. Ibid. docet posse esse syllogismos huius figuræ, tum si sint propositiones vniuersales, tum si aliqua sit particularis.

Quarto Vniuersaliter autem) In vniuersalibus propositionibus non est syllogismus, nisi cum altera est affirmatiua, altera negatiua, aut maior, aut minor, & potest reduci ad primum modum primæ figuræ: *Celarent*. Hinc colliguntur duo modi secundæ figuræ; *Cesare*, & *Camestres*. Colligitur secundo, prima Regula pro secunda figura: Ex puris affirmatiuis nihil sequitur. Vbi notandum est quod in hoc capite littera *M* sumitur pro medio, *N* pro maiori extremo, *X* pro minore.

Prima regula pro secunda figura.

Quinto. Si autem &c.) Ostendit malas combinationes; nam si ambæ sint vniuersales affirmatiuæ, vel negatiuæ, nihil fit. Patet ex præcedenti propositione, idque ostendit ex illo inconuenienti, dare terminos in quibus omni, & in quibus nulli. Hinc colligitur secunda regula; Ex vniuersali-

Secunda regula.

uersalibus affirmatiuis vel negatiuis nihil fit.

Sexto. Quando autem) Examinat coniugationes, cum altera propositio est vniuersalis, siue affirmatiua, siue negatiua, minor autem particularis, affirm. vel neg. sequitur recta conclusio. Et syllogismi horum modorum reduci poterunt per impossibile ad *Ferio* & *Barbara*. Sunt autem isti modi, qui ex Aristotele quoque colliguntur, *Festino* & *Baroco*. Baroco reducitur per impossibile, Festino autem per conuersionem.

Septimo. Si verò de X.) Si minor sit vniuersalis affirmatiua, & maior particularis negatiua, nihil fit.

Octauo. Neque quando de X.) Si minor sit vniuersalis, maior autem particularis affirmatiua, nihil fit. Hinc sequitur tertia Regula: Ex minore particulari in secunda figura nihil sequitur.

Tertia regula.

Nono Quando verò propositiones.) Loquitur de coniugationibus, cum vtraque præmissa est vniuersalis, vel vtraque affirmatiua & negatiua, atque nihil per huiusmodi propositiones concludi. Hinc sequitur, ex vtraque affirmatiua aut negatiua vniuersali nihil sequitur. Loquitur autem etiam de affirmatiuis & negatiuis cum altera propositionum est particularis.

Decimo. Verum neque) Si ambæ sint particulares, quomodocunq; varietur quantitas, nihil sequitur. Hæc est quarta regula, sed communis omni figuræ: *Ex puris particularibus nihil sequitur.* Circa litterã, cum ait, *medium poni extra extrema*, ideo id dicit, inquit Magent. quoniam mediũ habet locum eminentiorem. Quare nomine positionis non situs, sed prędicationis perfectio intelligenda est. Item quod vtitur exemplo numeri, tanquam sit substantia, secutus est, vt notat Alex. Pythagoram, vt patet 1. *Met. sum.* 2. *cap.* 7. & *lib.* 13 *sum* 3. *cap.* 1. monetque Alex. sæpe Aristotelem non admodum exquisitis vti exemplis, sed ex communi & vulgi opinione sumptis, vnde credo, prodijt illud: *Exemplorum non requiri veritatem*: Argumentum ex authoritate Aristotelis, si ab exemplis eius petatur, nullum esse.

Quarta regula.

CAPVT SEPTIMVM.

De Tertia Figura.

DOcet primo tertiam figuram esse, quando eidem subiecto duo prædicata insunt, seu in qua medium vtrique extremo subijcitur, quare positione vltimũ est: nam primo est maius extremum. Secundo minus, quod intelligi debet, vt diximus, quoad perfectionem, quoniam vtrumque extremum de medio prędicatur; si enim de situ intelligas, in maiore propositione primo loco ponitur medium, vt in *Darapti*: Omnis anas natat, omnis anas est volueris. Ergo quædam volucris natat, vbi anas est medium. Propterea dicit Arist. maius extremum esse, quod longius distat à medio, minus, quod est magis propinquũ, videlicet quia maius prædicatur, sed primo loco, minus autem secundo loco. Medium verò esse extra extrema, videlicet dignitate; nam non prædicatur, licet quatenus vnit vtrumque extremum, quodammodo excellat. Est autẽ notandum quod maius extremum est littera P, minus Q. medium S.

Secundo, Ibi: *Vniuersaliter igitur.*) Ostendit coniugationes bonas, cum propositiones sunt vniuersales, nam ex vtraque vniuersali affirmatiua rectè concluditur particularis affirmatiua, & reduci potest cõuersione minoris, videlicet modus Darapti ad modum Darij. Vel etiam deducendo ad impossibile, & per expositionẽ, seu syllogismo expositorio, de quibus in Comp. Est etiam bona conclusio: Cum minor est vniuersalis affirmatiua, maior vniuersalis negatiua, erit enim conclusio particularis negatiua, & reduci poterit syllogismus qui est Felapton ad Ferio, cõuersione minoris, & per impossibile. Ex his sequitur duplex modus tertiæ figuræ Darapti, & Felapton. Secundo, sequitur triplex modus reductionis syllogismorũ: Per conuersionem, per impossibile, & per syllogismum expositoriũ. Tertio. Quod ad vltimum modum attinet, sentit quidam apud Nyph. non habere locum nisi in tertia figura, quod ipsatum refert.

Tertio, Si verò est) Ostendit duas alias

coniugationes non esse bonas. Primo. Si maior sit affirmatiua, minor negatiua. Secundo. Si ambæ sint vniuersales negatiuę. Hinc sequitur primo, Regulam de minore negatiuam esse communem tertiæ & primæ figuræ. Secundo. Regulam de puris negatiuis esse communẽ omnibus figuris.

Quarto. Sed si hic quidem vniuersaliter.) Agit de coniugationibus, quando altera propositio est vniuersalis, altera autẽ particularis. Denique si ambæ sint affirmatiuæ, fieri duas bonas. Primo. Si maior sit particularis, minor vniuersalis: erit enim conclusio particularis affirmatiua. Secũdo. Cum maior est vniuersalis, minor autem particularis, erit enim conclusio particularis affirmatiua. Primus syllogismus qui est *Disamis*, reduci potest ad *Darij* per conuersionem, siue ostensiuè, per impossibile, & exponendo. Secundus etiam ad Darij ijsdem tribus modis, qui est Datisi.

Quinto. Sed si hic quidẽ sit &c.) Ex maiore particulari negatiua, & minore vniuersali affirmatiua fit recta conclusio particularis negatiua; hic enim modus, qui est *Bocardo*, reduci potest per impossibile ad *Barbara*, & exponendo. Vbi notat Nyphacuisse Aristotelem probationem per conuersionem, quia particularis negatiua non conuertitur, vt etiam sup. diximus in fin. cap. 2. Vniuersalis autem affirmatiua si conuerteretur, syllogismus esset ex puris particularibus, de quo in Comp.

Sexto. Quando autem maior.) Cum maior est vniuersalis affirmatiua, minor particularis negatiua, quia datur in quibus omni, licet non detur in quibus nulli, hoc est dantur termini in quibus vera est conclusio vniuersalis affirmatiua, sed non vniuersalis negatiua, non enim valet: Omne animal est sensibile, aliquod animal non est rationale, Ergo aliquod rationale non est sensibile; hi enim termini sunt in quibus omni, nam omni rationali inest sensibile, & non in quibus nulli; nam rationale ita nõ inest alicui animali, vt insit tamen alicui alteri, quare sensibile, quod inest omni animali, non potest inesse nulli rationali. & hoc vocat Aristotel. monstrare ex indefinito, quia ostẽditur huiusmodi coniugatio mala esse, quia particularis negatiua habet quodammodo indefinitam verificationem, vt verificari possit siue prædicatum non insit alicui, siue nulli; nihil enim sequitur, eadem minori vniuersali negatiua sumpta. Ergo nec ex minore illa particulari negatiua.

Septimo. Sed si priuatiuus.) Si maior sit vniuersalis negatiua, minor particularis affirmatiua, sequitur conclusio in Ferison, nam conuersione minoris reuocatur ad Ferio.

Octauo. Sed quando minor.) Si minor sit negatiua vniuersalis, nihil fit.

Nono. Neque quando.) Si vtraque sit particularis, nihil fit. Ex quo sequitur vtramque hanc regulam esse communem tertię & primę, secundã autem omnibus figuris.

Decimo. Manifestum, &c.) Concludit terminos & syllogismos se habere debere ad modum explicatum. Secũdo. Omnes modos huius figuræ esse imperfectos, & reduci posse ad perfectos. Tertio. Conclusionem non posse esse vniuersalem.

CAPVT OCTAVVM.

HAbet hoc caput duas partes. In prima agit de coniugationibus & modis inutilibus figurarum omniũ. In secunda, *Manifestum autem.* De reductione imperfectorum ad perfectos, & omnium denique ad primos primæ figuræ. In prima parte docet primo, iam à se reiectas esse inutiles coniugationes, in quibus ambæ sunt affirmatiuæ, vel negatiuæ particulares. Cũ autem altera est affirmatiua, altera negatiua, vna vniuersalis, altera particularis, posse esse vtiles. Esse autem inter vtiles quasdam indirectas, si minus extremum prædicetur de maiore in conclusione, & hoc vocat concludere non ex proposito, sed extra propositum, facta nempè conuersione maioris & minoris. Notat etiam in omni figura & modo posse loco particularis poni indefinitam, ex quo sequitur reuocari indefinitam ad particularem, certè in materia contingenti. In secunda parte docet primo, Omnes syllogismos imperfectos reduci ad primam figuram

monstra-

monstratiuè, hoc est, ostensiuè, & præterea per impossibile, de quibus in comp. Ponit autem Arist. exemplum primi modi tertiæ figuræ, hoc est, Darapti, & reducit ad Celarent. Secundo. *Est autem & omnes &c.* Ait omnes reduci posse ad duos primos primæ figuræ modos, sed non eadem ratione: nam modi secundæ ex vtraq; vniuersali, ad Celarēt conuersa præmissa negatiuâ, qui autem constant altera particulari, per impossibile. Modos primæ figuræ particulares per impossibile ad vniuersales secundæ, & inde ostensiuè ad duos primos primæ. Tertio. *Qui verò in tertia.* syllogismi tertiæ reducuntur immediatè ad duos primos primæ, qui constant præmissis vniuersalibus, qui autem altera particulari ad eosdem, medijs etiam particularibus modis eiusdem primæ figuræ.

Notandum primo. Arist. in prima figura sic terminos collocat. Primo. Ponit medium. Secundo. Maius extremum. Tertio. Minus. In secunda eodem modo, in tertia primo. Maius extremum. Secūdo. Minus. Tertio. Medium. Habet enim Aristot. rationem non situs, vt diximus, sed dignitatis, quæ in prædicando consistit. Item inter literas prima significat terminum qui primo loco ponitur. Secunda, qui secundo. Tertia, qui tertio.

Notandum secundo. Omnes modi tertiæ figuræ cum habeant conclusionem particularē, reduci possunt per impossibile ad primū. Item Disamis & Bocardo reduci possūt immediatè ad duos primos primæ, ille per conuersionē, hic per impossibile.

Notandum tertio Indicat Arist. in omnibus figuris esse modos indirectè concludentes, cuius nos *in Compendio* oppositum significauimus. Bur. resp referens quoque alios, non intendere Philosophum figuras in hoc esse similes, quod directè & indirectè concludant, sed tantum quod conuertendo conclusionē, potest in diuersis modis fieri syllogismus, & inferri conclusio. Adde quod conclusio directa vnius modi est indirecta alterius, solumque differunt quod fieri possunt in alijs figuris indirectè præter primam, transpositione præmissarum.

DISPVTATIO DE *tribus figuris.*

QVÆSTIO PRIMA.

Quod sint tres figuræ, & de ordine earum.

SYllogismus in communi semper constat tribus terminis, ex quibus duo se habent vt quædam vnibilia respectu tertij, qui ea vnit & connectit, & propterea dicitur *Medium*, ideoque bis ponitur, nempè in vtraque præmissa, semel cum maiore, & semel cū minore extremo. Porrò ex varia habitudine & collocatione medij termini cum alijs duabus cōsurgit figura, & sicut modi resultant ex varietate quantitatis & qualitatis propositionū, ita figura ex varietate collocationis medij, vt diximus in comp. Quoniam igitur secundum Aristotelem tribus duntaxat modis contingit medium disponi cum extremis, triplex etiam solum figura esse dicitur, & quia quartam alij confinxerunt, idcirco quartam quoque figuram esse dixerūt, quod antequam examinemus, supponendum est primo has tres figuras, de quibus nemo dubitat, bonas esse & legitimas, quod omnes hactenus concesserūt, præter vnum Laurentium Vallam *lib. 3. Dial. cap. 9.* qui nimis dicaciter ausus est hoc nomine vocare nugarum amatricem Peripateticam familiam, & nationem insanientem, quæ tertiam figuram agnoscat, quam ipse nihil in se sanitatis habere, sed totam planè insanam esse dicit. Sed vt mos est huius farinæ hominum, præter verba nulla affert argumentorum momenta, quin etiam nostra penè ætate vir quidam doctus, cum idem, sed modestius aliquanto, sentiret, re tamen melius considerata, aciei Vallæ desertor factus est, & contrà Laurentium suum scripsit. Imò Auerroes hanc figuram tanti facit, vt omnibus quodammodo vtiliorem esse dicat, quoniam ea facilius inter argumentandum vti solemus, nititur enim illi principio maximè noto: *Quæcunque eadem sunt vni tertio, sunt eadem inter se.* Lege Doct. Louan. & Nyph.

Suppo secundo. Etsi, vt vidimus *cap.* 5. per primam figuram quælibet propositio concludi possit, & quæuis quæstio dissolui, idque optima ratione, additæ nihilominus sunt secunda & tertia figura ab Aristotele, Theoph. Eud. Boët. & alijs, non modo quia in Cap. 1. pollicitus erat Arist. de syllogismo tum perfecto tum imperfecto disputare se velle, sed etiam, vt notat Burl. anno. circa prima figuram versus finem. Quoniam vnaquæque conclusio peculiariter vnam sibi quodammodo figuram vindicat, Vniuersalis affirmatiua primam, vniuersalis negatiua secundam, particularis tertiam. Accedit quod confert plurimum omnes tenere argumentãdi formas, nec semper se offert medium ad colligendam syllogismo perfecto conclusionem.

Suppo tertio. Syllogismus ratione figuræ præcisè & secundum se sumptæ, quanquam, vt suprà diximus, non est simpliciter dicendus syllogismus, sola forma abstrahens ab omni materia, non est genus vniuocum, sed analogum ad has tres figuras, quia, vt dicemus, longè præstat prima cæteris figuris.

Dices Idem genus non potest bis diuidi in species. At sup. distributus est syllogismus in Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum. Non ergo diuidi potest in has tres figuras tanquam in species. Resp. Habet se syllogismus vt aggregatũ quoddam & compositum ex materia & forma accidentali, quare non potest esse vniusmodi illius diuisio. Sic si accipiatur ensis, aliter diuiderut si materiam spectes, aliter autem si formam. Sic igitur diuisus est suprà syllogismus in Demonstratiuum, Topicum, & Sophisticum ex parte materiæ, nunc autem ex parte formæ, & quia forma est potissima inter ea quæ sunt in rebus, ideò magis etiam præcipua & essentialis est hæc diuisio.

Suppo quarto. Recto ordine collocatæ sunt hæ tres figuræ, qui ordo significat, quod iam diximus, analogicè dici syllogismum in communi de his figuris. Rationem istius ordinis reddit Alex. Phil. Boët. quia secunda & tertia gignuntur è prima. Et hoc ipsum docuit Aristot. fit enim ex prima secunda, si propositio illa, quæ in secunda conuertenda est, fiat in prima maior propositio; nam volumus dum conuertitur secunda in primam, medium subijci, quod prædicabatur in secũda, id autem solum fit in maiore propositione. Tertia autem fit ex prima, etiam conuersa propositione, & posita in prima figura loco minoris, quia volumus in minore propositione prædicari medium, quod in tertia subijciebatur, quod solum fit in minore propositione. Excipiuntur soli modi Baroco & Bocardo, quoniam negatiua particularis conuerti nequit, quamuis per impossibile reuocari possint ad primam. Ex quo sequitur in secunda figura semper maiorem debere esse vniuersalem. In tertia autem minorem semper esse affirmatiuam, quoniam id etiam semper contingit in prima figura. Secunda Ratio eiusdem ordinis est, quia prima est maximè naturalis, pendet enim & fundatur in duobus illis principijs maximè notis: Dici de omni, & dici de nullo, ideoque ab Aristotele dicitur prima figura habere euidentem & necessariam illationẽ, & syllogismi primæ figuræ dicuntur esse perfecti. Tertia. Quoniam in prima figura medium habet maximè propriam mediationem; nam partim subijcitur, & partim prædicatur. Secunda autem magis accedit ad primam, quoniam medium in illa prædicatur, quod est quid nobilius quam subijci, & potest etiam habere conclusionem vniuersalem, quod neutrum est in tertia figura. Quarta. Quoniam prima omnem quæstionem concludit, vniuersalem, particularem, affirmatiuam, negatiuam. Quinto. Quæ ratio, inquit Phil. subtilior est, & ingeniosior: nam prima magis est nobis, animæque nostræ similis; nos enim medij sumus inter res spiritales & incorruptibiles, aliasque corruptioni obnoxias, & materiæ concretas. Sic etiam prima figura habet medium, quod partim est præstatius vno extremo de quo prædicatur, partim imperfectius alio cui subjicitur. Sicut nos tum alias res superamus, tum ab alijs vicissim vincimur. Secunda autem

autem figura similis est formæ naturali; nam sicut omnes formæ naturales, quæ distingui solent ab anima nostra, sunt quodammodo eiusdẽ perfectionis, quatenus dicunt omnes ordinem & dependentiam à materia, quam perficiunt, ita in secunda figura est medium, quod habet respectu vtriusque extremi rationem formæ perficientis, quoniam de vtroque prædicatur. Tertia. Similis est materiæ, quoniam in illa semper medium subijcitur, & se habet tanquam aliquid potentiale & imperfectum. Ex his infert Alex. & Phil. primam figuram conuenire quadam peculiari ratione syllogismo Demõstratiuo, quod testatur Arist. 1. *de po cap.* 11. Secundam Topico, Tertiam Soph stico. Et meritò; nam is est ordo proportione seruata inter hos syllogismos, qui est inter figuras.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quod non sint plures figuræ quam tres.

Diximus esse tres figuras, quas solum Arist. cum suis agnoscit. Et Plato, vt colligitur ex Alci. *cap.* 5. *lib. de doct. Plat.* Probat autem Aristoteles has tantum tres reperiri, cum *toto hoc lib.* 1. tum præsertim *cap.* 23. Ratio verò est illa quam quæstione præcedenti significauimus, nimirum non posse nisi triplici ratione medium cum extremis aptè disponi, quod etiam magis patebit ex refutatione contrariæ opinionis. Fuit igitur opinio Galeni dari quartam aliam figuram, qui Galenus fitne is qui Medicorum facilè princeps esse dicitur, an verò alius quispiã, non satis liquet: nam Ioannes Amm. cognomine Scotus, *q. de potiss. demonstrat.* vult esse Arabem quendam Galenum, qui duobus libris De demonstratione scripserit. Hanc autem opinionem tanquam Galeni, quicunque tandem sit, Auer. Arabs recitat & refutat 1. *pr. cap.* 8. & 23. sed apud Galenum illum excellentem Medicum non extat vlla, quod sciam, de hac re mentio, quanquam non eius omnia ad nos opera peruenerũt. Certè in lib. de optimo genere dicendi versus finem meminit libri de demonstratione à se scripti. Porrò hanc opinionem non omnes eodem modo intelligunt. Primo. Quidam putant voluisse Galenum quartam figuram differre solummodo à prima, præmissarum transpositione, vt ex minore fiat maior, & vicissim. Verum nõ potuit hæc esse mens Galeni, vult enim prædicari medium de maiori extremo, & subijci minori. Facta autem transpositione, adhuc idem seruatur, quod in prima figura Aristot. Et hic modus syllogismĩ naturalis est, vt enim inquit Phil. terminos ordinari aut per inesse, aut per prædicari, nihil refert, hoc est, modo medium subijciatur maiori extremo, & prædicetur de minore, nihil interest an priore loco ponatur maior, an minor. Imò obseruandum est sæpè apud Aristotelem & Interpretes confici syllogismum in quo priore loco ponitur propositio, quæ posteriorem tenere deberet. Denique in secunda & tertia figura potest eodem modo fieri præmissarum transpositio, quare iam nõ quatuor, sed sex figuræ essent.

Secundo. Existimant alij quartam Galeni esse, vt comprehendit quinque modos indirectos primæ figuræ. Videtur id significare Burl. 1. *pr.* examinans combinationem vtilium & inutilium syllogismorum, quod apud nos est *cap.* 8. apud ipsum *quintum.* Et Bardel. *in annot. de hac re.* sed refellitur hic dicendi modus sicut præcedens. Adde quod Galen. vult in sua figura inferri quæsitum vt quæsitum, hoc est, id concludi directè, quod directè quæritur. Sed per modos indirectos primæ figuræ infertur conuertens quæsitum; nam quæsiti prædicatum est maior extremitas, subiectum minor. In modis verò indirectis minor prędicatur de maiori. Tandem hos modos expressit Aristot. & Theophr. docuit, nõ ergo erat quod Galenus quartam figuram inueniret.

Tertio. Dicunt alij quartam figurã esse non transpositionem præmissarum, neq; modos indirectos, quos vocant Græci refractos ἀνακλωμένους, sed cum infertur quæsitum vt quæsitum per præmissas, in quibus medium prædicatur de maiore extremo, hoc est, de prædicato quæsiti. Denique in qua medium minori extremo

subijcitur in minore propositione, & de maiore prædicatur in maiore. Ita interpretantur Auerr. loco cit. & Zabar. *lib. de quarta figura*, vt si quæras an aliqua iustitia sit laudanda, syllogismo in hac figura id ita probabitur: Aliquod laudandum reddit quod suum est, Omne quod reddit quod suum est, est iustitia, Ergo aliqua iustitia est laudanda. Hinc concluditur quæsitum vt quæsitum, nec est vlla ex tribus figuris. Lege etiam Nyph. Et hæc est potissima ratio pro hac sententia, nam assignatur noua quædam medij dispositio, diuersa ab ea quæ reperitur in tribus figuris. Ergo est distincta figura. Concluditur etiam naturaliter; est enim naturalis propositio: Quædam iustitia est laudanda. Posset etiam secunda sententia in hac materia dici quorundam, qui Auerrois verba secuti admittunt quidem quartam figuram non vt naturalem; naturaliter enim conclusio colligitur ex principijs Dici de omni, & dici de nullo, ex quibus non pendet quarta figura Galeni, sed vt artificialem. Ita defendunt aliqui recentiores.

Prima Propositio. Figura Galeni non est naturalis; Quare hoc saltem nomine reijcienda est. Explico. Nam naturalis figura & syllogismus is dicitur, qui ex debito præmissarum ordine ac vi eandem conclusionem infert, etiamsi alioqui propositio ipsa non videatur in se habere naturalem prædicationem: nam solum tunc est prædicatio naturalis, cum prædicatur superius de inferiore, æquale de æquali, accidens de subiecto, & id quod perfectionem habet de minus perfecto. Naturalis autem propositio est, prout per syllogismum inferri potest, quæ infertur ob dispositionem præmissarum, id est, cum propter collocationem medij cum extremis sequitur naturaliter hoc de illo prædicari; siue prædicatum in te ipsa naturaliter prædicetur, siue non. Exemplum. Si fiat hic syllogismus: Omne admiratiuum est risibile, Omnis homo est admiratiuus, Ergo omnis homo est risibilis, hic erit naturalis syllogismus, per quem infertur propositio naturalis & in ordine ad præmissas, & secundum se. Si autem dicas: Omne admiratiuum est homo, omne risibile est admiratiuum, Ergo omne risibile est homo, infertur conclusio naturalis in ordine ad præmissas, imò etiam in modo indirecto Baralipton. Ex hoc eodem antecedente infertur conclusio, sed indirecta, continens in se prædicationem naturalem, spectata propositione in se: erit enim hæc conclusio, Ergo quidam homo est risibilis. Ratio istorum est, quoniam illud debet in conclusione prædicari de minore extremo, quod in antecedente prædicabatur de medio, & id debet in conclusione subijci, quod medio subijciebatur, quomodocunque tandem se res habeat, quod attinet ad naturalem, vel non naturalem prædicandi modum. Hoc posito probatur propositio; quoniam, vt iam diximus, non sequitur in figura Galeni naturalis conclusio ex præmissis: Omnis homo est animal, omne animal est substantia, naturaliter sequi deberet hæc conclusio: Ergo omnis homo est substantia, non autem ista quæ sequitur ex figura Galeni: Ergo aliqua substantia est homo, ex eo enim quod vnum prædicatur de alio, & id de quo fit prædicatio, iterum de alio etiam prædicatur, sequitur primum de tertio prædicari, iuxta regulam illam anteprædicamentorum: *Cum alterum de altero &c.* Et iuxta illa duo principia maximè nota, *dici de omni, & dici de nullo.* Sed in dicto syllogismo substantia prædicatur in minore propositione de animali tanquam de subiecto, in maiore animal de homine. Ergo naturaliter deberet prædicari substantia de homine, dicendo: Omnis homo est substantia, non autem homo de substantia, dicendo: Ergo aliqua substantia est homo. Confirmatur. Maior enim extremitas est ea, quæ prædicatur in conclusione, & in aliqua ex præmissis, saltem ex natura sua, idque in prima figura, vt docet Alexander contra Herm. Sed istius quæstio: Quædam substantia est homo, Homo est prædicatum, & tamen subijcitur in præmissis. Ergo non est

idonea

ftionea Galeni figuræ. Confirmatur secũdo. Præmissæ in figura Galeni solum differunt à præmissis primæ figuræ per transpositionem, quamuis, vt diximus, nõ esset præcisè contentus Galenus hac re. Ergo non est quod distinguatur à prima. Id patere potest in exemplo allato. Secundo. Probatur. Nam iuxta hanc figuram contingit idem subijci sibiipsi, prædicati de seipso, eundem medium terminum continere vtramque extremitatem, & ab eadẽ contineri. Ostendo hoc in dicto syllogismo: Omnis homo est animal, omnis animal est substantia. Ergo quędam substantia est homo, primo enim sic subijcitur homo animali, animal substantiæ, substãtia homini. Ergo homo homini. Secũdo. Substantia prædicatur de animali, animal de homine, homo de substãtia. Ergo substantia de substãtia. Tertio, Animal quod est medium continet hominem, homo substantiam, cum de eo prædicatur. Ergo animal continet & hominem & substantiam. Rursus, animal continetur à substãtia, nam de eo prædicatur substantia, & substantia continetur ab homine, quia etiam de eo prædicatur. Ergo animal medium continetur & à substantia, & ab homine, quoniam in homine substantia continebatur; sunt autem homo & substantia duo extrema. Ergo. Hac fere ratione vtitur Auerroes, 1. *pr. cap.* 8. quia tamen simul probatur quinque vltimorũ modorum primæ figuræ indirecta concludendi ratio, quæ causa fortasse fuit ijs quos diximus, vt putarent quartam figuram non distingui ab illis quinq; modis. Quod sanè ita esse videtur, etsi id non solum Galenus voluerit, alioquin actum, quod dicitur, egisset. Vltimo probatur; Quoniam, vt notat Babol. hanc quartam figuram expresse vt non naturalem reijcit Aristot. 2 *pr. sect.* 2. *cap.* 2. agens de potestate syllogismorum, dicit enim cum medium antecedit maius extremum, & sequitur minus, hoc est, cum in maiore medium prædicatur, & in minore subijcitur; fieri syllogismum conuersum, non naturalem, & qui naturalis propositionis loco quã inferre deberet, inferat conuersam.

Secunda Propositio. Figura Galeni non modo vt innaturalis, sed planè etiam reijcienda videtur; siquidem in reipsa non differt à prima. Quamuis enim secunda & tertia reducantur ad primam, tamen, vt notat Auerroes, syllogismi illarum naturales sunt, & *cap.* 5. *lib.* 1. *pr.* per syllogismum artificialem nihil aliud intelligit, quam innaturalem, & quo pauci vtuntur, nec secundum viam dicti de omni, ideoque vt à naturali distinguatur, artificialem vocat. Probatur propositio tùm ex dictis in præcedenti propositione, tum etiam quia nullum vsum habet hæc figura ad scientias, nullum habet principium, cui vis istius figuræ innitatur, sicut habent cæteræ, sed tantum niti potest principio primæ figuræ Dici de omni, & dici de nullo.

Dices. Potest figurã Galeni fundari super hoc principio, quod conuenit vel repugnat prædicato, conueniet vel repugnabit subiecto in parte. Sed hoc principium non est per se primum & naturale, si enim aliquid prædicatur de altero vniuersaliter, & hoc de alio, ex hac connexione statim lumine naturali per se primo infertur prædicati primum de tertio, vt patet ex iam dicta Regula Anteprædicamentorum. Illud autem aliud non infertur, nisi secundario, indirectè, & per primum principium, quoniã ex eo quod primum inest secundo, & secundum tertio, sequitur primum inesse tertio, etiam ex parte, verbi gratia, ex hoc quod omnis homo est substantia, sequitur quandam substantiam esse hominem. Confirmatur. Quoniam aliquando ex antecedente disposito secundum figuram Galeni potest in prima figura Aristotelis inferri conclusio particularis negatiua, & tunc nihil inferre poterit Galenus, quoniam particularis negatiua non potest conuerti, verbi gratia: Aliquis homo est ignorans, nullus ignorans est Philosophus, inferet Aristoteles (nec enim, vt diximus, curat ordinẽ præmissarum) Ergo aliquis homo non est Philosophus, in Ferio, Galenus verò nihil potest inferre, hoc enim illi inferendum esset: Ergo aliquis Philoso-

phus

phus non est homo, quod falsum est, nisi forte in ipso vetam fateri velimus esse vtramque conclusionem. Ex his ergo concluditur esse reijciendam hanc figuram, quoniam nullos modos habet, qui non sint primæ figuræ indirecti & reducibiles ad directos.

Dices. Potest fieri syllogismus in hac figura ex minori particulari negatiua, sed talis syllogismus nõ potest reduci ad primam; maior enim propositio non potest esse particularis, minor autem non potest esse negatiua. *Resp.* Non posse id fieri. Primo. Quia conclusio semper sequitur debiliorem partem, in figura autem Galeni cum solum inferat conuertentem, nõ potest esse conclusio particularis negatiua, quoniam illa non est conuertibilis. Secundo. Quia medium debet distribui in aliqua præmissarum, sed in minore, quæ est paticularis, nõ potest; in maiore quoniam cum minor sit negatiua, etiam non potest, nam debebit esse affirmatiua, & sic secundum figuram Galeni, medium prædicatur, quare se habet confusè, & subiectum est id quod distribuitur. Eadem de causa nec potest esse minor propositio negatiua vniuersalis, vel particularis, si maior sit affirmatiua particularis. Atque ex his patet ad omnia argumenta quæ pro quarta figura fieri possunt; illud verò exẽplum positum in explicatione huius opinionis, est syllogismus indirectus in *Dabitis*, & facta præmissarum transpositione, erit directus in *Darij*, vt: Aliquod laudandum reddit quod suum est, Omne quod reddit quod suum est, est iustitia, Ergo aliqua iustitia est laudanda. Sic fiet syllogismus in Darij: Omne reddens quod suũ est, est iustitia, aliquod laudandum reddit quod suum est. Ergo aliquod laudandum est iustitia. vbi videris quamuis conclusio in syllogismo Galeni contineat naturalem prædicationem propositionis in se considerata, non tamen in ordine ad præmissas.

(*_*)

CAPVT NONVM.

De Syllogismis ex vtraque de necessarijs.

HActenus de syllogismis, seu de tribus figuris, vt constant propositionibus de inesse; iam easdem figuras spectat in syllogismis ex propositionibus necessarijs & contingentibus, seu in syllogismis ex mixtione. Et hoc quidem capite agit de syllogismis ex Necessarijs, nam inquit necesse est diuersos esse hos syllogismos, cũ sit diuersum inesse ex necessitate & contingenter. Docet primo. Eodem modo fieri figuram in istis syllogismis *ex necessarijs*, atque ex propositionibus *de inesse*, si quidẽ eadem sunt principia regulatiua Dici de omni, & dici de nullo. Idem modus conuersionis, ac proinde etiam inductionis imperfectorum ad perfectos. Tamen secundo dicit quod Baroco secundæ figuræ, & Bocardo tertiæ non reducuntur per impossibile, sed per syllogismum expositorium Reductionis, is enim per impossibile fit sumpto contradictorio conclusionis, contradictoria autem propositio eius quæ est de necessario, esset propositio de contingenti, atque ita conficeretur syllogismus ex mixtione necessarij & contingentis, de qua mixtione nihil adhuc dixerat. Addit debere sumi pro contradictorie necessariæ conclusionis, si propria contradictoria sit contingenter, vt, inquit, patet *ex cap 3. 2. Periherm.* contingens enim opponitur necessariæ.

Circa litteram notanda sunt prima verba, ex quibus quidam colligunt propositionem *de Inesse* esse contingentẽ in actu, quod ex hoc loco non deduci suprà ostẽdimus: Etsi enim subdat Aristot. tres illas propositiones de inesse, seu inexistentes, de necessario, & de contingenti, id tamen ex eo tantum deducit, quod quædam necessario insint, quędam contingenter, aliæ verò insunt quidem altero horum modorum, sed propositiones quę neutrum modum præfixum habeat, dicuntur propositiones de inesse.

Dices. Dictum est propositiones sumi ex modo & materia, Ergo cum materia

sit aut necessaria, aut contingens, huiusmodi etiam erit propositio. Resp. Sumitur propositio ex materia aliqua indeterminata & communi, quæ nec sit necessaria, nec contingens, & ab illis materiebus determinatis sumitur propositio necessaria, vel contingens secundum rem, quę tamen non dicuntur modales, donec apponatur modus.

CAPVT DECIMVM.

Docet Aristoteles Syllogismum constatem ex propositione de necessario & inesse rectam habere posse conclusionem, sed si maior sit de Necessario, minor autem de Inesse, sequi conclusionem de necessario. Contrà verò, si maior sit de inesse, & minor de Necessario, sequi conclusionem de inesse. De qua re quoniam est grauis quæstio, seorsim agendum est.

QVÆSTIO DE EADEM RE.

Maximum est circa hoc caput Interpretum, Græcorum præsertim & Auer. dissidium, vt non immeritò Burl. diuinum censeat implorandum esse auxilium, quanquam non rectè Philosophus & Christianus Musas inuocat, Orphei versibus. Difficultatem in genere facit celebre illud & tritum axioma: *Conclusionem in syllogismo sequi debiliorem partem.* Quare si qua propositio est de inesse, cum sit debilior quam propositio de Necessario, sequi etiam debebit semper conclusio de Inesse. Sicut etiam si quando propositio aliqua est affirmans, aut negans, sequi etiam solet conclusio particularis, aut negans.

Prima Opinio Est Theophr. & Eud. auditorum Aristotelis, Them. in quorum sententiam, inquit Phil. descenderunt Platonici nonnulli, Regulam istam, si absolutè sumatur, non esse veram, propter iam dictum axioma. Secundo. Quoniam non sequitur hæc conclusio de Necessario, si constituatur hic syllogismus: Omne ambulans necessariò mouetur, Omnis homo ambulat, Ergo omnis homo necessariò mouetur. Tertio Primum coniungitur & dicitur de vltimo, hoc est, maius extremum de minore per medium, quod coniungitur cum minore extremo in minore propositione. Sed coniunctio medij cum minore, eiusdemque prędicatio de eodem est tantum de inesse. Ergo maius extremũ cum minore in conclusione solũ coniungetur, solumque prædicabitur de inesse.

Secunda Opinio. Est Philop. quam etiam dicit fuisse Alex. & præceptoris eius Sosigenis, referente eodem Alex. in lib. quodam, quem Nyph. & alij vocant de mixtione propositionum, conclusionem sequi de necessario conditionaliter, & ex suppositione; si enim aliquis currit, necessariò mouetur, ex suppositione, & ita in hoc syllogismo; Necesse est ambulantem moueri, omnis, vel quidam homo ambulat, sequitur optimè conclusio necessariò, & ex suppositione: Ergo omnis vel quidam homo necessariò mouetur, & hęc est opinio Babol. & Burl. cui nescio cur quidam tribuant aliam opinionem, quæ nullius est quod viderim; regulam Aristotelis esse veram, secundum vim illatiuam vt abstrahitur à probatiua, & quamuis non necessariò coniungatur cum minore mediũ extremum, tamen conclusionem posse esse necessariam necessitate illationis, quia conexio medij cum minore extremo pertinet ad vim probatiuam, & non ad illatiuam. Sed quisquis ita senserit, malè profectò sensit, vt apertè patet vel ex dictis de syllogismo probatiuo & illatiuo. Et certum est non fieri mentionem propositionis necessariæ propter solam illationem, seclusa omni probatione. Hæc eadẽ secunda opinio, quam Nyph. ait esse iunio: um, est etiam Auer... *in quæsito 9.* & vt vidimus Alex. Ph. L. &c. Quam ipsemet Nyph. tandem sequitur, dicens se multis diebus laborasse in intelligendo hoc loco, nec inuenisse aliquem ante se qui eum sedauerit.

Tertia Opinio Est Alb. Doct. Louan. & multorum Latinorum, atque penè communis vt obseruat Burl. Duplicem esse propositionem de inesse: alteram simpliciter, quæ est in materia necessaria, non tamen habet modum, vt: Homo est animal. Alteram secundum quid, quæ est in

materia contingenti. Et pro tempore pręsenti est vera, quamuis possit aliquando esse falsa. Dictum autem Aristotelis intelligendum esse de propositione *de inesse* simpliciter. Hæ sunt celebres opiniones, alias verò nonnullas licet legere apud Auer. vbi meminit modi dicendi Alpharab. apud Burl. Babol. & Nyphum.

Prima Propositio. Ex his opinionibus, præscindendo à veritate & falsitate earũ, nulla planè satisfacit, nec etiam directè respondet propositæ quęstioni. Nam Aristot. duo dicit. Primo si maior propositio sit necessaria, minor de inesse, conclusionem fore necessariam. Secundo si maior sit de inesse, minor de necessario, secuturam conclusionem de inesse; nulla autem ex his opinionibus præsentem dubitationem, quæ bimembris est, dissoluit, quamuis elici potest huius discriminis ratio ex Auer. quoniam inquit non absolutè videtur conclusio sequi debiliorem partem, nec enim sequitur negatiuam, quod vilior sit, sed quia negatiua est, nempè, vt interpretatur Bur. propter dictum de nullo, quod negatiuam colligit conclusionẽ, sed potius in communi loquendo, conclusio, inquit Auer. sequitur conclusionẽ maioris propositionis in proposito quidẽ eius quæ est de necessario, quia maior propositio natura sua magis est variabilis quam minor. Id autem quod variabile est, cuiusmodi est conclusio, potius sequitur aliud variabile, quam id quod inuariabile est. Atque ita maior propositio in prima figura potest esse affirmatiua & negatiua, minor autem non potest esse nisi affirmatiua. Ergo conclusio potius sequetur maiorem quam minorem. Verũ quid dicit Auerr. cum maior propositio est de inesse, minor de necessario: tunc enim, inquit Aristotel. conclusio debere esse de Inesse, non de necessario, & si maior propositio sit de necessario, & minor de inesse, futuram conclusionem de inesse. Alb. & alij dicunt, ex maiore de necessario, & minore de inesse simpliciter, sequi conclusionem de necessario ex maiore autẽ de inesse secundum quid, & minore de necessario, sequi conclusionem de inesse.

Sed neque hæc solutio satisfacit, quare sit secunda propositio.

Secunda Propositio. Absolutè & secundum veritatem, præscindendo tantisper ab Aristotele, videtur verum quod asserit prima opinio, videlicet si altera præmissarũ, quæcunque tandem sit, sit de inesse, & verè debilioris rationis est propositio de inesse, conclusionem debere esse de inesse, quomodocunque accipiatur propositio de inesse, & hoc optimè probant argumẽta allata. Et confirmatur. Nam alioquin syllogismus in prima figura non posset regulari per dictum de omni & de nullo, nec enim verum est, quando aliquid affirmatur necessario de alio, & vniuersaliter, affirmari etiam de omni sub illo contento, nisi etiam necessariò subsumatur. Et frustra mihi videntur laborare, qui dictas rationes contra hanc propositionem soluere conantur, quod præsertim conatus est Bur.

Tertia Propositio. Videtur hæc etiam esse sententia Aristotelis, tum quia magis credendi sunt assecuti mentem præceptoris sui Theophrastus & Eud. præsertim cum nunquam vlla alia in re ab eo discesserint, quam alij Interpretes; tum quia sine dubio Aristoteles vult seruari in syllogismo leges suppositionis terminorum, appellationis, status &c. hæ autem si seruentur, oportet vt maior existat de necessario. minor de inesse sub illa, sic etiam necessaria, vt: Necesse est omnem currentem moueri, quidam homo currit, Ergo quidam homo necessario mouetur. Si spectetur nudè hic syllogismus, non sequitur conclusio; nam si maioris propositionis sensus est, quod aliquid necessario moueatur, falsa est propositio, si autem sumatur in maiore actus currendi in concreto, seu currens vt currens, tunc minor est falsa, seu, quod idem est, in maiore prędicatum appellat suprà formale subiectum, in minore autem supra materiale eiusdem, quare deficit conclusio. Vnde si fiat formalis subsumptio: Sed hoc currens currit, optimè sequitur conclusio de necessario: Ergo necessario aliquod currens mouetur. Simile apparet in hoc alio exemplo:

plo: Album necessario disgregat visum, homo est albus: Ergo homo necessariò disgregat visum. Regula igitur Aristotelis intelligitur seruata suppositione, quod satis significauit, cum dixit minus extremũ esse partem medij. Quare sequitur quod participare debeat eam illius rationem, quam in maiore propositione habet; cum subijcitur maiori extremo, prætterquam quod non fuit opus Aristotelem id monere, quod semper subintelligitur in omnibus regulis consequentiarum.

Dices. Cur ergo Arist. *Si maior*, inquit, *est de necessario, & minor de Inesse, sequitur conclusio de necessario; si autem maior sit de inesse, & minor de necessario, sequitur conclusio de inesse.* Respondetur potest primo. Quoniam minor propositio subsumpta sub maiori propositione formaliter, vt fieri debet, sequitur conclusionem illius in hoc, quod si illa est de necessario, etiam & ista: nam superius formaliter semper est de intrinseca ratione inferioris. At cũ maior est de inesse, ipsa est indifferens, potestque esse tum in materia necessaria, tũ in contingenti, & ideò si minor subsumatur de necessario, non ideò erit conclusio de necessario simpliciter, quamuis si subsumatur formaliter, quatenus subsumitur sub maiori vniuersali, est aliquomodo necessaria propter connexionem extremorum. Et sic dici potest quod sequatur cõclusio necessaria saltem ex suppositione. Sed secundo melius respondetur, cum inquit Arist. *ex maiore de inesse, & minore de necessario sequi conclusionem de inesse, & non de necessario.* sensus est conclusionem quæ sit necessaria simpliciter, sequi, quę tamen non habet modum de necessario, sicut ex maiore de necessario & minore de inesse sequebatur conclusio necessaria de modo simpliciter, quoniam minor erat necessaria simpliciter, licet non de modo. Et hoc pendet ex dictis quid significetur per propositionem de inesse: nam dicere quod sequatur conclusio ex maiore de necessario, & minore de inesse, quæ sit de necessario ex suppositione, est nihil dicere, tam enim minor est necessaria ex suppositione, quam conclusio, quia quod actu accidentaliter inest, necessario inest. Adde quod argumenta facta pro prima propositione positiuè concludunt, debere conclusionẽ esse necessariam absolutè, & sic patet quid sit dicendum de opinione; prima enim sola est vera. Prima responsio in hoc peccat, quia quamuis propositio de inesse modaliter loquendo, nec sit de necessario, nec de contingenti, realiter tamen est vel necessaria, vel contingens &c.

IN LIBRVM PRIMVM POSTERIORVM ANALYTICORVM ARISTOTELIS.

EXPLICATIO TEXTVS.

PROLEGOMENA.

IN superioribus multa diximus, ex quibus peti potest & debet cognitio eorum quæ ad intelligentiam huius libri faciunt; qualia sunt quæ de Authore, de ordine, alijsque eiusdem generis dicta sunt. Quia tamen solent esse peculiares quædam dubitationes de proprio horum Librorum obiecto, atque de ratione Inscriptionis eorundem, hac vbi breuiter explicuerimus, ad exponendam Aristotelis sententiam descendimus.

QVÆSTIO PRIMA.

De Obiecto huius Libri vtriusque.

QVæstio est: An vtriusque huius Libri obiectum sit Demonstratio sola, an etiam Definitio? Constat de Definitione disputari toto ferè secundo Libro. Tamẽ ratio dubitandi est, an agatur per se de definitione, an autem tantum in ordine ad demonstrationem?

Prima Opinio. Auer. *in Prol. 1. post.* Alex. fi Eust. credimus, *2. Post init.* quod alij colligunt ex eodem *initio Top.* Tribuitur autē hæc opinio Them. Theophr. & alijs. Est autem opinio Mirand. *lib. 5. Apol. sect. 6.* Bald. *initio huius libri*, Rauisij *in Prol.* Auer. Vlam. *in quæst. Log cap. 4.* & aliorum, Obiectum secundi libri esse Definitionem per se consideratam, primi autem Demonstrationem. Ratio est; quoniam definitio ex se est instrumētum sciendi distinctum à demonstratione. Ergo de ea sub hac cōsideratione alicubi ab Aristotele agendū fuit, nullus autem alius locus est præter 2. *lib. post.* Confirmatur primo: Nam *lib. 1. cap. 2. Si quis est,* inquit, *alius sciendi modus, postea dicetur,* vbi definitionem intelligit, iuxta Them. Auer. & aliorum expositionem. Et cum ibidem definit scire rem per causam cognoscere, videtur etiam definitio eo loco comprehendi, quia illa est instrumētum quo rem per causam sciamus. Confirmatur secundo. *lib. 2. cap. 1. ad fin & tert.* proponit se de definitione agere velle, & concludit se de eadem egisse, de qua etiam eodem libro explicat quid sit, quotuplex, quomodo construi debeat, aliaque huiusmodi, quibus perfecta definitionis cognitio in se traditur. Denique de definitione vt est medium Demonstrationis, abundè actum videtur lib. primo, vbi explicatæ sunt conclusiones omnes præmissæ propositionis. Ex quibus hæc vna & potissima quidem est, vt in se contineat causam & medium rei probandæ, quod est, essentia & definitio.

Secunda Opinio, potest hoc loco poni eorum, qui negantes de definitione per se disseri lib. secundo, aiunt de eadem disputari ab Aristotele alijs in locis. Philo quidem & Eust. *7. Met.* alij autem quidam *apud Alb. tr. 1. prædicab. cap. 5.* & ex recentioribus aliqui, *in 6. Top.* quod idem indicat Nyph. *hic.*

Tertia Opinio esse potest Ægid. *in proœm. 1 pr.* non pertinere ad Logicam agere de definitione secundum se, sed solum prout est medium demonstrationis.

Quarta Opinio Philop. *init. 1. & 2. post.* Alb. D. Tho. *1. Post.* Ægid. Lincon. & omnium Latinorum, solam demonstrationē esse obiectum horum Librorum: de Definitione autem tractari duntaxat quatenus medium est demonstrationis. Videntur id sentire etiam Alex. *1. pr.* Philop. *ibid.* Amm. Simplic. aliique omnes Græci, qui tamen *in prædicamenta Aristotelis*, cum scribentes in *1 pr.* dicunt, finem Logicæ Aristotelicæ esse librum de Demonstratione, & ipsam Demonstrationem. Fundamentū huius opinionis est, quoniā spectat definitio secundum se ad primam operationem, hi autem libri ad tertiam. Confirm. quia Aristoteles *1. pr. in init. & cap. 5.* proponit sibi esse agendum de Syllogismo & Demonstratione, & *2. Post. cap. penult.* concludit actum esse de Demonstratione & Syllogismo, de definitione autem ne verbum quidem. Confirmatur secundo *2. post. cap. 1.* proponens, quatuor esse quæstiones, ait, in qualibet istarum quæstionum quæri & inuestigari medium, significat igitur se de his distinctionibus & definitione agere, quatenus sunt demonstrationis media. Vnde ibidem hoc etiam modo agit de causis, videlicet, vt sunt medium demonstrationis. Denique de definitione, vt est medium demonstrationis, agendū fuit Aristoteli, sicut etiā in *lib. pr.* Post. explicatam naturam syllogismi, egit de medij inuentione; id autem nullibi fecit, nisi dicamus id fecisse *lib. 2.* Ergo.

Notandum primo. Vt partim ex dictis in Proleg. ad totam Logicam, partim ex rationibus recitatis pro prima sententia colligi potest: Definitio dupliciter considerari potest, sicut & ipsa essentia, cuius cōtinet explicationem. Primo, Vt solam dicit essentiam, & ea quæ sunt de rei quidditate. Secundo, Vt tum hæc essentia, tum quæ illam explicat definitio, potest esse tanquam medium ad probandam proprietatem quæ ex essentia fluit. Primum illud solum per se requiritur ad essentiam & definitionem, quia non est de ratione essentię aliquam ex ea proprietatem fluere. Secundum verò sequitur ex essentia quatenus ipsa potest esse causa proprietatum. Quare eodem modo definitio vt per se cognoscatur, satis est si de illa tradātur

per-

per quæ in quidditatis notitiam venire poſſimus: ſi autem etiam eadem ſpectetur quatenus eſt cauſa proprietatum, id verò eſt definitionem conſiderare ſecundum aliquid illi aduenient.

Notandum ſecundo. Loquendo propriè de inſtrumentis ſciendi, ſciendi inquā, vt ſignificat certam quamlibet & euidentē intellectus cognitionem, duo ſunt tantum inſtrumenta: Demonſtratio & Definitio, quia de iſtis per ſe habetur certa & euidēs rei cognitio: cætera, ſi quæ ſunt, aut tantū iuuant ad habendam huiuſmodi cognitionem; qualis eſt Diuiſio, Methodus &c. aut etiam parere poſſunt cognitionē probabilem & apparentem, quod indicat Ariſtoteles 2. *Met. t.* 48. & docet Auic. Algaz. Auer. Alb. aliique *init Logic.* Quare cum in hoc conueniant definitio & demonſtratio, poteſt de vtroque inſtrumento ſimul eodem opere diſputari. Præſertim cum definitio plurimum deſeruiat demonſtrationi, quia ex eo quod explicat rei eſſentiam, ſequitur deinde quod ſit cauſa & medium concluſionis, quæ per demonſtrationem infertur. Inde præterea ſequitur quod de definitione ſecundum ſe agendo, veluti communiter de illa etiam vt eſt medium demonſtrationis, aliqua explicatio traditur, & contrà prout definitio eſt medium demonſtrationis, neceſſarium videtur de eadem, vt eſt rei eſſentialis explicatio, agere.

Notandum tertio. Alias quoque diximus aliud eſſe loqui de Logica abſolutè pro tota arte, vt eſt omnibus ſuis partibus abſoluta, aliud autem de Logica, quam nobis Ariſtoteles reliquit, vel certè, quæ ad nos peruenit. Aliud etiā eſt quærere quid potuerit fieri, & quidem non malè. Aliud autem quid de facto Ariſtoteles his in libris præſtiterit.

Prima Propoſitio. Tractatio de definitione vt eſt per ſe ſolum explicatio eſſentiæ rei, & ex inſtituto, nullibi apud Ariſtotelem habetur, & *lib. 2. poſt.* de ea ſub hac ratione non agitur. Hoc poſterius infrà probabitur. Probatur nunc prima pars. Quoniam ſicubi id fecit Ariſtoteles, vel *in* 6. *Top.* vel 7. *Met.* Non 7. *Met.* nam definitio vt ſic, non continetur ſub obiecto Metaphyſicæ, quæ eſt ens vt ens. Item non eſt Metaphyſica facultas inſtrumentaria, ſeu modus ſciendi, ſed ſcientia potius, & quidem exactiſſima, vt colligitur ex 2. *Met.* t. 15. vbi ait, fruſtra quæri ſcientiā & ſciendi modum. Cum igitur Ariſtoteles 1. *Met. t.* 42. ait, *de definitione agendum eſſe*, vt non eſt actum in Analyticis, non eſt ſenſus, cū in illis libris actum de definitione ſecundum ſe non ſit, vt eſt peculiare inſtrumentum ſciendi, eo loco agendum eſſe de illa ſub hac conſideratione, ſed tantum pro ſubiecta materia, & præſenti inſtituto monet agendum eſſe de definitione vt eſt ipſamet realis quidditas, vel particularis vniuſcuiuſq; rei, vt nonnulli volunt, aut in communi ſolum; & de particularibus, quatenus participant illam communem quidditatis rationem, quod eſt veriſimilius. De *li. 6. Top.* & in genere de tota parte Top. probatur, quod ad eam non pertineat diſputare de definitione; nam ipſa verſatur tantum circa probabilia: definitio autem eſt inſtrumentum ſcientiæ. Agitur tamen de definitione quatenus eſt problema quoddam topicum, vti patet ex *lib. 1. cap.* 3 *&* 4. *&* *ex eodem lib.* 6. Lege Alex. *init lib* 6 *Top.*

Secunda Propoſitio. Potuit Ariſtoteles *li. 2. Poſt.* conuenienter agere de definitione ſecundum ſe, accepta occaſione eiuſdem vt medium eſt, non tamen abſolutè. Primum patet ex notabili ſecundo. Secundū ex argumēto facto pro quarta opinione: quibus adde quod iſti libri inſcribuntur de Demonſtratione, vt putauit Galenus, ſiue Arabs, ſiue alius, in quodam opere de his libris, qui etiam Medicus fertur. 12. de Demonſtratione libros ſcripſiſſe, vt diximus. Quam inſcriptionem non improbat etiam Auer. *in Pro. ſuo magno.* Sed ſi libro ſecundo agitur de definitione, quo pacto non ineptus erit titulus de Demonſtratione? Inſcribuntur etiam libri Analytici, vt communi nomine tum hos Poſteriores, tum Priores citant Peripatetici, & Ariſtoteles 7. *Met. t.* 42. 6. *Ethic cap.* 3. aliiſque locis; quos diximus *in initio lib. Pr.* Analyſis autem vel eſt Syllogiſmi in communi,

& secundum formam, vel certè demonstrationis in sua principia. Non igitur secundo libro, si hanc inscriptionem retineat, dici potest agi de definitione secundum se.

Tertia Propositio. De facto Aristotelis, solum igitur primariò & per se de definitione, vt est medium & causa in demonstratione, secundariò verò minus præcipuè, & ex consequenti, de eadem, quatenus in se spectari potest. Nam vt dixi *not.* 2. habet definitio quod sit medium in demonstratione, quoniam continet explicationem quidditatis & essentiæ, vnde fluit passio. Quod autem primariò & per se egerit Aristot. de definitione solum vt est medium, optimè probant argumenta quartæ opinionis, & quæ facta sunt in præcedenti propositione. Accedit quod, vt testatur Alb. & Laërt. inter eos libros qui temporum iniuria interciderũt, vnus fuit ab Aristotele de definitione scriptus. Non igitur oportuit disputare Aristotelem secundo lib. de definitione secundum se, quanquam id negant quidam alij. de qua re lege Francis. Patricium lib. *de discußione librorum Arist.*

Quarta Propositio. Nihilominus de definitione vt est distinctum sciendi instrumentum, pertinet per se ad Logicam disputare. Hæc propositio est contra Ægid. & aliquos recentiores, quorum opinionẽ sup. diximus. Ratio est, quoniam si spectetur Logica secundum omnes suas partes, illius est omnes tres intellectus nostri operationes per se dirigere. Primam autẽ maximè dirigit & per se definitio. Ergo Logicæ est de definitione, vt est instrumentum per se relatiuum ad primam operationem, agere.

Quinta Propositio. Consequenter loquẽdo ad ea quæ dicta sunt de totali Logicæ totius obiecto, horum librorum obiectũ dicẽdum erit tertia intellectus operatio, vt est circa materiã necessariã dirigibilis, id est, vt tertia operatio non modo constat ex propositionibus aptè secundũ qualitatẽ & quantitatẽ atq; figurã collocatis, sed etiã vt eædem necessariã connexionẽ prædicationis & subiecti includũt.

Ex his patet, quod sit de recitatis opinionibus ferendum iudicium; nam tertiã opinionem & secundam, primam quoque in propositionibus refutauimus, quarta autem sola nobis probatur, nisi quod hoc addimus, agi etiam de definitione in libro secundo, quamuis secũdariò & minus præcipuè, vt est instrumentum sciendi.

Ad fundamentum primæ opinionis. Iam patet ex dictis; dicimus enim definitionem esse instrumentum sciendi, & quidem nobilissimum, de qua re alias dictũ; negamus tamen vllibi apud Aristotelem de ea sub hac ratione actum esse, quamuis ex ijs quæ passim dixi, imprimis autem *ex lib. 2 post* colligi possint quæ sint satis ad definitionis naturam intelligendam. Confirmatur. Quid enim dicent aduersarij de Diuisione, Methodo, Enunciatione? quæ constat esse distincta Logicæ instrumenta, de quibus tamen non assignabunt locum apud Aristotelem vbi disputetur.

Ad primam confirmationem. Non liquet an per modum sciendi intelligatur eo loco definitio: alij enim nonnulli interpretantur Demonstrationem *Quia*, aut habitum principiorum, qui appellatur intellectus, de qua re suo loco. Deinde fac intelligatur per sciendi modum definitio, non tamen sequitur de ea sub hac ratione disputatum esse secundo libro; solum enim inquit Arist. cum ad definitionem peruenit, esse alium quendam sciendi modum. Similiter etiamsi definita esset scientia, definitio, tamen non sequeretur ideò aliquid contra nos. Reuera autem talis definitio soli effectui demonstrationis competit, quod satis indicauit Arist. dicẽs: *Si alius est sciẽdi modus, postea dicetur.*

Ad secundam confirmationem. Solum probat quod secunda & tertia propositione concessimus, egisse Aristotelem etiam quodammodo de definitione vt est sciendi instrumentum, & hoc solum est quod concludit, quanquam potius habenda est ratio communis tum procemij, tum Epilogi, in quibus solam demonstrationis & syllogismi, nullam autem definitionis mentionem facit.

Ad

Ad vltimam confirmationem. Ex eo quod agitur lib. 1. de præmissis demonstrationis, non infertur disputari etiam de causa & medio demonstrationis, quod in iisdem continetur; quemadmodum etsi syllogismus complectatur tam formam quam materiam, non sequitur eodem in loco de vtraque parte disputari, quod attinet ad materiam determinatam. Item solum exposuit Aristoteles conclusiones præmissarum, nempè quod debeant esse necessariæ notiones per se &c. non verò docuit inuenire modum, sed vt summum ex ijs quæ dicit colligitur, definitionem in communi esse medium demonstrationis, sicut etiam dum in lib. pr. egit initio de syllogismo, simul etiam in communi significauit ad inferendam conclusionem tali aut tali opus esse medio, & tamen idipsum deinde fusius & seorsim explicauit. Maluit ergo Aristoteles separatim diligentius persequi quæ de medio dicenda erant, quam propositum cursum explicationis conditionum præmissarum, quę simul expediri poterant interrumpere.

Obijcies. Probat Aristoteles *in cap.* 1. dari demonstrationem, Ergo non est obiectum; vt enim ipsemet ibidem ait, dicitur in scientia præcognosci & supponi subiectum esse. Respondeo. Quomodo intelligi debeat quod docet Aristoteles suo loco dicemus. Interim non probat Aristoteles demonstrationem esse, sed tantum occurrit obiectionibus Platonis, quibus contendebat scientiam non parari à nobis de nouo, sed esse solam reminiscentiam, vt dicemus.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Inscriptione horum librorum.

INscribuntur vulgò *Analytici posteriores*, vel *de posteriori analysi*, cuius inscriptionis ratio esti peti possit vtrunque ex dictis *in lib. pr.* tamen quia peculiaris esse solet de his libris difficultas, ideò paucis etiam reddenda nobis causa est cur ita inscribantur. Imprimis non vocantur hi libri *Resolutorij*, quod methodo in illis resolutoria progrediatur Aristot. Vt enim id verum sit, nihilominus non est hoc peculiare his libris, sed eadem methodus seruatur etiam in lib. Topicis; in illis enim, sicut & in istis, proposito in initio fine & scopo ea tractantur, quæ ad illum finem conducant, in quo consistit resolutoria methodus, vt diximus *in Comp.* Quare non est audiendus Mirand. *lib. 5. Apol. s. 8.* vbi hanc sententiam tradit. Secundo. Nō inscribuntur hi libri *à Demonstratione quia*, quasi ipsa idem sit quod resolutio, quam rationem reddit conciliator *differentia* 8. & Hali *in artem paruam* Galeni, *com. suo* 2. Falsum enim est quod assumit, vt probabitur suo loco. Tertio. Inscriptionis causa non est *Demonstratio propter quid*, perinde ac si idem quoque esset atque resolutio, quod sentit Zim. 2. *Met. t. 11. contrad.* 8. *& tb.* 60. Tutisanus plusquam commentator *in artem p. Galeni*, Forliuiensis & Gentilis *ibid.* Nam falsum est idem esse Demonstrationem propter quid & Resolutionem. Quarto. Non inscribuntur propter solam sectionem tertiam *lib. 1. pr.* cui titulus est *De resolutione syllogismorum*, vt docere videtur Alexander & Magent. 1. *pr.* & communiter ferè omnes veteres; quoniam, vt inquit Eust. 2 *post.* hanc solam causam ipsi reddebant, nisi dicantur solùm voluisse reddere rationem inscriptionis *lib pr.* Malè autem Philop. ponitur in hac sententia; nam *initio* 2. *post.* apertè asserit aliam esse causam cur dicantur *libri Posteriores Analytici*, quam cur *libri Priores* ita etiam inscribantur, dicitque absurdam esse rationem dictam; siquidem par non est inscribi *libros Posteriores*, qui agunt de Demonstratione, à *libris Prior.* qui agunt tantum de syllogismo, cum hi ad illos, non autem isti vice versa referantur. Quinto. Philop. & Eust. ibid. rationem reddunt, quoniam in his libris proposita conclusione docetur inuenire causas & principia quibus eadem probetur: tum etiã quia definitio, quæ principatum tenet in demonstratione tanquã illius mediũ, resolutione inuestigatur, *lib.* 2. *post.* Addit Eust. primũ, fortasse dici Resolutorium à resolutione demonstrationis in sua principia, secundum

dum à resolutione quoque definitionis in similia quoque principia sua. Nos supra *in lib Pr.* causam retulimus, quæ ferè cadē est cum hac vltima, nisi quod supponat hæc ratio, agi in secundo libro de definitione secundum se. Rationem autē istam adfert D. Tho. Alb. Latini omnes, & Auer. dici nimirum *Resolutorios* hos libros à resolutione syllogismi in suam materiam, quæ in præmissis continetur, sicut dicebantur alij libri de priore resolutione, quoniam versabantur circa resolutionem eiusdem syllogismi ratione formæ, quæ priore loco ponenda est. Præter hoc nomen, Inscribuntur etiam isti libri *de Demonstratione*, vt testatur Gal. *lib. de suis libris*. Quo tamen loco non placet quod indicat, Aristotelem non meminisse alius alterius inscriptionis, sed hos libros appellasse libros de Demonstratione, libros autem *Priorum* de syllogismo. Verum enim quidem est, Aristotelem lib. *de Pr. resolutione* nuncupare interdum de syllogismo, *vt 1. po. t. 6.* tamen hos omnes libros Analyticos non semel dicit Arist. quamuis forte hæc distinctio *in lib. pr. & post. analyt.* non reperitur vspiam apud Aristotelem, etsi omnes ferè veteres interpretationem istam recipiant. Imò etiam Gal. *lib. 2. de plac. Hipp. & Plat.* meminit huius distinctionis *in primos & secundos analyticos*.

Ratio vera.

QVÆSTIO TERTIA.

De ordine, diuisione, & methodo horum librorum.

HÆc omnia faciliora sunt, & leuioris momenti. Quod attinet ad ordinem, sine dubio collocari debent hi libri immediatè post libros Prior. quicquid Phil. & Auic. contradicant, volentes ponendos esse priore loco libros Topicos, hęc enim est communis opinio, quamuis Auer. hic ab alijs non dissentiens, secum ipse non sentit *lib. de locis Top.* vbi sequitur recitatam opinionem. Ratio verò est, quoniā, vt *lib. pr.* diximus, ex illis, & libris posterioribus vnum opus efficitur, citantur etiam tam illi quam isti eodem nomine ab Arist. *Init. pr.* proponit se de syllogismo & demonstratione agere velle, &c. penult. 2. post. id se obseruasse concludit. Ex quo sequeretur ante *lib. pr.* poni debere *lib. Top.* Est etiam verisimile ex libris Topicis & Elenchis vnum opus elici, vt colligi potest ex proœmio Top. & epil. Elench. At Phil. non vult collocandos esse libros Elench. ante lib. Post. Ergo nec lib. Top. Denique *cap. 1. lib. 1. Top.* definiens syllogismum, isto ordine eiusdē species ponit: Demonstratiuum, Topicum, Sophisticū. Quod si dicas, præcedere debere ante Iudicium inuentionem, libros autem post. iudicatiuos dici, Topicorum autem inuentiuos, iam responsum est cum ageremus *de lib. pr.* Adde quod non quælibet inuentio quodlibet iudicium præcedat, sed si hæc duo circa vnum idemque spectentur: sic enim & *lib. post.* sua constant & inuentione, & iudicio. Confirmatur, contra Philop. Nam Phil. ideo vult præcedere lib. Topicos ante Elenchos, quoniam debent præmitti instrumenta veritatis instrumentis erroris: sed si conferantur lib. Topici cum lib. Post. continent quodammodo instrumenta erroris. Ergo. Eodem modo non debent quæ probabilia sunt, si habeatur ratio præceptorum de illis, poni ante necessaria hoc est ante præcepta de ijsdem, vt occurrit Philopono Auerr. *hoc loco, & obs. 1 de cælo t. 85.* Quamuis soleat in rebus alijs tradendis sæpè Aristot. rationes probabiles tanquam leniores ante necessarias & demonstratiuas ponere. Imò cum se habeat syllogismus Topicus velut priuatio quædam, si cum demonstratiuo comparetur, prius etiam de demonstratiuo agendum fuit, quoniam priuatio longè melius cognoscitur ex habitu, quam per se, vt inquit Arist. 3. *de anima. t. 25.* Lege Zim. *in tab verbo. disputatiui sermonis.* Denique non est verum, probabile se habere vt quid magis commune quam necessarium, quod hoc etiam loco obijcit Auic. & nos supra refellimus agentes de *lib. Prior.*

Obijcies: Tractationem de demonstratione necesse est poni ante scientiam, sed de ipsamet demonstratione scientifico modo præcepta traduntur. Ergo. Imò etiam

etiam in lib. *pr.* certa traduntur atque demonstratiuo more præcepta. Ergo ante illos etiam collocandi fuerunt libri Posteriores. *Resp.* Satis est si vsus demonstrationis aliquis præcedat exactam præceptorum demonstrationis explicationem, præsertim in eo qui hæc præcepta & nouit, & tradit.

Obijcies. 1. *Rhet cap.* 1. inquit Aristot. qui probabile facilè coniectura assequuntur, eum ad veritatem similiter se habere, & eiusdem esse veri atque verisimilis considerationem Ergo videtur doctrina, quæ est de verisimili, & continetur in lib. Top. priore loco ponenda, quam doctrina de vero, quæ habetur in lib. Post. *Resp.* Id intelligi, vt paulò ante dicebamus, de rerum ipsarum cognitione, non autem de præceptis modi & instrumentorum sciendi, siue cognoscendi, quanquam id quod probabile est, etiam est verum, licet non necessarium; hæc enim maximè differunt.

Quod attinet ad diuisionem, diuiditur hoc opus in duos libros. In secundo agitur de definitione vt est mediũ demõstrationis ad modum supra explicatum. In prima autem de demonstratione. Postremo methodus ac modus procedendi in his libris, præter illum qui communis est in omni tractatione, nempè per diuisionem, definitionem, Inductionem, syllogismum &c. videtur esse resolutorius, vt recte obseruat Mirand. 5. *Apol. s.* 8. Nam statim Arist. *initio capitis secundi*, proposito scopo horum librorum, gradum fecit ad demonstrationem, quæ est instrumentum parandæ scientiæ, & tandem ad finem libri primi regressus est ad explicationem scientiæ. Vbi præterea notandum est nobis, dubium non videri, quo minus in ipsamet demonstrationis explicatione vtatur Arist. demonstratione; nam hic verbi gratia syllogismus quo probat demonstrationem gignere scientiam, non video cur demonstratio appellari non possit: omnis syllogismus constans ex veris, primis, necessarijs &c. gignit scientiam. Demonstratio est huiusmodi, Ergo gignit scientiam. Verum tamen est eum qui naturali lumine demonstrationis naturam addiscit, formaturum quidem huiusmodi syllogismum, qui tamen nondum erit illi demonstratio, donec eum longo vsu & obseruatione, collectis notis veræ demõstrationis, ad illas iterum iterumque extenderit. Iniuria igitur P. Ven. aliique negant contineri his in libris demonstrationes, contra quos lege Dominicum de Flandria. *1. post. q.* 3. *art.* 1. Quomodo autem hinc non efficiatur Logicam esse scientiam, diximus *in Proleg.*

LIBER PRIMVS.

IN hoc primo libro tria potissimum membra sunt. Primum est de constructione & constitutione demonstrationis. In secundo à c. 30. *vsque ad* 41 *inclusiuè*, exponuntur variæ demonstrationis formæ, & inuicem comparantur. In tertia agitur de scientia, eaque confertur cum alijs habitibus intellectus. Addunt alij quartam partem, nempè procemium, quod primo & secundo capite, aut primo tantum, & parte secundi continuatur, de qua paulò post.

CAPVT PRIMVM.

VOlunt multi contineri hoc capite procemium huius libri, de qua refusè agunt Ægid Bal d. Nyph. &c. Nihilominus etsi id parum referat scire, probabilius videtur Aristotelem rem ipsam statim aggredi, contentum procemio librorum pr. quod est commune etiam his libris. Quare primum in initio supponit demonstrationẽ esse hoc ipso quod scientia datur, quæ est ipsius effectus quidam: nisi enim scientia esset & fieret, nec demonstrationi locus relinqueretur. Porrò scientiam esse, est contra Democ. & Heracl. fieri autem, est contra Platonem, qui solom volebat esse reminiscentiam Democriti & Heracl. fundamentum erat rerum ipsarum instabilitas & inconstantia. Fuerunt præterea Pyrrhonici in eadem sententia, quia daretur processus in infinitum, nam omnis scientia fit ex præexistente aliqua cognitione. Ergo illa ipsa præexistens cognitio, si certa scientia cõprehensa

prehensa sit, alia egebit prænotione. Arist. igitur missos faciens Democ. & Heracl. Pythonicos euertit, dicens obiter fieri ex præexistente cognitione doctrinā & disciplinam διανοητικήν, & non quamlibet. Platonem verò etiam quasi per trāsennam hac ratione refellit, dissoluendo sophisma quod est apud ipsum. Itaq; verè non probat Arist. existentiam demonstrationis, vt malè concedere videtur Galer. Non enim sciētia probat sui subiecti existentiam, sed supponendo, ac veluti præmonendo esse demonstrationem, vt viam patet ad reliquam tractationem. Nec aliud vult D.Thom. dicens, ostendi ab Aristotele necessitatem demonstrationis. Eadem est sententia Lincon. & Latinorū omnium, qui Lincon addit indirectè tantum probari ab Aristotele demonstrationem esse, dum ostendit scientiam de nouo fieri, & soluit sophismata negantiū omninò esse. Lege Philip. Zabinum. Dici quoque potest. Proposito fine suo Aristotelem significare ea de quibus acturus est, & quæ ad illum conferunt; scientia enim est finis demonstrationis, omnis verò scientia ex præexistente fit cognitione, instrumentum ergo primo quo acquiretur, erunt præmissæ, vt præcognitæ, ideoq; posteà cap. secundo exponit quales illæ esse debeant. Accedit ad hanc explicationem Phil. Dicit enim cum velit Arist. docere ex quibus fiat demonstratio, primum docere fieri ex præcognitis, & quænam sint cognoscenda ante demonstrationem. Idem dicunt Themist. & Auer. & alij volentes Aristotelem explicare, statim in initio proprietatem quandam communem demonstrationi cum alijs cognitionibus, quæ est vt præexistentem requirat notitiam, vt à communionibus ad magis propria progrediatur. Quare non est probabilis opinio Bald. P. Ven. & Zonitani cōtrad. 30. esse proœmium in hoc primo vel secundo capite, nisi velimus dicere esse partiale quoddam proœmium, simile ijs quibus interdum Arist. alijs in opinionibus vtitur, exordiendo ab aliqua maximè communi sententia, quæ ad rem, de qua agitur, faciat, vt ipsi notant *init. lib. 1. Periherm.* Cæterum habet hoc primum caput quatuor præsertim partes. In prima ponitur generalis illa propositio: Omnis doctrina &c. In secunda docet quænam sit præexistens cognitio, & quænam præcognosci debeant. In tertia probat & declarat dictam propositionem, ostendendo quomodo idem partim præsciatur, partim de nouo cognoscatur. In quarta soluit ex dictis quædam sophismata antiquorum.

PRIMA PARS CAPITIS.

Omnis doctrina &c.) Iuxta prædicta, sensus est, omnis doctrina & omnis disciplina διανοητική fit ex præexistente cognitione. Sed scientia quæ per demonstrationem acquiritur, huiusmodi est, Ergo illa etiam fit ex præexistente cognitione. Maiorem propositionem probat Inductione in Mathematica, & alijs artibus, syllogismis, inductione, & Rhetoricis rationibus, quæ sunt exemplum & Enthymema, quorum illud exemplum est quædam inductio, hoc verò syllogismus.

Notanda.

Notandum primo. Anonymus vult, Aristotelem orsū esse oppositā quadam particula continuatiua, hos libros præcedere *de priore resolutione.* & mendum esse in codicibus Græcis, sicque lectionem restitui debere: *Omnis ergo doctrina, & omnis disciplina* &c. quod nullus ex alijs inter Græcos obseruauit. Ex quo tamen colligi potest vnum opus effici ex istis libris, & *lib. pr.*

Notandum secundo. Hic syllogismus, quem in explicatione sententiæ Aristotelis posuimus, non habetur quidem disertè apud illum, sed colligitur à Philop. & in hanc formam in prima figura redigitur, vbi Philop. maiorem propositionem secundo loco ponit, minorem autem priore, quod factitare Interpretes, & Aristotelem ipsum alias monuimus.

Notandum tertio De intelligentia & veritate istius generalis propositionis, magna solet esse quæstio, de qua nos post dicemus. Habetur autem hæc eadem propositio iisdem ferè verbis 1. *Met. c. 4. 8. 6. Eth. cap. 3.*

*cap.*3. vbi hunc etiam locum citat 6. *Top. cap.*1.*loco* 17.

Notandum quarto. Per *doctrinam* & *disciplinam* intelligitur eadem rei alicuius sciẽtia, prout docetur & prout addiscitur; sicut enim eadem res est actio & passio, seu quæ fit, & quæ ab aliquo recipitur. Ad quod ipsum probandum vsus est Arist. *in* 3. *Phys.* hoc exemplo de doctrina & disciplina. Ita D. Thom. Phil. Lincon. & alij. Quidam tamen recentiores secuti Ægid. per doctrinam intelligunt scientiam proprio Marte acquisitam, disciplinam autẽ eam quæ ab altero sit accepta. Certè diuisio scientiæ in inuentionem & disciplinã, sumpta est, inquit Phil. à Platone, videlicet *in Alcib.* Sed non est quod communis doctrinæ acceptio deseratur, quæ pro eodem vsurpatur atque scientia, vel disciplina. Huius tamen acceptiones plures qui volet cognoscere, legat Interpretes Galeni *super artem paruam*

Dices. Cognitio vt traditur, non fit ex præexistente aliqua cognitione, nisi velis dicere, quod nemo dubitat, ea ratione id dici posse, quia necesse est qui alios doctus sit, scientia prius imbutum esse. *Resp.* Satis esse quod illa ipsa cognitio ex natura sua requirit præuiam aliquam cognitionem, & dum traditur, supponit in addiscente aliquas prænotiones.

Notandum quinto. Habet nostra versio: *Omnis doctrina, & omnis disciplina discursiua.* Græca dictio est διανοητικὴ, quam Arabes, & eos secuti alij, reddunt *Intellectiua.* Perion. paulò aliter, *quæ ratione conficitur.* Quæ acceptio si retineatur, extenditur hæc propositio etiam ad definitionem, aliasque cognitiones quæ in discursu non consistunt. Porrò licet verum sit omnem cognitionem intellectiuam fieri ex alia præuia, saltem ex sensitiua, cum iuxta vulgare illud dictum, nihil sit in intellectu, quod non fuerit prius in sensu; fortè tamen magis est ad mentem Aristotelis nostra interpretatio, id enim & sæpius, & magis propriè significat dictio græca, vt etiam obseruat Nyph. Et instituto præsenti Aristotelis erat satis, quod est ostendere demonstrationem, quæ est syllogismi species, præcedentem notionem aliquam requirere. Exempla quoque quibus eam propositionem per Inductionem probat, qualia sunt Mathemat. discip. artes omnes, syllogismus, inductio &c. de qua tamen re fusius in disputatione agemus. Nec refert quod 1. *Met.t.*48. vbi hanc propositionem haberi diximus, etiam extendat ad definitionem; ibi enim vniuersalius locutus est, vti decebat Metaphysicum. Imò verò nõ loquitur eo loco nisi de scientifica cognitione, quam haberi dicit aut per demonstrationem, aut per definitionem, hic autem includit etiam probabilem. Confirmatur, 6. *Ethic.cap* 3. etiam id ostendit in ijs quæ cognoscuntur, Inductione & ratiocinatione. Præterea in hac propositione quæ habetur hoc loco, dictio διανοητικὴ limitat doctrinam & disciplinam, sed hæc duo nunquam apud Philosophos sumuntur nisi pro cognitione intellectiua, frustra ergo addita fuisset dictio quæ intellectiuam cognitionem designaret rectè autem quæ discursiuam. Item 6. *Top. cap.*1.*loco* 17. videtur planè significare accipi hanc dictionem pro discursiua: agit enim ibi de definitione vt arte & syllogismo inueniri potest. Denique ita interpretatur Auerr. Appoll. Lincon. Boet. Louaniens. Soto, & alij, quamuis Alpharab. apud Auer. velit etiam comprehendi sub hac propositione definitionem, quæ fuit etiam sententia Alb. Scoti, P. Ven. & Zaffiri. Ex Philopono autem, Them. & D. Thom. nihil certè pro vtrauis parte colligi potest. Simplic. 1. *Phys.c.*2. videtur nobis fauere. Nec tamen nego verbum διανοεῖσθαι significare interdum apud Aristotelem quomodolibet cognoscere, vt 3. *de anima t.* 5. Solet etiam διάνοια propriè sumi pro cogitatiua, quæ est circa res particulares & naturales, aut pro intellectu, quatenus imaginationi coniunctus operatur. Ita interpretatur Them. *cap.*14. *parap. de mem. & reminisc.* sed superior pars hominis dicitur à Græcis νοῦς, quam Plato versari dicit circa diuina ἐπιστήμην circa sensibilia, διάνοιαν circa res medias, id est, Mathematicas. Apud Aristote-

lem νοῦν significat *intellectum speculatiuum*, διάνοια autem vsurpatur pro *discursu*.1. *de anima*.t.64.65.& 66.& *lib*.2.t 32. Vtrumque autem pro eodem, *eodem lib*.t.13.18. 150 152 & 153.

Notandum sexto. Obseruant quidam, particulam Ex quadruplicem habitudinē significare posse: Termini à quo, vt; fit ex nocte dies. Partis, vt; ex corpore & anima fit animal. Causæ efficientis, vt; ex igne fit calor. Et materiæ, vt; ex auro calix. Primā & tertiam acceptionem affert Arist. 5. Met ca 24. & vtraque deseruire potest proposito nostro, & intelligitur, fieri doctrinā omnem & disciplinā ex præexistente cognitione, licet dubitari possit an præcognitio effectiuè causet.

Notandum septimo. Circa particulam *Ex præexistente cognitione*, Epic. primus prænotionem, seu præexistentem cognitionē appellat πρόληψιν, vt testatur Cic. 1. *de natura deorum* qui nouo etiam nomine illud interpretatus *prænotionem*. Arist. autem t.2. vsurpauit verbum vnde nomē illud deriuatum est, inquiens: *Bifariam autem oportet* προλαμβάνειν, quod est in nostra versione, *præcognoscere* Idem de Epic. testatur Clem. Alex. 2. *strom. paulò ante medium*. Philop. refellit Alex. asserentem per cognitionem præexistentem intelligi inuentionem, & quidem meritò; nam ipsamet inuentio cum sit doctrina & disciplina quædam, indiget præexistente cognitione. Cęterum per pręexistentem cognitionem iuxta dictam interpretationem dictione διανοητικῆς, rectius intelligi videtur cognitio intellectiua cōplexa, quæ vim habeat quodammodo efficiēdæ cognitionis, quæ per conclusionem infertur, siue per cognitionem discursiuam, quæ profectò erūt præmissæ & principia, quę appellari solent præcognitiones agentes; nam illa præcognitio, quæ non causat efficienter cognitionem, sed iuuat tantum, vocari solet dirigens, qualis est cognitio quid nominis.

Notandum octauo. Per Mathematicas scientias intelliguntur à nonnullis scientiæ omnes speculatiuę; quod indicat Philop. interpretans Mathematicas, id est, rationales, per artes verò Them. intelligit quoque mechanicas, quod etiam refert Phil. & Auer. Verum licet nomen Mathematicarum de omnibus scientijs speculatiuis maximè dicatur; nam μαθηματικαὶ dicuntur à μανθάνω, quod est *disco*. Solent autem huiusmodi scientiæ libentius addisci, & sunt gratia. Quare Sex. Emp. suos illos libros aduersus omnes scientias inscripsit, *contra Mathemat.* Quo etiam modo Aristotelem interpretantur expositores non semel, præsertim *infrà t*.43. Phil & D. Thom. Licet etiam absolutè verum sit mechanicas artes exigere aliquam præcognitionem, saltem experimentalem & sensus, tamen sanus est cum D. Thom. & alijs per Mathematicas intelligere eas quę propriè Mathematicæ vocantur, idque, quia facilius & certius addiscuntur, ideoque in illis maximè elucet dictæ propositionis veritas, & propterea etiam *infrà in hoc cap. & sępè postea* vtitur exemplis Mathematicis. Similiter per Artes intelligi possunt reliquæ scientię, siue speculatiuæ, siue practicæ; nam latè aliquando hoc nomen sumitur. Vbi obseruare licet tres veluti doctrinarum gradus. Primum perfectissimum in Mathematicis alijsq; artibus. Secundum infimum & maximè familiarem in Rhetoricis rationibus. Tertium medium, in Dialecticis. Ex quo colligitur, secundum Aristotelem, addisci artes ex præcognitione. Quod etiam habet 1. *Met. cap* 1.2. *Eth cap*.1. & rectè hic probat Them. Prius enim, inquit, quam ædificare nouerimus, oportet scire quid lapides sint, & alia huiusmodi, saltem quoad quid nominis. Auer. id negat, quia potest quis mutus & surdus nutibus addiscere Quare sequitur malè Auer. reprehendere Them. qui loquitur de cognitione ordinaria. Secundo; idem dici potest de scientijs speculatiuis contra Auer. Tertio. Sequitur non negare absolutè Auerroem, acquiri artes ex pręcognitione, vt multi illi affingunt. Adde quod multi habent saltem præcognitionem aliquam confusam, quæ fit loco prænotionis quid nominis.

Notandum nono. Cum Arist. dicit exemplum esse Inductionem, & Enthymema Syllo-

Syllogismum, non absolutè intelligendū est, ne secum ipse pugnet, 2. enim pr. extrem. cap. has inter se species distinguit. Solum igitur vult quodammodo istas species easdem esse, tum quia, vt Themist. notat, Enthymema est imperfectus syllogismus, Exemplum imperfecta inductio, quod de Enthymemate testatur Arist. 2. *pr. cap.* 34. & de Exemplo constat. Nam habet exemplum vnum singulare, Inductio plura, vt rectè D. Thom. appellat Exemplum Inductionem imperfectam & truncatam, sicut syllogismus truncatus est Enthymema, etiamsi tandem reducendum sit ad syllogismum; tum etiam quia apud Rhetores id est exemplū, quod apud Dialecticos Inductio, & Enthymema quod Syllogismus apud eosdē. Hinc verò sequitur confirmatio illius quod 2. *pr. c.* 29. dixit Arist. omnia nos credere per syllogismū, vel inductionem, nimirum quia aliæ duæ argumētationes ad has reuocantur. Item obseruandum cum D. Thom. ideo dici ab Aristotele Rhetores maximè vti Enthymemate & Exemplo, quoniam cum versentur circa res singulares, vel quæ sunt in deliberatione, vel in laude, vel in iudicio, vitant propositiones vniuersales. In syllogismo autem & Inductione semper aliqua ex propositionibus vniuersalis est. Plures rationes in hanc sententiam legi possunt apud Phil. 1. *pr. ca.* 1. in explicatione definitionis syllogismi.

SECVNDA PARS Capitis.

B*ifariam autem &c.*) Postquam docuit demonstrationem ex aliqua præcedenti cognitione fieri, docet in textu secundo duplicem esse hanc prænotionem: Vnam qua præcognoscimus rem esse, aliam quā vocat quid est quod dicitur, cum possit etiam vtrumque simul præcognosci. Quæ autem præcognoscuntur, seu præcognita tria inquit esse. Primo, Principia. Secūdo, Subiectum quæstionis. Tertio, Prædicatum. De principijs quorum tantum meminit tradito hoc exemplo celebris illius axiomatis: Omnes aut asserere, aut negare verum, dicit esse prænoscēdum quod sint, de subiecto autem quod sit, & quid significet, de prædicato quid significet. Illius exemplum ponit vnitatem, istius autem triangulum.

Notanda.

N*Otandum primo* De harum prænotionum & præcognitionum numero, intelligentia, necessitate, & distinctione dictum in disputatione.

Notandum secundo. Prænotio est duplex, vt diximus; *Dirigens & Agens.* Dirigens est, quod sit & quid nominis. Agens, quod sit de principijs, nempè quod sint vera, vt Phil. & D. Thom. interpretantur. An autem per principia intelligātur solum dignitates, atque communissimæ quædam propositiones & principia, an etiam quælibet præmissæ demonstrationis, etiam dictum in disputatione. Solum obseruandum est has præcognitiones & præcognita etsi extendi ad plura possint, ex instituto tamen Arist. per se solum intelligit de cognitione discursiua. Quod præter ea quæ supra diximus, adhuc magis confirmatur, quoniam capite sequenti acturus erat de cognitione discursiua, & omnis quæstio seu cognitio rei dubiæ haberi necessariò debet per aliquem discursum. Quare dum agit Arist. de præcognitionibus in ordine ad discursum, eadem opera etiam de præcognitionibus cuiusuis alterius cognitionis disserit. Imò definitionē ipsam tradit Arist. 2. *po.* discursu inuestigandam esse. Præterea præcognita enumerantur ab Aristotele, subiectum, prędicatum, & principia; sed hæc dicunt ordinem ad discursum, principia enim relationem dicunt ad id quod ex ipsis educitur. Denique in cap. 2. explicans pręmissas conditiones, ait de præmissis non solum esse præcognoscendum quid nominis, verum etiam quod sint veræ. Signum ergo est Aristotelem nominis prænotionem, quę omnium maximè latè patet, hoc loco retulisse ad discursum.

Notandum tertio. Principiorum exemplum dedit Aristot. tritum illud axioma: Omne aut asserere, aut negare verū, quod etiam habetur 4. *Met.* t. 17, quoniam omnium

nium sumptionum veritas & necessitas hoc axiomate corroborarunt, de qua te in disputatione. Exemplum subiecti posuit vnitatem, attributi triangulum, quæ duo ad diuersas non modo demonstrationes, sed scientias quoque pertinent; vnitas enim est primum Arithmeticæ subiectum, triangulus autem primum Geometriç attributum, hoc enim in prima propositione demonstrat Eucl. super datam regulam lineam triangulum constituere.

Notandum quarto. Subiectum quæstionis vocari solet à Græcis datum & concessum, quoniam est id quod supponitur, & de quo nulla ratione dubitatur. Prædicatum verò appellatur quæsitum & interrogatum, quoniam est id quod interrogatur, quæritur, & proponitur, vt per demonstrationem probetur, vt in hac propositione: Vtrum homo sit risibilis, tota quidem hæc propositio quæstio est, verû peculiari ratione risibile appellatur quæsitum, quoniam est id quod de homine sub ecto scire cupimus. Dicitur etiam id quod de subiecto quæritur passio, non quod semper opus sit id quod demonstratur esse passionem, si propriè loquamur, vel accidentalem aliquam affectionem; potest enim id omne quod subiecto conuenit, secundum quod ipsum, hoc est per se appellari attributum & prædicatû. Sed quia vt plurimum demonstratio, præsertim propter quid esse solet accidentalis aliqua passio, aut aliquid se habens per modum passionis.

Passio quid.

TERTIA PARS CAPITIS.

EST *autem cognoscere.*) Declarat, vt diximus, initio dictam propositionem communem, seu modum quo ex præexistente cognitione noua aliqua acquiratur, vt simul etiam viam sternat ad dissoluenda Platonis, aliorumque sophismata. Dicit igitur *hoc eodem t.* 2. quædam cognosci ex alijs præcognitis, quædam tamê primum de nouo, nempè singularia. Exêplum primi, omne triangulum habere tres angulos. Secundi, hoc triangulum esse, quoniam cognoscitur sensu signatâ hanc descriptam esse triangularem. Atque ita antequam fiat syllogismus, vel inductio, sciebatur hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Partim etiâ id ignorabatur; sciebatur quidem virtute in illa vniuersali propositione: Omnis triangulus habet &c. Ignorabatur autê, quoniam nondum erat acceptus hic particularis triangulus sub vniuersali.

Notanda.

NOtandum *primo.* Quomodo intelligendum sit quędâ cognosci ex priore aliqua cognitione, quædam autem tum primum. Variæ sunt expositiones, quas lege apud Toletum. Certum videtur non esse hunc sensum, quædam à nobis cognosci ex eo quod alia prius nouerimus, quoniam oblitorum reminiscimur, quod indicat Them. & Auer. Nam oblitorum reminiscentia non est cognitio rerum diuersarum, & vnius ex alia, sed planè earundem. Erit igitur altero horum modorum hæc Aristotelis sententia intelligenda. Primus est, syllogismi, vel demonstrationis conclusio cognoscitur per præmissas, in quibus medium est quid vniuersale, & propterea egent ipsæmet præmissæ aliqua notione, si vniuersales sint. Hoc indicat Alb. *tr.* 1. *ca.* 4. Vel ipsæmet præmissæ cognoscuntur per aliquam præcedentem cognitionem, quoniam sunt vniuersales, ita vt hac secunda ratione referatur dictum Aristotelis ad præmissas, nulla facta conclusionis mentione, quæ expositio plurimum placet Toleto. Et primam quidem significat Aristot. cum ait: Quorundam enim in hunc modum disciplina est, & non per modum externum cognoscitur, vbi indicat se loqui de conclusione quæ per medium cognoscitur, Secundam autem ibi: Est autê cognoscere alia prius cognoscentem, vbi ponit exemplum propositionis vniuersalis, indicans eam cognosci propter præuiam aliquam cognitionem. Tamen idem Arist. de vniuersalibus siue conclusionibus, de quibus Alb. siue præmissis, de quibus Toletus locutû ipsum vult, meminit cum ait: Quæcunq; sunt sub vniuersalibus. Alia autem sunt quæ de nouo cognoscuntur, cum primum inducta

inducta sunt; nempè quæ sensibus percipiuntur, & quæ etiam virtute cognita erant in vniuersalibus. Secundus modus explicationis est. In genere loquēdo quædam cognoscuntur ex aliorum præcognitione, quædam minimè, sed tum primum, hoc est, per sensus. His duobus positis, epr discursum aliqua cognitio, verbi gratia, prius cognosco omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Tria &c. Deinde hanc figuram, quæ hic est descripta, esse triangulum, sensu percipio, tunc autem nondum vt sic cognosco, hanc eandem figuram habere tres angulos æquales duobus rectis: sed ex vtraque illa præcedenti cognitione id tandem infero, quæ cognitio quadam ex parte noua dici potest, quadam ex parte non. Est quidem noua, quatenus actu infero & cognosco hoc prædicatum de hoc triangulo, habere tres angulos æquales duobus rectis. Non est autem noua, quatenus hæc ipsa cognitio virtute continebatur in vniuersali illa propositione, & hoc indicāt Them. & Auer.

Notandum secundo. Hinc infert D. Tho. & plerique alij Latini, cum secundum illorum explicationem doceatur hic ab Arist. quo ordine maior & minor ante cōclusionē præcognoscantur, inferunt, cognita maiore & minore propositione, cognosci simul tempore conclusionem, quod an verū sit, & superius *in lib. pr.* partim diximus, partim aurē ex professo dicemus *in disputatione*. Sed si vera est nostra expositio, nō videtur commodè aut certè necessariò id ad mentem Aristotelis deduci.

QVARTA PARS CAPITIS.

Text. 5. *SI verò non*) In t. 5. Arist. sic argumentatur, vt probet quod ante dixerat. Nisi enim, inquit, ita dicamus, sequitur dubitatio quæ est in Memnone, nempè aut nihil de nouo addisci, aut certè nostram scietiam inanem esse & superuacaneam, id enim addiscitur, quod nullo modo ante sciebatur. Dicit autem quosdam alios

An aliquid sciatur.

dum vellent similem cauillum dissoluere, non aptè illam Platonis dubitationem diluisse, Erat autem hic cauillus eorum qui scientiam tollebant, & dicebant non sciri aliquid quod planè ante ignoraretur. Nosti omnem binarium esse parem, nec ne? Si nosti, quęro an numerus, quem pugno inclusum teneo sit par, is autem est binarius. Respondente illo se nescire, vrgebat; atque hic numerus binarius est, non ergo scis omnem binarium parem esse. Respondent alij, nosse se eum binarium parem esse, quem scirent esse binarium. Contra inquit Arist. *in t. 4.* Nam Demonstratio illa, qua concludebatur omnem binarium parem esse, nihil tale assumebat, nempè hypothesicam illam propositionem de numero quem quis binarium esse nosset, & esse in rerum natura. Sed respond. Arist. sicut *in t. 2.* responderat, nihil esse absurdi aliquid partim sciri, partim ignorari: ignorari distinctè, & hac ratione de nouo addisci; sciri autem virtute, sub vniuersali.

Notanda.

NOtandum primo. Rationis apud Platonem hæc vis erat *in dial. Menn.* vt interpretatur Them. Hic qui quærit aliquid, aut cognoscit illud, aut non cognoscit. Si cognoscit, cur ergo quærit? Si non cognoscit, quomodo quærit? Quicquid enim quæritur, cognoscatur necesse est, alioqui incidens aliquis in illud non reperiet: quemadmodum inquit Them. si quis quærat seruum fugitiuum, quem non nouit; illum enim nunquam inueniet. Si ergo quod nullo modo scitur addiscitur, nunquam cognosci poterit. Cōcludit inquit Arist. hoc argumentum, cui etiam vt inquit Them. Plato potius succumbit, quā satisfacit, nisi dicamus quod sup. docuimus: Ideò enim Plato inuexit opinionem illam, scire nostrum nihil aliud esse quam reminisci, vt in hoc differat à memoria reminiscentia, quod illa est earum rerum, quarum adhuc in nobis species supersunt, ista verò quarum omninò species exciderunt. De hac Platonis opinione, quam etiam *in Phæd.* expressit, vbi de animarum trāsmigratione, dicemus ex professo in tractatu *De scientia.* Interim lege Procl. in 1. *Eucl. cap. 5.* *Platonis ratio.*

Notan-

Notandum secundo. Ex sententia Themistij & Phil. duplex hoc loco argumentum tangitur, nempè illud Platonis in Men. de quo iam diximus, & aliud de binario, cuius solius mentionem expressam facit Arist. vt patet in textu. In Men. Socrat. vt sententiam illam de reminiscentia probaret, in medium inducebat pusionem quẽdam, qui Mathematicas quęstiones ordine interrogatur, quibus cum apte responderet, inferebat Socrates hanc scientiam non in hac vita esse partam, sed vna cum anima in humanum corpus delapsam. Quem Platonis locum disertè explicat Cic. *in Tuscul.*

Dubium. *Notandum tertio*. Quomodo satisfaciat Arist. illi argumento de binario, dubitet quis meritò; nam si habita est ab aliquo vniuersalis illius propositionis cognitio: Omnis binarius est par, Ergo necessario perspectum habere debet quemlibet binarium numerum, de eodemque cognoscere quod par sit; ad veritatem enim vniuersalis propositionis opus est veritate propositionis omnium particularium.

Solutio. Resp. Dupliciter cognosci potest propositio aliqua vniuersalis. Primo. Inductione & collectione facta per omnia singularia, & tunc cui nota est illa propositio, etiam nouit singula indiuidua sub illa contenta, imò prius hæc, quam illam propositionem. Secundo. Per causam & demonstrationem, causam, inquam, quæ in Demonstratione vtplurimum est definitio, & quia hæc solum est naturæ secundum se sumptæ, hoc est vniuersalium, propterea qui cognoscit hanc propositionem vniuersalem, non continuo cognoscit immediatè singularia omnia, sed mediatè tantum, quatenus illa continentur sub natura communi. Aliter alij.

CAPVT SECVNDVM.

POstquam Arist. *cap. præcedenti* omnem doctrinam & disciplinam fieri dixit ex præexistente cognitione, & consequẽter etiam scientiam, ex quo simul etiam constabat Demonstrationem etiam esse, quæ scientiæ causa est, & ad quam tum quæ eo capite dixit, tum quę vtroque hoc libro dicturus est, referebat: Accedit in hoc capite secundo ad definitionem Demonstrationis, quod vt faciat, quoniam Demonstratio ordinatur ad scientiam, explicat quid sit scire, & cuiusmodi esse debeant in Demonstratione prænotiones ad eam necessariæ, hoc est præmissæ, quæ se habent vt præcognitio agens. Ita hoc caput connectit cum præcedenti Phil. D. Thom. & alij, quamuis nonnulli aliter. Habet hoc caput quatuor præsertim partes. In prima definitur scientia, & colligitur ex ea definitione demonstrationis definitio. In secunda ibi: *Si itaque est ipsum scire &c.* ex tradita definitione colliguntur & explicantur conditiones Demonstrationis, id est, præmissarum eius. In tertia ibi: *Ex primis autem* &c. agit de principijs demonstrationis. In quarta ibi: *Quoniam autem oportet* &c. Docet qualis esse debeat præcognitio principiorum Demonstrationis. Argumentũ capitis.

PRIMA PARS.

QVoniam Demonstratio refertur ad scientiam tanquam ad effectum, & illam definiturus erat syllogismum causantem scientiam, atque etiam per ea quæ conducunt ad faciendam scientiam, prius definire voluit ipsum scire. Dicit ergo, scire simpliciter, & non sophistico more, qui est secundum accidens, existimamus, cum causam putamus nos nosse, propter quam res est, & quod rei talis, talis sit causa, nec aliter habere possit. Probatur ex communi omnium consensu, qui siue vera sciant, siue cum nesciant, scire tamen se arbitrantur, hanc de sua scientia notionem habent, quamuis qui verè sciunt rem vt se habet teneant. Ergo id cuius simpliciter & propriè scientia est, aliter habere nequit. Nihilominus inquit, si alius quispiam est sciendi modus, postea dicemus, nunc verò loquimur de scientia quæ per demonstrationem habetur, quæ demonstratio definiri potest syllogismus scientialis, id est, faciens syllogismum, secundum quem scimus causam rei. Text. 5.

(*.*) Notanda.

Notanda.

Notandum primo. Definitur scire in concreto. Primo. Quia notius id est, quam scientia in abstracto. Secundo. Quia magis indicat effectum demonstrationis, qui proximè est actus quidam, illo verò mediante, habitus.

Notandum secundo. Hæc definitio totidem ferè verbis habetur *6. Top. cap. 5.* vbi quod hic dixit *scire simpliciter, sed non sophistico modo. qui est secundum accidens*, explicans dicit: scire exactè, & non per similitudines, nam sophistæ plurimum specie veri decipiunt, & ex accidenti, nempè cum subiecto tribuunt quæ sunt accidentis, aut illi quæ sunt istius. Notat autem Them. scire sophisticum esse scire fallax, fallacia verbi gratia, accidentis, vt: Albũ est color, nix est alba, Ergo nix est color. Scire autem sophistico modo esse, cum ratio aliqua est probabilis, & est per quædam accidentia, vt: Est fumus, ergo est ignis. Alij aliter. Fortasse autem Arist. respicere voluit ad malam illam solutionem illius sophismatis, de quo ad finem præcedentis capitis, ita vt scire simpliciter id. sit quod hoc loco scire vniuersaliter, sophistico autem more scire tãtum singularia, vt illi suprà dicebant de binario.

Scire sophisticum.

Notandum tertio. Multi hic digrediũtur ad tractatum de scientia, de qua propriã ad finem disputationis de Demonstratione tractationem instituemus. Solum notandum est circa definitionem, ad scientiam tria requiri, vt obseruant Auer. & D. Thom. Primo. Cognitionem causæ non modo cognoscendi, quomodo ignem per fumum cognoscimus, verum etiam essendi, alioqui non perfectè rei alicuius veritas comprehẽditur; siquidem eadem sunt sunt principia, esse rei & veritas eiusdem, *2. Met. t. 4.* Quare male Iamb. vt diximus cum ageremus de præcognitionibus *1. phys. q. 7.* quædam tantum ait esse principium essendi, non verò cognoscendi. Secundo. Opus est vt nouerimus hanc causam esse talis effectus causam, seu vt ad effectum hæc causa applicetur, vbi quidã propterea censent in maiore propositione & conclusione addendam esse particulam causalem quid significet, nempè medium esse causam, verbi gratia. quod caret contrario, est incorruptibile, quia caret contrario, Cælum caret contrario, Ergo est incorruptibile, quia caret cõtrario. Sed non est id necessarium; antequã enim fiat Demonstratio, sciri debet medium quod assumitur esse veram causam talis effectus. Lege Ægid. & P. Ven. Per hanc etiam particulam significat debere cognosci rem per suam causam proximam; hæc enim est quæ propriè rei dat esse, quod etiam colligitur ex procem. *phys. & lib. 2. cap. 3. in prim.* Tertio. Requiritur, quoniã scientia est certa cognitio, vt non contingat rem aliter habere posse, nec possit res esse sine tali causa, nec poni causa posse sine tali effectu.

Ad scientiam quæ requirantur.

Notandum quarto. Hæc scientiæ definitio est solius eius, quæ per demonstrationem acquiritur, quare non rectè quidam, vt diximus in *proleg.* ad hos libros, voluerunt cognitionem quæ per demonstrationem habetur à scientiæ definitione comprehendi, & in hoc ferè omnes conueniunt. Flamminius tamen *quæst. Log. ca. 8.* ait, videri hanc explicationem scientiæ communem esse demonstrationi & definitioni, quoniam Arist. *in 1. & 2. Phys. & alibi* eam repetens, accommodare videtur etiam ad substantias. Accedit quod per definitionem cognoscimus rem per propriam illius causam, quæ est forma & quidditas. Addit autem, quoniam, vt inquit Ammon. cap. de substantia, sunt accipiendæ res & ea quæ dicuntur pro subiecta materia, & quia Arist. in hoc secundo capite de sola Demonstratione ait, etiam definitionem istam soli conuenire Demonstrationi. Quod confirmatur ex Aristotele, quoniam si alius, inquit, est sciẽdi modus, postea dicetur, id est, si scire cõtingat quod à nobis definitũ est alio modo, posteà dicemus, videlicet secundo libro cum de definitione nobis erit sermo. Sed multa hic à Flamminio peccantur, præsertim quod de definitione secundum se agi vult *libro secundo*, postea quod explicationem illius dicti Aristotelis tanquam ratam & certam sumat. Denique

Scientiæ definitio qualis.

quia falsum est definitionem esse cognitionem rei per causam; hoc enim est scire propter quid res sit, quod soli Demonstrationi peculiare est, definitione autem cognoscimus quid sit res, quod tandem ipsemet fateri coactus est ex Amm. & Auerr. 1. po.

Notandum quinto. Quod attinet ad illa verba: *Si quis alius est sciendi modus postea dicetur*, Auer. vna cum Flamminio & alijs, per *modum alium* intelligunt definitionē, ita vt de illa agatur *libro secundo*, vt est distinctus quidam sciendi modus, siue instrumentum. Sed hoc iam refutauimus; agitur enim tantum in libro secundo de definitione vt est medium, quamuis ibid. Arist. monuerit esse diuersum sciendi modum definitionem. Vnde quamuis demus sensum Aristotelis esse de definitione, nihil tamen contra illam nostram sententiam sequetur. Them. idem sentit cum Auerr. sed addit etiam intelligi habitum principiorum qui dicitur intellectus. Phil. hunc locum habitum intelligit, quæ est, inquit, scientia per se tradita, & sine syllogismis. D. Thom. & hunc & Demonstrationem quia intelligitur quod vtrumque dici potest: de Demōstratione enim quia in hoc eodem libro ca. 10. de habitu princip. sæpè in hoc libro, & *lib. 2. cap. vltimo.*

De monstratio quid.

Notandum sexto. Continetur in hac prima parte definitio prima Demonstrationis, vt videlicet sit syllogismus sciētialis, hoc est, faciens scientiā, illam nempè quę definita est, quæ cum sit cognitio rei per causam, sequitur ab ea definitione excludi demonstrationem, quia. per eam enim cognoscitur causa per effectum. Quod etiam notat Auer. Vnde contra eum colligi non absurdè potest intelligere Aristotelem per alium sciendi modum Demonstrationem quia.

Notandum septimo. Definitionem *scire* probat Aristot. communi consensu, quod est argumentum Topicum, & quidē inter illa firmissimum. Vt enim sæpe testatur Arist. 2. *de Cal.* &c. communis cōsensus est tanquam vox naturæ quædā, vnde illud: *Vox populi, vox Dei*, id est, *naturæ*. Et Alex. *init. 1. cap. lib. de fato*, ait &c. communem

Communis consensus.

notitiam hominum non esse variam, nec à vero abetrare. Et Cic. 1. *Tuscul*, vocat naturæ legem. Porrò hoc genus argumentorum adhibet Aristot. etiam in scientijs, tum cum res non sunt satis notæ, tum etiā quia si quæ falsa sunt, vt quodam loco idem docet, magis interdum videntur esse verisimilia, quam quæ vera, multò magis quæ probabilia sunt; & præsertim quia huiusmodi rationibus veluti manu ducimur ad magis exactas demonstrationes. Quare ipsemet 1. *de Cal.* t. 2. vtitur huiusmodi argumento. Et 1. *Top cap. 2.* docet rectè posse huiusmodi argumentorum genus adhiberi. De qua re vide quę diximus in proleg. de nomine Logicæ, & quod hic sit communis omnium sensus, cognosci potest ex Thæt. Plat qui est Dialogus de scientia.

SECVNDA PARS
Capitis.

Conditiones Demonstrationis.

(*Si itaque.*) Primo. Ex definitione scientiæ & Demonstrationis, prout scientiā parit, colligit quales esse debeant Demōstrationis cōditiones, & ait: Si tale est scire, quale diximus oportet demonstratiuā sciētiam esse ex veris, primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis. Secundo. Id probat, quia si tales fuerint præmissæ, erūt propria principia eius, quod demonstratur, & sine his poterit quidam syllogismus esse, non tamen Demonstratio faciens sciētiam. Tertio. Explicat positas conditiones: ex veris enim debet esse Demonstratio, quia de eo quod non est, nō est scientiæ, vt quod diameter sit commensurabilis costæ. Quarto. Exponit secundam conditionem; nam debent præmissæ esse primæ & indemonstrabiles, alioqui prius demonstrari deberent; quę enim habent demonstrationem, non sciuntur, nisi per ipsam Demonstrationem. Quinto. Debent esse causæ, quia tum scimus, tum causam cognoscimus, erunt igitur causæ quatenus continēt causam & medium. Sexto. Debēt esse priores eo ipso quod causæ sunt, quoniam causa est prior effectu. Septimo. Notiores, hoc enim intelligitur per præcognitas præmissas, nec debēt tantum præcognosci eo

quod

quod intelligantur, sed etiam quod sint, id est, non tantum secundum quid rei, vel nominis, sed etiam quod sint veræ. Octauo. Explicat duos illos terminos ex prioribus & notioribus, dicens posse vtrumq; accipi: Vel secundum naturam, vel secundum nos. Secundum nos, quæ sunt sensui propinquiora, simpliciter verò & secundum naturam, quæ longius distant à sensibus, longissimè autem distare vniuersalia, proxima verò esse singularia, inuicemque hæc duo opponit, notiora secundum naturam & nos.

Notanda.

Demonstratiua scientia quid.

NOtandum primo. Per demonstratiuam scientiam intelligitur Demonstratio tota, non autem sola conclusio, vt rectè notat Phil. D. Tho. & Alb. quamuis idem ipse & Lincon. dicant sumi posse pro effectu Demonstrationis, qui est scientia ipsa & cognitio conclusionis. Sed patet id ex sequẽtibus, vbi ait sine his conditionibus posse esse syllogismum, non autẽ demonstrationem, quod intelligi debet sine his conditionibus vel omnibus simul & propriè, vel certè sine alijs similitudine quadã illis respondentibus, quod si: propter demonstrationem quia, quam aliqui cum Auic. *hoc loco* è numero Demonstrationis reijciunt. Hoc certè constat, loqui per se tantum Aristot. de Demonstratione propter quid. Sic etiam Phil. quamuis sup. in definitione siue annot. latius aliquanto sumi quam pro effectu Demonstrationis, specialiter tamen inqu. r scientiam, quæ est Demonstrationis, in idem cum Demonstratione cõcurrere, vt ipse loquitur, hoc est, sumi etiam pro tota Demonstratione. Vnde Aristot. *2. post. cap penult.* ait, scientiam Demonstratiuam & Demonstrationem idem esse, de qua re nonnihil diximus *cap. 1. lib. 1. pr.* & in disputatione post dicetur.

Notandũ secundo. Contineri videtur hoc loco secunda Demonstrationis definitio, vt notat D. Tho. quę ex materia sumitur, illa autem est ipsum scibile vna cum præmissis affectis dictis conditionibus, quas alij quatuor tantũ esse volunt, alij autem *sex*, prout sex etiã sunt nomina distincta: *Ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus & causis*, de quo tamẽ numero, & quid sibi singulæ velint, dicetur in disputatione. Cæterũ hæc materialis definitio collecta est ex distinctione de sciẽtia, & ex finali definitione Demonstrationis: Ex eo enim quod Demõstrationis finis est sciẽtia, debet demonstratio constare ex veris &c. quod quadam veluti demonstratione, sed tacitus probat Aristot. quę huiusmodi est: Syllogismus faciens scire, constare debet ex veris &c. sed talis est demõstratio. Ergo &c. Huius syllogismi maior propositio probatur, vt diximus, ex definitione sciẽtiæ; nam per syllogismũ scientialẽ debet cognosci causa propter quã res est, sed hoc esse nõ potest, nisi constet Demõstratio ex veris &c. Minor autẽ probatur ipsamet explicatione singularũ conclusionũ. Et confirmatur, Quia ex *2. Ph. t. 91 & 92.* colligitur materia pręsertim in instrumẽtis, quia ferrę finis est secare, debet ei⁹ materia esse ferrũ. Notat id etiã D. Th *lect. 4.*

Notandum tertio. Circa explicationem & probationem primę conclusionis, nempè, *Demonstratio constat ex veris*, in hoc illam probationẽ consistere: Conclusio, siue res in conclusione contẽta sciri debet in Demonstratione; sed nõ ens non scitur, Ergo debent pręmissę pręnosci quod sint verę, vbi cũ nõ ens opponat vero, intelligit falsum; idem enim est principium & quamlibet propositionẽ esse (vt diximus dum egimus de prænotione secundæ operationis) atq; eandem veram esse, & *5. Met c. de falso.* Falsum, inquit Arist. est, quod nõ est, ab eo enim quod res sit, vel non sit, dicitur oratio vera, vel falsa, vt habet in prędicamentis *c. de substantia, ad fin 1. Periher. c. vlt. 4. Met. t. 2.* Hinc autem quidam colligunt de non ente non esse scientiã, quod Arist. in Metaphysica non semel docuit, dicens obiectum intellectus esse ens, & D. Tho. sæpè, dum ait, ita se habere intellectũ ad Ens, sicut voluntatem ad bonum, vt sicut hæc non nisi bonum velle potest, ita ille non nisi Ens & verum intelligere. De qua re in disputatione de scientia, & diximus etiam agentes de prænotionibus cognitionis intellectiuæ in communi.

Obiectio. *Obijcies.* Vidimus sup. 2.*pr. cap.* 2. ex falso posse sequi verum. Ergo per id quod non est,seu id quod falsum est,sciri potest id quod est,siue id quod verum est. Resp. Etsi Arist. videatur tantum loqui de præmissis,quas dicit si non sint,hoc est,si falsæ sint,non posse sciri,largè sumendo scientiæ nomen, tamen inde etiam vult inferre nec posse esse veram scientiam, id est, cõclusionis,quoniam quæ infertur ex falsis,non est,id est, vera non est. Vnde etiam ponit exemplum cuiusdam proprietatis, cuius per demonstrationem oppositum ostendit apud Eucl. *lib.* 10. *de qu.propositione* 16. Igitur ex falso sequitur verum non propter quid,sed quod, vt ait Arist. 2.*pr. loco cit.* vel potest quidem cognosci conclusio quoad est,seu quia est,sed nõ propter quid,quod rectè ibid. exponit Philop. Nam scire propter quid,est scire per causam veram. Si ergo ipsa falsa sit, etiam & conclusio per illam illata. Aliter alij respondent sequi ex falsis verum illatiuè,nõ probatiuè, quam distinctionem disputatione de syllogismo refellimus. Responsio.

Notandum quarto. Circa secundæ conclusionis explicationem, pro eodem sumere Aristotelem *ex primis,* & *ex indemonstrabilibus.* Esse autem præmissas indemõstrabiles,idem esse videtur quod *immediatas,* vt notat Phil. ideoque Burl. hic legit, absque coniunctione, *ex primis indemonstrabilibus*, ex quo sequi videtur,vnã esse conditionem,ac proinde non esse sex, vt vult Them. Et hoc ipsum quod dicimus, docet hic D. Thom. Verum vt idem etiã docet,præmissæ debent esse indemonstrabiles,non quod non possint omninò in se demonstrari, quales sunt in quibus nulla est causa, cur prædicatum insit subiecto; sic enim paucæ ac penè nullæ essent demonstrationes, sed satis est si reducantur mediatè ad indemonstrabiles, ita enim nõ dabitur progressus in infinitum in demonstrationibus, & respectu eius qui demonstrat sunt vtplurimum indemonstrabiles,id est,non demonstrandæ,quia videlicet aut non egent demonstratione,si eas vt veras præcognouerit, vel etiam prædemonstrauerit. Aut quia supponit a[illegible] esse demonstratas,aut demonstrandas. Quare idem Arist. 1. *Top. cap.* 1. ait, quod demonstratio est ex proprijs & veris, aut ex his quæ per ea fidem acceperunt. Indemonstrabiles propositiones quomodo dicantur.

Notandum quinto. Circa id quod dicitur de causis, videlicet esse præmissas præcognitas, id intelligendum de causa conclusionis, vt D. Thom. explicat, & vt nobis videtur,intelligi debet de præmissis, vt de illis præcognoscatur non solum quod intelligantur, seu, vt habet versio Argyr. quod *significent*, sed etiam quod sint, vbi per *quod sint*, omnes intelligunt *quod sint vera*;sed per quod intelligantur, vel quid significent, D. Thom. intelligit prænotionem quid rei, non autem quid nominis, sed profectò verba videntur potius præ se ferre prænotionem nominis. Adde quod D. Thom *cap.* 1. dixerat non præcognoscè de præmissis quid est quod dicitur, quia complexorum non est definitio *ex* 7. *Met. t.* 12. 13 & 14. Igitur ne sibi contradicat D. Thom. per causam conclusionis credendus est intellexisse causam incomplexam, cum tamẽ communior, & vt videtur magis litteralis sensus sit quod complexa nomine causæ intelligãtur, vt idem sit huius conditionis tenor & aliarum, quæ haud dubio quin de præmissis intelligantur, & est expressa Phil. sententia, interpretantis causam, hoc est dignitates & prænotionẽ quid significent, quid nominis, etiamsi addat quid rei. Idem sentit Them. Ex quo contra Caiet. sequitur habere dignitates ac præmissas prænotiones quid nominis, etsi complexi significatio pendeat ex partibus & terminis; alio enim modo significat complexum, nempè modo cuiusdam compositionis,& diuisionis, quod definitione nominis explicari potest, quamuis hæc ipsa prænotio & significatio nominis soleat esse solent omnibus obuia. Confirmatur idem *ex t.* 24 *huius libri*, & ex disputatione de prænotione tertiæ operationis.

Notandum sexto. Ibidem per priora non idem intelligitur quod per *prima*, quia etiã suprà enumerãs seorsim conditiones has, duo posuit, & per prima diximus intelligi immediata & indemonstrabilia, at non omnia priora sunt huiusmodi. Et Priora quæ. hoc

hoc etiam docent Them. & Alb. Nec idē valet *priora* quod *proxima*, vt interpretatur Phil. nimirum vt sint præmissę cōtinentes causam proximā effectus. Etsi enim quæ cōtinēt proximam causam effectus, sint etiam priores, non tamen sequitur quod præmissæ, quia continent causam, propterea vt sic esse priores, potest enim esse causa, sed non proxima. Igitur rectè Alb. & Them. per primas intelligunt immediatas & indemonstrabiles propositiones, quales sunt dignitates, quibus demonstratio nititur, & quæ virtute sunt in præmissis, siue per reductionem ad eas. Per priora verò intelligunt præmissas ipsas continentes causam cōclusionis, quas præmissas cum iam supponatur quod immediatè sumantur in demonstratione, contineantq; immediatam causam, ex eo quod causam continēt rectè probatur esse priores. Alio vero modo intelleximus præmissas esse primas & immediatas, nempè prout vel in demonstratione ponuntur etiam dignitates explicitè, vel ponūt ibi sunt implicitè & reductiuè.

Notandum septimo. Hæc quæ dicuntur de prioribus & notioribus quoad nos & secundum naturam, quodque vniuersalia sint notiora secundum naturam, quia remotissima sunt à sensibus, singularia ob oppositam rationem esse notiora quoad nos, Item non esse idem notius nobis & natura, multas patitur difficultates, præsertim ex Aristotele 1. *Ph.* vniuersalia nobis esse notiora Secundo. Quia *ibid. cap. 7,* dicit eadem esse nobis & natura nota. Resp. Constat Aristotelem loqui hoc loco de vniuersalibus complexis; nam loquitur de præmissis & propositionibus. Et 1. *Met. cap. 2.* idem repetit, dicens, quæ maximè vniuersalia sunt, esse cognitu difficillima, vbi loquitur de scientia. In physicis autē loquebatur de causis incomplexis, quamuis *t. 4.9. eiusdem libri* hoc ipsum repetit, dicens esse vniuersalia secundum rationē notiora, singularia secundum sensum. In 1. *Phys.* per vniuersalia videtur intelligere composita ipsa & effectus, quæ quia multa comprehendunt, habēt se veluti quoddam totum & vniuersale, Causæ autem & principia illorum incomplexa, cum sint magis distincta & simplicia, sunt veluti partes quædam & singularia eo loco. Certum etiam est esse nobis notiora composita & effectus, quam principia & causas; quare in hoc sensu dicuntur nobis vniuersalia notiora, quam singularia. Hoc autem loco sub alia quadam ratione contrarium dicis, nempè vniuersalia nobis minus esse nota, intelligens per vniuersalia easdem causas, sed illas comparans cū vniuersalibus: nam sicut vniuersale plura sub se continet, ita etiam causa plures sub se effectus, & quia causæ sunt vniuersalia in essendo, ac etiam in prædicando cum sunt in propositione ignotiores nobis sunt, quia remotiores à sensibus. Item per singularia intelligi composita, atque effectus, composita autem nobis sunt notiora, quia sensibus sunt propinquiora. Vnde 1. *Met.* scientiam ait esse de vniuersalissimis & difficillimis, de summis & primis causis. Rectè ergo conferuntur causæ cū vniuersalibus. Sic etiam dicuntur aliquādo eadem esse nobis & natura nota, propter causas Mathematicas, quæ & natura priores sunt & nobis maximè notę. Dicit autem Arist. opponi ista duo: Vel loqnēs tantum de singulari & vniuersali quæ relatiuè opponuntur, vel si de notioribus ac prioribus natura & nobis intelligere placet, dicit opponi vel diuersa, & non eadē esse, vel quia in pluribus rebus nō contingit nobis easdē esse notas ac natura, quod quia alioquin euenire potest, propterea dixit Arist. *in Phys.* eadem esse nobis & natura notiora. Interim lege Peter. nos fusius alio loco.

Notandum octauo, Etsi Aristot. expressè non determinet de quibus loquatur notioribus, id tamen facilè patet; cum enim causæ sint priores secundum naturam & notiores, constat loqui Aristotelem de prioribus & notioribus secundum naturam. Idem commodè ex præcedentibus colligi poterat, dixerat enim quod Demōstratio, quæ est disciplina quædam, fiat ex præcognitis. Idem tradit Phil.

Obijcies Præmissę debent esse notiores, vt in nobis causent scientiam, Ergo de-

Notius nobis quid.

bent esse nobis notiores, & non tantum natura. Resp. Dicitur aliquid dupliciter notius nobis: Aut quia facilius cognoscitur, & ita notiora sunt singularia, aut quia notiore & euidentiore cognitione, & ita notiores sunt causæ & vniuersalia; postquam enim causas per effectus cognoscimus, accedente lumine naturali, certius & euidentius illis assentimur, quam ipsismet effectis, vnde sæpe intellectus sensum corrigit, vt confutet solem esse palmatis quantitatis. Arist. ergo vult præmissas nobis esse notiores secundo modo, cum quo stat quod sint & debeant esse notiores natura, quatenus conclusionis causam continent, quę causa suapte natura sicut prior, ita etiam notior est effectu suo, & certiore ac euidentiore cognitione ab intellectu percipi potest effectus à sensu. Quando verò Arist. dicit quod innata nobis est via ex nobis notioribus ad incognita progrediendi, explicat id D. Tho. loqui de eo notiore, quod nobis secundum intellectum nostrum notius est, quale est vniuersale. Quod si Thomistis credimus, solum ab intellectu cognosci posse, & nulla ratione singulare directè, sentit D. Tho. Erit namque idem nobis & natura notum ad modum dictum.

TERTIA PARS CAPITIS.

Argumentũ capitis.

EX *primis autem est &c.*) Quia dixit constare Demonstrationem ex primis & principijs proprijs; idem enim inquit primo est principium & primum. Occasione inde sumpta, nonnulla exponit circa varietatem propositionum Enunciationis, vnde secũdo definit principium esse propositionem immediatam, id est, qua non sit alia prior. Tertio. Quia dixerat principium esse propositionem, ait propositionem esse alteram partem Enunciationis vnum de altero vel affirmantem vel negantem. Quarto. Dicit quod Dialectica propositio vtramuis partem accipit, Demonstratio alteram partem determinatè, quia vera est. Quinto. Quod Enunciatio est vtrauis pars contradictionis. Sexto. Quod contradictio est oppositio quæ nõ habet medium secundum se, & quia ea pars quod aliquod de aliquo ait, esse affirmationem, quæ verò aliquid ab aliquo, negationem. Septimo. Quod principium syllogisticum diuiditur in positionem & dignitatem. Positio est, quæ cum demonstrari non possit, non est necesse vt doceatur. Dignitas, quam necesse est habere eũ qui aliquid docendus est, hoc est, quem necesse sit discipulum cognoscere. Octauo. Diuidit positionem in suppositionem quæ accipit vtramque partem Enunciationis, seu contradictionis, & in definitionem quæ non accipit vtramque partem, quare est quidem positio, sed non suppositio; nam Arithmetica ponit vnitatem esse indiuisibilem, non tamen dicit rem esse, vel non esse.

Notanda.

NOtandum primo Circa primum dictũ, sumere Aristotelem pro eodem primũ & proprium principium; itaque cum vox illa in præcedẽti parte cap. *Ex primis* equiualet illi, *ex immediatis & indemonstrabilibus*, vt diximus, interpretatur Arist. illud *immediatis* per ly *proprijs*, vt idem sit ex primis, & immediatis, & ex proprijs.

Notandum secundo. Circa secundum dictum; *Principium dicitur demõstrationis* &c. hoc est, Themist. *deseruiens demonstrationi*; quædam enim sunt immediatè collectæ ex sensibilibus quæ non sunt vsui demonstrationi, immediatè verò propositio dicitur, qua non est alia prior videlicet ad inferendam directè conclusionem, vt ad probandum hominem respirare, non esset immediata: Homo est animal, potest enim probari per aliam hęc ipsa: Quod habet pulmonem, respirat, nec enim debent omnia animalia respirare. Ex quo colligi videtur principium hoc quod vocat Aristot. propositionem immediatam, dici in ordine ad conclusionem, seu ad effectum in ea contentum, cuius causa in dicta propositione contineatur. Dissentiant alij quantum velint, nobiscum est D. Thom.

Notandum tertio. Circa tertium, quartũ, & quintum dictum, satis multa diximus 1. *parte. cap.* 1. de qua etiam re agit Aristot. 1. *Top. cap.* 8. Sed in particulari circa quintũ dictum nota, significare satis clarè Aristote-

ftotelem affirmatiuum & negatiuum esse Enunciationis species, vnde non sine causa dixit Enunciationem esse contradictionis vtramuis particulam; non enim est vtraque simul, sed altera tantum vt 1. *pr. cap* 1. dicit Arist.

Notandum quarto. Circa sextum dictũ, *quod eo continetur*, diximus tract. de oppositione. Dixit autem Arist. contradictionem non habere medium secundum seipsam, quia, vt notat Phil. aliquando videtur habere, verum non quatenus contradictoria; sicut, verbi gratia, inter album & non album vt sunt contradictoria, nihil medij intercedit, sed prout non album sumitur pro contrario.

Notandum quinto. Circa septimam tam positionem quam suppositionem, esse huiusmodi propositiones quæ non sunt dubitabiles; sunt enim principiũ, id est, propositio immediata, tamen non est opus vt doceatur positionem statim qui scientiã aliquam particularem addiscere incipit; sunt enim principia quædam particularia etiam particularium demonstrationum. Sed cum ex proprijs scientiæ alicuius terminis constent, leui tantũ aliqua explicatione, aut exemplo, aut inductione in eadem scientia, vt in Geometria à puncto ad punctum rectam lineam ducere. At verò dignitas, grę: è ἀξίωμα, est huiusmodi, quę nunquam demonstrari possit, & quã præhabere oportet eum qui docendus est, eũ sint communes multis scientijs, sed ipsæ per se lumine naturali cognoscuntur, posita tantum terminorum intelligentia, ideoq; axiomata & dignitates vocantur, quod propter euidentiam dignę sunt quibus homines credant. Vide Them. Et sic etiam appellantur ab Arist. 1. *po. t.* 22. 3. *Met. t.* 4. 4 *Met t.* 7. & 9. Necesse, inquit, est hæc habere in mente, nec potest quis contrarium credere nisi ore tenus. Appellantur etiam huiusmodi propositiones maximæ, quoniam maximam vim habent, vt ex ijs plurimæ aliæ propositiones, quæ veluti sub illa continentur, inferri possint, dicuntur etiam communes animi conceptus, quoniam communiter ab omnibus recipiuntur. Vnde illud Aristotelis, de quo diximus *disputatione de prænotione tertia operationis*, A ianua quis aberrabit. Dicuntur à Them. *proloquia*, à Cicerone *effata*, vel *pronunciata*, à Phil. etiam *communis notio*, à Latinis *principia*. Them. autem *cap* 5. *parap.* refert diuisisse Theoph. dignitatem in communem pluribus scientijs, & propriam vnius, quæ diuisio in eam videtur incidere, quæ habetur *t.* 24. vt etiam obseruat Phil.

Notandum sexto. Circa vltimum dictũ Aristotelis, eum ait, definitionem non accipere vtramlibet partem, hoc est affirmationem, vel negationem, valdè dubitat Them. qui id verum esse possit, & se eum Aristotele consentire, affirmat enim Arist. hoc ipso loco definitionem esse suppositionem quandam, suppositionem esse principium, principium autem esse propositionem. At omnis propositio vel ait, vel negat. Sic etiam *infra t.* 25. & *t. top t.* 4. negat definitionem esse propositionem; & 1. *Periher. c.* 4. Resp. Versant se Interpretes in omnes partes, vt hanc veluti contradictionem dissoluant, quorum omnium expositionem collegit Toletus, maximè autem mihi probatur vt hoc primum constare dicamus, sumi ab Aristotele definitionem hoc loco sicut & in 2. *post.* pro propositione, quatenus refertur ad Demonstrationem. Negat autem Arist. definitionem alteram contradictionis partem sumere, quia inquit non significat esse, vel non esse, id est, vt interpretatur Auert. & Them. non significat existere. Vel vt inquit Phil. quia non denotat prædicatũ te distinctum à definito, vel vt inquit Nyph. non designat inhærentiam prædicati, sed huiusmodi rationes non sunt necessariæ; quia eo modo negat Arist. sumi à definitione alteram contradictionis partem, quomodo affirmat sumi in suppositione, in qua non sunt ad rem istę omnes rationes Et confirmatur; Cum enim id dixisset Aristoteles, exemplum tamen posuit definitionis, dicens Arithmeticum dicere vnitatem esse indiuisibilem, vbi profectò aliquid affirmatur. Nec etiam dici potest, quod insinuat Alb. sumi definitionem pro solo prædicato, quia sumitur definitio vt spe-

Definitio an vtramlibet partem accipiat.

vt species quædam suppositionis & principij, atque in ordine ad demonstrationé. Denique fictitium est quod ait Auer. esse defioitionem impropriam suppositioné. Cum id ergo constet definitionem accipi vt propositio quædam est, occurrendum est difficultati, asseri ab Aristotele definitionem non accipere alteram contradictionis partem, quia definitioni vt definitio est id non debetur. Vt enim suppositio est & propositio, desinit retinere propriā definitionis rationem, & tantum definitio appellatur materialiter. Indicat hanc solutionem Mirand. *in Instit. lib. 1. in lib. 1. po. sect. 3. & lib. 5. Apol ferè toto*, dicens, diuisionem hanc principij esse in principium, quod reuera tale est, & quod potentia, quoniam definitio non est propositio, potest tamen esse, ac tum quidem, cum non est amplius definitio.

QVARTA PARS CAPITIS.

Argumentū. Q*Voniam autem &c.*) Docet Arist. qualis debeat esse cognitio principiorum respectu conclusionis, eademque opera magis explicat quod dixerat, debere principia esse notiora, vt notat Them. Probat id primo. Quia id quo alterum cognoscimus, debet illo esse notius. Conclusionem cognoscimus syllogismo demonstratiuo, seu præmissis. Ergo debent ipsæ esse notiores. Quare non solum sunt præcognoscenda principia, aut omnia, aut quædam, sed etiam magis, quia cum vnum est propter aliud, illud quod est alteri causa vt sit tale, multò magis est tale, vt id propter quod amamus aliud, amicū magis est. Secundo. Concludit principia debere sciri magis, quam conclusionem, aut certè meliore aliquo alio modo distincto, quod non fiet, nisi aliquis per demonstrationem credentium cognoscat principia, cum vt diximus, magis credendum sit principijs, vel omnibus, vel quibusdam, quam conclusioni. Tertio. Vt quis habeat scientiam demonstratiuam, non solum principia magis, quam conclusionem prænoscere debet, sed nil etiā eorum quæ ipsis opposita sunt, ipsi debet esse credibilius. Nam ex dictis oppositis sit syllogismus qui est contrariæ deceptionis, id est, qui inducit in errorem contrarium, & deceptionem. Eum verò qui fuit, oportet esse talem, vt dimoueri nō possit à cognitione & fide quam de conclusione habet.

Notanda.

N*Otandum primo.* Circa primum dictū & ex illis verbis: *Est autem hic nempè syllogismus eo quod hæc sunt.* Id est, eo quod principia & præmissæ ponuntur & conceduntur, dici posse argumentum & opinionem tenentium conclusionem non esse partem essentialem syllogismi, sed effectum tantum, præ[ci]rtim in eo sensu, vt sumatur syllogismus & Demonstratio pro instrumento sciendi ratione præmissarū ad modum explicatum disputatione de syllogismo. Verum quemadmodum respondendum sit, facilè patere probatur ibi.

Prima & principia. *Notandum secundo.* Circa idem dictum primo, cum dixisset suprà se *ex primis* intellexisse *ex principijs*, hic absoluté ponit *prima*, intelligens principia. Secundo. Quod ait principia esse præcognoscenda aut omnia, aut quædam, sic explicat Phil. Quia demonstratio non semper habet omnia principia immediatè, quin per aliam demonstrationem probari possint, ac proinde cognita esse eodem, & nō perfectiore cognitionis genere, quam conclusio. Ideò addidit, aut quædam, quia quæ immediata sunt, illa sola magis sic cognoscuntur, per illum autem meliorem modum quam sit scientia, significatur habitus intellectus, de quo diximus tractatu de prænot. secundæ operationis. Videtur tamen hinc colligi nō esse hic quod multi communiter dicunt, & nos ibidem refutauimus, nempè habitum primorum principiorum maximè communium: cum enim solum lumine naturali à nobis cognoscantur, & innata quasi nobis sit eorum notitia, non egent habitu. Intelligitur habitus principiorum, cuiuscunque scientiæ, ac etiam cuiuscunque Demonstrationis, ita tamen vt sint immediata. Quod confirmatur ex Aristotele, loquitur enim

de

de primis, seu de principijs ingredientibus demonstrationē, cuiusmodi non sunt communissima illa & maximè trita. Cæterum etsi principia quæ mediata sunt, nō præcognoscantur distincto specie cognitionis modo, ab ipsamet conclusione quę per illa infertur, sciuntur enim per demonstrationem, tamen dici possunt esse melius cognita, quam conclusio, quatenus per illas propositiones & principia licet demonstrabilia, conclusioni assentimur, & non principijs illis propter conclusionem, vt bene notat Alb. Idque non modo antequam conclusio sit actu demonstrata, per illa principia quā postea, ideoque appellari solet scientia subalternans, cuius conclusiones sunt principia subalternata.

Notandum tertio. Circa idem primum dictum, Propositionem illam semper, *propter quod est vnumquodque illud magis est*, haberi & explicatius quidem 2. *Met. t.* 4. Sic enim inquit: *Vnumquodque autem maximè tale est præ cæteris, cuius causa cæteris aliquid idem & nomine & re conuenit.* Sic igitur est calidissimum, quod cæteris caloris causa sit. Est autem hæc propositio vt celeberrima, ita fallacissima, nisi rectè intelligatur. Vt ergo sit vera, varias multi conditiones requirunt, de quibus Phil. Alb. Doct. Louan. & D. Thom. *hoc loco.* Et 2. *Met. lect.* 2. & 1. *p. q.* 87 *q.* 2. *ad* 3. & *q.* 88. *ad* 3. & 2. *quodlib.* 10. *q* 4. *ad* 2. Auic *tr.* 6. *Met. cap.* 3. Auer. 6. *Met. com.* 3 & 7 *lib.* 8 *com.* 7. 8. *Phys com* 77. Ægid. & P. Ven. *hoc loco.* Appoll. *q* 14. Caiet. & Bald. *hoc loco.* Zim. *th.* 58. Præcipuè autem requiritur. Primo. Vt demonstratio sit communis causæ & causato. Ita Phil. & D. Thom. qui id explicant pro conuenitte in nomine. Appoll. etiam, Caiet. & Zimmara expresè id exigit Aristot. 2. *Met. t.* 4. dicens, secundum quod alijs vniuocatio inest, id est, secundum quod idem inest vniuocè, vel formaliter, non autem quod necessario eiusdem plane rationis debeat in vtroque esse affectio; sic enim sæpè sumitur saltem apud Græcos nomen συνώνυμον, quod habetur apud Aristotelem eo loco, videlicet etiam pro ijs in quibus est analogia, apud Latinos autem *vniuocorum* nomen pro verè vniuocis vsurpari solet, quamuis tam græci quam latini quæ analoga sunt, eadem nonnunquam dicant ratione conuenire. Quare malè Auerr. asserit hoc prædicatū. seu hanc communem propositionem nō esse veram nisi in analogis, & æquiuocis, quia magis, inquit, & minus tollunt vniuocationem: æque enim falsum est hoc fundamentum, atque id ad quod assumitur. Et Arist. 2. *Met. t.* 4. illius propositionis ponit hoc exemplum; calidissimum quod alijs est causa caloris, his videlicet quæ minus sunt calida. Nobiscum sentiunt Appoll. Phil. Lincon. & Caiet. Imò est secunda conditio, Quod commune pluribus ponitur, suscipiat magis & minus: quam ponit Auic. & Alb. & alij modo citati. Et colligitur ex Aristotele tum in Met. tum hic, cum ait, & *illud magis.* Hinc soluuntur plurimæ obiectiones contra hanc propositionem, vt: Homo est ebrius propter vinum, Ergo vinum est magis ebrium, nam attributum ebrietatis non conuenit formaliter vino. Sic etiam: Petrus est risibilis quia homo, Ergo homo est magis risibilis, quia risibile non suscipit magis & minus. Item: Homo est homo propter animam, Ergo anima est magis homo; nam etiam est homo propter corpus. Item: Homo videt propter oculos, Ergo oculi magis vident, non valet, quia vtrumque eiusdem actionis est causa, & vtriusq; eadem est visio. Notandum est autem velle Ægid. id tantum verificari in causis efficientibus principalibus, reiectis instrumentis, & ad idem accedit P. Ven *hic, & in sum. Phys lib* 1. *tr.* 2. *cap* 8. *ad* 1. Nihilominus dici potest verificari in omnibus generibus causarū: nam dictionem illam *propter*, inquit Arist. 5. *Met. t.* 23. denotare omne genus causæ. De materiali & formali ostendit 2. *Met. t.* 7. Compositum est actu propter formam, Ergo forma est magis actus; est in potentia propter materiam, ergo materia est magis in potentia. De efficiente exemplo calidissimi & principiorum hoc loco. De finali exēplo etiam hic posito de eo quod amamus propter aliud, vt: Amatur proximus

propter Deum, Ergo multò magis Deus. Quia etiam in instrumentis vera est propositio, verum enim est id quod alteri vt instrumentum causa est, quadam ratione magis tale esse. Nec verum est quod Appoll. ait, intelligi propositionem de causis à quibus pendet res in esse & fieri, vt à sole lumen. Confirmatur. Quia præmissæ habent rationem quandam causæ instrumentalis. Vnde etiam sciendum est, & in quo tota huius difficultatis solutio consistere videtur, non debere sumi magis & minus propriè, vt dicunt latitudinem graduum eiusdem formæ, quomodo in solis accidentibus, & quidem non omnibus reperitur, sed significat magis idem quod prius, vel à maiore ratione, vel virtualiter. Quare verum erit in communi, quicquid aliqua ratione alteri est causa, ipsum etiam magis esse tale, hoc est prius & independenter, vnde ait D. Tho. licet non sit eiusdem in pluribus nominis participatio, dicetur tamen quod alteri causa est magis esse tale, quia nobilius vt sol quia calorem efficit, licet ipse non sit calidus, est tamen huiusmodi virtutis, quæ cum nobilior sit causa, habet efficacitatem vt calorem possit producere. Denique etiam secundum intentionem dici posset hæc propositio, quia quod causa est alterius, si aliunde non repugnaret, virtute intentius esse posset, & cum id fieri non potest, tunc in hoc sensu vera erit, quia causa eam quam alteri communicat affectionem, prius & independenter ab illo habet. Aristoteles verò *tum hic, tum 2 Met.* per se tantum loquebatur de causis maximè communibus, quæ ratione effectuum suorum dici solent æquiuocè, quia non inest illis formaliter idipsum quod producunt, sed virtus quædam alterius ordinis longè nobilior, ideoque hic sola principia immediata dixit nobiliore quodam cognitionis modo sciri, quam ipsas conclusiones quæ inferunt.

Notandum quarto. Circa secundum dictum. *Nisi aliquis præcognoscet,* &c. Duplex esse potest sententia: Vel, nisi præcognoscere ea quæ in Demonstratione fidem faciunt, vt sunt principia, etsi mediata sit eorundem probatio, vel nisi quis credentium per Demonstrationem, id est, scientiam præcognoscat principia, ex quibus pendet conclusio. Priorem expositionem indicat Argyr. sic legēs: *Si non prius cognouerit principia quispiam quam ea quæ per Demōstrationem creduntur.* Et D. Thom. ita interpretatur. Nec tamen mihi placet; nec enim rectè sumi potest πιστεύειν pro credere. Vbi etiam nota, sumi *credere* in lata significatione pro *scire.*

Vltimo notandum. Circa vltimum dictū. Quod dicitur in nostra versione, *oportet scientem simpliciter à credulitate impermutabilem esse*; Alij aliter vertunt, tamen omnia eodem recidunt.

IN CAPVT TERTIVM.

IN hoc capite duos errores refutat, quibus occasionem præbuerat, dicens oportere principia præcognosci. Hinc enim quidam putarunt non esse scientiam rerum, quia nihil scitur nisi per demonstrationem, principia autem, nisi abeundum sit in infinitum, non possunt nosci nisi per Demonstrationem. Nonnulli omnia sciri per Demonstrationē dicebant, & ideò admittebant in Demonstratione circulū, vt sicut conclusio per principia probatur, ita in regressu principij locum obtineat conclusio. Sunt igitur huius capitis partes tres. In prima ponit istos duos errores. In secunda, *Nos vero* &c soluit errores. In tertia, non dari in Demonstratione circulum.

PRIMA PARS CAPITIS.

PRoponit duplicem errorem cum occasione eorundē. Secūdo, rationes pro vtroque errore. nam pro priore, hoc est, argumentum: Quicquid scitur, per Demōstrationem scitur. Ergo principia si cognoscuntur certò, per demonstrationem sciuntur, iam vero demonstratio est per principia, sciuntur ergo principia per alia principia, rursum illa principia etiā cognoscūtur, Ergo per demōstrationem ergo per principia, ergo aut nunquam scientur principia, cum hæc ab istis, ista ab illis in infi- *Primus error.*

in infinitum procedant, vt inquit D. Tho. non erit scientia, quia infinitum non potest pertransiri, vel fessi aliquando numerando sistemus. Erit igitur, inquit Arist. ex suppositione, posito nempe quod principia sint, hoc est quod sint vera. Pro secundo errore erat hoc, quia cum etiã acciperet, debere, quicquid scitur per demõstrationem sciri, & aliunde abire in infinitum sit absurdum, ideò necesse esse concludebant, vt inter principia & conclusionem esset reciprocatio, ita vt non minus conclusio esset principium conclusionis, quam principia sunt conclusionis principia.

Ratio ordinis Aristotelem. *Notandum primo.* Videtur Arist. perturbatum ordinem secutus; nam supra definiuit Demonstrationem, hic autem videtur probare illã esse, Ideò Phil. negat definitam esse supra Demonstrationem definitione quid rei, sed tantum quid nominis; sed nec sibiipse constat, & falsum est demonstrationem definitionis traditam nõ fuisse veram & realem, alioqui mãcus sit Arist. qui nullibi aliã definitionem adfert. Alij igitur dicunt tũc posse post quæstionem quid sit res, quęstioné an sit poni, cum dubia quæ sunt ex rei existentia, sunt ex re ipsa. Sed isti in hoc falluntur, quod putent hic probari Demõstrationem esse. Alij dicunt supra actum de Demonstratione secundum sẽ ipsam, de scientia autẽ solum quoad nomen agi, aut hic de scientiæ existentia. Sed nec hoc mihi probatur: supra enim æque est actũ de scientia realiter, atque de Demonstratione. Imò demonstrationis definitio, supposito quod scientia sit, traditur ab Aristot. quia dixit Demonstrationẽ esse syllogismum scientificum. Dicendum igitur est, quod apertè dicit Arist. velle solum in hoc cap. errores duos tollere, qui ortum habebant ex ijs, quæ præcedenti capite extremis fere verbis dixerat, oportere principia pręcognoscere. Sicut etiam in cap. 1. propter errores qui nascebantur ex propositione illa: Omnis doctrina &c. quod videlicet scientia non esset, vel quod esset teminiscentia, digressus est in eorum solutionem.

Notandum secundo. Primus error est Pyrrhon. Acad. &c. Lege Sex. Emp. Secundus error quem authorem habeat, non constat, solum Alb. cum videtur tribuere Empedocli, de hoc quoque diximus in tegr. demonstratiuo.

Notandum tertio. Aristot. hic soluendas proponit rationes contra scientiam, in quo videtur oblitus muneris sui; nam nõ est scientiæ probare suum subiectum esse. Verum Arist. non facit probando scientiam esse, sed tantum repellendo aduersariorum rationes, & præsertim refutat ex mala intelligentia, sicut 1. *Ph. t. 8.* docet Aristo. licere artifici sua principia tueri aduersus rationes malè intellectas, & 1. *po. t. 25.* docet contra Geomet. ex geometricis jicere progredi. Sic ergo hic Arist. rationes contra principia Logica dissoluit.

Secunda pars Capitis desideratur.

TERTIA PARS CAPITIS.

Occurrit secundo errori, dicitque non omnem scientiam fieri per demõstrationem, vt circulari demonstratione opus sit, & probat tribus rationibus. Prima est, quoniam non esset demonstratio à prioribus & notioribus, quæ tamẽ conclusiones necessarias esse dictũ est in definitione. Secunda. Non est quod dicas posse esse notiones Demonstrationis quæ secundo loco ponuntur in circulo, & priores secũdum nos, licet nõ secundum naturã, quoniam inde sequitur vel nõ rectè definitũ fuisse scire simpliciter, quod est per causam, vel demonstrationem illam posteriorem non esse simpliciter. Tertio. Ponit secundam rationẽ ex adiunctis absurdis: nã si circulus fiat, idem per idem probabitur; Nec refert siue pauciores termini sumantur, siue plures. Exemplum: sit A rationale, B discursiuum, C risibile, rectè valet; si est rationale, est discursiuũ; si est discursiuum, est risibile. Ergo si est rationale, est risibile. Iam fiat circulus, si est rationale, est discursiuum, si discursiuũ, est rationale, Ergo cum rationale & risibile eodem modo inferãtur per discursiuum, ponatur loco risibilis rationale, tunc quemadmodum valet: Si est rationale, est discursiuum, si discursiuum est risibile, *Circulus quid.*

Ergo si est rationale, est risibile, ita rectè sequitur: Si est rationale, est discursiuum; si discursiuum, est rationale. Ergo de primo ad vltimum, si est rationale, est rationale, idem per idem. Vel breuius: Si est capax disciplinæ, est homo; si est homo, est capax disciplinæ. Ergo si est homo, est homo. Quarto. Ponit tertiam rationem ex parte terum ipsarum, nam non possunt in circulo demonstrari nisi reciproca. Huiusmodi autem ostendi nequeunt nisi in prima figura. Ergo non omnium esse potest circulus, cum multa sint quæ per alios modos, aliasque figuras ostendi possint, nec omnia sint huiusmodi vt possint conuerti. Et obseruandum est, inquit, plures in demõstratione terminos esse oportere, nam duæ dicuntur esse positiones. Primæ, & minimę: Quare vt diximus lib. de syllogismo, syllogismus omnis vt minimum duabus propositionibus constare debet, & tribus terminis.

Notanda.

NOtandum primo. De circulo demonstratiuo, quod dari nõ possit, diximus in disputatione. De circulo autem qui quadam etiam ratione inueniri potest in syllogismo, tradit Arist. 2 *prior. cap 5.* Vbi nota vocari hic ab Aristotele librum de syllogismo, ex quo inferebant quidam nec effici vnum opus ex lib. prior. & posteriorum, nec communem esse appellationem Analyticorum lib. his quatuor libris, quibus in proleg. respondimus.

Notandum secundo. Cum inquit Arist. sequi ex eo effugio, quo vtebantur aduersarij, scire non esse simpliciter bene definitum, potest illa dictio *simpliciter* adiungi ad scire, vt sensus sit, sequitur non fuisse a nobis rectè definitum scire, quod tamẽ perfectę scientiæ rationẽ & nomen obtinet: Vel quoniam id aduersarij non negassent, demonstrationem circuli posteriorẽ non adeò perfectam generare scientiam, atque priorem, possumus dicere dictionẽ *simpliciter*, significare ex eo sequi non bene fuisse definitum scire simpliciter, hoc est vno tantum modo, cum pluribus id contingat; hanc enim vim habere istam dictionem simpliciter diximus in *cap.* de genere. Quod autem eodem etiam dicto Arist. inferri sequi non esse demonstrationem quæ se vndo loco ponitur in circulo perfectam, ex eo colligitur, quia non habet conditiones eas quæ requiruntur ad perfectam demonstrationẽ. Ex quo etiam inferre nobis licet primo, Arist. dum Demonstrationis præcepit esse notiores, voluisse esse notiores secundũ naturam, quoniam hic velut opponit demõstrationem pr o-ẽ circuli illi posteriori, quia nõ est ex notioribus secundum naturam. Secundo. Inferimus Demonstrationem, quia, non esse simpliciter, nec esse omninò perfectam, nec tamen huiusmodi est, vt Demonstrationis illi nomen adimi debeat, quamuis saltem Aristot. hæc tum interrogando, tum vrgendo aduersarios adferat, sunt tamen assertiuè intelligenda.

Notandum tertio. Cum ait Arist. non referre siue plures, siue pauciores termini ponantur, pugnare secum ipse videtur, cum paulò post id subiungat, oportere syllogismum propositionibus duabus, & tribus terminis constare. Phil. respondet, ex paucioribus terminis constare posse syllogismum, si compositus sit & hypotheticus, id est, *ex* multis syllogismis constans. tamen dicit omninò ex paucioribus non posse constare. Sed Resp. pro Aristotele, quod ipse etiam apertè innuit, Etiam ex duobus constare posse, sic enim inquit Arist. *Per paucos* autem *aut duos*, vel vt vertit Argyrop. *Etiam duos*, quod D. Thom. ita interpretatur, materialiter quidem verum id esse, non tamen formaliter, hoc est, reipsa duo tantum termini esse possunt, sed vnus idemque duorum loco substitui potest, quod patet in exemplo tradito: Si capax est disciplinæ, Ergo est homo. Si est homo, Ergo est capax disciplinæ. Ergo si est homo, est homo, vbi hic terminus *homo* tum maioris extremi, tum etiam minoris locum habet. Itaque si syllogismus directus sit, & non tantum conditionalis, necesse est ex tribus semper terminis necessario constare; si tamen aliquando sit hypotheticus, hic terminus poterit poni loco duorum.

Positiones quid.

Notandum quarto. Cum appellat positiones duas syllogismi, nomine positionũ intelligit propositiones, cum tamen capite præcedenti principium & immediatã propositionem diuisisset in multas partes, in positiones, suppositiones, & dignitates. Sumitur igitur positio aliquãdo pro quauis propositione, imò si habere velimus propriæ Etymologiæ nominis propositionis rationem, idem est propositio quod positio. Secundo. Nota cum Philop. Dici propositiones duas istas minimas, vel simplicissimas, siue categoricas, & minimas, hoc est duas; est enim minimus numerorum omnium binarius. Sic etiam ex hoc loco posset aliquis argumentari, non esse de essentia syllogismi tanquam necessariam illius partem conclusionem, quoniam Aristot. ait ad syllogismum requiri tantum duas propositiones. Verum tam diximus ad hoc; duæ enim propositiones requiri dicuntur ad syllogismum, quoniã omnes termini ex quibus syllogismus fit, suam habent aptam collocationem in duabus præmissis, & vis omnis syllogismi consistit in duabus præmissis, in quibus tum formæ, tum etiam materiæ necessitas collocatur. Nec tamen sequitur non esse necessariam conclusionem, quoniam instrumentum tertiæ operationis non potest integrari nisi apponatur conclusio.

Circulus cur in 1 figura tantum.

Notandum quinto. Quod Arist. ait circulum solum effici posse in prima figura, Phil. & D. Thom. rationem reddunt, quoniam in secunda quidem figura semper conclusio negatiua est, cum vna ex præmissis sit negatiua. Ergo in secunda figura non potest fieri reciprocatio positiua inter terminos aliquos. Tertiæ autem figuræ conclusiones sunt particulares, at verus & perfectus circulus est inter terminos conuertibiles, quod fit ratione æque communis & latè potentis quãtitatis atq; prædicationis. Imò D. Th addit nõ posse circulũ, quod etiam de regressu intelligi potest, fieri perfectè & propriè, nisi in primæ figuræ secundo modo; is enim solus conclusionem habet vniuersalem affirmatiuam, scientificus autem procedendi modus est, cum in vniuersum aliquid cognoscimus, & vt eodem redire possimus, debet esse connexio vniuersalis inter terminos. Secundo. Aristot. ibidem dicit de hac re se egisse in lib. de syllogismo, hoc est in lib. priorum, locus autem est *lib. 2. ca. 6.*

IN CAPVT QVARTVM.

Argumentũ.

REuertitur Arist. ad institutum, hoc est, ad conditionum necessariarum explicationem, id est, vt præmissæ aptæ esse possint ad scientiam per demonstrationẽ efficiendam. Vnde digressus fuerat occasione eorum quæ ad finem capitis secundi dixerat de cognoscendis principijs, vel vt Thom. vult, explicat Demonstrationẽ debere ex veris esse, non quomodolibet, sed necessarijs. Vel denique exponit partem illam definitionis scire, qua dicitur oportere cognosci rem aliter se habere non posse: sic enim videtur Arist. hoc caput cum præcedenti connectere. Alij putant agi de materia necessaria demõstrationis. Quia verò vt possint præmissæ necessariæ esse, requiruntur hæ conditiones, vt sint de omni, per se, & vniuersales, ideò eadem opera de illis dicit. Sunt igitur huius capitis quatuor partes. Prima *in t. 7.* est de necessarijs. Secunda *in t. 8.* est de omni. Tertia *In 9. & 10.* est de per se. Quarta, *In t. 11.* est de prædicato vniuersali.

PRIMA PARS CAPITIS.

QVoniam, inquit Arist., dictum est oportere id quod scitur impossibile esse se aliter habere, oportet scibile esse necessarium.

Notandum est, esse veluti hanc demonstrationem formalem: Syllogismum per quem acquiritur scientia, oportet esse ex necessarijs, quia scientia est cognitio rei quæ aliter se habere non potest, huiusmodi est demonstratio. Ergo est ex necessarijs. Rectè autem ex eo quod scitur necessarium esse, colligitur debere præmissas & media esse necessaria; nam etiamsi, vt diximus 1. pr. possit necessarium ex contingentibus inferri, non tamen demonstrari, quia propria causa necessarij non

potest esse nisi necessaria. Dicunt autem quidam esse veluti argumentum hoc Arist. ex genere, quoniam ijdem etiam volunt scientiæ definitionem allatam *cap.* 2. extendi tum ad Demonstrationem, tum ad definitionem, sed hoc fundamentum ibi refutatum est.

SECVNDA PARS *Capitis.*

Text. 8. DE *omni* est, inquit Arist. cum prædicatum quod de subiecto dicitur, ita inest alicui ex inferioribus, vt etiam non alicui non insit, & ita quodam tempore vt non quodam etiam tempore non insit. Nam cum ostendere volumus huiusmodi non esse aliquod prædicatum, solemus hac instantia vti, vt dicamus aut non alicui, aut non aliquo tempore hoc prædicatum conuenire.

De omni duplex. *Notandum est.* Duplex esse dictum de omni, prioristicum & posterioristicum. Ad prioristicum satis est si ponatur nota vniuersalis comprehendens omnia inferiora subiecti; siue ita se res habeat, & materia necessaria, siue non. Item cur Aristot. hoc dictum prioristicum, ad quod etiam necessariam esse vniuersalitatem locorum satis per se patet, exponere voluerit per negationem, diximus *tract. de Demonstrat.* Id enim fecit, quia satis est ex natura rei, vt prædicatum de omni secundum omnem amplitudinem quam habere potest, dicatur de omnibus. Denique de hoc dicto de omni priore loco ante cætera dixit Aristoteles, quia latius patet quam aliæ conditiones. Est autem hoc præceptum Aristotelis, vt à communioribus incipiamus. 1. *de p. animal. c.* 1.

TERTIA PARS CAPITIS.

Text. 9. *Per se.* QVatuor modos dicendi *Per se* ponit. Primus est, vt ea quæ de subiecto prędicantur, insint in subiecto in eo quod quid est subiecti, vt linea de triangulo, punctum de linea; nam horũ inquit substantia ex illis est, & ponuntur in oratione quid est dicente. Secundus est: Quibuscũque eorum quæ inexistũt subiectis, subiecta ipsa sunt in illorum definitione, hoc est cum id de quo fit prædicatio, ponitur in subiecti definitione, vt cũ prædicatur, de linea rectum & circulare, quia in horum definitione ponitur linea, quæ autem neutro modo prædicantur, dicuntur per accidẽs, vt de animali quod album sit, vel musicum. Tertius est, nõ esse in subiecto, nec esse per aliud, sic inquit, substantia est per se, & quæ hoc aliquid significant, nec sunt alterum quid eorũ, quę dicuntur esse per se. Quartus est: Cum propter aliud vnumquodque est, vt inquit per se iugulatum interijt. Est autem per accidens, cum fortuito aliquid euenit, vt ambulante aliquo coruscare. Quinto loco Aristoteles duos primos modos simpliciter scibilibus applicat; nam quæ dicuntur, inquit, in simpliciter scibilibus, id est quę faciunt scientiam in demonstratione simpliciter, sunt huiusmodi, vt vel per se prędicentur, & insint in subiecto tanquam prædicata per se, & erit primus modus. Vel vt subiecta per se insint illis prædicatis, & erit secundus modus, qui sunt per se, & ex necessitate. Sexto. Quia de primo id minimè dubitari poterat, probat secundum modum esse eum qui aptius fit ad simpliciter scibilia. Nam non contingit inesse, & non inesse huiusmodi prædicatum, si enim fuerit passio quædam simplex, id constat, vt risibile si cum homine comparatur. Si autem fuerit passio quædam composita, eodem modo oportebit alterum membrum huius passionis totalis inesse suo proprio subiecto, vt, passio lineæ est esse curuam vel rectam; numeri, esse parem, vel imparem, ista enim sunt ita opposita, vt priuatiuum oppositionis genus aut contradictorium imitentur: idem enim est par, quod non impar, & oportet veram esse, aut falsam vnius de subiecto prædicationem.

Notanda.

NOtandum primo. Quot modis dicatur aliquid per se, multis verò modis dicitur, vt ex 5. *Met. t.* 18. patet, & de numero ac sufficientia huius quaternarij numeri, & de proprijs eorundem rationibus, ijsque

ijsque omnibus quę ad eos referuntur, diximus in disputatione. Est tamen notandum, cum Arist. ait primum modum esse, cum prædicatum subiecto inest, non significare hoc verbum *inesse* quod præ se fert vel inhærentiam accidentalem, sed debere prædicatum subiectum, de quo dicitur, conuenire, & lata significatione ipsi inesse. Sicut etiam paulo post per *dici de subiecto* Aristot. intelligit esse in subiecto, & illi inhærere, quo etiam modo vsurpat *1. Phys. t. 14. 26. & 62.* cum tamen *in antepradic. cap. 2 &c. de substantia* dici de subiecto dixerit etiam conuenire substantijs, & prædicatis substantialibus, vt ibi diximus. Porrò primus modus appellari solet modus per se prædicandi, secundus per se inhęrendi, tertius per se existendi, quartus per se causandi, quos tamen omnes in disputatione ostendimus esse etiam prędicandi modos.

Notandum secundo. Cum Aristot. ponit exempla ista de linea & puncto, dicens lineæ substantiam atque trianguli ex istis esse, hoc est, trianguli ex lineis, & lineę ex punctis, & poni ista in oratione quę dicat quid sit res, non loquitur Arist. de vera atque essentiali definitione, quia trianguli quidem substantia non est linea; est enim integrans eius pars, nec etiam lineæ punctum, quia est illius terminus quidam. Solum ergo secutus est Aristot. vulgarem dicendi modum, quo ista per illa explicari solent. Et confirmatur. Quia vna species non potest essentialiter ingredi alterius speciei constitutionem, linea verò est species quantitatis, figura autem qualitatis. Idcirco Auerroes dicit hos definitionis modos fuisse introductos à Geometris, qui lineam fingunt fieri ex fluxu puncti. Philop. putat hæc exempla esse falsa; Aristotelem verò ita excusat quemadmodum diximus. P. Ven. *2. post. in t. 18.* dicit etiam has definitiones esse accidentales, & solum in obliquo exprimi debere, vt verbi gratia, dicamus lineam esse quantitatem continuam, quæ longitudine sola constet, ipse vero hanc putat esse essentialem definitionem: Linea est quantitas diuisibilis secundum vnam tantum dimensionem, sed de hoc dictum alibi.

Notandum tertio. Cum Arist. exemplum ponit circularis vt de linea dicitur, intelligere debemus id omne quod curuum est, nec enim omnis linea aut circularis est, aut recta, si circularis significatio propriè retineatur. Vnde etiam paulò post Arist. circularis loco reponit curuũ. Secundo. Cum ponit exempla primi compositi, æquilateri, & altera parte longioris, vt de numero prædicantur, & numerus ponitur in eorum definitione, sciendum est vt rectè Alex. apud Phil. esse proprias passiones figuratum, vel vt Auer. loquitur, eorũ quę latera habent. Quia tamẽ etiam in numeris proportione quadam locum habẽt figuræ, propterea dici quoque solet numerus primus, compositus, ęquilaterus, altera parte longior, triangularis, quadratus, cubicus. Sed quod attinet ad hæc exempla, dicitur numerus primus, vt rectè Alex. & D. Thom. is qui non componitur ex alio numero sæpius sumpto, vt ternarius, quinarius, septenarius. Compositus autem qui resultat ex aliquo numero sæpius repetito, verbi gratia, senarius. Malè igitur Phil. & Alb. numerum primum putant appellari qui ex nullo planè alio componitur; sic enim solus primus esset binarius. Æquilaterus numerus & altera parte longior sunt species numerorum compositorum, & æquilaterus dicitur, qui fit ex alio numero in se ducto, vt nonenarius ex ternario &c. Altera parte longior est, cum fit numerus ex alio, non ex ducto, sed inæqualiter, vel per alium inæqualem, verbi gratia, denarius; fit enim ex duobus contrarijs, siue ex quinario per binarium. Itaque ista vt accipiuntur, quatenus reperiuntur in numeris, sunt passiones quædam peculiares numeri, ac propterea in secundo dicendi modo de illo prædicantur, & numerus in ipsorum definitione ponitur, quamuis abstrahi forrè potest ratio quædam communis tum ad quãtitates continuas, tum ad discretas, vt conueniant in affectionibus huiusmodi.

Notandum quarto. Cum inquit Aristot.

Quæ non altero modo dicuntur, hoc eſt primo vel ſecundo, dici per accidens. Them. infert tertium quendam modum diſtinctũ à duobus prioribus, & etiam ſequentibus, cum prædicatur accidens de ſubiecto cui ineſt immediatè, vt ſuperficies de colore, ſed contra illum diximus, & dici poteſt eſſe contra mentem Ariſtotelis, vtitur enim huiuſmodi exemplis, quæ cohærere nequeunt cum iſto modo, quo dicitur accidens eſſe immediatè in ſubiecto: nam per accidens inquit Ariſt. dici de animali muſicum & album, quæ duo accidentia non ſunt immediatè in animali tanquam in ſubiecto. Tum etiã hic modus Them. non eſt vtilis ad demonſtrationem, quia actualis accidentis in proprio ſubiecto inhærentia accidentaria eſt, & ad ſcientiã impertinens. Hic tamen modus ponitur ab Ariſtotele inter alios 5. *Met. t.* 18. Cæterum dicuntur modi illi eſſe per accidens, qui nec ſecundi, nec primi prædicationẽ continent, non quod tertius & quartus non ſint verè dicendi modi per ſe, vt diximus in diſputatione, ſed quia ſi conferantur illi modi qui imitari videntur primum & ſecundum, ratione prædicationis, quæ eſt accidentaria, accidentarij ſunt; ſi enim Ariſt. planè voluiſſet ſequentes modos de numero modorum per ſe reijcere, oportuiſſet id enumeratis omnibus facere. Dicuntur autem duo priores modi eſſe per ſe ratione prædicari, quod non eſt accidẽtarium, id eſt, cum vel prædicatum non eſt accidens aliquod commune, vel certe non eſt indirecta propoſitio, quam in materia neceſſaria P. Ven. malè vult reduci ad primum modũ. Modi autem per accidens collati cum duobus poſterioribus modis, dicuntur quaſi per aliud, hoc eſt, cum aliquid, vel exiſtit per aliud, vel certè cum efficit per aliud. Solet autem aliquando per accidens in lata ſignificatione pro eodem vſurpari atque per aliud, quomodo autem definiendum ſit accidens per ſubiectum, diximus *cap. de accidente*.

Notandum quinto. Pertinet ad tertium dicendi modum omnis ſubſtantia, non modo prima, ſed etiam ſecunda. Hoc eſt, contra Them. & Phil. Quanquam Phil. ſecundam ſubdens expoſitionem, fatetur & ad ſecundam ſubſtantiam hunc modum accommodari poſſe. Quod ita ſit, vel ex eo conſtat, quoniam hunc modum dicit eſſe Ariſtot. cum aliquid eſt per ſe, & cum non dicitur de ſubiecto. Porrò hoc commune eſt primæ & ſecundæ ſubſtantiæ, & per dici de ſubiecto intelligit Ariſt. eſſe in ſubiecto.

Notandum ſexto. Vt inſint prædicatis, aut illa inſint ſubiectis.) His verbis indicat Ariſt. primum & ſecundum modum, quicquid alij dicant, ac per priora intelligitur ſecundus modus qui eſt, cum ſubiecta inſunt prædicatis, id eſt, in ipſorum definitione ponuntur, per poſteriora verò intelligit primum modum, cum prædicata inſunt ſubiectis, ſeu de ſubiectorum definitione. Denique circa illa: *ſi neceſſe aſſerere, aut negare* &c. notandum eſt hoc argumentandi genus: eſt enim velut conuertens propoſitio illius, ſicut ſe res habet ad eſſe, ita & ad affirmare, vel negare, hic enim dicit, ſi neceſſe ſit aliquid aut affirmare, aut negare, neceſſe quoque ſit rem ita ſe habere.

QVARTA PARS CAPITIS.

PRimo inquit Ariſtot. vniuerſale eſſe illud, quod eſt per ſe, & ſecundum quod ipſum. Secundo. Dicit quod vniuerſalia ſunt neceſſaria, ſunt enim per ſe, & diximus ea eſſe per ſe, quæ ſunt ex neceſſitate. Tertio. Per ſe & ſecundum quod ipſum, idem ſunt: Nam de linea prędicatur punctum, & rectum per ſe, & ſecundum quod ipſum. Quarto. Vniuerſale eſt cum in quolibet & ſecundo monſtratur, hoc eſt, cum de quouis contento ſub aliquo ſubiecto, atq; de illo ſubiecto tanquam primo ſubiecto, vt habere tres angulos, prædicatur de omni triangulo, non autem de æquicrure, aut omni figura. Quinto. Demonſtratio, inquit, per ſe eſt de tali vniuerſali, nam de æquicrure, inquit, verbi gratia, non eſt vniuerſaliter demonſtratio. *Vniuerſale quid.*

(***)

Notan-

Notanda.

NOtandum primo. Quid sit vniuersale, diximus in disputatione. Sic etiam quod vniuersale secundum quod ipsum, & primum eidem sunt, vt etiam Arist. hoc loco significat. Sed vniuersale & secundum quod ipsum videntur potius referri ad prædicatum ipsum, primum verò ad subiectum. Vnde hic cum ait Arist. vniuersale esse quod de quolibet & primò dicitur, accipit primum non aduerbialiter, sed adiectiuè.

Obijcies. Arist. in primo dicto videtur tanquam distincta ponere, secundū quod ipsum, per se vniuersale & primum, deinde in tertio dicto docet esse idem per se, & vniuersale. Deinde animal verbi gratia, de homine per se prædicatur, nec tamen de homine prædicatur tanquā de subiecto primo. Ergo. *Resp.* Vniuersale, vt inquit D. Thom. non perinde hic accipitur atque apud Porphyrium, sed secundum quandā ad aptationē & adæquationem prædicati ad subiectum, ita vt nec prædicatum fit extra subiectum, nec fine prædicato subiectum ipsum. Arist. verò idem dicens esse vniuersale & per se, significare voluit, esse idem prædicatum vniuersale, & modos dicendi per se primum & secundum, quæ maximè faciunt ad demonstrationem, quod adhuc hac limitatione eget, vt quoniam secundus modus omnis continet prædicatū quod cum subiecto conuertatur, non autē primus, nam etiam includit prædicationem generis superioris, tunc idem sunt prædicatum vniuersale & primus modus, cum in primo modo prædicatur vel tota subiecti essentia, vel propria deferentia. Vt enim docet Auerr. modus dicendi per se ad demonstrationem aptus, debet continere prædicatum quod cum subiecto cōuertatur, quod est vel tota subiecti essentia, vel essentialis differentia, vel passio propria. Ita docet Auerr. 1. *po. comm.* 34. 41. *&c. &* 2. *po. comm.* 44. Et confirmatur. Nam posuit Arist. hæc duo exempla; puncti, vt de linea dicitur, dicitur autē in primo modo, & recti (vbi supplere debes, vel curui) vt de eadem linea dicitur, dicitur autem secundo modo. Cum igitur prædicatur animal de homine, erit quidem prædicatio per se, non tamen quæ apta fit ad perfectam demonstrationem. Idem docere videtur Theophr. apud Phil. & Themist.

Notandum secundo. Quia dicit Arist. demonstrationem per se esse de prædicato vniuersali, quodammodo autem non esse prædicationē de eo prædicato quod nō est vniuersale, infert Philop. demonstrationem quæ est de prædicato vniuersali, esse proprijssimam. Ex quo deinde alij collegerunt distinctionem illam Demonstrationis in potissimam & propter quid absolutè loquendo, quæ tamen demonstrationes quod specie non distinguantur, diximus in disputatione. Et certè ex hoc capite non potest peti discrimen; reuera enim non est dicenda absolutè demonstratio, cum aliquid non de proprio subiecto ostenditur. hoc enim si semel committatur, necessariò deerunt aliæ conditiones requisitæ ad Demonstrationem propter quid.

IN CAPVT QVINTVM.

QVoniam Arist. præcedenti capite extremò dixerat Demonstrationē per se esse tantum de prædicato vniuersali, propterea in hoc capite exponit quosdā errores, qui circa hanc materiam versari possunt, aperitque notas quibus dignoscere possimus quomodonam prædicatum sit vniuersale, & quando de subiecto primo aliquid dicatur demonstrari. Sunt ergo quatuor partes. In prima ponit tres errores. In secunda exempla errorum illorum. In tertia infert quædam ex dictis. Quarto præscribit regulam dictam. *Argumentū.*

PRIMA PARS CAPITIS.

PRimus error est, cum aliquid est singulare, & de eo ostenditur passio aliqua, non tamen de vniuersali ostendi debuisset. Secundus, cum multa quidem singularia sunt, id tamen quod est omnibus commune, nomine caret, & eodem *Errores tres.*

modo non de eo communi, sed de omnibus singularibus aliquid demonstratur. Tertius, cum prædicatum vniuersale prædicatur de aliquo toto in parte, id est, contracto ad aliquam speciem; nam tunc quidem ostenditur de specie, atq; de tota specie, non tamen de illo communi & vniuersali, cui per se inest tale prædicatũ.

Notandum est, istos tres errores ferè in vnum coincidere: nam secundo errore propterea peccatur, quia ostenditur de multis singularibus, quod vni toti abstracto ab ijs est commune. Primus verò est, quando vnicum singulare esse supponitur, & similiter de eodem quod vni magis communi conuenit, demonstratur. Tertius est, cum ostenditur de toto, vt est contractum ad singulare, vbi per singulare intelligitur id omne quod est inferius; nec enim propriè potest esse scientia de singulari aliquo. Hinc autem colligendum est secundum Aristotelem posse genus sub vnica specie conseruari: nam etiamsi vnicum singulare sit, hoc est vt interpretatur D. Tho. & Phil. vnica species, tamen vetat Aristot. de ea passionem demonstrari, quæ generi speciei illius conueniat. Supponit ergo Arist. posse genus sub vnica specie conseruari. Quem locum D. Thom. vidit, negat tamen ideo sequi quod inferimus. Philop. verò exemplum etiam hoc tradens, vt si inquit tantum sit, adhuc tamen habere tres angulos de triangulo demonstrandum esset, fortè D. Thom. locutus est de genere secundum existentiam & realitatem, quam haberà speciebus, quæ si vnica sit, non videtur habere posse realitatem & existentiam.

PARS SECVNDA.

SI quis igitur: Primo, Ponit exemplum tertij erroris, hoc est; si, verbi gratia, ostenditur quod rectæ lineæ non concurrunt, nam non ostenderetur de lineis rectis tanquam de primo subiecto; non enim quia lineæ rectæ, sed quia æquidistantes non possunt concurrere, fieri enim potest, vt lineæ curuæ sicut æquidistantes, ita etiam parallelæ sint, ac non possint concurrere. Deinde ponit exemplum secundi erroris, si sit tantum æquicrus, atque de illo ostendatur habere tertium, tunc non erit demonstratio de subiecto primo, nam id cui primo & per se hæc passio conuenit, non est æquicrus, sed triangulum. Vltimo secundi erroris exemplum ponit, si proportionale, seu quod alternatur, seu deniq; quod à commutata proportione liceat argumentari, ostendatur de lineis, numeris, solidis, temporibus, non erit recta & per se demonstratio, quia aliquid aliud est commune his omnibus, quod nomine caret.

Notandum primo. Ex exemplo primi erroris colligitur posse genus in vna specie conseruari. Secundo. Cum inquit Aristot. in exemplo secundi erroris illud quod est, esse proportionale in numeris, lineis, &c. sciendum est, commutatam proportionem esse similitudinem & analogiam inter quatuor terminos, cuius hic est prior progressus, vt sicut se habet primum ad secundum, ita tertium ad quartum. Ideò autem inquit D. Tho. non esse rectam hanc demonstrationem, quia aliqua alia præter ea quæ hic numerantur, sub quantitate continentur, vt oratio. Vel quia quædã sunt quanta per accidens. Vel etiã quia proportionale commutatũ nõ conuenit quantitati, vt sit, prout vna quantitas secundum quandam analogiam cum alia comparatur, vnde non est absoluta proprietas.

Commutata proportio quid.

TERTIA PARS CAPITIS.

PRopter hoc, &c. Infert, si quis ostendat de omnibus speciebus trianguli habere tria, nondum tamen habiturum esse eum scientiam huius passionis, vt de subiecto primo dicitur; tum quia ostendit hanc passionem de triangulo in communi, tum quia dubitari adhuc potest sine aliqua alia trianguli species quam ignoremus, quare qui huiusmodi conficiet demonstrationem, non simpliciter, sed sophistico modo scire dicetur.

Notandum est, Explicari hoc idem consecto.

Coactarium ex ijs quæ Aristoteles in præcedenti capite dixit, vbi negauit esse demonstrationem, cum habere commutatam proportionem dicitur de singulis quantitatis speciebus. Hoc solum discrimen est, quod ibi commune illud ad species dicebat esse innominatum, hic autem exemplo vtitur subiecti illius communis, quod habeat nomen proprium. Nota etiam tres species trianguli ita appellari, latinè Æquilaterum, Gradatum, & æquicrus, quamuis Mathematici gradati nomen non vsurpent.

TRACTATVS DE DEMONSTRATIONE.

Ratio ordinis. EGimus cum Aristotele in lib. Pr. de Syllogismo secundum formam; postulat ordo vt de eodem deinceps secundum materiam disseramus. Et quia principatum tenet necessaria, ex qua vna cum apta forma resultat demonstratio, ad quam Arist. referri voluit libros *de priori resolutione*; Ideò nobis etiam præcipuè de Demonstratione agendum est, quæ etiam est norma atque regula, à qua Topicus & Sophisticus aberrant, & ad quam dirigi possunt. Cæterum quoniam Aristoteles in his libris de Demonstratione multa hinc inde, aliam methodum secutus, dixit, quæ ad aliquod vnum caput huius disputationis pertinent, ne sit perturbata & confusa nostræ disputationis series, statuimus seorsim ea omnia in vnum comprehendere, quæ ad exactam demonstrationis naturam, species, proprietates & effectuum, qui scientia est, pertinent. Ideo quatuor *Diuisio tractatus.* omnino partes habebit hæc nostra disputatio, quem ipsum ordinem si rectè attendatis, obseruauit Arist. Tamen vt in hoc quoq; illum imitemur, quoniam ante Demonstrationem haberi debet rerum quarundam prænotio, & quia hoc commune est Demonstrationi cum plerisque alijs cognitionibus, quod ab Aristotele factum est, circa Demonstrationem, id nos in vniuersum de omni cognitione disputabimus, ac proptereà hæc quinta pars, sed ordine prima, addetur.

PRIMA PARS.

De Præcognitionibus.

PRimum dicemus de præcognitione in communi & secundum se, tum de multiplicitate & speciebus præcognitionum.

DISPVTATIO PRIMA.

De Præcognitionibus secundum se.

Quid sit præcognitio?

NOtandum primo. Supponendum est contra Platonem, Scepticos, Acad. & alios, dari sententiam & demonstrationem, quod suo loco probabitur, & hoc ipsum vt confirmaret Aristot. vsus est illa propositione: *Omnis doctrina, &c.* Quod etiam docet idem *de anima. t. 11. lib. 3. t. 39. 2. po. t. vlt. & alibi.* quibus docet acquiri scientiam sensu & experientia, atque naturalis luminis vi.

Notandum secundo. Hinc sequitur opus esse aliqua prænotione, qua in huiusmodi cognitione acquirenda iuuemur. Non est autem nobis sermo de cognitione quæ est ante sensum, quoniam illa omnium prima est, nec eget alia priore, sed tantum apta organorum dispositio, & vt obiectum aptè repræsentetur. *Præcognitio quæ necessaria.* Multò verò minus loquimur de cognitione Dei, aut Angelorum, neque etiam de habitibus infusis; quia hæc omnia si propriè loquendo non sunt dicenda doctrina & disciplina. Præterea non est quæstio de quacunq; cognitione, quæ aliā quomodolibet antecedat, sed de ea solum quæ alteri per se est vsui, & ad eam iuuandā ordinari

potest.

potest. Quare colligendum quomodo necessaria sit præcognitio aliqua, videlicet vt in rei alicuius ignoratæ vel dubiæ cognitionem veniamus, & propterea habet se huiusmodi præcognitio velut dispositio ad materiã, & semina ad plantas.

Inuentio an prænotio.

Notandum tertio. Hinc etiam sequitur præcognitionis nomine non intelligi, vt vult Alex. apud Phil. inuentionem, nusquam enim Arist. de præcognitione loquens. *t.* 2. 24. & 25. meminit inuentionis, imò contrarium apertè iudicat, cum ait omnem doctrinam & disciplinam ex præexistenti fieri cognitione; est enim etiam illa cognitio quæ inuentione acquiritur doctrina & disciplina quædam. Confirmatur. Nam aut per inuentionem intelligit Alex. actum ipsum inueniendi, & sic sine dubio eget ille maximè præcognitione aliqua; aut res ipsas inuentas, sed istæ sunt aliquando conclusiones ipsæ, quæ etiam exigunt præcognitionem aliquam.

Notandum quarto. Nec placet Them. opinio *cap.* 1. per Præcognitionem principia quædam communia intelligentis, & quodammodo à natura nobis insita, quæ necessè sit præcognoscere eos, qui aliquam amplecti scientiam velint, veluti ex anticipatione, quia, inquit, non omnia possumus à docente accipere. Nõ inquam placet hæc opinio, quia Aristot. dictis locis prænotiones ait esse an sit, & quid est quod dicitur, & exemplum non modo affert in præcipijs, sed in subiecto etiam & attributo. Adde quod principia illa communia non sunt præcognitiones, sed præcognita.

Notandum quinto. Phil. etiam intelligit omnem cognitionem, quæ quomodocunq; aliam rem cognoscendam præcedat. Verum hoc dici non posse iam monuimus, tum quia Arist. ponit has duas prænotiones dictas, tum quia cognitio qualis res sit, & cognitio causatum rei non potest dici præcognitio; tum denique quia omnis cognitio præcedens rem aliã cognoscendam non semper est necessariò requisita ad illam.

Notandum sexto. Non est verum quod asserit Lincon. & alij, per præcognitionem intelligi sensitiuam: hoc enim & iam refellimus, & Arist. præcognitionem dicit esse quod res sit, & quid est quod dicitur, quæ certè non habentur per sensus.

Notandum septimo. Cum agamus nunc de prænotione, vt communis est ad quãlibet cognitionem distinctam à sensitiua, præcognitio erit, quæcunque iuuat aliquo modo ad dictam cognitionem, etiamsi inter illas non parum iuuent quæ ab Aristotele numerantur. De qua præcognitione perdoctè loquitur Clem. Alexandrin. 2. *strom. ante med.* referens Epicuri sententiam, his ferè verbis: *Anticipatio* (est autem idem quod præcognitio) *est appellatio ad aliquid euidens, & ad euidentem res intelligentiam; nemo enim potest quærere, neque dubitare, neque verò opinari, sed neque probare aut arguere absque anticipatione. Quomodo autem non habens quis anticipationem eius quod desiderat, didicerit id de quo quæritur? Qui autem didicit, anticipat, iam facit comprehensionem.* Hæc Clemens, quibus verbis apertè explicatur quid sit prænotio, & quod se habeat in ordine ad quamlibet cognitionem: potest enim præcognitio spectari tum in ordine ad res ipsas, etiam incomplexas, tum in ordine ad primam, secundam & tertiam operationem. Quæ omnia eodẽ ferè modo persequitur Theoph. apud Alb. *tr.* 1. *cap.* 3. Hinc sequitur primo Præcognitionem vt præcognitio est, non posse habere rationem quæsiti, sicut nec præcognitum rationem quæsiti. Secundò, Prænotionem debere eo ratione cuius præcognitio est priorem esse, saltem natura & notione, quoniam sumitur ante illud, & tanquam magis cognitum ad illius cognitionem obtinendam.

DISPVTATIO II.

De multiplicitate præcognitionum.

An vna tantum præcognitio.

SVpponi debet tanquã certũ plures esse præcognitiones quod Alb. de Saxon. friuola ratione ductus ausus est negare, quoniam, inquit, præcognitio vna est, & vna præcognitio est vna. Ergo non plures.

plures. Sed respondeti debet esse quidem vnam præcognitionem quæ determinata sit, nec esse aliam, nec tamen inde fit non esse plures. Lege Dominicū de Flandria 1. p. q. 5. art. 1. Cum igitur plures sint præcognitiones, multis modis considerari possunt. Primo. Respectu doctrinæ & disciplinæ, siue cuiuscunque cognitionis ad quam prærequiruntur. Secundo. Respectu potētię cognoscentis. Tertio. Respectu rei eius quæ cognoscitur. Quarto. Respectu modi cognoscendi. Ex primo oritur prima diuisio in dirigentem & agentem. Ex secundo in præcognitionem sensitiuam, si aliqua datur, primæ, secundæ, & tertiæ operationis. Ex tertia in pręcognitionem an res sit, & quid est quod dicitur. Ex vltimo in pręcognitionem quę est rei simplicis, vel complexę De quibus omnibus seorsim dicemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De prima Diuisione.

HÆC diuisio *in dirigentem & agentem* prænotionem, ponitur ab Auerr. 1 *post.* *com.* 1. & in Ep. Log. *cap.* 1. *& cap. de Rhet. Demonstratione.* Bald. in 1 p. 1. t. per pręcognitionem dirigentem ait nos dirigi ad separandum verum à falso, quæ explicatio non est ad rem: nam non requiritur tantū pręcognitio dirigens ad secundam & tertiam operationem, in quibus solis verum à falso secernitur, sed etiam ad primam. & si præcognitio dirigens facit verum dignoscere a falso, quid opus præcognitione agente? Quid opus est etiam demonstratione? Dicendum igitur appellari dirigentem prænotionem, Primo quod disponat intellectum ad inuestiga dam rei alicuius cognitionem. Secundo. Quoniā efficit vt innotescat nobis id de quo quæstio est, hoc est, vt sciamus in quo quæstio versetur; nisi enim præcedat leuis aliqua cognitio rerum, nesciremus quid tandem sit quod quærimus. Agens verò præcognitio est, quæ vna cum ipso intellectu efficienter concurrit, tanquā causa nostrę cognitionis, verbi gratia, in discursiua cognitione præcognitio dirigens est præcognitio quid nominis subiecti & prædicati, & quod subiectum sit, si de illo aliqua passio inquiratur; sed agen, quod præmissæ sint verę. Vnde se habet præcognitio dirigens velut lumen quod oculis nostris natura dedit, aut etiam illud quo colores illustrantur; agens tanquam potentia ipsa visiua, aut species intentionalis. Cæterum sufficientia huius diuisionis ex hoc patet, quia tum intellectus eget præparatione & adiumento quodam ad efficiendam cognitionem, & requirit aliquid quod se effectiuè iuuet, & aliud quod se melius disponit; tum etiam res ipsa quæsita, vt benè percipiatur, & vt rectè eiusdem cognitio in intellectu gignatur, duplicem hanc prænotionem requirit.

Dubium. *Quod* si quæras, Ratio præcognitionis in communi, quomodo se habet ad agentem & dirigentem? Resp. Analogicè: magis enim principaliter & primario dicitur de agente, quæ se habet vt causa, dirigens autem solum vt conditio sine qua non, ideoque longè magis iuuat ad cognoscendum quam dirigens, & propterea Aristo. exempla ferè tantum profert præcognitionis agentis, & de ea primo loco disputat. Præterea præcognitio agens & dirigēs ita mutuo comparari possunt Prima. Quia agens fit tantum per tertiam operationem, etiamsi primæ & secundæ inseruire possit. Primum probatur. Quia agens est, cum ex vnius cognitione deducimur in cognitionem alterius, quod semper videtur includere discursum quēdam, dum inquam hæc in nobis cognitio producitur; discursus enim nihil aliud est, quā vnius ex altero cognitio per illationem. Secundum autem declaratur. Quia operationes sæpe se inuicem iuuant, quomodo definitionem docet Arist. 2 *post.* inuestigari per syllogismum diuisiuum, resolutiuum, per inductionem &c. vbi tamen si inuēta fuerit definitio, iam est in prima operatione, & illius pręcognitio agēs dici potest modus, hoc est, per simplicem apprehensionem, verbi gratia, existētia rei, aut nominis eiusdem. Secundo. Agens præcognitio quatenus fit est composita, rerumque compositarum, quando fit per

iudicium. Dirigens interdum est rerum simplicium, vt subiecti, prædicati &c. Aliquando est etiam complexarum rerũ, vt principiorum quæ apprehendi possunt per primam operationem. Tertio. Dirigens est prior & facilior, sed minus perfecta, agens enim causat cognitionẽ, & præexquirit dirigentem tanquam dispositionem. Facilius est etiam cognoscere quid nominis & esse rei quæ spectant ad dirigentem, quam veritatem præmissarum quæ pertinet ad agentem.

QVÆSTIO SECVNDA.
De secunda Diuisione.

PRæcognitio *alia est prima, alia secunda, alia tertiæ operationis* Et quidem de tertia patet, de qua solum per se locutus est Arist. *in* 1.*post.* Nam dixit præcognitionem esse an sint principia, hoc est, an sint vera, & an sit, & quid significet subiectum, & quid etiam significet prædicatum, quæ omnia tandem referuntur ad Demonstrationem. De secunda etiam minus dubitari potest, sed

Notandum est. Sine dubio quæuis ex his operationibus aliquam efficit cognitiõnem, licet quoad primam, illa quidem fit secundum se & naturam suam nobilior, quoad nos autem tertia, quia & magis ostendit naturam hominis, quæ consistit in hoc quod sit rationalis, hoc est discursiuus. Illa autem magis declarat naturam diuinam & angelicam: Deus enim & angeli simplici intuitu & comprehensione omnia intelligit. Sunt autem istæ operationes ita colligatæ, vt aliæ quidem alias supponant, non tamen vice versa, sicut tertia secundam & primam, & secunda primam, nec tamen prima secundam, aut secunda tertiam. Verum quia istæ operationes non sunt omninò perfectæ; nam nec prima operatio semper bene apprehendit, nec secunda rectè indicat, ideò vt perficiantur, indigent ope mutua, prima & secunda etiam auxilio tertię operationis, vt videlicet per discursum aptetur primæ & secundæ operationi obiectum proprium, sicut ante dictum est inuestigari definitionem bonam per syllogismum. Ex quo sequitur, cum etiam in singulis operationibus singula sint propria instrumenta, in prima definitio, in secunda Enunciatio, in tertia argumentatio. Hoc differunt principia & pręcognitiones harum operationum, quod tertiæ operationis sunt firmiores & certiores: aut enim per se certæ sunt, aut cum ipsamet tertia operatio discursiua sit, ab eadem probari & confici possunt, primæ autem & secundę operationes, quoniam discursus expertes sunt, sunt imbecilliores & incertiores, nisi fortè cum aliqua sunt naturali lumine maximè nota, ideoque suppeditari debẽt primę & secundæ à tertia præcognitione, quibus perfectè operari & cognoscere possint. Secundo. Sequitur, quomodo probetur in omni operatione esse aliquas præcognitiones, quoniam per omnes & in omnibus aliqua cognitio de nouo fit, & aliqua habet, notitia rei prius ignotæ, ad hoc autem ipsum opus est præcognoscere Ergo.

Obijcies. Aliquando quæstio est, quid nomẽ significet. Ergo tunc nulla erit pręcognitio. *Resp.* Etiamsi præcognitio vt est formaliter præcognitio, non possit esse id de quo quæritur, aliqua tamen alia ratione quæsiti locum habere potest, quare tunc quid nominis non erit præcognitio, est enim duplex cognitio nominis: Vna perfectior, & de hac potest esse quæstio, alia imperfectior, & de hac non est quæstio, sed semper est præcognitio etiam ad illam nominis cognitionem, sed perfectiorem, qui docet Them. *t. po. ca.* 2. Quod verum est etiam in scientijs quæ propria industria inueniuntur, vt testè tradit Ægid. Malè autem negat P. Ven. Cuius ratio est, quoniam hinc cum primum res aliqua excogitatur, ignoratur rei illius nomen, quare præcognitio prima erit rem illam esse, quod sensu percipitur, Sed occurrendum est; Etsi enim nondum habeatur cognitio nominis impositi, necdum enim vllum impositum est, habetur tamen rudis aliqua conceptio rei illius, cuius primum scientia à nobis habetur, quæ respondet prænotioni nominis. *Cognitio nominis duplex.*

Obijcies secundo. In secunda operatione

sunt

sunt propositiones; vel ergo sunt per se notæ, & ita non egent præcognitione, vel ignotæ, & sic egent probatione per discursum, quare præcognitio pertinebit ad tertiam operationem. Respondeo. Propositiones per se notæ saltem indigent præcognitione dirigente, quid nominis, & existentiæ subiecti, at vbi per tertiam operationem nouimus hoc prædicatum conuenire huic subiecto, postea per secundam operationem iudico illud ipsum, affirmando vnum de altero, sicut diximus de definitione, vbi inuenta est per discursum, cognosci per primam. Atque ita propositiones illæ sunt ignotæ, & egēt præcognitione agente, quæ tertiam operationem efficiat. Et hæc in præsenti sufficiunt; nam post, quatenus in particulari, in ordine ad quas cognitiones fit præcognitio, incipiendo etiam à sensitiua.

QVÆSTIO TERTIA.

De tertia Diuisione.

3. Tertia diuisio ex parte modi cognoscendi est, In prænotionē *an sit, & quid est quod dicitur*, de quibus hæc nobis explicanda erunt. Primo. An sufficienter enumerentur. Secundo, quid sint. Tertio, Quomodo se habeant ad agentem & dirigentem. Quarto. Quomodo inter se. Quinto. In ordine ad pręcognita in communi.

DVBITATIO PRIMA.

An sint tantum duæ præcognitiones?

Arist. 1. po. t. 2. has duas prænotiones enumerat atque de illis solum tantum disputat. Dicendum est esse tantum has duas. Ratio est, quoniā, vt bene dicit Phil. præcognitio considerari debet secundum modum, quo res à nobis cognoscenda est. De re autem tria potissimum cognosci possunt: Existentia, Essentia, & accidētia. Si quæratur existentia, supponi debet nominis prænotio; vt si quæratur an sit vacuum? Præsciendum est quid hoc nomine intelligatur, si quæritur essentia, præter nomen ipsa etiā rei existentia ante sciatur oportet, quoniam vt sæpe docet Arist. definitio non est rerum existentium, hoc est, quæ non existunt; sed si quærantur accidētia rei, oportet prius cognoscere an sint talia accidentia, & quo nomine appellentur, & hæc quidem loquēdo de cognitione & præcognitione rei cuiuslibet in cōmuni. Cæterum adhuc si sermo sit de quęstione quę per ratiocinationem fit probāda, eadem huius numeri sufficientia deprehendetur: nā & est ipsa quæstio, & sunt præmissæ, per quas probari debet. In quęstione est quæsitum, siue attributū & passio, & est subiectum, seu concessum ac datum, quorum nominum rationem in explicatione textus attulimus. Præterea ex Aristot 2. po. t. 19. quatuor de rebus quæri possunt duo, quæ si cū alijs posterioribus conferantur, appellantur complexa, videlicet primum est *quod sit*, hoc est, quod insit accidens subiecto. Secundū est, *propter quid sit*, hoc est, propter quam causam insunt accidentia subiecto. Tertium *an sit*, hoc est, an res simpliciter existat. Quartū *quid sit*, hoc est, quænam sit rei essentia & quidditas. Qui locus à nobis fusius est explicatus *in lib. 2.* Cum igitur sint hæc in quęstione proposita: Subiectum, prędicatum, & pręmissæ, per quas probari quęstio debet, de principijs seu præmissis, cū sint quid complexum, quæri hęc duo possent, ac veluti præcognosci, quod sint, & propter quid sint. Hoc secundum præcognosci non debet, quoniam ipsæ præmissæ continent causam propter res sit. Præcognoscetur ergo primum videlicet, quod sint, hoc est quod vera sint. Iam verò de subiecto præcognosci debet an sit, & quid significet, quod res aliqua inhæreat, quod subiecto nō conuenit, respectu sui prædicati. Nec quęri potest propter quid sit, hęc enim præcedentē supponit, nec quæritur nisi de eo quod insit, nec etiā pręcognosci debet quid sit, quoniā vt probetur subiecto inesse prædicatum, aut propter quid insit, non est necessaria hæc præcognitio, nisi vt plurimum tanquam medium alterius quæstionis de subiecto probandæ. Denique de prædicato præcognoscendum est quid nominis, non autem an sit, quia eius esse est inesse, quod idē probandum est per demonstrationē, nec præcognoscen-

noscendum est quid sit, non quia minus propriè definiantur accidentia, si cum definitione substantiarum conferantur, vt habetur 7. *Met.t.2.* & 15. sed quia etiam definiri debent huiusmodi accidentia per subiectum, vnde si sciremus quid essent, iam ante etiam cognouissemus subiecto inesse, quod etiam demonstrandum erat. Sunt igitur quoad rem & explicitè hæ quatuor præcognitiones. Prima quod est principiorum, hoc est, quod sint vera. Secunda quod est subiecti, hoc est, quod existat. Tertia quid est quod dicitur de subiecto. Quarta, idem de passione; tamen hæ quatuor ad illas duas commode reducuntur, ita vt præcognitio quod est comprehendat esse complexi, hoc est, quod principia sint vera, & esse incomplexi, hoc est, existere subiecti. Præcognitio autem quid est, seu quid est quod dicitur, complectatur quid rei & quid nominis.

Dubium 1. Ex his solui possunt hæ dubitationes. Prima. Quomodo sint tantum duæ præcognitiones, cum quatuor sint quæstiones. Secunda. Quomodo sint etiam tantum duæ præcognitiones, cum sint tria præcognita: Subiectum, prædicatum, & præmissæ. Ad primam enim dicitur, Quod quæstionem an sit, hoc est, an res existat, quæ explicari solet propositione de secundo adiacente, & quæstionē quid sit, hoc est, qualis sit res, quæque etiam explicatur propositione de tertio adiacente, vt distinctas posuit Arist. 2 *post.* Libro autem primo sub præcognitione an est, vtramque complexus est, id est, quæstionē de inexistentia, & quæstionem de inhærentia prædicati in subiecto. Quare præcognitio an sit, illi vtrique quæstioni respondet, & ad vtramque refertur. Non dicitur autem præcognitio an sit, quatenus de hoc ipso quæstio esse potest, sed quatenus vlterius de re alia quæstio est: potest enim idem ratione diuersorum esse præcognitio & quæstio, præcognitio respectu cognitionis quæ vlterius fit, quæstio autem quatenus de illa ipsa re dubitari potest. Porrò quæstio quid est, vel comprehenditur sub præcognitione quid est quod dicitur, ita vt illa præcognitio contineat & quid rei, & quid nominis, de qua re paulo post. Vel si tantum præcognitio illa dicit quid nominis, non est quid rei præcognitio, quoniam in omnibus syllogismis in ordine ad quos de præcognitionibus egit Aristo. necessaria est præcognitio quid sit res, nec cum assumitur, accipitur vt præcognitio, sed vt medium quod refertur ad præmissas ipsas, de quibus solum cognoscendum est quod sint veræ. Quamuis vt potest aliquando esse quæstio de quid nominis, dici possit contineri quid nominis sub illa quæstione de qua Arist. 2. *post.* qua quæritur quid sit res, vt etiam docet Algaz *in sua Logica cap. 8.* & multi Interpretes *ibi*. Tandem quod spectat ad quæstionem quid sit, hæc non est præcognitio, sed est ipsamet quæstio quæ per demonstrationem dissoluenda proponitur.

Ad secundam obiectionem facilis est responsio. Non enim dicuntur præcognitiones ratione rerum tantum quæ cognoscuntur, sed ratione modi diuersi, quo intellectus circa res illas versatur, hic autem, vt diximus, duplex est. Quo loco vltimo notandum est, quod hæ præcognitiones prout dicuntur in ordine ad doctrinam, seu ad scientiam quæ docetur, non sunt semper præmittendæ, sed tum tantum, cum sunt ignotæ, ideoque rectè Aristot. T. 25. *lib. 1.* monet nonnullas scientiarum quasdam ex istis prænotionibus despicere. Dubium 2. Responsio.

DVBITATIO SECVNDA.

Quid sint hæ præcognitiones?

REm totam expediemus paucis propositionibus. An sit.

Prima Propositio. Præcognitio an sit tria significat: Rei simplicem existentiam, passionis inhærentiam, quod vocat Arist. 2. *po. t. 1.* quæstionem quod sit, & an præmissæ sint veræ. Quod attinet ad hoc vltimum, ideò de principijs cum præcognoscitur quod sint, prænosci dicitur quod sint vera; quoniam illorum esse est vera esse, vt colligitur ex 5. *Met. t. 14.* Et ratio est, quoniam dicunt complexionem quandā Iudicij, cuius esse & perfectio in hoc consistit, vt verum sit. Potest autem dupli-

ret præcognosci principia vera esse. Aut in actu significato, hoc est. quod formaliter cognoscamus rationem formalem veritatis quæ illis inest, & propter quam causam formaliter dicantur vera, quod fieret, si de illis hoc cognosceremus dici vera formaliter propter conformitatem ad res ipsas. Secundo. Id præcognosci potest in actu exercito, hoc est vt cognoscamus principia illa esse vera, etiamsi non aduertamus rationem formalem veritatis, & hoc secundum subijcit: De subiecto prænoscitur quod sit, id est quod existat, quod quâ ratione intelligendum sit, postea dicemus agentes de præcognitis. Vnde sequitur quod an sit tam complexorum quam incomplexorũ præcognitio quædam, qua respectu vtrumque non eandem rationem vniuocam habet, vt post dicemus. Præcognitio autẽ quid est quod dicitur, significat quidditatem rei simul cum quid sit nomen, vel solum dicit quid nominis, quod postea.

Secunda Propositio. Per præcognitionem *quid est id quod dicitur,* omnes ferè intelligunt quid nominis, quod indicare videtur ipse modus loquendi, *quid est quod dicitur,* hoc est quod nomine significatur. Ita Auer. *1. po. comm* 2. Ægid Them. Phil. & P. Ven. *ibid.* Apoll. *q.* 4. Henricus de Gand. *1. p art. 1. q.* 10. Contrarium sentit Caietan. pro se adducens D. Thom. sed id non clarè apud illum habetur, sed potius propendet in hanc sententiam Porph. apud Alb. & ipsemet *1. po t. 1. c.* 4. quod etiam sentiunt Soto, Domin. de Flandria Doct. Louan. & alij. Tamen quicquid sit de veritate harum opinionum, non videtur necessarium comprehendere quid res sit sub præcognitione, si præsertim loquamur de Demonstratione propter quid, de qua ex instituto tantum loquitur Aristot. *à cap. 1. post. ad t.* 10. Vt enim paulò ante diximus, quid res sit, in Demonstratione sumitur tanquã medium, atque vt quid pertinens ad præmissas ipsas. Nihilominus probabile est etiam prænotionem quid rei sub illa quid est quod dicitur contineri, si solum

Quid sit id quod dicitur.

spectetur vis & significatio verborum illorum quid est quod dicitur: possumus enim interpretari quænam sit essentia & quidditas rei illius, quæ à nobis percipitur, præsertim cum quæstio nobis postea futura sit, an sit aliquando prænoscendũ de re, cuiusmodi quidditatem habeat. Cæterum de differentia inter definitionem quid rei, & quid nominis, agendum est in tractatu de definitione. Interim legi potest Them. *1. po. cap.* 2. Arist. cum Int. 2. *po t. comm.* 9.

Tertia Propositio. Prænosse quid nominis, est ante etiam formare conceptum quendam saltem confusum rei alicuius, cui nomen impositum est. Patet ex dictis *in Comp* de signo formali, quod hoc nomine differre diximus à signo instrumentali, quoniam non potest signum instrumentale cognosci sine cognitione rei quã significat; est autem nomen signum instrumentale.

Quid nominis.

TERTIA DVBITATIO.

Quomodo se habeant prænotiones ad agentem & dirigentem?

Prima Propositio. Colligitur ex dictis, prænotionem quid est quod dicitur, vt significat quid nominis, esse dirigentem, & sicut prænotio dirigens est prior, ita & prænotio quid nominis est prima, vt Them. *cap. 2. lib. 1. pr.* Est enim principium omnis cognitionis, quod habetur etiam apud Aristotelem 4. *Met t.* 11. *lib.* 7. 2. 49. Itẽ prænotio An sit, quomodocunque tandem accipiatur, siue rei complexæ, siue incomplexæ posterior est, & potest aliquando esse agens.

Quæ prænotio prior.

Secunda Propositio. Interdum prænotio quid nominis potest esse quæstio, hoc est id quod realiter continet nominis cognitionem, potest esse quæstio; vt si quæratur quid significat ἐντελέχεια, sed tunc præcedet aliqua alia prænotio, respondẽs prænotioni nominis. Hoc est conceptus quidam tenuis illius eiusdem nominis, de quo est quæstio, & ita intelligendus est Auer. *com.* 2. cum ait de quibusdã sciri posse quod existant, ignorato tamen nomine. De qua re suprà diximus contrà P. Venetum.

tum, volentem prænotionem nominis in inuentione scientiarum necessariò præcedere non debere.

Tertia Propositio. Potest id quod realiter est prænotio nominis, aliquando esse præcognitio agens. Patet cum argumentum dicitur ab Etymologia nominis, quo pacto Arist. 1. *po. de cælo. t.* 22. cæli perpetuitatem probat ex nomine *atheris*, quod deriuatur vel à *semper currendo*, vel *semper mouendo*. An autē cum præcognitio quid nominis repetitur in principijs maximè nobis, quæ non egent alia præcognitione quam terminorum, se habeat vt agens vel vt tantum dirigens, infra erit de hac re quæstio. In proposito autem nostro poterit adhuc hæc prænotio, quæ agens est, quatenus ipsa etiā est cognitio quædam, habere aliam priorem dirigentem, quæ erit imperfectior nominis cognitio.

Quarta Propositio. Si prænotio quid est quod dicitur, contineat etiam definitionem quid rei, erit prænotio agens, sed renocanda erit ad præcognitionem an sit, præmissarum, si loquendo de præcognitionibus quæ seruiunt discursui, & tertiæ operationi: quoniam prænotio quid rei assumitur tanquam medium in Demonstratione.

Quinta Propositio. Præcognitio an sit si est de principijs & præmissis, hoc est de præmissarum veritate, erit agens, quoniā principia causant cognitionem conclusionis. Si verò sit de incomplexis, & significet existentiā erit dirigens. Si autē significet inhærentiā accidentis in subiecto, non erit propriè prænotio, si communem opinionem sequamur, sed pertinebit ad conclusionem, quoniam per demonstrationem probanda est passionis in subiecto inhærentia. Posset hic objici, cum per demonstrationem quærimus propter quid insit subiecto. Potest ergo & debet præcognosci passionem inesse subiecto. Verum de hac re infra ex professo dicemus, agemus de præcognitis, vbi etiam quæ hactenus dicta sunt clarius cognoscentur.

QVARTA DVBITATIO.

De his prænotionibus inter se comparatis.

PRima Propositio. Sicut supra diximus de præcognitione agente & dirigente, ita & de his dicendum est non conuenire vniuocè sub vna communi ratione præcognitionis, sed præcipuam esse eam quæ est agens, quamuis quæ dirigens est & prior facilior sit. Confirmatur. Nam præcognitio an sit est realis, præcognitio quid est quod dicitur, est quodammodo rationis; est enim tantum de nomine; quod si sub ea contineatur præcognitio quid rei, adhuc nihil erit vniuocum, quia essentia & existentia, illius autem est præcognitio quid rei, huius verò præcognitio an sit, nihil vniuocum esse potest, quia se habent sicut res, hoc est essentia, & modus, hoc est existentia rei. Præterea an sit, partim incomplexorum, quid est quod dicitur, semper est incomplexorum, sed istis nihil est commune vniuocum. Lege Caiet. *in* 1. *cap.* 1. *po annot.* 1. *in* 2. *conclus.* Et confirmatur. Quia agenti & dirigenti nihil est vniuocum, ex his autem vna est agens, alia dirigens. Ergo.

Secunda Propositio. Hæ præcognitiones ex Auer. *in comm.* 2. differunt secundū quadruplex causæ genus. Primo secundū causam efficientem, quia vt de agente & dirigente diximus, præcognitio quid rei & quid nominis, fit, cognoscitur directè per primam operationem, præcognitio autem an sit, cum est de principijs & præmissis, fit & cognoscitur per tertiam operationem. Secundo secundum causam finalem, quia prænotio quid est quod dicitur, ordinatur ad dirigentem, hoc est ad directionem cognitionis, præcognitio autem an sit, si est de præmissis, refertur ad causandam cognitionem. Tertio Differunt in materia, quia præcognitio quid est quod dicitur, est circa nomen, præcognitio quid rei circa essentiā, præcognitio an sit, circa existentiā simplicē inhærentiam, vel veritatem præmissarū. Deniq; diuersa est forma quæ nulla alia est

est quam ipsamet cognitio vt præcedens: nam cognitio eius quid est quod dicitur, & quid rei, & an sit existentiæ vel inhærentiæ, est simplex, cognitio autem an sit complexorum, id est præmissarum, composita est.

Tertia Propositio. Præcognitio quid est quod dicitur. si continet quid nominis & quid rei, dicitur analogicè, & quadam etiam ratione æquiuocè, de vtraque. Ratio est. Quia conceptus quidditatis, & conceptus confuso, qui habetur cognoscendo nomen, nihil est commune vniuocum, & sic quidditati ipsi & nomini vix est aliquid commune analogicè, ita etiã & præcognitionibus quæ sunt de istis.

Quarta Propositio. Præcognitio quid specie differt, ratione rerum earum, quarum præcognitio est. Si præcognitio sit subiecti, differt specie à præcognitione quæ est passionis, & ab ea quæ est principiorum, quam etsi Arist. *in hoc cap.* 1. non dixerit inesse principijs, tamen postea manifestè illam ipsis tribuit, vt dicemus. Sic etiam præcognitio quid nominis diuersarum passionum specie diuersa est, iuxta specie distinctas passiones. Hoc secundum est contra P. Ven. primum verò contra Ægidium. Sed ratio vtrumq; simul concludit. Distinctio enim specifica præcognitionum peti debet ex specifica distinctione eorum ad quæ ordinantur. Confirmatur. Certum est præcognitiones diuersarum quidditatum esse specie distinctas. Ergo etiam prænotiones nominum, quæ rebus specie distinctis conueniunt; nã sicut sunt diuersæ quidditates, ita etiã sunt diuersi conceptus confusi, qui cum nominibus præcognoscuntur.

Quinta Propositio. Procognitio an sit specie etiam differt ratione subiecti, passionis, principiorum. Ratio eadem est quæ præcedentis propositionis. Est tamẽ dubitatio, quæ ad librum de anima pertinet, an cognitiones ipsæ, quatenus sunt intellectus operationes, speciẽ distinguantur, etiamsi obiecta cognita specie diuersa sint; vt an syllogismi de diuersis materijs sint tantum vnius speciei syllogismus, & sic de alijs operationibus, quemadmodum videtur visionem albedinis, nigredinis, & aliorum colorum, etsi colores specie distinguantur, ipsæ tamen differre videntur solo numero. Sed quicquid sit de hac re, tamen constare debet, sicut ponuntur distincti habitus specie, ita etiam cognitiones quæ ad illos ordinantur, ratione quadam specie differre debere. Hic tandem notandũ est, falso Ægidium dicere præcognitionem an sit præmissarum, esse præcognitionem dignitatum quæ simplici apprehensione sine iudicio cognoscantur; nam præmissæ sunt in secunda operatione, causant efficienter cognitionem conclusionis. Ergo necessariò requirunt iudicium, quamuis nemo dubitet posse easdem dignitates, imò verò etiam argumentationes & syllogismos prima & simplici apprehensione apprehendi.

QVINTA DVBITATIO.

De his præcognitionibus in ordine ad præcognita.

DVbitationis sensus est, quænam ea sint quæ his præcognitionibus indigent, absolutè & in communi loquendo? Sed quoniam coincidere videtur cum quarta diuisione, quæ est respectu rerum de quibus habetur præcognitio, propterea commodius simul expedietur cum explicatione illius diuisionis.

QVÆSTIO QVARTA.

De quarta Diuisione.

DIximus quartam diuisionem esse præcognitionis respectu rei in qua fit præcognitio, seu rerũ præcognitarũ. Vnde hic explicabitur illa disputatio, quæ seorsim ab illis instituitur de præcognitis. Itaq; hic intendimus examinare quæ sint illa quæ agent præcognitione, vbi etiam intelligetur quomodo vera sit communis illa Aristot. propositio: *Omnis doctrina, & omnis disciplina, &c.* nisi quod extenderetur hæc nostra disputatio ad quãlibet cognitionem. Notandũ autem cum Dominico de Flandria 1.*po q* 5 *art*.5. Præcognitũ dupliciter accipi posse. Primo vt significat id quod præcognoscitur. Secundo vt significat

nificat id quo fit præcognitio. Si accipiatur primo modo solū est præcognitū id quod cognoscitur vt quod, hoc est, in quod terminatur cognitio nostra. Si vero secundo modo, potest ipsa etiā præcognitio appellari præcognitū, quatenus ipsa quoq; cognosci potest, quãuis sit ratio & mediū quo aliquid præcognoscatur. Arist. nomine *præcognitorū* intelligit illas res, de quibus est præcognitio, in qua significatione nos etiā loquimur sed aliquanto fusius; Dicemus enim de rebus quæ egēt præcognitione, vt subijciuntur cognitioni sensitiuæ & intellectiuæ, & vt certa methodo progrediamur, diuidetur hæc quæstio in quinq; membra, & sectiones. Prima erit *de cognitione sensitiua* Secunda, *De intellectiua in communi*. Tertia, *De prima operatione*. Quarta, *de secunda*, & Quinta, *de tertia*.

SECTIO PRIMA.

De cognitione sensitiua, an egeat præcognitione?

Sensus diuisio & diuersitas. NOtandum. Duplex est sensus: Exterior & interior, vt sensus Visus, & Phantasia.

Prima Propositio. Sensus interior semper præsequirit exteriorem, & hac ratione dici potest egere aliqua prænotione: Nunquam enim potest aliquid imaginatiua potentia imaginari, aut communis sensus discernere, nisi præcedat aliquis actus sensus exterioris; sensus autem exterior nulla alia eget prænotione, quia ipse est prima omnium notitia. Hac ratione concedi potest etiam in brutis cognitionem fieri ex aliqua prænotione, quæ bruta etsi artem nullam addiscere possint (est enim ars ratio rerum faciendarum, & ex repetitis actibus acquiritur, quorum principium solus homo est ex Aristotele 6. *Eth. cap.2.1.mag. mor.cap.*11.) tamen addiscunt quædam, ita vt ratione quodammodo prædita videantur, vt ait Aristotel. 9. *hist. animal.cap.*7.1.*Met.cap.*1. Plut. *lib. de sol. animal.* & lib. *terrestr. an aquatilia sint calidiora*. Gal. in protr. ad bon. artes. Vnde etiam repertus fertur quidam Elephas, teste Plinio *lib.8.cap.*3. qui externam lectionem nostram meditaretur, & nostra fere ætate ab Emanuele Lusitanorum Rege ad Leonem decimum S. P. narrant certi authores missum esse dono Elephantem, qui cum gubernatoris artibus nauim ascendere detrectaret, & gubernatori mortem Rex minaretur, rationibus persuaderi se à gubernatore permisit, vt Romam peteret. Lege Pierium *lib.*2. *de Heroglyphicis litteris ad fin.* Idem iudicium est de cognitione nostra sensitiua. Solum obseruandum est tam in nobis, quam in brutis posse quædam sensibus interioribus ita disponi & colligari, vt sub exteriores nullo modo cadant, qualis est apprehensio illa inimicitiarum, quæ reperitur in animantibus inter se. Sic etiam fingit imaginatio nostra chimæram, vel montem aureum, semper tamen præcesserunt partes huius rei compositę, quę sunt sensibus perceptæ.

Secunda Propositio Sensus exteriores respectu interiorum non sunt præcognitio agens, sed dirigens, & vt quiddam prærequisitum; nec enim causat vel instrumentaliter esse cognitionem sensus interioris, & de hoc præcognitionum genere non est locutus Aristot. etsi alij dicant.

SECTIO SECVNDA.

De cognitione intellectiua in communi.

NOtandum primo. Cognitio intellectiua humana, de qua tantum loquimur, & illa quæ ab hominibus naturaliter acquiritur, quædam est apprehensiua, quædam iudicatiua, alia confusa, & alia distincta. *Cognitio intellectiua quotuplex.* Confusa est, cū res alia in alio cognoscitur, in qua aliqua ratione cōtinetur, vt effectus in causa, causa in effectu, species in genere, & hoc in specie. Tunc autē distincta cognitio erit, cū res in se intelligetur, quamuis nondū secundum omnia quę in ipsa sunt; & solet hæc cognitio appellari actualis, illa autem virtualis. Alio autem modo dicitur cognitio confusa, cum cognoscitur quidem res in se, sed non secundum omnia quæ habet, vt si domum aliquam eminus intueamur, ideoque etiam distincta dicetur cognitio, cum singulæ rei

rei partes distinctè & sigillatim cognoscentur. Apprehensiua cognitio est, quâ cognoscimus res, nihil affirmando, vel negando, & potest etiam esse propotionis, aut discursus alicuius. Iudicatiua autem, cum de rebus apprehensiuis, aliquid affirmando, vel negando, iudiciū ferimus, & à nonnullis appellatur cognitio adhæsiua. Sicut autem in cognitione apprehensiua alia dicitur esse rei simplicis, vt si apprehendatur homo; alia rei complexæ, si apprehendatur definitio, quæ dici solet definitiua apprehensio, ita etiam in iudicatiua, aut est tantum enunciatiua per propositionem simplicem, aut etiam illatam. Quarè per cognitionem apprehensiuā non intelligitur ea quæ à Theologis & Philosophis conferri solet cum comprehensiua, quatenus comprehensiua significat cognitionem, quā adæquatè res cognoscitur, id est secundum eum omnem modum, quem ex natura sua postulat, quo pacto hominem tantum comprehendit, qui illius naturā & omnia eiusdem attributa penetrat. Quâ ratione loquitur D. Tho. 1. *p. q. 12. art. 7. q. 14. art.* 3. Sed apprehensiua hoc loco est, quā simplicem vocat idem D. Thom. *q. 14. art. 7. in Corpore.*

Notandum secundo. Cognitio intellectiua etiam in communi alia est intuitiua, quæ etiam dicitur simplicis intelligentiæ, de qua distinctione D. Thom. *1. s d* 38. *q.* 1 *art.* 4 Et de veritate. *art. q. ad* 1 *1. p. q* 14. *art* 9. Scotus *in quodlib. &* 2. *s d.* 3. *q* 9. Ocam. & Gab. *q. 1. prologi.* Greg. 1. *s d.* 3. *q* 3. *art.* 1. Herminus. *quodlib.* 4 *q.* 11. Durand. *q.* 3. *prolog.* Prima cognitio, secundum D. Thomam est qua res cognoscuntur vt præsentes & existentes, & ideo dicitur intuitiua & visior is ad similitudinem vr sus, qui res corporeas extra se positas actu existentes coram intuetur. Secunda autem cognitio est rei, siue existat, siue non, sed non vt in se existens. Idem docet Scotus & alij. excepto Gregorio, qui vult intuitiuam cognitionem esse rei immediatè, quo pacto visus colorem intueretur, nihil prius intuendo in quo illum videat. Abstractiuam verò, cum cernitur res per aliud tanquam per imaginem, siue inquit res existat, siue non; quare cognitio imaginatiua in somnis est inquit abstractiua, quatenus fit ex quadā veluti visione phantasmatum, respectu quorum immediata cognitio dicetur intuitiua. Contra autem Scot. & Durand. ex suo modo explicandi, colligunt nullam in hac vita haberi cognitionem intellectiuam, quia semper fit mediante sensu. Sed num communiter cognitio intuitiua tunc esse dicitur, cum intellectus cognoscit res sibi præsentes per sensum, quomodo color actu visus, si etiam intelligatur, debet intuitiuè cognosci. Vnde abstracta cognitio nō significat hic cognitionem, quā aliquid abstrahendo cognoscimus; hoc enim est tantum primæ operationis, nec intuitiua dicitur quæ fit veluti simplici intuita ad modū visionis. hoc enim etiam est soliuś primæ operationis, sed significat cuiusuis cognitionis operationem, ad modum explicatum, quatenus solū intuitiua cognitio requirit præsentiam actualem obiecti in ratione obiecti, quod dico propter cognitionem rei, de qua tamen non loquimur, nostra verò quam in hac vita habemus, est quæ iam explicata est. Lege Gerson. *tract.* 9. *sup. Magnificat.*

Prima Propositio. Omnis cognitio intellectiua naturalis semper præsupponit sensitiuā, saltem initiatiuè, primarò sensitiua exteriorem, secundariò aūt interiorē. Et hæc dici quodammodo potest præcognitio, quaten' est necessariò prærequisita, habet se tamen potius vt disp. sitio, quam agens, quia verè non concurrit affectiuè ad intellectiuam, nisi fortè ratione phantasmatum, secundum eorum opinionem qui volunt ipsa actiuè concurrere ad productionem specierum intelligibilium, de qua re in libro *de anima.* Vnde D. Thom. 1. *p. q.* 84. *art.* 6. ait, quod non est cognitio sensitiua totalis & perfecta causa cognitionis intellectiuæ, sed potius materia causæ. Quo etiam modo intelligi potest Gab. *q* 1. *prol. art.* 2. *prop.* 3. dicens cognitionem sensitiuam sunt quidem actus iudicatiui, sed benè intellectionis primæ

esse causam immediatam. Probatur hæc conclusio cum authoritate Aristotelis in *lib. de anima*. Vnde prodijt trita illa propositio. *Nihil esse in intellectu, quod non prius fuerit in sensu*. Cuius sensus est, non quod id omne quod intelligitur, perinde prius sensu perceptum fuerit, atque intelligitur: nam cognoscuntur substantiæ res spirituales, relationes, priuationes, entia rationis, & alia multa, quæ sub sensus non possunt cadere. Sed quoniam quæ ab intellectu cognoscuntur, prius necessariò sensu percepta fuerunt, aut per se, vt colores, aliæque sensibiles qualitates quæ dicuntur sensibilia propria, atque etiam sensibilia quæ dicũtur communia, vt motus figuræ, quantitates, &c. Vel per partes, vt substantię sensibiles quas animo fingimus, verbi gratia, hæc coceriensi aut per accidens, & consequenter, hoc est, per talia accidentia, vt substantiæ sensibiles; aut per effectus, vt virtutes rerum naturalium occultæ, & substantiæ separatæ; vel per similitudinem, vt homo nunquam visus per suam imaginem; Vel per sua opposita, vt cæcitas per visum, etsi nunquam perceptus fuisset calor, per frigus cognosci posset. Vel denique per fundamenta sua, vt relationes & entia rationis, quamuis dispari quodam modo, vt alias dictũ est.

Secunda Propositio. Non præcedit necessariò cognitionẽ distinctam confusa. Primo. Quia id ex natura sua nõ requiritur, vt patet in cognitione angelorũ, & quorundam hominum, saltem vbi perfectam rei scientiã acquisiuerunt; tamen vtplurimũ in nobis ob intellectus nostri imperfectionem solet præcedere, quia egemus ope sensuũ. & hoc indicauit Arist. 1. *Phys. in init.* dicens homini esse innatam hanc cognoscendi viam, vt primum vniuersalia & tota, hoc est, confusa, postea autem particularia cognoscat. Vnde pueri prius quemuis patrem appellant, postea autem hunc hominem.

Tertia Propositio. Cognitio apprehensiua si sumatur prout opponitur iudicatiuæ, & est in prima intellectus operatione, eget præcognitione sensitiua. Imò cũ sit prima omnium intellectionum, maximè indiget. Sed de ista intellectione, alijsque pertinentibus ad alias operationes, seorsim dicemus. Vnde etiam patebit quid sit dicendum de cognitione apprehensiua, prout opponitur comprehẽsiuæ, & includit omnem cognitionem quę est de re, sed non secundum omnes modos quos simpliciter habere potest, vel quos naturaliter exigit, vt comprehendi dicatur; vtroque enim isto modo sumi solet cõprehensionis nomen à Philosophis & Theologis, quanquam secunda acceptio sola videtur esse necessaria, alioqui nunquã diceremur rem vllam comprehendere, quia quęlibet res potest clarius & clarius in infinitum cognosci. Satis ergo est ad comprehensionem, vt tũ dicatur res comprehendi, quãdo cognoscitur secundum eum modum, quẽ natura postulat. Propter quã causam Deus Opt. Max. etsi à beatis omnib. cernatur, & totus videatur, non tamẽ dicitur comprehendi nisi quatenus in alia significatione comprehendere idem est quod tenere, quia non cognoscunt Deum totaliter, hoc est, secundum distinctam cognitionem omnium eorum quæ à Deo fieri possunt. Et quamuis dicatur à quibusdam Theologis animam Christi videre quicquid à Deo fieri potest, non tamen propterea dicitur Deum comprehendere, vel quia aliqua alia nobilior creatura fieri possit, quæ clarius res easdem intueretur, vel ipse saltem Deus clarissimè ista cernit. Loquendo igitur de apprehensiua cognitione, quatenus confertur cum comprehensiua, non est necessum apprehensiuam semper, quæ est minus perfecta, pręcedere comprehensiuam, sicut dictum est de cognitione confusa & distincta.

Quarta Propositio. Cognitio abstractiua secundum significationẽ cognominis quę in prima operatione fit, abstrahendo naturam à singularibus, indiget cognitione sensitiua, quod est commune omnibus operationibus intellectualibus, saltem initiatiuè, hoc est, ratione primę operationis & in hac vita semper adiuncta est aliqua cognitio sensitiuę interior dum intelligimus. Propter quam causam Arist. 3. *de anima*, Intelligentem, inquit, oportet phantasma-

tasmata speculari; tamen non est necessarium cognitionem abstractam, vt conferatur cum intuitiua, habere intuitiuam tanquam prænotionem; nam rerum spiritualium tum substantiarum, tum accidentium, vt Dei & intelligentiarum, atque habituum intellectus, nunquam haberi potest intuitiua cognitio, tanquam obiecti immediati, quia ista nullo modo possunt cadere sub sensus. In hac autem vita cognitio intuitiua non est, nisi huiusmodi rerum. Quare falsum est, vt rectè docet Gab. *q.1. prol. art.2.* semper prærequiri ante cognitionem abstractiuam intuitiuam, quamuis hic author *initio art.2. & in not.2.* quædam dicat quæ non omnibus probantur, sed non sunt præsentis instituti.

Quinta Propositio. Nihilominus abstractiua cognitio necessariò supponit intuitiuam, aliquādo eiusdē obiecti, aliquando verò alterius. Eiusdem obiecti, cum non potest res vlla ratione intelligi quin fuerit sensibus percepta, & primum cognita, vt sub sensus cadit, qualis est cognitio colorum. Vnde dici solet, non posse cæcum à natiuitate iudicare de coloribus. Alterius verò obiecti, cum aliquid non cognoscimus nisi alio mediante, quare præcedet cognitio intuitiua, nō illius obiecti quod cognoscitur, sed illius alterius, mediante quo cognoscitur. Quo pacto cognitionē substantiæ abstractiuam præcedit non intuitiua eiusdem: nec enim sensibus percipi potest, sed accidentium illius, per quæ venimus in cognitionem substantiæ.

Sexta Propositio. Cognitio iudicatiua præsupponit actum, seu cognitionem apprehensiuam eiusdem obiecti, quatenus cognitio apprehensiua significat simpliceē notitiam quæ est in prima operatione. Ratio est, quia non potest esse iudicium nisi de rebus apprehensis, & termini apprehēsi sunt veluti partes quædam cognitionis iudicatiuæ, seu propositionis, Ita Gab *loco cit. in prop.1. & 2.* Vnde sequitur, etiamsi vi secundæ operationis formaliter, vt secunda operatio est, non possit apprehensio fieri, quorum ipsa formaliter solum est iudicatiua, tamen necessariò tum adest apprehensio, quando fit iudicium, quoniam non fit iudicium nisi de rebus apprehensis. Et hoc videtur eodem instanti fieri debere, quoniam est necessaria vnius ab altero dependentia. Ita Zons. 7. *Met. quæst.15. suppos.3.* Vel certè si quod tempus intercedit, præexiguum est. Alij etiam dicunt vnicum actum esse quo iudicamus de rebus apprehensis cum duplici quadam formalitate: Vna essentiali, quæ est iudicium. Alia virtuali, vel superiori formali, quod est esse apprehensum. Et idem iudicium est de tertia operatione respectu secundæ & primæ; Videmus enim, inquiunt, id quod est superius & perfectius, posse idem præstare & inferius. Hinc enim est quod anima rationalis, quia omnium perfectissima est, etiamsi formaliter, & vltimatè sit rationalis, includit tamen gradus inferiorum animarum, vegetatiuæ & sensitiuæ. Her. *tr. secun. mit. cap.16. pag.87.* ait, nullo modo concedi debere actum vnum ex duobus componi. Verum hæc omnia pertinent ad tractatum De anima. Hoc nobis satis est, necessario iudicium prærequirere apprehensionem, quomodocunque id fiat.

Septima Propositio. Hactenus dictū est de cognitione intellectiua humana, ne quid autem desideretur, breuiter etiam de diuina, angelorum, & infusa aliquid dicemus. Cognitio igitur diuina, hoc est, ipsius Dei, non fit ex præexistente vlla cognitione. Ratio est, quoniam cognitio Dei est ipsemet Deus, & substātia eius, quare nec fit, nec fieri potest, sicut nec substantia ipsa Item omnia simul & simplici quodam actu, qui est suamet substantia, intelligit.

Octaua Propositio. Nec etiā Angeli egent præcognitione, aut propter duplicem iam dictā causam, quia eorū intellectio est eorum substantia, vt quidam tribuunt Arist. Vel certè propter secundam causam; Etsi enim plures intellectiones per vices habere possint, quæuis tamen simplex est, non progrediens ex noto ab ignoti cognitionem per aliquem discursum, sed omnia intelligens simplici intellectu

intuitas

inditas. Quamuis quatenus sibi mutuo atque inuitu, & per species rerum à Deo angeli loquuntur, possit vtrunque dici vnius locutio esse præcognitio, sed minus propriè, locutionem enim quam percipiunt per illuminationem à superioribus angelis, vel etiam per solam mutuā allocutionem, ita statim comprehenduntur sine discursu, atque illa ipsa quorum species ingeneratas habent.

Nona Propositio. Potest tamen dici Dei & intelligentiarum cognitio fieri ex præcognitione, nō formaliter, sed virtualiter, hoc est, quia sicut in nobis est necessaria quædā cognitio causæ & medij per quod aliud cognoscamus, ita vt ideo effectum cognoscamus, quia prius effectum nouimus, ita etiam verè Deus Opt. Max. At multò magis, aut pari saltem ratione angeli sciunt hanc rem esse propter illā causam, ita vt cognitio causæ sit in illis quodammodo vice præcognitionis agentis, etiamsi non ante cognoscant vnum quam aliud, & propterea non absolutè dicuntur habere præcognitionem. Simile est quod Theologi dicunt de voluntate Dei, velle Deum vnum propter aliud, ita vt vnum volitum sit quodammodo causa alterius voliti, quamuis vnica sit in Deo & simplicissima volitio.

Decima Propositio. Potest etiā Deus hominibus scientias infundere, & pleraque reuelare, in quibus cognoscendis non egent homines aliqua alia pręcognitione, siue sensitiua, siue intellectiua, quod tunc fieret per species intelligibiles inditas, & per augmentum luminis naturalis, vel supernaturalis, quod probare non est præsentis loci, sed lege D. Thomam. *1.p.q.1. art.1.* & *1.cont.gent cap.4.* Vt plurimum tamen quamuis relatio sit aut de rebus supernaturalibus, vel modo supernaturali, hoc est, aut de rebus quæ excedunt statum hunc naturæ, aut de rebus naturalibus quidem, sed quæ naturaliter sciri non possunt, vt sunt actus interni, & cogitationes aliorum, & futura contingentia, solet se Deus accommodare naturali modo cognitionis humanæ, nempè vt res huiusmodi cognoscat, aut credat, supposita sensuum apprehensione. Et hoc etiam agnouisse videtur Auerr. *2. po.com.102.* & *in parap lib. de som. & vig.* dicens cognitionem futurorum in somnis, quam prophetiam aut diuinationem appellant, non fieri quidem ex prænotione agente, sed tamen ex dirigente & præparante. Lege Bald. *1.po. circa propos. Omnis doctrina &c. dub.1. ad finem.* Quod si ex reuelatis vel scitis modo supernaturali alia quis deinde inferat, poterunt dici reuelatæ illæ cognitiones præcognitiones quædam in ordine ad alias quæ inferuntur, quo pacto Theologi multas ex fidei articulis conclusiones inferunt, quā etiam ratione ipsammet fidem Clem. Alexandrin. *1 Strom. ante med.* appellat *Anticipationem* seu præcognitionem quandam.

Vltima Propositio. Etsi quæ hactenus dicta sunt vera sint de omni cognitione, tum sensitiua, de qua diximus priori sectione, tum etiam intellectiua, ac propterea generalis illa Aristotelis propositio: *Omnis doctrina, & omnis disciplina &c.* in omnem huiusmodi cognitionem quadrare posset, etiam loquendo de cognitione sensitiua brutorum. Vnde Plin. *lib.10 hist.* loquens de luscinijs; *Audit*, inquit *discipula, & reddit intentione magna.* Tamen secundum mentem Arist. dicta illa propositio solum habet locū in cognitione intellectiua, nec tamē in quacunque, sed solum indiscursiua, propter causas, quas partim initio huius disputationis, partim in explicatione textus exposuimus, nempè quia διανοητικὴ & sæpius apud Aristotelem discursiuam cognitionem denotat, & quia cum limitet significationem doctrinæ & disciplinæ, quæ non nisi ad intellectum propriè transferri possunt, significat eo loco solam cognitionem intellectiuam, quæ in discursu & ratiocinatione versetur. Idem confirmatur ex exemplis quibus Aristoteles vtitur, & ex ipso illius scopo, qui est Demonstratio. Igitur secundum Aristotelem sola & omnis cognitio discursiua includitur in dicta propositione.

SECTIO TERTIA.

De cognitione primæ operationis intellectiuæ.

VBi de cognitione intellectiua in communi diximus, sequitur vt ad ea veniamus quæ peculiaria sunt, & propria singularum operationibus. Potissimum autem difficultas est circa definitionem; nam de apprehensiua cognitione, vt eam propriè significat quæ est primæ operationis, satis per instituti nostri ratione supradiximus. Solum addendum est, cum, vt ibi diximus, possit esse apprehensio etiam rerum complexarum, & secundæ aut tertiæ operationis, præcognitiones illæ quæ necessariæ sunt secundæ & tertiæ, non erunt dicendæ præcognitiones respectu primæ, nisi tantum materialiter loquendo, quoniã apprehensio non componitur formaliter loquendo ex istis cõpositionibus. De definitione igitur, quod ad rem præsentem attinet (de illius enim natura, conditionibus, speciebus, & alijs, alibi agemus) certum est requirere aliquam prænotionem, saltem dirigentem; Vt enim testatur Arist. *1. Met. t. 48.* Ex quibus definitio est, inquiens, illa præcognoscere oportet, & nota esse. Et *6. Top. cap. 1 loco. 17.* præcipit, vt per notiora tradatur definitio: nam datur, inquit, definitio eius cognoscendi gratia quod dicitur, & *6. Eth. cap. 3.* hanc eandem generalem Aristotelis propositionem verã esse vult in omni habitu, pertinere autem potest definitio ad habitum intellectus, seu principij. Et hoc docet D. Thom. *1. Met. t. 48.* Scot. *ib. & 1 po q 1* Auerr. *ib.* & apud illum Alpn. *& 1. Met. t. 48* Alb. *1. po. tr. 1. cap. 3. & 1. Met. t 5 c 14.* Arist. tamen *lib. 1. po.* vt ante diximus, non comprehendit definitionem, quod etiã docet P. Ven. & Nyph *hoc loco.* Item cognitio confusa partiũ definitionis est aliquo modo præcognitio dirigens, respectu distinctæ. Dubitatio igitur est de præcognitione agente, an videlicet aliquã habeat definitio. Prima opinio est Bald. & Alph. apud Auer. *1. po. com. 1.* & aliorũ recentiorum, fieri definitionem ex præcognitione agente. Quod colligit Bald. *ex locis citatis 1 Met. & 6. Top* Confirmatur etiam; nam *in 6. Top* dicit definitionem fieri ex notioribus sicut demonstrationem, sed demonstratio fit ex præcognitione agente, ergo & definitio. Secunda opinio est Auer. qui etsi *in epit. log. mit. & c. de Rhet. demonstratione*, dicat præcognitionẽ partium definitionis esse agentem, sicut præmissarum respectu demonstrationis; tamen *1. po.* dicit præcognitionem agentem, quam tribuerat partibus definitionis, esse tantum æquiuocè agentem. Negat igitur hæc opinio, quam etiam alij recentiores defendunt, propriè reperiri præcognitionem agentem in definitione.

Definitio an prænotionem requirat.

Notandum primo. Partes definitionis possunt & apprehensiuè cognosci, & iudicatiuè. Apprehensiuè dupliciter. Primo cognoscendo partes, sed non formaliter, vt sunt partes, hoc est non vt sunt quid alterius, verbi gratia, si apprehendatur animal sine ordine ad hominẽ, vel brutum, & hac ratione non est, hæc cognitio propriè quidditatiua, quia non est partis quatenus pertinet ad quidditatem. Secundo. Quatenus illa pars cognoscitur vt alterius pars, seu vt aliud quod in altero est, tanquam illius essentialis pars, & tunc cognitio est quidditatiua, vt ait D. Tho. *1. cont. gent cap 59.* dicens, quod intellectus incomplexus, qui incomplexa cognoscit, vel talia realiter, vel modo incomplexo, & qui non iudicat, intelligendo quod quid est, apprehendi quidditatem rei in quadam compositione ad rẽ, quia apprehendit eã vt huius rei quidditatẽ. Lege Ferrar. & Caiet. *1. po. q 17. art. 3.*

Notandum secundo. Quod sæpè diximus, operationes intellectiuæ sese mutuò iuuant, quarè cum non est per se notum aliquod prædicatũ, vel aliquam quidditatis partem esse in alio, solet per discursum & per aliquam inductionem probari, quod etiam concedit Auert. Repertis autem definitionis partibus, intellectus per primam operationem rei quidditatem contemplatur.

Notandum tertio, Sine dubio apprehẽsio illa

illa consequens iudicium illud, pendet ex illo præcedente discursu, quæ inuentæ sunt definitionis partes, tanquam ex præcedente cognitione, non tamen componitur ex illis iudicijs: sunt enim operationes distincti plane ordinis; nec etiam effectiuè fit illa apprehensio ab illis iudicijs, quoniam sunt res planè distinctæ, nec mutuam habent actionem. Se habet igitur quadam ratione discursus præcedens apprehensionem, sicut habere se diximus cognitionem sensitiuam ad eandem apprehensionem, aliasq; operationes intellectiuas, videlicet præsupponitur tanquam conditio quædam dirigens & constituens obiectum primæ operationis, & quamuis daremus effectiuè produci apprehensionem definitiuam per illa præcedentia iudicia, nihil tamen adhuc efficeretur pro prima sententia, quæ solum loquitur de duplici apprehensione partium definitionis, vultq; ad cognitionem totius definitionis habere se vt præcognitionem agentem.

Notandum quarto. Dubiū igitur est an cognitiones partium definitionis distinctè se habeant ad totam definitionē tanquam præcognitio agens, an verò tanquā aliud quod præsupponitur, vel vt sola dirigens præcognitio, & si causetur noua aliqua cognitio ex duabus illis, sitne solum appellanda perfecta quidditatis cognitio, an verò duplex illa partiū cognitio veram habeat definitionis cognitionem.

Prima Propositio. Habitâ perfecta definitionis partium apprehensione, generis, verbi gratia, & differentiæ, habetur continuo perfecta definitionis & quidditatis cognitio. Probatur. Quia definitio nihil aliud est, quam genus & differentia. Ergo cognitio illius nihil aliud erit quam eiusdem generis & differentiæ cognitio. Confirmatur. Nam in composito naturali cognitâ hac materia, & cognita hac forma, eo ipso cognitum manet totum compositum, quod ex ipsis resultat. Confirmatur secundo. Fortè enim non est possibilis vnica & distincta cognitio rei alicuius complexæ, sed tantū debet per partes & partiales partiū cognitiones à nobis comprehendi: cognoscere enim actu vnico totam quidditatem rei compositæ, videtur proprium esse diuinæ angelicæ mentis. Confirmatur quoq; Fac enim possibilem esse hanc cognitionem, tamē hæc cognitio non est necessaria, nec perfectior habetur notitia quidditatis per huiusmodi actum, quam cum per duplicem & distinctum partes cognoscimus. Nomine verò præcognitionis agentis illam intelligimus, quæ necessaria est, vt ex illius cognitione in alterius notitiam veniamus. Propter quam causam præmissæ dicuntur esse præcognitio agens conclusionis, quia in conclusione aliud quid diuersum est ab eo quod in præmissis continetur, & per cognitionem præmissarum gignitur in nobis conclusionis notitia. Hinc ergo sequitur.

Secunda Propositio. Non fieri definitionem præexistente cognitione agente: Aut enim fieret ex præexistente cognitione partium per discursum, cum eo indigeat, quod iam refutatum est; aut ex præcedente duplici apprehensione partium quidditatis, & hoc etiā falsum est, quia ipsamet cognitio partium est cognitio definitionis. Confirmatur. Quoniam, vt diximus, etsi concedatur ex cognitione partiali & distincta partium causare tertiam aliam, quæ sit cognitio totius definitionis, non tamen præcedentes illæ duæ essent dicendæ præcognitiones agentes, quia nihilo plus per sequentem illum tertium habitum cognosceremus, quam per duplicem illum præcedentem. Quare potius dicendæ sunt partes illæ definitionis, & quodammodo cognitiones partiū, materia totius definitionis, ac veluti cognitionis conflatæ ex vtraq; illa cognitione.

Tertia Propositio. Si quis contendat cognitionem partiū esse causam cognitionis totius definitionis, quoniā aliud videntur esse partes definitionis, aliud autē id, quod resultat ex illis, poterit etiā vtrūq; id concedi. Sic enim dicimus cognitionem conclusionis fieri ex præmissis, etiamsi secundum aliquorum opinionem eodē instanti cognoscatur; Vt enim diximus, in conclusione continetur distincta

quædam

quædam cognitio ab ea quæ est in præmissis, totum autem distinctum quidem est à suis partibus secundum quandam formalitatem, quæ tamen non est tanti, vt requirat per se distinctã & realem cognitionem, sicut discernit oculus partes alicuius totius, nec tamen alio actu ipsum totum cognoscit, quamuis formalis ista totius ab intellectu percipiatur. Confirmatur. Nam præcognitio agens propriè tantum fit per tertiam operationem, Ergo in prima operatione non potest habere locum; quamuis enim cognoscat in prima operatione quod per tertiam illatum est, non tamen quatenus illatum est, sed simplici tantũ apprehensione. Si quis tamen vellet esse præcognitionẽ agentem apprehensionem illã duplicem, quatenus dicit verã cognitionem partium definitionis, sicut tertia aliqua apprehensio, si esse potest, cognitionem totius, id concedi posset. Quo pacto confert ad cognitionem statuæ cognitio huius partis & illius partis, quamuis si tam in hac cognitione, quam in definitiua apprehendantur omnes partes, vt sunt alicuius totius, hoc ipso etiam tota rei quidditas & natura cognoscatur.

Atqui ex his responderi potest ad argumenta proposita, quibus concedi potest, vt diximus, aliquo modo esse cognitionẽ illam partiũ definitionis præcognitionẽ agentem; habet enim maiorem præcognitionis rationem quam diligentis, tamẽ prout contra nos faciunt hæc argumenta, ad primum respondetur, loqui Arist. vel de præcognitione tantũ nominis, vel partium, sed confusa tantum, vel de iudicatiua cognitione, quatenus, vt diximus *num.* 2. præcedit aliqua partiũ definitionis inuestigatio, vel denique de cognitione partiũ abstractè, & non prout sunt partes alicuius, quomodo Alex. 1. *Met. t.* 48. quod qui ait hominis definitionem esse animal pedestre, bipes, &c. is non præcognoscit hæc, esse hominem, sed tamen horum singula antè cognoscit, animal, pedestre, bipes, alioqui non posset discernere in homine esse hæc. Ad confirmationem. Definitio fit ex notioribus, nõ definitione, sed definito, notiora autem sunt ipsamet definitio. Vnde inquit Arist. assignari definitionem gratia cognoscendi id quod dicitur, hoc autem est definitum, non autẽ definitio, sicut etiã demonstratio dicitur fieri ex notioribus eo quod in cõclusione cognoscitur, non autẽ præmissis, quorũ nomine demonstrationẽ aliquando intelligit Arist. Quæ igitur sunt notiora, sunt partes ipsæ definiti explicitè, quarũ cognitio est ipsamet definitionis cognitio.

Ad secundum. Quomodo definitio sit instrumentum sciendi, dicetur tractatu de definitione; interim cognitio partium non est instrumentum, sed ipsamet definitio, quare definitio est instrumentum, quatenus traditur modus rectè definiendi, & obiectiuè sumpta ipsamet definitio, nempè pro eo quod est obiectum definitiuæ cognitionis, est instrumentum quo intellectus dirigitur ad cognoscendam quidditatem, potest tamen dici partium cognitio instrumentum ad modum explicatum.

SECTIO QVARTA.

De secunda Operatione.

IN secunda operatione locum habent Enunciationes, & simplicia iudicia, de qua cognitione iudicatiua in communi loquendo satis sunt ea quæ diximus, agentes de cognitione intellectiua in genere. Difficultatem peculiarem habent principia, quorum habitus appellatur intellectus; quarè vt res à fundamentis melius percipiatur, decreui de habitu intellectus aliqua hic dicere, quod alij reijciũt post tractatum de scientia. Sed præstat ante scientiam de illo disputare, quoniã teste Aristotele habitus intellectus est principium scientiæ. Vbi autem id explicauerimus, exponemus quibus prænotionibus egeant principia. De habitu autem intellectus duo potissimum quærentur: An sit, & simul quid sit, & quorum principiorum sit? *Habitu u Intellectu s.*

PRIMA DVBITATIO.

An sit, & quid sit habitus intellectus.

NOtandum est. Huius nominis rationes multæ traduntur, præsertim ab

Interpretibus Aristotelis in *6. Eth.* Aliqui enim dicunt appellari intellectum, quoniam continet cognitionem simplicem, quâ ad intelligentias proximè accedimus, quæ ratio supponit habitum intellectus esse in prima operatione, quod ratione apprehensionis, quæ de principijs habetur, concedi potest, quia tamen nomine principiorum intelligere solemus quædam iudicia, maluimus de habitu intellectus simul cum prænotionibus secundæ operationis disputare. Alij ita appellatum volunt, quod fit de rebus intelligibilibus, quæ ratio communis est, nec minus conuenire potest alijs habitibus. D. Tho. 2. 2. *q. 8. art* 1. *ad* 3. hanc causam reddit, quia significat excellentiã cognitionis potentiæ intellectiuæ, quæ intellectus dicitur, ac propterea potentiæ suæ nomen retinuit. Vnde inquit, quia voluntas importat tantum motum appetitiuum simpliciter, ideò nullus illius vel actus vel habitus dictus est voluntas. De hoc lege Phil. *in proem lib. de anima, ad calcem secunda columnæ* Huius eiusdem habitus meminit Arist. 6. *Eth. c.* 3. *&* 6. 2*po. cap vlt & lib.* 1. *cap* 1. 26. *& sæpè.*

Prima Opinio. Habitum qui dicitur intellectus, esse qualitatem quandam distinctam à potentia intellectiua, sed naturaliter insitam. Tribuitur id D. Thomæ 3. *f. d.* 23. *q.* 3. *art* 2. *ad* 1. Et est Cap. *d.* 33. *q. vnica art.* 3. *ad* 2. *contra tertiam conclusionem.* Indicat idem D. Tho. 1. 2. *q* 51. *art.* 1. *q.* 94. *art.* 1. *ad* 4. Quibus locis lege Caietanum & Conrad.

Secunda Opinio. Est Caietani 2. 2. *q.* 51. *art.* 1. esse qualitatem distinctam à potentia intellectiuam, non congenitam à natura, sed fluentem ab intellectu, cum primum illi sese offerunt species à sensu transmissæ. Sicut inquit argumentatio non est simpliciter naturalis, sed quia cibo decocto, qui extrinsecus aduenit, naturaliter fit, ita etiam potest dici hic habitus naturalis, quia posita simplici apprehensione, qualitas quæ est habitus principiorum, fluit per actum cognitionis. Dat etiam exemplum in grauibus & leuibus, quorum motus dici potest naturalis, quamuis non efficiatur nisi cum sunt vel extrà locum, vel à generante in alieno loco producuntur.

Tertia Opinio. Ferrar. 2. *cont. gent. cap.* 75. *&* 78. habitum intellectus esse quodditatem dictam non à natura, nec eo modo quẽ Caiet. vel Cap. explicauit, sed statim ac species proponuntur, produci sola virtute intellectus agentis illum habitum in intellectu possibili. Quod probat ex D. Thom. 1. *p. q.* 51. *art.* 1. vbi tamen D. Tho. solum loquitur de actu, non de habitu, dicens illum actum esse à natura. Concludit ergo Ferr. hunc habitum dici à natura ẽ. solũ quia non fit per discursum.

Quarta Opinio. Est Almani 3 *f. d.* 23. *q.* 1. Durand. *d* 33. *q.* 1. & omnium Nominalium, esse ipsummet intellectum, qui naturaliter auditis terminis assentiatur. Ad quos accedit Soto *lib.* 10. *de iust. & iure, q.* 4. *art.* 1. *in probatione secunda conclusionis.*

Quinta Opinio. Est Maioris 3 *f. d.* 23. *q.* 2. Burid. 6. *Eth. q* 11. *art.* 2. Martini de Magistris *ibid.* & cuiusdam nominati Compilatoris, generari habitum intellectus per actuum frequentationem.

Sexta Opinio Est Cap. *loco cit. & in q.* 3. *prol.* Intellectum esse solum species terminorum apprehensas & ordinatas, ita enim hic philosophatur de alijs habitibus intellectus. Vt rem definiamus, supponi debet, quod alio loco probandum est, dari habitus.

Prima Propositio. Habitus qui dicitur intellectus, id est, illa qualitas, est quoddam accidens distinctum à potentia intellectiua, quicquid tandem & quomodocunque se habeat. Est opinio D. Thomæ, *præsertim* 1. 2. *q.* 51. *art.* 1 *q* 53. *art.* 1. 94. *art.* 1. *ad* 4 *& alibi passim,* omniumq; Thomistarũ, excepto Soto: imò apertissima est Arist. 6. *Eth. c* 3 *&* 6. & omniũ Interpretum *ibid.* His in locis Arist. connumerat intellectum in alios habitus, qui sunt virtutes intellectus, nec valet quod respondet Soto, esse distinctum habitum à potentia intellectiua solum formaliter; si enim non est qualitas aliqua supra dicta, & realiter distincta, nihil aliud erit, nisi ipsemet intellectus, vt propter-

propensus ad assensum principiorū. Quare vt sic non erit dicendus habitus, vel virtus, sed ipsamet potentia intellectiua naturaliter propensa. Confirmatur. Nam cæteri quatuor habitus: Sapientia, scientia, ars, & prudentia, nemine diffitente, sunt qualitates reales, & superadditæ potentiæ intellectiuæ. Ergo & habitus intellectus. Quod si aliquando Aristotel. *lib.3. de anima* vocat intellectum agentem habitum, quæ authoritas videtur in eam sententiam traxisse Soto. Dicendum est id propterea affirmasse Aristotelem, non quod intellectus agens sit propriè loquēdo habitus, sed quia ita se habet ad intelligibilia, sicut lumen quod est quodammodo aliquid habituale ad colores: Ita enim exponit D.Tho. *2.contra gent. cap.78.* Prętērquam quod certum est intellectum agentem nihil cognoscere, non ergo potest habitus intellectus, qui est cognoscitiuus, dici intellectus agens.

Secunda Propositio. Habitus intellectus non est qualitas aliqua à natura nobis indita. In hoc conueniūt omnes opiniones, prętēr primam, & videtur docere D.Tho. *2 cont gent. cap* 28. dicens habitum principiorum esse acceptum à sensibilibus, & esse effectum quendam intellectus agentis. Quod etiam ibid. obseruat Ferr. Et hoc vltimum de intellectu agente magis explicat Caietan. *in 1 p q 11. art. 6 in fin.* dicens illum non modo concurrere ad productionem specierum intelligibilium, sed ad claram etiam principiorum cognitionem. Et iterum D. Thom. idem habet *1.p.q.* 53. *art.* 1. Quin etiam apertè Aristoteles & ex professo id probat *2.po. cap. vlt.* Quoniam, inquit, qui habet scientiam, non potest latere ipsum quod eam habeat. Quod etiam dixerat *lib.1. cap.1.* Multò ergo minus latere eundem poterit quod habitum intellectus habeat, si tamen à natura habet, cum sit longè perfectior; & 3. *de anima. t.14.* in genere ait intellectum nostrum initio habere se vt tabulam, in qua nihil sit descriptum, non potest verò habitus esse in intellectu, quin idem sit informatus ac veluti consignatus specierum intelligibilium, quibusdam quasi characteribus. Imò Cap. sententia fuit, habitum nihil aliud esse quam ipsasmet species ordinatas. Idem docet Themist. *cap penult. 2. post.* Philop. Eust. & D. Thomas *in cap. vlt. lib. 2 post.* Confirmatur ratione; nam natura habitus in hoc esse videtur, vt acquiratur, imò vtplurimum per plures actus. Confirmatur secundo. Nam aut ista qualitas ponitur tanquam necessaria ad intelligendum, aut vt melius faciliusque fiat, non primum, quoniam hoc est contra rationem habitus, & pertinet ad rationem potentiæ saltem loquendo de habitibus naturalibus; supernaturales enim quia alterius ordinis sunt, habent simul quandam rationem potentiæ, prout nobis dant posse simpliciter operari supernaturaliter, de qua re *capit. de qualitate* diximus. Si secundum, sequitur esse qualitatem aliquam superadditam; natura enim non dat id quod melius & perfectius est quomodocunque, sed quod est simpliciter necessarium ad naturalem finem assequendum, hoc est, vires ad acquirendum habitus. Aliunde etiam constat experientia posse intellectum ante vllum plane habitum exercere aliquem actum cognitionis. Confirmatur tertio. Ita profectò se habent habitus intellectus ad potentiam intellectiuam sicut voluntatis ad eandem, sed nemo ponit habitum naturalem in voluntate, Ergo neque in intellectu. Confirmatur quarto. Experimur per frequentes assensus reddi intellectum nostrum promptiorem ad postea facilius assentiendum, Ergo generatur habitus. Ergo si alius quidam præterea generalis est, duo erunt in eadem potentia eiusdem rationis, refugit autem natura superfluum.

Tertia Propositio. Datur igitur habitus intellectus distinctus & qualitas acquisita, qua habiles efficimur ad facilè assentiendum principijs. Hoc docet Aristot. *1 po. cap. 1. 2. 3 & 26. & 2 po. cap. vlt. & lib. 6. Ethic. cap. 3. & 6.* Ratio verò est, quia lumen nostri intellectus est imperfectum, & vt inquit Aristoteles, veluti noctuæ

 ad

ad lumen solis, nec potest statim cuiuis principio assentiri. Item ratione aliqua etiam leui ob alicuius authoritatem dimoueri quis potest ab assensu principij & conclusionis, nisi in eo per habitum fuerit confirmatus, vt rectè argumentatur Burid. Quare igitur inquit Aristoteles 2. *Met. t.* 14. *ad fin.* maximam vim habet assuetudo in puerilibus & fabularijs. Et Auerr. *in prol. phys.* Firmior, inquit, est vulgi fides, quam Philosophorum, quia vulgus non multa audire solet, sicut Philosophi. Confirmatur etiam experientia; quiuis enim se facilius comperiet temporis decursu assentiri principijs, quam dum primum illi fuêre proposita; & quamuis aliqua sint principia facillima, sunt tamē etiam nonnulla difficiliora. Ac duplici hac potissimum via venimus in cognitionem cuiusuis habitus in communi loquēdo, videlicet cum superatur difficultas, & cum aliquis magis in alicuius rei cognitione, aut appetitione constabilitur. Ergo &c.

Obiectio. *Obijcies.* Principia prima sunt naturaliter nota, Ergo & habitus est à natura insitus, aut certè nullus. Confirmatur. In voluntate enim non est habitus, nec naturalis, nec acquisitus ad vltimum finem, id est, beatitudinem. Sed ita se habent principia prima in speculabilibus, sicut se habet appetitio vltimi finis in practicis. Ergo &c. Confirmatur secūdo. Si quis enim habitus tandem sit, is erit naturalis, nam ponitur in voluntate synderesis ad bene iudicandum de operabilibus. Cōfirmatur tertio. In angelis enim sunt indita species & habitus. Ergo saltem in homine naturalis erit habitus principiorum, ratione cuius dici possunt omnem doctrinam discursiuam fieri ex præexistente cognitione, hoc est, ex præexistente illo habitu.

Hæc obiectio requirit, vt explicemus, quorum principiorum sit dicendus esse habitus intellectus, quod est secundum ex ijs quæ proposuimus.

(**)

DVBITATIO SECVNDA.

Quorum principiorum sit habitus intellectus, & an sit vnus habitus?

Notandum. Ex principijs quædam sunt communissima, quę sine discursu cognoscuntur, quædam quæ non sunt simpliciter indemonstrabilia, sed demonstratione probari possunt. Dur. loco citato existimat hunc habitum intellectus esse solū illorum principiorum, quę vt cognoscantur, discursu egent, & in hoc sensu esse locutum Aristotelē. Sed vtrumq; malè asserit, qui a habitus acquisitus per discursum & tenera & Aristoteli est scientia, quia Arist. *locis citatis* docet habitum intellectus non scientiam, sed scientiæ principium quoddam esse. Quare dicendum est habitum intellectus esse propriè principiorum quæ demonstrari non possunt; nā vt rectè Bur. hic habitus suppeditat scientię & demonstrationi principia, demōstratio autem perfecta ex immediatis esse debet, hoc est, indemonstrabilibus & carētibus principio, per quod amplius demonstrari possint. Vnde primo sequitur tot esse habitus intellectus, quot sunt vel scientiæ totales distinctæ, vel etiam demonstrationes, quę ex immediatis progrediantur, quia cuilibet scientiæ è regione respondet habitus principiorum. Quot ergo & quam multis modis sunt distinctæ scientiæ, totidem & habitus intellectus, quare, inquit Bur. non est habitus intellectus principiorum maximè communium, quæ habentur apud Aristo. *in* 4 *Met*. Sicut etiam docet Zons. 6. *Met. q.* 10. *in not.* 4. Quamuis inquit ipsęmet scientificæ conclusiones dici possint habitus intellectus respectu aliarum conclusionum, quę rursum ex illis inferuntur sic enim scientia subalternans dicitur esse principium subalternatæ, vt geometria perspectiuæ, de qua re in tractatu *De scientia*. Hinc etiam secundo infertur multiplicari habitus intellectus ad multiplicationem non modo conclusionum speculatiuarum, hoc est, scientiarum propriè dictarum, quæ præter certam & euidentem sui cognitionem sunt etiam sui gratia, quo tamen modo, vtpote qui ad rem Principiorum diuisio.

solus

solus faciebat, de habitu intellectus locutus est Aristot. *in lib. post præd. 6. etiam Ethic.* vix videtur apertè cognoscere alium habitum intellectus, pręter ea quæ diximus, id tamen ratio euincit. Vt enim in speculatiuis opus est habitu principiorum speculatiuorum, ita etiam cum in practicis sint practica quoque principia, necesse est respondere conclusionibus practicis habitum qui sit de practicis. Nec tamen id omnino tacuit Aristot. *2. enim post cap. vltim.* in plurali dixit habitu intellectus; quoniam, inquit Caietan. *ibid.* alia sunt principia speculatiua, alia practica, quare sicut etiam inter practicos habitus alij sunt morales, alij artis, ita etiam debent esse habitus intellectus pro diuersitate huiusmodi principiorum. Quod confirmatur etiam ex Aristotele 1. *Ethic. cap. 7. versus finem*, vbi ait, ex principijs alia in ductione, alia sensu, nonnulla assuetudine quadam, alia alio modo considerari, hoc est, alia principia sunt in Mathematicis, alia in naturalibus, alia in moralibus, alia in artibus, vt exponunt ibid. D. Thom. Auerr. Burl. Burid. &c Illum autem habitum principiorum videtur D. Thomas nomine *synderesis* intelligere, 1. *p. quæst. 79. art 12.* Synderesis. Posset etiam probabiliter dici respectu quoque rerum opinabilium dari habitum distinctum, qui vocetur intellectus, sicut datur habitus distinctus conclusionum probabilium, qui appellatur opinio. Et si plures sunt opiniones habitus, erunt & distincti intellectus habitus, quod confirmatur ex Aristotele *1. po. cap. 26.* vbi apertè docet, opinionem etiam procedere ex immediatis, & resoluere in immediata. Quamuis de opinione opinetur Soto non posse esse propriè loquendo immediatam, nisi eam quæ est immediate creditis, etiamsi per discursum. Sed non propriè dici potest immediata opinio quæ ex alijs immediatis colligitur, nec potest appellari opinio quæ non colligitur ex probabilibus. Vult autem Soto esse opinionem immediatam quæ ex discursu colligitur, sed non ex opinatis, quare etiam negat dari habitum in rebus opinabilibus qui sit principiorum. 1. *po q, vlt. art 3. conclus. 1.* sed vt diximus ratio id proportionaliter probat, sicut & in rebus scientificis. Confirmatur authoritate D. Thomæ 1 *po. ca. 26.* vbi etiam hac ratione vtitur, quoniam alioqui daretur processus in infinitum, nisi sisteremus in aliquibus opinatis immediatis. Eandem opinionem defendit Auerroes, Ægid. Philoponus *ibid.* Et confirmatur experientia, nam huic propositioni per se notæ, *Deus est*, si quem non conuincat euidentia naturalis, potest cognitis duntaxat illius terminis illi assentiri cum quadam formidine. Erit igitur opinio principij immediati. Sic etiam assentitur perspectis solum terminis huic principio probabili immediatè: *Mater diligit filios.* Quod si Aristoteles *1. po. cap. 26. & alibi*, omnem cognitionem rei probabilis opinionem appellat, id penuria nominum coactus facit; nec enim suppetit nomen quo illum habitum, qui est de principijs probabilibus, sicut illum qui est de necessarijs, appellemus. Denique etiam respectu principiorum maximè communium, contēdit Burid. dari debere habitum intellectus, quoniam, inquit, non modo datur habitus ad determinandam potentiam quæ ex se indifferens sit, sed etiam ad superandam difficultatem, & vt promptior reddatur. Verum non videtur huiusmodi habitus necessarius esse; lumen enim naturale satis est vt propositis quamprimum terminis huiusmodi principiorum absque vlla difficultate assentiamur. Ad obiectionem igitur dubitatione præcedente propositam, inintelligibile videtur quod ait Caietanus 1. 2. *quæst. 51 art. 1.* habitum intellectus produci de nouo, nō tamen per vllum actum, sed posita in intellectu terminorum apprehensione fluere huiusmodi qualitatem: Est enim confictum quid dicere vllum habitum cognoscitiuum, quod idem est de quouis alio habitu, aliter produci posse, quam per actus eiusdem ordinis. Dicitur tamen aliquando hic habitus naturalis, nō quod ille secundum entitatem suam naturaliter sit ingeneratus, sed quia producitur

in

in nobis fine vllo discursu, ac veluti per solam vim intellectus naturalis, cui maximè proprius videtur esse actus simplicis assensus, ideoque quod fortasse hic habitus retinuit nomen intellectus, quod etiam notauit Burid. D. tamen Thom. 1. 2 q. 51. art. 1. & q. 94 art. 1. ad 4. subobscurè de hac tota re loquitur. Ad primam confirmationem. Nullus datur habitus in voluntate ad bonum in commune, sed ad hoc vel illud in particulari, qui erit caritas & amor, aut infusa, aut acquisita, sic etiam in respectu veri in communi nullus datur habitus, sed propter hoc aut illud verum, circa quod aliquam patiamur difficultatem, cuiusque ex mediatis principijs aliqua sunt. Ad secundam confirmationem. Eadem ratio est de syndetesi, eo enim tantum modo naturalis est, quo naturalem esse diximus habitum intellectus, videlicet per se acquiritur multiplicatis assensibus principiorum agibilium, naturalis verò dicitur, quoniam intellectus naturalis, suo lumine istos assensus sine discursu producit. Ad vltimam confirmationem. In angelis præter species inditas nulli ponuntur vulgò à Theologis habitus, saltem intellectiui & naturales, quāuis interdum species intelligibiles, siue angelorū, siue nostræ, soleant appellari habitus, quoniā in hoc ipsis similes sunt, quod sint qualitates permanentes.

DVBITATIO TERTIA.

De Diuisione principiorum in communi.

OMissa diuisione in principia speculabilia. Motum, & Artis, Certa & Opinabilia, principia; quædam sunt maximè communia, alia verò magis propria alicuius scientię, vel etiam demonstrationis. Principia maximè communia sunt, quæ vsui esse possunt omnibus scientijs, qualia sunt illa de quibus Arist. *in 4. Met.* vt: Impossibile est idem esse & nō esse. Quædam sunt communia multis scientijs, vt Mathematicis omnibus; *Totum est maius sua parte. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia.* Quędam sunt propria vnius scientiæ, vt: *Contrariorum contraria est medicina*, est enim principium artis medicæ. Aliqua tandē sunt propria vnius demonstrationis, ex quibus infertur conclusio aliqua particularis. Hæc vltima solent dici intrinseca, quoniam ingrediuntur actu demonstrationem ipsam; reliqua potius dicuntur extrinseca, quoniam non solent actu assumi in demonstratione, quamuis ijs nitatur probatio cōclusionis illius, saltem contra negantes principia.

Principia maximè communia.

Notandum secundo. Ex principijs quædam dicuntur esse indemonstrabilia, quæ videlicet per aliqua alia principia directè probari nō possunt, quamuis possint probari per impossibile, & hæc sola merentur nomen principij. Alia sunt quæ demonstrari possunt, dicuntur tamen principia propter conclusiones quæ ex illis deducuntur. Huiusmodi sunt principia, quibus scientia subalternata suas probat cōclusiones, illa mutuo accipiens à subalternante, à qua probata sunt per demonstrationem, & in qua sunt conclusiones quædam, & non principia.

Notandum tertio. Principia indemōstrabilia, de quibus tantum propriè loquitur Aristot. *1. post. com. 13* 73. 77 Phil. & Eust. & Thomitanus *contradict.* 65. & 68. *1. po.* Quædam dicuntur esse *Dignitates*, quædam *Positiones*, quædam autem *Suppositiones*, & denique quædam *Definitiones*. *Dignitates* sunt principia illa maximè communia, vel omnibus scientijs, vel quam plurimis. *Positiones* sunt quędam alia principia, sed non ita nota, vt non egeāt breui aliqua expositione *Suppositiones* sunt alia principia, in quibus verum vel falsum continetur, & est nomen genericum ad positiones & definitiones. *Definitiones* sunt quæ ex se non dicunt verum vel falsum, sed tantum vt sumuntur in demonstratione tanquam principia. Adduntur denique petitiones, quæ aliqua egent probatione, nec propriè sunt principia, de quibus omnibus dictum cum Arist. *in expositione textus ca. secundi.* Nobis hic est sermo de principijs tantum indemonstrabilibus, quoniam demonstrabilium præcognitiones pertinent ad tertiam operationem, seu ad præcognitiones conclusionis.

Principia indemonstrabilia.

Notan-

Nostrum assertio. Vt omittam peculiaria scientiarū principia, inter illa maximè communia, vt ait Arist. 4. *Met. t.* 9. videtur hoc esse primum, quod etiam ibid. appellat notissimum, & aliarum dignitatum suaptè natura principiū omnium firmissimum, & circa quod non cōtingat decipi, nec eius cognitio habetur tantū ex suppositione, & necessè est venire ad habentem, hoc est quod non potest ignorari, videlicet. *Impossibile est simul idem esse, & non esse.* Quod etiā probatur: nam id videtur simpliciter primum principiū esse appellandum, ex quo omnis aliorum principiorum probatio peti debet contra negantes principia, & cui etiam ipsæmet conclusiones innituntur. Tale autem est hoc principium, ideoq; dicitur ab Aristotele firmissimum, hoc est causa firmitatis omnium aliorum. Confirmatur, quia omnia probantur manifestissimè per demonstrationem deducentem ad impossibile, & per contradictionem, sed hæc exprimitur isto principio, nec potest vlla ratione probari, vt patet; est enim omnium notissima veritas, sicut & illius oppositum & omnium absurdissimum & falsissimū est, idem simul potest esse & non esse. Eadem autem vis est & ratio huius propositionis, *Impossibile est idem simul, nec esse nec non esse.* Imò est idemmet principium, sicut etiam eodem modo absurdè loqueretur, qui diceret: Petrus est doctus, & Petrus non est doctus, & qui vtrumque affirmaret, Petrum esse doctum, & Petrum non esse doctum. Lege Iand. 4. *Met. q* 7 *& seq* Scot. *q.* 3. Alex. *&* D Tho. *ibid.* Tamen Ant. And. *q* 5. vult hoc esse primum principium, *Ens est ens*, illudq; prius tantum dici primū Aristotele inter ea quæ circumferuntur. Verum hoc dici nequit: talis propositio identica est, quare nugatoria, nec vllam habens vim ad probandas conclusiones. Nec obest primatui huius nostri principij quod videretur esse simplicius principium, si hæc eadem propositio formaretur absq; malo, & esset de inesse; nam non penes hoc attenditur simplicitas principij, & illius prioritas, sed vt ad aliud reuocari non possit, nec per illud probari. Lege Fonsecam 4. *Met. c.* 3. *q* 1. *sect.* 1. *& deinceps.* Neque etiam est quod dicatur hoc principium esse primum: *De quolibet vera affirmatio, vel negatio* de quo Aristoteles alibi sæpè, *vt* 1. *po. comm.* 26. 15. 27. 4. *Met. t.* 9. Idem iudicium est de hoc principio *Quodlibet est, vel non est*, de quo 4. *Met. t.* 27. Etsi enim horum principiorum maxima quædam sit affinitas, tamen dictum illud principij simpliciter est primum; affirmatiuum enim, *quodlibet est, vel non est*; aut, *De quolibet vera est affirmatio vel negatio*, ad illud negatiuum suaptè natura reuocatur, verbi gratia, si quis cum de Petro affirmet quod bonus sit, neget consequentiam, Ergo non negatur de illo quod sit bonus, vbi exercetur principium affirmatiuum, sic probari poterit; Ergo idem est bonus, & non bonus, quod est contra principium negatiuum. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Quare etsi hæc duo sint principia distincta, quod malè negat Iand. 4. *Met. quæst.* 9. (Aristoteles enim id apertè supponit *t.* 27. *&* 28. *&* 1. *po.* 26.) tamen simpliciter præstantius, est negatiuum, & ideò Arist. 4. *Met. t.* 27 *&* 28. vbi defendit principium illud affirmatiuum, defendit & negatiuum. Et 1. *po.* dicit affirmatiuum posse ingredi demonstrationem, non tamen negatiuum, in quo simile est principium negatiuum primæ causæ, à qua ita pendent aliæ, vt ipsa tamen in aliarum ordine non contineatur.

Dices. Affirmatiua propositio præcedit negatiuam, Ergo affirmatiuum principium prius est quam negatiuum. Respondet Iand. negatiuam propositionem falsam esse posteriorem quam affirmatiuam, non tamen negatiua verissima, & veritate euidentissima, & incontradicibili. vel etiam dici, inquit, potest illud principium negatiuum affirmatiuum, quatenus per illud affirmatur impossibilitas de subiecto, quia modus est affirmatus, & se habet per modum prædicati, quamuis dictum propositionis quod se habet, vt subiectum, sit negatum.

inditas. Quamuis quatenus sibi mutuo atque inuitu, & per species rerum à Deo angeli loquuntur, possit vtrunque dici vnius locutio esse præcognitio, sed minus propriè, locutionem enim quam percipiunt per illuminationem à superioribus angelis, vel etiam per solam mutuā allocutionem, ita statim comprehenduntur sine discursu, atque illa ipsa quorum species ingeneratas habent.

Nona Propositio. Potest tamen dici Dei & intelligentiarum cognitio fieri ex præcognitione, nō formaliter, sed virtualiter, hoc est, quia sicut in nobis est necessaria quædā cognitio causæ & medij per quod aliud cognoscamus, ita vt ideo effectum cognoscamus, quia prius effectum nouimus, ita etiam verè Deus Opt. Max. At multò magis, aut pari saltem ratione angeli sciunt hanc rem esse propter illā causam, ita vt cognitio causæ sit in illis quodammodo vice præcognitionis agentis, etiamsi non ante cognoscant vnum quam aliud, & propterea non absolutè dicuntur habere præcognitionem. Simile est quod Theologi dicunt de voluntate Dei, velle Deum vnum propter aliud, ita vt vnum volitum sit quodammodo causa alterius voliti, quamuis vnica sit in Deo & simplicissima volitio.

Decima Propositio. Potest etiā Deus hominibus scientias infundere, & pleraque reuelare, in quibus cognoscendis non egent homines aliqua alia pręcognitione, siue sensitiua, siue intellectiua, quod tunc fieret per species intelligibiles inditas, & per augmentum luminis naturalis, vel supernaturalis, quod probare non est præsentis loci, sed lege D. Thomam, *1. p. q. 1. art. 1. & 1. cont. gent cap. 4.* Vt plurimum tamen quamuis relatio sit aut de rebus supernaturalibus, vel modo supernaturali, hoc est, aut de rebus quæ excedunt statum hunc naturæ, aut de rebus naturalibus quidem, sed quæ naturaliter sciri non possunt, vt sunt actus interni, & cogitationes aliorum, & futura contingentia, solet se Deus accommodare naturali modo cognitionis humanæ, nempè vt res huiusmodi cognoscat, aut credat, supposita sensuum apprehensione. Et hoc etiam agnouisse videtur Auerr. *2. po. com. 10 1. & in par. sp lib. de som. & vig.* dicens cognitionem futurorum in somnis, quam prophetiam aut diuinationem appellant, non fieri quidem ex prænotione agente, sed tamen ex dirigente & præparante. Lege Bald. *1. po. circa propos. Omnis doctrina &c. dub. 1. ad finem.* Quod si ex reuelatis vel scitis modo supernaturali alia quis deinde inferat, poterunt dici reuelatæ illæ cognitiones præcognitiones quædam in ordine ad alias quæ inferuntur, quo pacto Theologi multas ex fidei articulis conclusiones inferunt, qua etiam ratione ipsammet fidem Clem. Alexandrin. *2. strom. ante med.* appellat *Anticipationem* seu præcognitionem quandam.

Vltima Propositio. Etsi quæ hactenus dicta sunt vera sint de omni cognitione, tum sensitiua, de qua diximus priori sectione, tum etiam intellectiua, ac propterea generalis illa Aristotelis propositio: *Omnis doctrina, & omnis disciplina &c.* in omnem huiusmodi cognitionem quadrare posset, etiam loquendo de cognitione sensitiua brutorum. Vnde Plin. *lib. 10 hist.* loquens de luscinijs *Audit*, inquit *discipula, & reddit intentione magna.* Tamen secundum mentem Arist. dicta illa propositio solum habet locū in cognitione intellectiua, nec tamē in quacunque, sed solum indiscursiua, propter causas, quas partim initio huius disputationis, partim in explicatione textus exposuimus, nempè quia διανοητικὴ & sæpius apud Aristotelem discursiuam cognitionem denotat, & quia cum limitet significationem doctrinæ & disciplinæ, quæ non nisi ad intellectum propriè transferri possunt, significat eo loco solam cognitionem intellectiuam, quæ in discursu & ratiocinatione versetur. Idem confirmatur ex exemplis quibus Aristoteles vtitur, & ex ipso illius scopo, qui est Demonstratio. Igitur secundum Aristotelem sola & omnis cognitio discursiua includitur in dicta propositione.

SECTIO

SECTIO TERTIA.

De cognitione primæ operationis intellectiuæ.

VBi de cognitione intellectiua in communi diximus, sequitur vt ad ea veniamus quæ peculiaria sunt, & propter singularum operationibus. Potissimum autem difficultas est circa definitionem; nam de apprehensiua cognitione, vt eam propriè significat quæ est primæ operationis, satis per instituti nostri rationem supra diximus. Solum addendum est, cum, vt ibi diximus, possit esse apprehensio etiam rerum complexarum, & secundæ aut tertiæ operationis, præcognitiones illæ quæ necessariæ sunt secundæ & tertiæ, non erunt dicendæ præcognitiones respectu primæ, nisi tantum materialiter loquendo, quoniã apprehensio non componitur formaliter loquendo ex istis cõpositionibus. De definitione igitur, quod ad rem præsentem attinet (de illius enim natura, conditionibus, speciebus, & alijs, alibi agemus) certum est requirere aliquam prænotionem, saltem dirigentem; Vt enim testatur Arist. *1. Met. t. 48.* Ex quibus definitio est, inquiens, illa præcognoscere oportet, & nota esse. Et *6. Top. cap. 1 loco. 17.* præcipit, vt per notiora tradatur definitio: nam datur, inquit, definitio eius cognoscendi gratia quod dicitur, & *6. Eth. cap. 3.* hanc eandem generalem Aristotelis propositionem verã esse vult in omni habitu, pertinere autem potest definitio ad habitum intellectus, seu principij. Et hoc docet D. Thom. *1. Met. t. 48.* Scot. *ib. & 1 po q 1* Auerr. *ib.* & apud illum Alpn. & *1. Met. t. 48* Alb. *1. po. tr. 1. cap. 3. & 1. Met. t 5. t 14.* Arist. tamen *lib. 1. po.* vt ante diximus, non comprehendit definitionem, quod etiã docet P. Ven. & Nyph *hoc loco.* Item cognitio confusa partiũ definitionis est aliquo modo præcognitio dirigens, respectu distinctæ. Dubitatio igitur est de præcognitione agente, an videlicet aliquã habeat definitio. Prima opinio est Bald. & Alph. apud Auer. *1. po. com. 1.* & aliorũ recentiorum, fieri definitionem ex præcognitione

Definitio an prænotionem requirat.

agente. Quod colligit Bald. *ex locis citatis, 1 Met. & 6. Top.* Confirmatur etiam; nam *in 6. Top* dicit definitionem fieri ex notioribus sicut demonstrationem, sed demonstratio fit ex præcognitione agente, ergo & definitio. Secunda opinio est Auer. qui etsi *in epit. log. mit. & c. de Rhet. demonstratione,* dicat præcognitionẽ partium definitionis esse agentem, sicut præmissarum respectu demonstrationis; tamen *1. po.* dicit præcognitionem agentem, quam tribuerat partibus definitionis, esse tantum æquiuocè agentem. Negat igitur hæc opinio, quam etiam alij recentiores defendunt, propriè reperiri præcognitionem agentem in definitione.

Notandum primo. Partes definitionis possunt & apprehensiuè cognosci, & iudicatiuè. Apprehensiuè dupliciter. Primo cognoscendo partes, sed non formaliter, vt sunt partes, hoc est non vt sunt quid alterius, verbi gratia, si apprehendatur animal sine ordine ad hominẽ, vel brutum, & hac ratione non est, hæc cognitio propriè quidditatiua, quia non est partis quatenus pertinet ad quidditatem. Secundo. Quatenus illa pars cognoscitur vt alterius pars, seu vt aliud quod in altero est, tanquam illius essentialis pars, & tunc cognitio est quidditatiua, vt ait D. Tho. *1. cont. gent cap. 39.* dicens, quod intellectus incomplexus, qui incomplexa cognoscit, vel talia realiter, vel modo incomplexo, & qui non iudicat, intelligendo quod quid est, apprehendi quidditatem rei in quadam compositione ad rẽ, quia apprehendit eã vt huius rei quidditatẽ. Lege Ferrar. & Caiet. *1. po. q 17. art. 3.*

Notandum secundo. Quod sæpè diximus, operationes intellectiuæ sese mutuò iuuant, quarè cum non est per se notum aliquod prædicatũ, vel aliquam quidditatis partem esse in alio, solet per discursum & per aliquam inductionem probari, quod etiam concedit Auerr. Repertis autem definitionis partibus, intellectus per primam operationem rei quidditatem contemplatur.

Notandum tertio. Sine dubio apprehẽsio

illa consequens iudicium illud, pendet ex illo præcedente discursu, quæ inuentæ sunt definitionis partes, tanquam ex præcedente cognitione, non tamen componitur ex illis iudicijs: sunt enim operationes distincti planè ordinis; nec etiam effectiuè fit illa apprehensio ab illis iudicijs, quoniam sunt res planè distinctæ, nec mutuam habent actionem. Se habet igitur quadam ratione discursus præcedens apprehensionem, sicut habere se diximus cognitionem sensitiuam ad eandem apprehensionem, aliasq; operationes intellectiuas, videlicet præsupponitur tanquam conditio quædam dirigens & constituens obiectum primæ operationis, & quamuis daremus effectiuè produci apprehensionem definitiuam per illa præcedentia iudicia, nihil tamen adhuc efficeretur pro prima sententia, quæ solum loquitur de duplici apprehensione partium definitionis, vultq; ad cognitionem totius definitionis habere se vt præcognitionem agentem.

Notandum quarto. Dubiũ igitur est an cognitiones partium definitionis distinctè se habeant ad totam definitionẽ tanquam præcognitio agens, an verò tanquã aliud quod præsupponitur, vel vt sola dirigens præcognitio, & si causetur noua aliqua cognitio ex duabus illis, sitne solum appellanda perfecta quidditatis cognitio, an verò duplex illa partiũ cognitio veram habeat definitionis cognitionem.

Prima Propositio. Habitâ perfecta definitionis partium apprehensione, generis, verbi gratia, & differentiæ, habetur continuo perfecta definitionis & quidditatis cognitio. Probatur. Quia definitio nihil aliud est, quam genus & differentia. Ergo cognitio illius nihil aliud erit quam eiusdem generis & differentiæ cognitio. Confirmatur. Nam in composito naturali cognitâ hac materia, & cognita hac forma, eo ipso cognitum manet totum compositum, quod ex ipsis resultat. Confirmatur secundo. Fortè enim non est possibilis vnica & distincta cognitio rei alicuius complexæ, sed tantũ debet per partes & partiales partiũ cognitiones à nobis comprehendi; cognoscere enim actu vnico totam quidditatem rei compositæ, videtur proprium esse diuinæ angelicæ mentis. Confirmatur quoq;. Fac enim possibilem esse hanc cognitionem, tamẽ hæc cognitio non est necessaria, nec perfectior habetur notitia quidditatis per huiusmodi actum, quam cum per duplicem & distinctum partes cognoscimus. Nomine verò præcognitionis agentis illam intelligimus, quæ necessaria est, vt ex illius cognitione in alterius notitiam veniamus. Propter quam causam præmissæ dicuntur esse præcognitio agens conclusionis, quia in conclusione aliud quid diuersum est ab eo quod in præmissis continetur, & per cognitionem præmissarum gignitur in nobis conclusionis notitia. Hinc ergo sequitur.

Secunda Propositio. Non fieri definitionem præexistente cognitione agente: Aut enim fieret ex præexistente cognitione partium per discursum, cum eo indigeat, quod iam refutatum est; aut ex præcedente duplici apprehensione partium quidditatis, & hoc etiã falsum est, quia ipsamet cognitio partium est cognitio definitionis. Confirmatur. Quoniam, vt diximus, etsi concedatur ex cognitione partiali & distincta partium causare tertiam aliam, quæ sit cognitio totius definitionis, non tamen præcedentes illæ duæ essent dicendæ præcognitiones agentes, quia nihilo plus per sequentem illum tertium habitum cognosceremus, quam per duplicem illum præcedentem. Quare potius dicendæ sunt partes illæ definitionis, & quodammodo cognitiones partiũ, materia totius definitionis, ac veluti cognitionis conflatæ ex vtraq; illa cognitione.

Tertia Propositio. Si quis contendat cognitionem partiũ esse causam cognitionis totius definitionis, quoniã aliud videntur esse partes definitionis, aliud autẽ id, quod resultat ex illis, poterit etiã vtrũq; id concedi. Sic enim dicimus cognitionem conclusionis fieri ex præmissis, etiamsi secundum aliquorum opinionem eodẽ instanti cognoscatur: Vt enim diximus, in conclusione continetur distincta

quædam

quædam cognitio ab ea quæ est in præmissis, totum autem distinctum quidem est à suis partibus secundum quandam formalitatem, quæ tamen non est tanti, vt requirat per se distinctã & realem cognitionem, sicut discernit oculus partes alicuius totius, nec tamen alio actu ipsum totum cognoscit, quamuis formalis ista totius ab intellectu percipiatur. Confirmatur. Nam præcognitio agens propriè tantum fit per tertiam operationem, Ergo in prima operatione non potest habere locum; quamuis enim cognoscat in prima operatione quod per tertiam illatum est, non tamen quatenus illatum est, sed simplici tantũ apprehensione. Si quis tamen vellet esse præcognitionẽ agentem apprehensionem illã duplicem, quatenus dicit verã cognitionem partium definitionis, sicut tertia aliqua apprehensio, si esse potest, cognitionem totius, id concedi posset. Quo pacto confert ad cognitionem statuæ cognitio huius partis & illius partis, quamuis si tam in hac cognitione, quam in definitiua apprehendantur omnes partes, vt sunt alicuius totius, hoc ipso etiam tota rei quidditas & natura cognoscatur.

Atq; ex his responderi potest ad argumenta proposita, quibus concedi potest, vt diximus, aliquo modo esse cognitionẽ illam partiũ definitibus præcognitionẽ agentem; habet enim maiorem præcognitionis rationem quam dirigentis, tamẽ prout contra nos faciunt hæc argumenta, ad primum respondetur, loqui Arist. vel de præcognitione tantũ nominis, vel partium, sed confusa tantum, vel de iudicatiua cognitione, quatenus, vt diximus *sect.*2. præcedit aliqua partiũ definitionis inuestigatio, vel denique de cognitione partiũ abstractè, & non prout sunt partes alicuius, quomodo Alex. 1. *Met.* t 48. quod qui ait hominis definitionem esse animal pedestre, bipes, &c. is non præcognoscit hæc, esse hominem, sed tamen horum singula antè cognoscit, animal, pedestre, bipes, alioqui non posset discernere in homine esse hoc. Ad confirmationem. Definitio fit ex notioribus, nõ definitione, sed definito, notiora autem sunt ipsamet definitio. Vnde inquit Arist. assignari definitionem gratia cognoscendi id quod dicitur, hoc autem est definitum, non autẽ definitio, sicut etiã demonstratio dicitur fieri ex notioribus eo quod in cõclusione cognoscitur, non autẽ præmissis, quorũ nomine demonstrationẽ aliquando intelligit Arist. Quæ igitur sunt notiora, sunt partes ipsæ definiti explicitè, quarũ cognitio est ipsamet definitionis cognitio.

Ad secundum. Quomodo definitio sit instrumentum sciendi, dicetur tractatu de definitione; interim cognitio partium non est instrumentum, sed ipsamet definitio, quæ definitio est instrumentum, quatenus traditur modus rectè definiendi, & obiectiuè sumpta ipsamet definitio, nempè pro eo quod est obiectum definitiuæ cognitionis, est instrumentum quo intellectus dirigitur ad cognoscendam quidditatem, potest tamen dici partium cognitio instrumentum ad modum explicatum.

SECTIO QVARTA.

De secunda Operatione.

IN secunda operatione locum habent Enunciationes, & simplicia iudicia, de qua cognitione indicatiua in communi loquẽdo satis sunt ea quæ diximus, agentes de cognitione intellectiua in genere. Difficultatem peculiarem habent principia, quorum habitus appellatur intellectus; quarè vt res à fundamentis melius percipiatur, decreui de habitu intellectus aliqua hic dicere, quod alij reijciũt post tractatum de scientia. Sed præstat ante scientiam de illo disputare, quoniã teste Aristotele habitus intellectus est principium scientiæ. Vbi autem id explicauerimus, exponemus quibus præcognitionibus egeant principia. De habitu autem intellectus duo potissimum quærentur: An sit, & simul quid sit, & quorum principiorum sit? *Habitus intellectus.*

PRIMA DVBITATIO.

An sit, & quid sit habitus intellectus.

NOtandum est. Huius nominis rationes multæ traduntur, præsertim ab

Interpretibus Aristotelis in 6. *Eth.* Aliqui enim dicunt appellari intellectum, quoniam continet cognitionem simplicem, quâ ad intelligentias proximè accedimus, quæ ratio supponit habitum intellectus esse in prima operatione, quod ratione apprehensionis, quæ de principijs habetur, concedi potest. quia tamen nomine principiorum intelligere solemus quædam iudicia, maluimus de habitu intellectus simul cum prænotionibus secundæ operationis disputare. Alij ita appellatum volunt, quod sit de rebus intelligibilibus, quæ ratio communis est, nec minus conuenire potest alijs habitibus. D. Tho. 2. 2. *q. 8. art 1. ad* 3. hanc causam reddit, quia significat excellentiã cognitionis potentiæ intellectiuæ, quæ intellectus dicitur, ac propterea potentiæ suæ nomen retinuit. Vnde inquit, quia voluntas importat tantum motum appetitiuum simplicem, ideò nullus illius vel actus vel habitus dictus est voluntas. De hoc lege Phil. *in proem lib. de anima. ad calcem secundæ columnæ* Huius eiusdem habitus meminit Arist. 6. *Eth. c.* 3. & 6. 2. *po. cap vlt & lib.* 1. *cap* 1. 26. *& sæpè.*

Prima Opinio. Habitum qui dicitur intellectus, esse qualitatem quandam distinctam à potentia intellectiua, sed naturaliter insitam. Tribuitur id D. Thomæ 3. *f. d* 23. *q.* 3. *art* 2. *ad* 1. Et est Cap. *d.* 33. *q. vnica art.* 3. *ad* 2. *contra tertiam conclusionem.* Indicat idem D. Tho. 1. 2. *q* 51. *art.* 1. *q.* 94. *art.* 1. *ad* 4. Quibus locis lege Caietanum & Conrad.

Secunda Opinio. Est Caietani 2. 2. *q.* 51. *art.* 1. esse qualitatem distinctam à potentia intellectiuam, non congenitam à natura, sed fluentem ab intellectu, cum primum illi sese offerunt species à à sensu transmissæ. Sicut inquit argumentatio non est simpliciter naturalis, sed quia cibo decocto, qui extrinsecus aduenit, naturaliter fit, ita etiam potest dici hic habitus naturalis, quia posita simplici apprehensione, qualitas quæ est habitus principiorum, fluit per actum cognitionis. Dat etiam exemplum in grauibus & leuibus, quorum motus dici potest naturalis, quamuis non efficiatur nisi cum sunt vel extra locum, vel à generante in alieno loco producuntur.

Tertia Opinio. Ferrar. 2. *cont gent. cap.* 75. & 78. habitum intellectus esse quodditatem dictam non à natura, nec eo modo quo Caiet. vel Cap. explicaute, sed statim ac species proponuntur, produci sola virtute intellectus agentis illum habitum in intellectu possibili. Quod probat ex D. Thom. 1. *p. q.* 51. *art.* 1. vbi tamen D. Tho. solum loquitur de actu, non de habitu, dicens illum actum esse à natura. Concludit ergo Ferr. hunc habitum dici natura solùm quia non fit per discursum.

Quarta Opinio. Est Almani 3 *f. d.* 23. *q.* 1. Durand. *d.* 33. *q.* 1. & omnium Nominalium, esse ipsummet intellectum, qui naturaliter auditis terminis assentiatur. Ad quos accedit Soto *lib.* 10. *de iust. & iure. q.* 4. *art.* 1. *in probatione secundæ conclusionis.*

Quinta Opinio. Est Maioris 3 *f. d.* 23. *q.* 2. Burid. 6. *Eth. q* 11. *art.* 2. Martini de Magistris *ibid.* & cuiusdam nominati Compilatoris, generari habitum intellectus per actuum frequentationem.

Sexta Opinio Est Cap. *lococit. & in q.* 3. *prol.* Intellectum esse solum species terminorum apprehensas & ordinatas, ita enim hic philosophatur de alijs habitibus intellectus. Vt rem definiamus, supponi debet, quod alio loco probandum est, dari habitus.

Prima Propositio. Habitus qui dicitur intellectus, id est, illa qualitas, est quoddam accidens distinctum à potentia intellectiua, quicquid tandem & quomodocunque se habeat. Est opinio D. Thomæ, *præsertim* 1. 2. *q.* 51. *art.* 1 *q* 53. *art.* 1. 94. *art.* 1. *ad* 4. & *alibi passim,* omniumque Thomistarũ, excepto Soto: imò apertissima est Arist. 6. *Eth. c* 3 & 6. & omniũ Interpretum *ibid.* His in locis Arist. connumerat intellectum in alios habitus, qui sunt virtutes intellectus, nec valet quod respondet Soto, esse distinctum habitum à potentia intellectiua solum formaliter; si enim non est qualitas aliqua supra dicta, & realiter distincta, nihil aliud erit, nisi ipsemet intellectus, vt propter-

propensus ad assensum principiorū. Quare vt sic non erit dicendus habitus, vel virtus, sed ipsamet potentia intellectiua naturaliter propensa. Confirmatur. Nam cæteri quatuor habitus: Sapientia, scientia, ars, & prudentia, nemine diffitente, sunt qualitates reales, & superadditæ potentiæ intellectiuæ. Ergo & habitus intellectus. Quod si aliquando Aristotel. *lib.* 3. *de anima* vocat intellectum agentem habitum, quæ authoritas videtur in eam sententiam traxisse Soto. Dicendum est id propterea affirmasse Aristotelem, non quod intellectus agens sit propriè loquēdo habitus, sed quia ita se habet ad intelligibilia, sicut lumen quod est quodammodo aliquid habituale ad colores: Ita enim exponit D. Tho. 2. *contra gent. cap.* 78. Prçterquam quod certum est intellectum agentem nihil cognoscere, non ergo potest habitus intellectus, qui est cognoscitiuns, dici intellectus agens.

Secunda Propositio. Habitus intellectus non est qualitas aliqua à natura nobis indita. In hoc conueniūt omnes opiniones, prçter primam, & videtur docere D. Tho. 2 *cont gent. cap* 28. dicens habitum principiorum esse acceptum à sensibilibus, & esse effectum quendam intellectus agentis. Quod etiam ibid. obseruat Ferr. Et hoc vltimum de intellectu agente magis explicat Caietan. *in* 1 *p q* 79. *art.* 6 *in fin.* dicens illum non modo concurrere ad productionem specierum intelligibilium, sed ad claram etiam principiorum cognitionem. Et iterum D. Thom. idem habet 1. *p. q.* 53. *art.* 1. Quin etiam apertè Aristoteles & ex professo id probat 2. *po. cap vlt.* Quoniam, inquit, qui habet scientiam, non potest latere ipsum quod eam habeat. Quod etiam dixerat *lib.* 1. *cap.* 1. Multò ergo minus latere eundem poterit quod habitum intellectus habeat, si tamen à natura habet, cum sit longè perfectior; & 3. *de anima. t.* 14. in genere ait intellectum nostrum initio habere se vt tabulam, in qua nihil sit descriptum, non potest verò habitus esse in intellectu, quin idem sit informatus ac veluti consignatus specierum intelligibilium, quibusdam quasi characteribus. Imò Cap. sententia fuit, habitum nihil aliud esse quam ipsasmet species ordinatas. Idem docet Themist. *cap penult.* 2. *post.* Philop. Erist. & D. Thomas *in cap. vlt. lib.* 2 *post.* Confirmatur rationes nam natura habitus in hoc esse videtur, vt acquiratur, imò vt plurimum per plures actus. Confirmatur secundo. Nam aut ista qualitas ponitur tanquam necessaria ad intelligendum, aut vt melius faciliusque fiat, non primum, quoniam hoc est contra rationem habitus, & pertinet ad rationem potentiæ saltem loquendo de habitibus naturalibus; supernaturales enim quia alterius ordinis sunt, habent simul quandam rationem potentiæ, prout nobis dant posse simpliciter operari supernaturaliter, de qua re *capit. de qualitate* diximus. Si secundum, sequitur esse qualitatem aliquam superadditam; natura enim non dat id quod melius & perfectius est quomodocunque, sed quod est simpliciter necessarium ad naturalem finem assequendum, hoc est, vires ad acquirendum habitus. Aliunde etiam constat experientia posse intellectum ante vllum plane habitum exercere aliquem actum cognitionis. Confirmatur tertio. Ita profectò se habent habitus intellectus ad potentiam intellectiuam sicut voluntatis ad eandem, sed nemo ponit habitum naturalem in voluntate, Ergo neque in intellectu. Confirmatur quarto. Experimur per frequentes assensus reddi intellectum nostrum promptiorem ad postea facilius assentiendum, Ergo generatur habitus. Ergo si alius quidam præterea generalis est, duo erunt in eadem potentia eiusdem rationis, refugit autem natura superfluum.

Tertia Propositio. Datur igitur habitus intellectus distinctus & qualitas acquisita, qua habiles efficimur ad facilè assentiendum princip ijs. Hoc docet Aristot. 1 *po cap.* 1. 2. 3 & 26. & 2 *po. cap. vlt.* & *lib.* 6. *Ethic. cap.* 3. & 6. Ratio verò est, quia lumen nostri intellectus est imperfectum, & vt inquit Aristoteles, veluti noctuæ

 ad

ad lumen ſolis, nec poteſt ſtatim cuiuis principio aſſentiri. Item ratione aliqua etiam leui ob alicuius authoritatem dimoueri quis poteſt ab aſſenſu principij & concluſionis, niſi in eo per habitum fuerit confirmatus, vt rectè argumentatur Burid. Quare igitur inquit Ariſtoteles 2. *Met. t. 14. ad fin.* maximam vim habet aſſuetudo in puerilibus & fabularijs. Et Auerr. *in prol. phyſ.* Firmior, inquit, eſt vulgi fides, quam Philoſophorum, quia vulgus non multa audire ſolet, ſicut Philoſophi. Confirmatur etiam experientia; quiuis enim ſe facilius comperiet temporis decurſu aſſentiri principijs, quam dum primum illi fuêre propoſita; & quamuis aliqua ſint principia facillima, ſunt tamē etiam nonnulla difficiliora. Ac duplici hac potiſſimum via venimus in cognitionem cuiuſuis habitus in communi loquēdo, videlicet cum ſuperatur difficultas, & cum aliquis magis in alicuius rei cognitione, aut appetitione conſtabilitur. Ergo &c.

Obiectio. *Obijcies.* Principia prima ſunt naturaliter nota, Ergo & habitus eſt à natura inſitus, aut certè nullus. Confirmatur. In voluntate enim non eſt habitus, nec naturalis, nec acquiſitus ad vltimum finem, id eſt, beatitudinem. Sed ita ſe habent principia prima in ſpeculabilibus, ſicut ſe habet appetitio vltimi finis in practicis. Ergo &c. Confirmatur ſecūdo. Si quis enim habitus tandem ſit, is erit naturalis, nam ponitur in voluntate ſynderesis ad bene iudicandum de operabilibus. Cōfirmatur tertio. In angelis enim ſunt indita ſpecies & habitus. Ergo ſaltem in homine naturalis erit habitus principiorum, ratione cuius dici poſſunt omnem doctrinam diſcurſiuam fieri ex præexiſtente cognitione, hoc eſt, ex præexiſtente illo habitu.

Hæc obiectio requirit, vt explicemus, quorum principiorum ſit dicendus eſſe habitus intellectus, quod eſt ſecundum ex ijs quæ proposuimus.

(***)

DVBITATIO SECVNDA.

Quorum principiorum ſit habitus intellectus, & an ſit vnus habitus?

Principiorum diuiſio. NOtandum. Ex principijs quædam ſunt communiſſima, quę ſine diſcurſu cognoſcuntur, quædam quæ non ſunt ſimpliciter indemonſtrabilia, ſed demonſtratione probari poſſunt. Dur. loco citato exiſtimat hunc habitum intellectus eſſe ſolū illorum principiorum, quę vt cognoſcantur, diſcurſu egent, & in hoc ſenſu eſſe locutum Ariſtotelē. Sed vtrumq; malè aſſerit, quia habitus acquiſitus per diſcurſum & reuera & Ariſtoteli eſt ſcientia, quia Ariſt. *locis citatis* docet habitum intellectus non ſcientiam, ſed ſcientiæ principium quoddam eſſe. Quare dicendum eſt habitum intellectus eſſe propriè principiorum quæ demonſtrari non poſſunt; nā vt rectè Bur. hic habitus ſuppeditat ſcientię & demonſtrationi principia, demōſtratio autem perfecta ex immediatis eſſe debet, hoc eſt, indemonſtrabilibus & carētibus principio, per quod amplius demonſtrari poſſint. Vnde primo ſequitur tot eſſe habitus intellectus, quot ſunt vel ſcientiæ totales diſtinctæ, vel etiam demonſtrationes, quę ex immediatis progrediantur, quia cuilibet ſcientiæ è regione reſpondet habitus principiorum. Quot ergo & quam multis modis ſunt diſtinctæ ſcientiæ, totidem & habitus intellectus, quare, inquit Bur. non eſt habitus intellectus principiorum maximè communium, quæ habentur apud Ariſto. *in 4 Met.* Sicut etiam docet Zonſ. 6. *Met. q. 10. in not. 4.* Quamuis inquit ipſęmet ſcientificæ concluſiones dici poſſint habitus intellectus reſpectu aliarum concluſionum, quę rurſum ex illis inferuntur; ſic enim ſcientia ſubalternans dicitur eſſe principium ſubalternatæ, vt geometria perſpectiuæ, de qua re in tractatu *De ſcientia.* Hinc etiam ſecundo infertur multiplicari habitus intellectus ad multiplicationem non modo concluſionum ſpeculatiuarum, hoc eſt, ſcientiarum propriè dictarum, quæ præter certam & euidentem ſui cognitionem ſunt etiam ſui gratia, quo tamen modo, vtpote qui ad tem ſolus

solus faciebat, de habitu intellectus locutus est Aristot. *in lib. post pred. 6. etiam Ethic.* vix videtur apertè cognoscere alium habitum intellectus, preter ea quæ diximus, id tamen ratio euincit. Vt enim in speculatiuis opus est habitu principiorum speculatiuorum, ita etiam cum in practicis fiat practica quoque principia, necesse est respondere conclusionibus practicis habitum qui fit de practicis. Nec tamen id omnino raenit Aristot, 2. *enim post cap. vltim.* in plurali dixit habitu intellectus; quoniam, inquit Caietan. *ibid.* alia sunt principia speculatiua, alia practica, quare sicut etiam inter practicos habitus alij sunt morales, alij artis, ita etiam debent esse habitus intellectus pro diuersitate huiusmodi principiorum. Quod confirmatur etiam ex Aristotele t. *Ethic. cap. 7. versus finem*, vbi ait, ex principijs alia in ductione, alia sensu, nonnulla assuetudine quadam, alia alio modo considerari, hoc est, alia principia sunt in Mathematicis, alia in naturalibus, alia in moralibus, alia in artibus, vt exponunt ibid. D. Thom. Auerr. Burl. Burid. &c Illum autem habitum principiorum videtur D. Thomas nomine *synderesis* intelligere, 1. *p. quæst. 79. art 12.* Posset etiam probabiliter dici respectu quoque rerum opinabilium dari habitum distinctum, qui vocetur intellectus, sicut datur habitus distinctus conclusionum probabilium, qui appellatur opinio. Et si plures sunt opiniones habitus, erunt & distincti intellectus habitus, quod confirmatur ex Aristotele *1. po. cap. 26.* vbi apertè docet, opinionem etiam procedere ex immediatis, & resoluere in immediata. Quamuis de opinione opinentur Soto non posse esse propriè loquendo immediatam, nisi eam quæ est immediate creditis, etiamsi per discursum. Sed non propriè dici potest immediata opinio quæ ex alijs immediatis colligitur, nec potest appellari opinio quæ non colligitur ex probabilibus. Vult autem Soto esse opinionem immediatam quæ ex discursu colligitur, sed non ex opinatis, quare etiam negat dari habitum in rebus opinabilibus qui fit principiorum. 1. *po q. vlt. art 3. conclus. 1.* sed vt diximus ratio id proportionaliter probat, sicut & in rebus scientificis. Confirmatur authoritate D. Thomæ 1 *po. ca. 26.* vbi etiam hac ratione vtitur, quoniam alioqui daretur processus in infinitum, nisi sisteremus in aliquibus opinatis immediatis. Eandem opinionem defendit Auerroes, Ægid. Philoponus *ibid.* Et confirmatur experientia, nam huic propositioni per se notæ, *Deus est*, si quem non conuincat euidentia naturalis, potest cognitis duntaxat illius terminis illi assentiri cum quadam formidine. Erit igitur opinio principij immediati. Sic etiam assentitur perspectis solum terminis huic principio probabili immediatè: *Mater diligit filios.* Quod si Aristoteles 1. *po. cap. 26. & alibi*, omnem cognitionem rei probabilis opinionem appellat, id penuria nominum coactus facit; nec enim suppetit nomen quo illum habitum, qui est de principijs probabilibus, sicut illum qui est de necessarijs, appellemus. Denique etiam respectu principiorum maximè communium, concēdit Burid. dari debere habitum intellectus, quoniam, inquit, non modo datur habitus ad determinandam potentiam quæ ex se indifferens sit, sed etiam ad superandam difficultatem, & vt promptior reddatur. Verum non videtur huiusmodi habitus necessarius esse; lumen enim naturale satis est vt propositis quamprimum terminis huiusmodi principiorum absque vlla difficultate assentiamur. Ad obiectionem igitur dubitatione præcedente propositam, inintelligibile videtur quod ait Caietanus 1. 2. *quæst. 51 art. 1.* habitum intellectus produci de nouo, nō tamen per vllum actum, sed posita in intellectu terminorum apprehensione fluere huiusmodi qualitatem: Est enim confictum quid dicere vllum habitum cognoscitiuum, quod idem est de quouis alio habitu, aliter produci posse, quam per actus eiusdem ordinis. Dicitur tamen aliquando hic habitus naturalis, nō quod ille secundum entitatem suam naturaliter sit ingeneratus, sed quia producitur in

Synderesis.

Notandum Quarto. Vt omittam peculiaria scientiarũ principia, inter illa maximè communia, vt ait Arist. 4. *Met. t. 9.* videtur hoc esse primum, quod etiam ibid. appellat notissimum, & aliarum dignitatum suapte natura principiũ omnium firmissimum, & circa quod non cõtingat decipi, nec eius cognitio habetur tantũ ex suppositione, & necesse est venire ad habentem, hoc est quod non potest ignorari, videlicet. *Impossibile est simul idem esse, & non esse.* Quod etiã probatur: nam id videtur simpliciter primum principiũ esse appellandum, ex quo omnis aliorum principiorum probatio peti debet contra negantes principia, & cui etiam ipsæmet conclusiones innituntur. Tale autem est hoc principium, ideoq; dicitur ab Aristotele firmissimum, hoc est causa firmitatis omnium aliorum. Confirmatur, quia omnia probantur manifestissimè per demonstrationem deducentem ad impossibile, & per contradictionem, sed hæc exprimitur isto principio, nec potest vlla ratione probari, vt patet; est enim omnium notissima veritas, sicut & illius oppositum & omnium absurdissimum & falsissimũ est, idem simul posse esse & non esse. Eadem autem vis est & ratio huius propositionis, *Impossibile est idem simul, nec esse nec non esse.* Imò est idemmet principium, sicut etiam eodem modo absurdè loqueretur, qui diceret: Petrus est doctus, & Petrus non est doctus, & qui vtrumque affirmaret, Petrum esse doctum, & Petrum non esse doctum. Lege Iand. 4. *Met. q. 7 & seq* Scot. q. 3. Alex. & D Tho. *ibid.* Tamen Ant. And. q. 5. vult hoc esse primum principium. *Ens est ens,* illudq; prius tantum dici primũ Aristotele inter ea quæ circumferuntur. Verum hoc dici nequit: talis propositio identica est, quare nugatoria, nec vllam habens vim ad probandas conclusiones. Nec obest primatui huius nostri principij quod videretur esse simplicius principium, si hæc eadem propositio formaretur absq; malo, & esset de inesse; nam non penes hoc attenditur simplicitas principij, & illius prioritas, sed vt ad aliud reuocari non possit, nec per illud probari. Lege Fonsecam 4. *Met. c. 3. q 1. sect. 1. & deinceps.* Neque etiam est quod dicatur hoc principium esse primum: *De quolibet vera affirmatio, vel negatio* de quo Aristoteles alibi sæpè, vt 1. *po. comm.* 26. 15. 27. 4. *Met. t.* 9. Idem iudicium est de hoc principio *Quodlibet est, vel non est,* de quo 4. *Met. t.* 27. Etsi enim horum principiorum maxima quædam sit affinitas, tamen dictum illud principij simpliciter est primum; affirmatiuum enim, *quodlibet est, vel non est;* aut, *De quolibet vera est affirmatio vel negatio,* ad illud negatiuum suapte natura reuocatur, verbi gratia, si quis cum de Petro affirmet quod bonus sit, neget consequentiam, Ergo non negatur de illo quod sit bonus, vbi exercetur principium affirmatiuum, sic probari poterit; Ergo idem est bonus, & non bonus, quod est contra principium negatiuum. *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Quare etsi hæc duo sint principia distincta, quod malè negat Iand. 4. *Met. quest.* 9. (Aristoteles enim id apertè supponit *t.* 27. & 28. & 1. *po.* 26.) tamen simpliciter præstantius, est negatiuum, & ideò Arist. 4. *Met. t.* 27 & 28. vbi defendit principium illud affirmatiuum, defendit & negatiuum. Et 1. *po.* dicit affirmatiuum posse ingredi demonstrationem, non tamen negatiuum, in quo simile est principium negatiuum primæ causæ, à qua ita pendent aliæ, vt ipsa tamen in aliarum ordine non contineatur.

Dices. Affirmatiua propositio præcedit negatiuam, Ergo affirmatiuum principium prius est quam negatiuum. *Respondet* Iand. negatiuam propositionem falsam esse posteriorem quam affirmatiuam, non tamen negatiua veritatis, & veritate euidentissima, & incontradicibili. vel etiam dici, inquit, potest illud principium negatiuum affirmatiuum, quatenus per illud affirmatur impossibilitas de subiecto, quia modus est affirmatus, & se habet per modum prædicati, quamuis dictum propositionis quod se habet, vt subiectum, sit negatiuum.

Vtraque solutio probabilis est. Hoc constat, ideò esse negatiuum primum, quia ad illud omnia reducuntur.

QVARTA DVBITATIO.

Qua precognitione egeant principia.

ARistot. 2. *po c. vlt* id videtur ex professo tractare, vbi docet haberi principiorum cognitionem, primo per sensus, tum per singularium experientiam, ex quibus colligitur esse vnius principij, nec de hoc dubitari potest, sicut & quod hoc iudicium quo assentimur præmissis, prærequirat terminorũ apprehensionem, vt supra diximus. Fuerunt tamen aliqui, vt habet Burid. qui principiũ quod notũ fieret nobis per experientiã, negarent esse indemonstrabile, quia huiusmodi principium non est per se manifestum, & inductionis modus quidam videtur esse demonstratiuus, vt inquit Auerr. 2. *post. comm.* 80. sed vt rectè docet Burid. ex authoritate Eustratij, sensus & sensualis inductio non est causa efficiens cognitionem intellectiuam principiorum, sed se habet tantum ministerialiter, atq; vt occasio & conditio quædam requisita, vt nimirum intellectus præmissa cognitione sensitiua suam possit exercere; quare est cognitio non agens, sed dirigens. Est autem notandum quędam esse principia, quorũ termini quantum ad rationes quæ includuntur & significãtur per illos, apertè se vel excludunt, vel includunt, quod notis tantum terminis facilè perspicitur, vt *Ens est ens, Albedo est color, Albedo non est nigredo*, & alia, tum communia, tum specialia, & huiusmodi principia non egent præuia aliqua notitia complexionis in sensu, siue experientia & iudicio circa aliquas res particulares, & quæ sub sensus cadunt Alia sunt principia quæ id videntur requirere, quorum videlicet oppositam termini habent rationem, hoc est vt nec se manifestè includant, vt *Rembarbarum purgat Choleram. Ignis est calidus*: hi enim termini etiamsi cognoscantur, non tamen necessariam inter se dicunt connexionem, quæ statim cognoscatur,

Docet hanc sententiam Alex. Alensis 2 *Met. t. c.* 8. 1 1. *lib.* 4. *t.* 8. Alb. *t. Met. t. t. cap.* 8. D. Thom. *passim*, vbi agit de propositionibus per se notis, vt quæstionibus *de verit q.* 7. 8. *art.* 15. *q.* 10. *art.* 12. *quæst.* 11. *art.* 1 *s. d* 3 *quæst.* 1. *art.* 2. *quæstionibus de potentia. quæst.* 7. *art.* 2 *ad* 11. *cont gent. cap.* 11. *lib.* 2. *cap.* 75. *t. p quæst.* 2. *art.* 1. 1. 2. *q.* 94. *art.* 2 & 1 *p. q.* 107 *art.* 1. dicit intellectũ ab initio quędam principia cognoscere, quæ posteà applicat ad particularia, quorum memoriam & experimentum per sensum accipit. Est ergo huiusmodi principiorum cognitio prior experientia. *Et quæst.* 51. *art.* 1. Ex ipsa, inquit, natura animæ intellectiuæ conuenit homini, vt cognito quid nominis partis & totius, cognoscat statim totum esse maius sua parte. Idem sentit *Cap.* 1. *s. d.* 2. *q.* 2. *ad* 3. *contra primam conclusionem.* Greg. 1. *s. d.* 2. *q. vnica.* etsi non rectè de propositionibus per se notis philosophetur, vt videbimus. Scot. qui nec etiam de ijsdem propositionibus benè differit ibid. Henricus 1. *p. art.* 1. *q.* 3. 10. & 11. Ant. And 11 *Met q.* 5. Iand. 2. *Met. q.* 2. Zons. 4. *Met q.* 32 & 33. & 4. *Met.* Legendi Scholastici. 1. *s. d.* 2. vbi quærunt an hæc propositio: *Deus est*, sit per se nota? Idem sentire videtur Them. 1. *po. cap.* 5. Contrariã opinionem sequuntur Caiet. Ægid, P. Ven. 2. *po cap. vlt.* Nyph. 2. *Met. disp.* 7. & *lib* 2. *disp.* 1. Iauell. 1 *Met. quæst.* 6. Mirand *lib* 9 *de sing. certam. sect.* 1. & 2. videtur accedere Philop. 2. *post. comm.* 37. Them. *cap.* 37. 1. *post.* Auerr. 1. *post. comm.* 134. & *lib.* 2. *comm.* 106. Zim. *in tab. verbo, principia.* Fonseca *t. Met. cap.* 1. *q.* 4. *sect.* 3. nempè, in genere loquendo requiri ad assensum principiorum experientiam aliquam & inductionem, ita vt non assentiamur, verbi gratia, huic principio: *Omne totum est maius sua parte.* nisi prius iudicemus hoc & illud, & aliud totum esse maius sua parte. Probatur authoritate Aristotelis, 2. enim *po. c. vlt.* id videtur ex professo probare & 1 *post. t.* 1. & 33. 1. *pr sect.* 2. *t.* 2. & *lib.* 2. *pr. c.* 29. 1. *Eth c.* 12 1. *Met t.* 1 & *alibi sæpè*, vbi docet cognitionem nostram fieri ex-

peri-

perimento, & nos fidem facere syllogismo vel inductione, vniuersalia non posse à nobis percipi nisi inductione. Ratio quoque id suadet; nam termini alicuius principij quamuis apprehendantur, tamen vt iudicio componantur, oportet determinari intellectum ad tale complexum, hoc autem nihil aliud esse posse videtur, præter complexam cognitionem singularium. Confirmatur primò. Quia multi negant principia, signum ergo est pendere ab experientia. Secundo. Cognitio abstractiua, qualis est vniuersalium, pendet ex intuitiua singularium, hæc autem non habetur, nisi experientia & inductione.

Vt hæc res melius intelligatur, quamuis paulo ante à nobis definita esse videatur, aliquot propositionibus quid sentiendum sit aperiemus: si tamen prius annotauerimus quid sit experientia, cuius potentiæ sit operatio, an sit cognitio complexa, aliaq; huiusmodi pertinere ad librum de anima, eaq; tantum supponi debere quæ per se satis sunt manifesta. Interim vide de hac re Fonsecam 1. *Met. cap. 1. q. 4.* Sic etiam memoria tenendum est quod sæpè diximus, principia aut cognosci propria inuentione, aut per doctrinæ cognitionem.

Prima Propositio. Ad cognitionem cuiusuis principij necessaria est terminorũ apprehensio, & sensitiua aliqua cognitio. Patet ex dictis de cognitione intellectiua in communi, sed tunc non erit huiusmodi apprehensio, aut cognitio sensitiua dicenda ratio assentiendi principijs: etenim longè nobilior cognitio intellectiua sensitiua cognitione, & longè etiam efficacior, immò eam sæpè corrigit & dirigit. Habebit se igitur cognitio sensitiua vel singularium atque experimentalis ad cognitionem principiorum initiatiuè tantum propter species intelligibiles, quæ ex sensibilibus elici debent.

Secunda Propositio. Principia maximè communia, & pleraque ex ijs quæ pluribus sunt scientijs vsui, cum docentur, cognosci possunt ex sola terminorum explicatione, absq; vlla singularium inductione. Ratio est, quia cum & principia docentur, iam determinatur à Magistro Discipuli intellectus ad talem terminorum compositionem, verbi gratia, si proponatur hoc principium: Omne totum est maius sua parte, explicatis tantum terminis, statim intellectus præbebit assensum, & magister cũ in alijs scibilibus, tum in cognitione huiusmodi principiorum iuuat tantum intellectum eo modo, quo medici corpus affectum, proponendo ea quibus quodammodo corroboratus intellectus videat ea, quorum ante in ignoratione versabatur. Confirmatur. Quia sine experimento rei vnius singularis assentimur huic principio, contradictorias non posse simul esse veras, aut falsas. Imò hoc principiũ, & alia multa similia nulla ratione sub sensum cadere possunt. Confirmatur etiã. Quia etsi id daremus, tamen æq; omnia huiusmodi principia nobis nota essent in vno singulari, atq; in multis atque in vniuersali, vt patet in hoc principio: Omne totum est maius sua parte. Confirmatur etiam. Ex pueris facillimè addiscentibus Mathematicas, in quibus tamen nulla penè experientia est, quod etiam monet Arist. *6. Eth. c. 9.* & *1. po. c. 6.* principium inquit scientiæ esse, quo terminos cognoscimus. Et *1. Eth. c. 7.* quædam principia ait solo sensu percipi. Denique longè est perfectior intellectus cognitio, quam experimentum, quod, vt inquit Hippo. *aph. 1.* fallax est.

Tertia Propositio. Vt hæc eadem principia inuentione cognoscãtur, solet vt plurimum præcedere experimentalis aliqua notitia, nec tamẽ omninò necessaria est. Et illa ipsa satis interdũ est, si sit vnius aut alterius singularis. Ratio est, quia cognitio intellectiua incipit à sensibus & prior est singularium apprehensio, & compositio, quam vniuersalium: sufficit autem vnum aut alterum singulare, quia illo cognito statim elucescit intrinseca terminorum connexio, nec id etiam semper necessarium est, quia posita apprehensione huius termini (*esse*) potest intellectus ad oppositum illius discurrere, hoc est ad *non esse*, & videns repug-

nantiam inter illa. iudicare quod alterum illorum necessariò cuius debeat inesse. Item habitâ apprehensione terminorum vniuersalium potest intellectus antequam iudicium ferat de singularibus, cognoscendo terminorum naturam, & mutuam illorum habitudinem, iudicare immediatè de ipsis.

Quarta Propositio. Ad cognoscenda propria principia scientiarum, ac multò magis quæ peculiaria sunt singularum demonstrationum, opus est experimento & inductione. Ratio est, quia ex talibus principijs plurima solent esse nobis obscura, & hoc locum habet tum in inuentione, tum in doctrina. Debet etiam id potissimum intelligi de principijs, quorum termini vt ipsa cognoscantur, non est satis quoquomodo confusè intelligi, neque etiam habet alia priora principia notiora per quæ probentur. Is verò esse Aristotelis sensus & scopus in locis citatis pro cõtraria opinione, præsertim *1. p. 1. 2. c. 2.* vbi principia inquit, quæ secundũ vnumquodq; sunt, hoc est particularia & specialia scientiarum & demõstrationum, vt exponit Phil. &c. Imò ponit exemplum in Astrologia, dicens inuentis apparentibus, sufficienter inuentas Astrologicas demonstrationes, & consimiliter se habere circà aliam qualemcunque artem & scientiam. Idem patet ex *1. Ethi. cap. 7.* vt diximus; loquitur enim ibi apertè de distinctis principijs habituum distinctorum, & ait nonnulla principia sensu percipi. Confirmatur. Si enim intellectus perfectè apprehenderet naturam subiecti & prædicati, principiorum immediatorum, posset sine dubio absque vlla experientia, seu experimentali iudicio illis principijs assentiri, quod malè negare videtur Ocam & Gab. *quæst. 9. prol. Greg. quæst 4. & d. 2. quæst. 1. art. 1.* dicentes quod etsi habeatur notitia distincta subiecti & prædicati, vel immediatè proprietatis subiecti, requiri tamen adhuc in multis experientiam, vt in hac propositione: Calor est calefactiuus. vbi calefactiuum est quid immediatè conueniens calori, & licet inquiunt cognoscatur distinctè calor & calefactio, non tamen plus cognoscitur esse calorem calefactiuum, quã albedinem esse productiuã albedinis, quod falsum est, nisi habeatur de illo experientia. Idem etiam, inquit G. eg. iudicium est in hac & similibus propositionibus Reubarbarum purgat choleram, corpus luminosum, cui opacum opponitur, efficit vmbram. Gab. dat etiam exemplum de homine & visibili; hoc inquam malè ab illis asseritur, nam cum distinctè cognoscuntur subiectum & prædicatum, cernitur etiam intrinseca connexio quæ est inter illa, atque adeò vnum alteri conuenire, quare non est opus vllo experimento sensuum, & connexionis huius in multis singularibus. Ex his sequitur solutio argumentorum pro contraria opinione; solũ enim probant de principijs maximè communibus, & ratione inuentionis, idque non omninò necessario, quo pacto intelligendus quoq; est Arist. & citati Interpretes. Cum autem cognitio principiorũ indiuiduorum aliqua experimentali paratur, solet appellari habitus intellectus, qui versatur circà principia, ab Aristotele habitus circà ratiocinationẽ, quomodo interpretatur, Flam. *c. 12. q.* Logicorum, id quod dicitur ab Aristotele *2. po. c. vlt.* intellectum esse vnum ex habitibus circà ratiocinationem, quod tamen non citò omnes legunt, nec eam necessariò interpretationem exigit, vt suo loco videbimus, etsi id quod asseritur à Flamminio verum esse possit; quia autem simpliciter loquendo hic habitus est de principijs, vt simplici notitia cognoscuntur, ait Flam. alijs in locis vocari ab Aristotele habitum suprà ratiocinationem.

Quinta Propositio. Apprehensio terminorum quæ semper præcedit vel concomitatur iudicium de principijs, non est præcognitio agens, sed tantum dirigens. Hæc propositio constat ex dictis de cognitione intellectiua in cõmuni,

Et ta-

Ecratio est, quia præcognitio agens illa tantum propriè est, ex qua ad alterius rei cognitionē peruenitur, quod, vt sæpè diximus, locum tātum habet in tertia operatione. Hæc opinio est omnium ferè Authorum citatorum, præsertim Iand. & Iauell. & Zonſ. cui tamen repugnare videntur Scot. 3 *ſ.d.23 q vn.* & Gab. *quæſt.1. prol. art.4.dub* 1. vbi vocat Gabriel apprehenſiuam cognitionem reſpectu indicatiuæ cauſam eſſentialem, quo etiam loco vnum diſplicet, etſi ad rem parum faciat, quod ait poſſe per potentiam Dei conſeruari vel produci actum iudicatiuum, diſtincto vel non producto apprehenſiuo actu; nam vt ipſemet ſibi obijcit, nec ſufficienter ſoluit, implicat eſſe aſſenſum & non eſſe id de quo eſt aſſenſus. Si autem non eſt notitia apprehenſiua, non etiam eſt id cui aſſentiam, nec concipi poteſt iudicium niſi de rebus apprehenſis; fortè tamen excuſari poſſet vterq; Author, quod loquatur de actu apprehenſiuo, vt neceſſariò præreqiritur.

QVINTA DVBITATIO.

Quomodò ſe habeat intellectus ad actu aſſentiendum?

Ex principijs quædam ſunt neceſſaria, quædam probabilia, ita vt magis in vnam partem verget probabilitas. Alia deníque ſunt quæ paria vtrinq; habent probabilitatis momenta, vt non videatur vna magis quàm altera probabilis. Quæſtio ergo eſt quomodo ſe habeat intellectus cum principijs alicuius ex his generibus aſſentiri debet.

Sciendum etiam eſt duplicem à Theologis & Philoſophis poni neceſſitatem: alteram quoad ſpecificationem & contrarietates, alteram quoad exercitium & contradictiones. Prima Eſt, cum non neceſſariò quidem exit in actum potentia, ſi tamen exire velit, tali modo operari debet. Sic dicimus hominem neceſſariò appetere beatitudinem, quia quamuis non neceſſariò hunc actum exerceat, tamen cum voluntas aliquid ppetitura eſt, beatitudinem velle debet, ſeu debet bonum in communi, Vocatur autem neceſſitas ſpecificationis & contrarietatis, quia potentia eſt determinata ad tale obiectum, & non ad contrariam ſpeciem, vel obiectum. Neceſſitas quoad exercitium & contradictionis eſt, cum potentia neceſſariò de facto actum exercet, nec poteſt non exercere, quod eſt contradictionis. Sic dicetemus corpus luminoſum neceſſariò illuminare, quia ita illuminat, vt non poſſit non illuminare. Sic etiam dicunt Theologi beatum in cælis neceſſariò amare Deum, ita vt non poſſit non amare. Quæſtio igitur erit de vtraque hac neceſſitate.

Prima Propoſitio. Poſita apprehenſione terminorum, & deprehenſa connexione ipſorum inter ſe, intellectus neceſſariò aſſentit neceſſitate ſpecificationis, hoc eſt, non poteſt diſſentire, ſed ſi aliquod indicium de illis laturus eſt, erit approbatiuū & aſſertiuum. Hoc elicitur ex 1.*po t.25.* 4.*Met, T.9.* & docet Themiſt. 1.*po.cap.22.* 3.*de anima, cap.*10. Philop. 2.*de anima. ſup T.*153. Zonſ. 4.*Met q.*35. *in fin.* 2. *concluſ.* Ferrar. 4. *cont. gent. cap.*11. Et eſt communis opinio. Ratio eſt, quia vbi eſt neceſſaria connexio, oppoſitum eſt euidenter falſum, nunquam autem fertur intellectus, nec ferri poteſt niſi in verum ſub ratione veri, ſicut voluntas neceſſariò fertur in bonum, ſi appetere velit. Hinc eſt quod hæc principia ita apprehenſa, nemo niſi exterenus negare poteſt, vt dicit Ariſtoteles 4. *Met. T.* 9. formaliter & directè loquendo, indirectè enim negari poterat quatenus alia quædam negantur quæ virtute in illis principijs continentur, ſicut qui in Darij conceſſis præmiſſis negat conſequentiam, virtualiter concedit duo contradictoria eſſe vera. Impellitur autem aliquis vt principia neget, licet id ore ſolum & lingua faciat, vel ita non poſſit ſe ex aliqua difficultate extricare, vt Zeno, quemadmodum teſtatur Ariſtoteles 6. & 3. *phyſ.* negauit motum eſſe, quoniam non poterat intelligere, quomodo inde non ſtquetetur infinitum in tempore finito pertranſiri.

transiri, vel certè studio nouitatis, alijsque contradicendi. Ægid. 4 Met. q. 12. optimè probat non posse directè committi errorem circa hæc principia, & qui hæc neget, inquit Themist. quod similis sit illi qui apud Euripidem ait: Iuraui lingua, mentem iniuratam gero. Sic bis duo esse quinque, imaginari quidem licet, non autem opinari, nisi per dissimulationem. Lege Zim. prop. 33. vbi rectè contra illud Senecæ ait: Si pulcher es, lauda naturam; si diues es, lauda fortunam; si sapiens es, lauda teipsum. Imò inquit Zim. si sapiens es, lauda principaliter naturam; Vt enim inquit Victorinus, natura facit habilem, vsus vero potentem, qua re significatur natura ipsa hominem ita esse promptum ad quibusdam rebus assentiendum, vt illis dissentire non possit.

Secunda Propositio. Posito dicto casu, intellectus necessario etiam quoad exercitium determinatur, quæ appellatur necessitas exercitij & contradictionis. Indicat Themist. 3. *de anima. cap.* 10. vbi illud idem Eurip. repetit, & subdit hæc verba, quæ rem valde explicant; nam quæ euidentissima inquit sunt, & quæ ita esse vti sunt videntur, attollunt, rapiuntq; etiam repugnantem animũ ad accessionẽ, siue assensionem, è diuerso quæ nullo modo videntur esse, auertunt & reuocant etiam volentem accedere. Hæc ille. Ratio autem est, quia causa naturalis non impedita, positisque omnibus quæ ad agendum necessaria sunt, confestim necessario agit; sic enim posita præsentia coloris illuminati, si obijciatur potentiæ visiuæ, nulla re impeditæ, aut distractæ, quicquid voluntas renitatur, necessario eum oculus percipiet. Quare non est expectandum voluntatis imperium, vt Gabriel 1. *s. d.* 3. *quæst.* 3. *not.* 2. circa primum articulum. Huic autem propositioni fauere videtur D. Thomas 4. *contra gent. cap.* 11. dicens intelligibilium primorum, quæ intellectus naturaliter intelligit, conceptiones naturaliter esse in intellectu, & ab ipso naturaliter procedere. Ex quo infert, Verbum Dei seipsum naturaliter intelligentis, naturaliter à patre intelligente procedere, vbi patet D. Thomam loqui de necessitate quoad exercitium, & 1. *p. q.* 41. *art.* 2. *ad* 4. negare apertè videtur requiri in quibusdam intellectionibus voluntatem, & *q.* 82 *art.* 4. *ad.* 3. & de potentia *quæst.* 2. *art.* 3. *ad* 3. Verum est quod alijs in locis indicat se loqui de necessitate quoad specificationem, quæ lege apud Ferrar. qui tandem sibi probabilius videri dicit, solum quoad specificationem necessitari intellectum, quoniam inquit, experientia probamus nos cessare ab actuali consideratione principiorum, sed certè id nos non negamus. Id autem tantum dicimus, si adsint dispositiones omnes ad operationem requisitæ, quod ipse paulò ante rectè notauerat, necessario assentiri intellectum necessitate exercitij & contradictionis, quamuis potest sine dubio voluntas diuertere intellectum ab apprehensione terminorum, alijsque dispositionibus, quod idem locum quoque habet in alijs omnibus potẽtijs, quas nemo negat esse determinatas ad operandum necessitate contradictionis, vbi adsunt omnes dispositiones, vt diximus de potentia visiua &c. Eademque ratio est in alijs omnibus quæ non sunt planè naturales, vt sunt nutritiua & augmentatiua, quæ vt distinguantur à cæteris, peculiari nomine naturales appellari solent. Nec opus est positiuo volũtatis imperio, quia intellectus, sicut & aliæ potentiæ, non est ex se & formaliter liber, sed agit per modum naturæ, voluntas autem quia formaliter libera est, ad nullum vnquam actum constringitur. Propter quam causam beati semper & necessario, sed dulcissima quadam & felicissima necessitate, Deum amant. Vnde etiamsi voluntas per impossibile imperet intellectui ne assensum præbeat, vel suspendat, manente dicta apprehensione, non obtemperabit, sicut proposito & applicato sufficienter visibili potentiæ visiuæ, non potest non videre, etiamsi voluntas reluctetur, quæ hoc solum potest facere ne potentia attendat, seu ne illi applicetur tale obiectum.

ctum, alioque eandem auocare. Simile est in igne, quem potest quis pro arbitratu suo huic aut illi materiæ applicare, vbi tamen eum alicui applicuerit, si perduret talis applicatio, non potest facere quin comburat. Et hoc est quod ex Themist. retulimus, quæ euidentissima sunt, attollunt rapiuntque etiam repugnantem animum ad accessionem, sine assensionem.

Tertia Propositio. Quando aliqua principia nullo modo apparent vera pro neutra parte, affirmatiua aut negatiua, tum non est intellectus determinatus vt illis assentiatur, neque quoad specificationem, neq; quoad exercitium, & idem iudicium est, cum sunt aliqua principia vtrinque æque probabilia. Hæc opinio est Scoti apud Caietanum 1.2.q 65.art.4. Id autem ipse docet 3.s d. 23 q 2. Idem sentit Ægid: & Caietan. Soto 1. po d vlt. Ioannes Picus apud Nyph. 2 de anima t.153. Contrarium opinatur Ocam 2.s d.25. Almain. tr.2. Mor cap.4. & Caieta. Card. sup Probatur hæc sententia, Aristoteles enim 2. de anima. t.153. Imaginari, inquit, possumus cum volumus, opinari autem non in nobis est; necesse enim est aut falsum, aut verum dicere: quasi dicat, necesse enim est ratione aliqua duci ad opinandum, & id quod opinamur, appetere: verum cum assentimus, falsum autem cum dissentimus, vt notant Them. Auerr. D. Thom. & alij. Cum autem in neutra parte vlla apparet veritas, aut verisimilitudo, non potest tunc intellectus aut verum, aut falsum opinari, cuiusmodi esset hoc principium, quod astra sint paria. Et t. 157. Non enim, inquit, contingit opinantem ijs quę videntur non credere, hoc est, non potest qui opinatur non credere ita esse vt opinatur, vt notat Them. Phil. & Simplic. &c. Lege etiam Alexand. lib. de anima cap. de phantasia. Confirmatur. Obiectum intellectus est verum, aut verisimile. Ergo nisi obiectum altero horum modorum ipsi repræsentetur, nō poterit in illud ferri, sicut neque voluntas ferri potest nisi in bonum, aut quod boni speciem aliquam habeat. Aliunde autem cum rationes sunt æque probabiles pro vtrauis parte, erit quidem intellectus determinatus ad vtramque partem specificatiuè, in quo differt à seipso in ordine ad principia, quę nullo modo verisimilia apparent, nam respectu illorum nec specificatiuè determinatus est, non tamen est determinatus vel specificatiuè ad vnam partem, vel quoad exercitium.

Obijcies. Amore, quo erga aliquid, aut aliquem afficimur, experimur nos facilè trahi ad illud, vel illi assentiendum, vnde illud Aristotelis; talia ab hominibus iudicia ferri, quales quoque sunt. Confirmatur. Voluntas pro sua libertate alias potentias indeterminatas ad vnum applicat, vt potentiam motiuam ad saltandum potius, quam ad ambulandum. Ergo poterit etiam &c. Confirmatur secundo. Voluntas etsi duo æqualiter bona repræsententur, potest, quæ illius maxima libertas est, ad vnum potius, quam ad aliud propendere. Poterit ergo intellectus ad vnum æque probabile suum assensum inclinare. Respondeo. Sine dubio multum facit amor quo erga aliquid afficimur, non tamen vt ratione totius voluntatis rei assentiamur: multum etiam valet apud homines aliorum authoritas, maior tamen vis est rationis, quæ intellectum propellit ad aliquam partem. Vnde Aristoteles: Amicus Plato, amicus Socrates, sed magis amica veritas. Efficit igitur hic amor vt voluntas instiget intellectum ad res excogitandas, quibus quodammodo dicta voluntas auidius id appetat, quod ab intellectu melius esse iudicatum fuerit, & illeipse maior amor indicat præcessisse rationem quandam ex parte intellectus apprehendentis rem illam sub ratione maioris boni: est enim voluntas potentia quædam cæca, & quæ in actum non prodit, nisi præeat intellectus lumen. Ad primam confirmationem, non est par ratio aliarum potentiarum, quia ita sunt illæ indifferentes, vt possint tamen actus suos exercere sed intellectus nisi appareat aliquid esse verum, aut verisimile, vel inter verisimilia nisi aliquid videatur esse magis verisimile,

non potest actum suum exercere. Sic voluntas solum potest appetere bonum, & inter bona id quod melius est, vnde ad secundam confirmationem, de electione voluntatis maxima est difficultas, possitne illa propositis duobus æque omnino bonis, vnum potius quam alterum complecti? Et ne rem tanti momenti breuiter decidere videamur, solum dicimus negantem partem esse valde probabilem. Quam indicat D. Thomas 1. 2. *quæst.* 13. *art.* 6. *ad* 3. & *ibid.* Conradus. *Et de ver. quæst.* 32. *art.* 15. *in corp.* Imò etiam quod maius est, sentiunt plerique brutum propositionis duobus æque bonis neutrum ex illis accepturum esse. Qui casus videtur potius esse Metaphysicus, quam moralis, quoniam tamen in eodem asino expertum Burid. vulgò fertur, & Seneca Epist. ad Claranum & Lucillium, Bonum, inquit, sine ratione nullum est, quod idem testari videtur Arist. *Epist. ad Alex. Macedonem.*

Quarta Propositio. Cum pro vna parte sunt rationes magis probabiles, etiamsi quoad specificationem determinetur intellectus, videlicet quia si actum exerceat, is erit assensus: Cum enim videt vnius partis maiorem probabilitatem, videt oppositam esse minus probabilem, quod autem est verum, non potest ab intellectu respici, tamen non est determinatus quoad exercitium. Ratio est. Quia non conuincitur intellectus ratione probabili vt necessario assentiatur, manebit ergo tunc intellectus suspensus. Quare rectè Themist. 3. *de anima, cap.* 10. Quorum, inquit, incerta & ambigua ratio est, & perinde iudicium anceps, quasi suspendunt assensus & sustinent.

Quinta Propositio. Vt quoad exercitium determinetur intellectus, & actu assentiatur, non sufficit voluntatem nõ repugnare, seu negatiuè se habere Ratio est. Quia probabile etiamsi sit intra fines obiecti intellectus, non tamen illum, vt diximus, determinat, quia non illum conuincit, nec facit vt aliquid euidenter verum appareat, opus ergo præterea est aliqua alia causa determinante, hæc autem nulla esse potest, præter voluntatis positiuum imperium. Confirmatur. Intellectus non est liber formaliter, sed agit more naturalium potentiarum, hoc est, naturaliter & necessario. Ergo non potest absque motu voluntatis se determinare ad aliquid, nisi illud natura sua ipsum necessario trahat, quod non erit intellectum se determinare, sed determinari ab alio.

Dices. Sufficit virtualis voluntatis consensus non repugnantis. Ita respondent quidam recentiores. Verum non potest id satisfacere; hic enim concursus virtualis voluntatis communis est respectu cuiusuis potentiæ, etiam habentis determinatum obiectum, & à quo necessario veluti cogantur ad operationem. Et præterea hic virtualis consensus non potius facit vt intellectus assentiatur, quam vt dissentiatur: nihil aliud enim est, quam non repugnantia quædam, & sola negatio, opus ergo est alia peculiari determinatione, vel voluntatis quod volumus, vel si intellectus eam causat, sequitur esse formaliter liberum, quod nullus præter vnum fortè Durand. concesserit. Hæc opinio est D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 1. *art* 4. vbi agit de fide, & hac ferè ratione vtitur, quam nos proposuimus, & *quæst.* 4 *art.* 2. dicit, quod quamuis fides formaliter inhæreat intellectui, tamen per quandam redundantiam est etiam in voluntate: vtramque enim potentiam, inquit, necesse est perfectam esse ad credendum, loquitur autem de fide diuina, sed seruata proportione, eadem ratio est de humana. An autem ratione voluntatis requiratur quidam habitus eam inclinans ad credendum, vel potius quo ipsa inclinet intellectum ad credendum, disputant Theologi. Scotus asserit, alij negant. Item quomodo distinguatur fides humana & diuina ab opinione, dicetur in tractatu de scientia. Hoc autem sufficit in diuina quidem fide semper requiri voluntatis concursum, in humana autem sæpe: Vnde D. Augustin. *homil.* 26. *in Ioannem*, Cætera, inquit, potest homo nolens, credere autem non

non nisi volens. Eadem sententia est Caietani *in loco*. D. Thom. *citato*. Soto 1 *po. q. vlt. art.* 1. Almain. 3 *s. d.* 24. & aliorum. Sed videtur esse contra Scotum 3. *s. dist.* 25. *quest.* 2. & Pet. de Alyaco 1. *s. d.* 1. Olcot. *ibid.* Scotus autem nullam aliam rationem affert, nisi quia, inquit, nulla videtur esse in hac re contradictio, vel incompossibilitas. Sed recentiores qui idem sentiunt, probant hanc sententiam hoc potissimum argumento: Potentia non impedita ferri potest in obiectum suum, & in id omne quod habet rationem formalem obiecti sui, huiusmodi est omne quod verum apparet, nec impedit voluntas reluctando. Ergo. Confirmatur. Nec enim quævis indifferentia causat libertatem, quam ne admittant in intellectu, contrariæ opinionis sectatores in suam sententiam inducuntur; videmus enim bruta interdum quodammodo ambigere quid fugiendum, quidue amplectendum sit, & tandem arripere quod melius videtur. Quamuis igitur intellectus indifferēs sit ad assentiendum, vel non assentiendū rei probabili, assentiri tamē poterit, propter sufficientem rationem veri apparētis, nec ideo tamen dicendus erit esse liber. Resp. In proposito id impedimento est, quoniam intellectus cum non sit determinatus ad exercitium actus, quando obiectum non est euidenter verum, debet aliunde, hoc est, à voluntate determinari & applicari ad assensum. Ad confirmationē. Longè dispar ratio est, quoniam bruta nunquam obiectum aliquod amplectuntur, nisi maioris alicuius boni rationem habere videatur, illud tunc necessario & impulsu naturali sequuntur, intellectus autem cum ex se indeterminatus sit ad plura, nec obiectum tale sit, quod illi necessitatem afferre queat, si se ipse vnam in partem determinet, negari non poterit esse formaliter liberum, quod nullus tamen rectè sentiens concedit, vt diximus; Nec enim dicitur esse liber intellectus, quam aliæ potentiæ, quæ voluntatis imperio subsunt, quamuis adhuc peculiari quadā ratione dici soleat liber, nempè radicaliter, quia propter multiplicem rationem de rebus varijs, eademque iudicandi, habet voluntas quod modo hoc, modo illud eligere possit. Atque hæc de hac quæstione dicta sint, in qua etsi de principiorum assensu nominatim disputatum sit, quæ tamen diximus, transferri debent ad quēcunque assensum cuiuslibet conclusionis, quæ per discursum cognosci potest, quia tamen principiorum, quam conclusionis, placuit hoc loco de ea re differere.

SECTIO QVINTA.

De præcognitionibus tertiæ operationis.

De his potissimum prænotionibus, ac etiam per se tantum Arist. 1 *po. cap.* 1. vt iam toties monstratum, disputat, idque adhuc propter solam demonstrationem. Tria autē dicit esse præcognoscenda, quæ etiam præcognita appellare possumus: Subiectum, prædicatum, siue passionem, aut proprietatem, atque principia. Vt enim conclusio rectè inferri queat, necesse est ante cognosci subiectū, de quo aliquid probandum est, deinde id, quod de illo ostendi & probari debet. Deniq; principia, ex quibus huiusmodi conclusio dicitur: principiorum enim nomine non modo communissimas dignitates, & principia extrinseca, sed etiam præmissas demōstrationis, & principia intrinseca, quod idē est, intelligi volumus, vt diximus in explicatione textus. Ex quo sequitur, quod initio etiam monuimus, non haberi propriè loquendo vllam de conclusione præcognitionem, quia ipsa est quę cognosci & probari debet, & ad quam reliquæ pręcognitiones tanquam dispositiones vel causa quædam efficiens tandem referuntur. Quanquam quatenus ipsa includit connexionem prædicati cum subiecto, potest virtualiter dici esse præcognita vna cum præmissis in quibus virtualiter cōtinetur tanquam effectus in causa, ratione videlicet rei quæ in conclusione cognoscitur, vt habet Arist. 1. *po. cap.* 1. Et præterea dici potest pręcognosci cōclusio vna cum pręcognitione subiecti & prædicati, ex quibus tanquam partibus componitur. Et

quamuis Arist. vt diximus, solum loquatur de præcognitionibus demõstrationis, eadem tamen opera, quæ hic de ea dicentur, dicta intelligi poterunt de quauis alia conclusione, seu cognitione discursiua. Aliam quandam rationem huius ternarij præcognitorũ numeri affert Lincon. Demõstratio enim, inquit, quatuor ex causis constat: Efficiente, nempè præmissis; materia, hoc est, subiecto; forma, nimitũ prædicatum, & fine, hoc est, conclusione, vel scientia conclusionis. Finis non potest esse quid præcognitum, quia est id ad quod alia præcognita referuntur tanquam media ad finem. Restant ergo tria illa: Subiectum, prædicatum, principia. Quæ ratio patitur quidem aliquas difficultates, quas Lynconensi obijciũt Nyph. & Bald. est tamen non mala ratio. Cum igitur tria sint præcognita, ordine de singulis nobis dicendum est. Primo de subiecto. Secundo de prædicato. Tertio de principijs.

QVÆSTIO PRIMA.

De præcognitione subiecti.

Certum est de subiecto prænosse nos debere quid nominis, quia hæc præcognitio est principium omnis cognitionis, id autem saltem in confuso fieri debet; interdum enim potest & quæstio esse de significato alicuius vocis, vt quid significet vacuum, quid ἐντελέχεια &c. quæ tunc non dicẽrut simpliciter præcognosci, quoniam præcognitum & quæsitum opponuntur, quod diximus. Dubium ergo tantum est de præcognitione, an sit, & quid est quod dicitur, vt continet definitionem realem.

PRIMA DVBITATIO.

An semper præcognosci debeat, an sit de subiecto?

Videtur quod non. Primo. Quia multa quæruntur de non existentibus; Est enim scientia de terræ motu, de Eclypsi, de rosa, & de alijs dum non sunt, & 1. *po. cap.* Non corrumpitur, inquit Aristot. scientia corrupta re quæ scitur, nisi in sciente mutatio fiat. Secundo, scientiæ abstrahunt ab existẽtia, quia sunt de vniuersalibus. Tertio. Sæpe est quæstio an aliqua res sit, vt in Physica, an sit ignis elementum quartum sub sphæra lunæ? Hæc quæstio tractari potest & in disputatione de scientia, vbi quæritur quibusnam de rebus sit scientia, & *in lib. de anima*, dum quæritur quodnam sit obiectum intellectus. Tamen quia etiam ad rem præsentem facit, aliqua, sed paucis nobis dicenda sunt, vbi etiam omitto recensere opiniones de obiecto demonstrationis & scientiæ. Greg. *quæst.* 5. *prol. art.* 1. qui ait etiam de nihil esse posse. Ægid. 1. *po. t.* 5. dicentes esse de non ente actuali, non autem de non ente prædicamentali. Butl. hoc loco, Esse de omni eo quod concipi potest, & de eo cui non repugnat esse. Ægid. rursum & P. Venet. referunt alium modum, quo sit demonstratio de eo quod est actu, & quod est in potentia, hoc est in suis causis, non verò de eo tantũ quod est obiectiuè in intellectu, prout habet conformitatem cum re extra ipsum, quæ aut actu sit, aut fuerit. Deniqꝫ Phil. qui per ens intelligit verum, dicitqꝫ demonstrationem posse esse de omni vero; hi enim omnes dicendi modi rectius in tractatu de scientia examinabuntur.

Prima Propositio. Vt demonstratio fiat, supponi debet subiectum existere, si inquam demonstratio de nouo fiat propria inuentione. Ratio est, quia nostra cognitio incipit à sensibus, vt rectè habet Ferrar. 1. *contra gent. cap.* 66. ex Aristotele 1. *po. t.* 23. & *lib.* 2. *t.* 8. Confirmatur. Scientia & demonstratio tantum est de vniuersalibus, sed hæc fiunt per abstractionem à singularibus. Ergo. Item de vniuersalibus hæc omnino ficititia videantur, oportet supponi illa existere, nõ enim aliter homines id cognoscere possunt, qui ex sensibus procedunt. Nihilominus tamen non considerat scientia aut demonstratio rẽ prout existit singulariter, quia existere propriũ est singulariũ, sed tantum vt fundamentaliter per sua singularia.

Secunda Propositio. Aliquando quæritur de subiecto an sit, & tunc non est præcognoscendum quod sit, id autem fit cum nõ est sensu notum, vt an sint angeli. Tunc autem

autem iterum potest quæri, vel an posito quod res esse possit, actu sit, vt posito quod plures mundos Deus possit facere, sintne de facto plures, vel an possit aliquid simpliciter existere, vt hoc ipsum, possitne Deus plures mundos efficere? Primo modo supponitur subiectum esse posse, non autem secundo. Igitur vult tunc tantum Arist. præcognosci de subiecto an sit, cum non est quæstio de illo an existat. Et etiã, cum id apertissimum est, despicitur à sciẽtia, vt ait Arist. 1. po. t. 25. hoc est, non curat scientia hoc explicare.

Tertia Propositio. Demonstratio si amplè sumatur pro syllogismo certo & euidente, qui etiam est de nõ entibus, supponi debet eorum, quæ per demonstrationẽ probanda sunt existẽtia, eo modo quo illa esse possunt, verbi gratia, si quæratur an sit vacuum, cæcitas &c. tum non supponitur hæc esse, quia de illis quæstio est; si verò aliquid absolutè de illis quæratur distinctum ab eorundem existentia, sic supponuntur aliquo modo esse, vel certa cõditionaliter, & sic non supponitur esse nisi sub conditione, quæ conditio nihil ponit in esse, vt si quæratur an in vacuo fiat motus, vel an dato quod vacuum sit, fieret in eo motus? Dici etiam potest hæc & alia similia præcognosci quod sint, per existentiam eorum, per quorum conceptum illa ipsa concipiuntur & intelliguntur, vt de vacuo præcognoscimus an sit per cognitionem loci & corporis loco contenti? Ita Alb. de Sax. & Domin. de Fland. *q. 4. in 1. po.* qui tamen addit has præcognitiones intelligi de præcognitis respectu conclusionum affirmatiuarum, quod quamuis Aristoteli consentaneum sit, qui potissimum de affirmatiua disserit, absolutè tamen non est necessarium, imò etiam Aristotel. affirmatiuam cum negatiua cõfert.

Quarta Propositio. Absolutè loquendo potest demonstratio esse de rebus nullo modo actualiter existentibus: nam dicunt Philosophi & Theologi, sunt propositiones sempiternæ veritatis, & profecto Deus Opt. Max. & angeli habent certissimam scientiam de rebus quæ nunquam fuerunt, nec erunt. Prouenit ergo in nobis ex imperfectione intellectus nostri, qui semper ordinem dicit ad cognitionem sensitiuam. Et propterea semper cognitio nostra supponit aliquam rem existentem. Et ex his patet solutio rationum propositarum; Satis enim est quod demonstratio, cum est de aliquo prædicato, præter existentiam supponat cognitionem existentiæ rei eo modo quo eam habere potest, & denique quod illa res aliquomodo sit.

SECVNDA DVBITATIO.

An subiecti existentia probari possit in propria scientia?

QVoniam dictum est, non semper præcognosci potest subiecti existentia, sed de illa interdum quæstio est, propterea videndum est cuiusnam sit illa probare: an illius scientiæ cuius subiectum est, an alterius? De qua tamen re agunt alij in tractatu de scientia. Est autem notandum, subiectum aut esse totale, aut partiale. Totale est illud, quod adequatur toti scientiæ, & à qua scientia nomen & specificationem sumit. Partiale autẽ est aliqua pars, vel species huius subiecti, quo tenocari possunt principia incõplexa, quæ quidam intelligunt nomine partium, quas docet Arist. 1. po. t. 43. vna cũ principijs & passionibus subiecti à scientia cõsiderari debere, quamuis alij nomine partium species subiecti intelligant. Principia autem incomplexa sunt ea, quę continent causam essendi rei; alia enim dicuntur esse principia essendi & cognoscendi, alia autem tantum cognoscendi. Principia tantum cognoscendi sunt effectus verbi gratia, & passiones ex quibus solent cognosci causę, quibus tamen ipsa non dant esse. Principia vero cognoscẽdi & essendi sunt causæ quæ sunt dant esse, ita etiam & cognitionem causant: sicut enim se habet res ad esse, ita & ad cognosci, vt sæpè habetur apud Aristotelem. Quare meritò reprehenditur Iand. qui 1. *Phys. q. 7.* addit tertium membrum principiorum quæ sint tantum causa essendi, contra

quem lege Zim. in tab. verbo, principia scientiæ naturalis. Huius diuisionis meminit Auer. 1. *phys* *com*. 8. 3. *Met. com*. 2 & Arist. de principijs cognoscendi tantum non obscurè. 1. *po* t 25. Ex his principijs ea dicuntur esse, complexa quæ in aliqua propositione sumuntur; cum autē spectatur res seorsim à propositione, dicitur esse principium incomplexū. Nos itaq; de his omnibus agemus principijs incomplexis, natuali & totali subiecto.

De principijs incomplexis.

PRima Propositio. Nulla scientia probat suum subiectum habere principia aliqua in communi. Ratio est, quia cum multæ, ac ferè omnes scientiæ in hoc conueniant, quod principijs constent, deberet scientia id ratione aliqua communi probare, quodq; non sit proprium vnius alicuius scientię. Confirmatur. Non enim poterit id probari, nisi à posteriori per aliquos effectus, isti autem inferunt subiectū habere principia aliqua particularia, vnde Arist. 1. *phys. t*. 8. docet non esse scientiæ probare sua principia. Hæc propositio videtur esse contra Simpliciū 1. *phys. com* 1 & 2. qui ait posse scientiam ostendere subiectum suum constare aliquibus principijs, vbi etiam idem sensisse testatur Theophrastum, sed est aliorū hæc scientia apud eundem Simplicium, & nominatim Porphirij, & deniq; communis, quamuis Simplicium interpretati possumus locutum esse de quibusdam principijs particularibus.

Secunda Propositio. Potest scientia aliqua principia particularia sui subiecti probare esse; Arist. enim probat 1. *phys*. materiā primam esse, & 8. primum motorem Ratio verò est, quia & possunt esse ignota huiusmodi principia, & eadem scientia quædam esse possunt, quibus principia illa ignota probari possint, vt materia per generationem, forma per operationes, primus motor per mouens. Quare hæc probatio ferè semper erit tantum à posteriori, & per demonstrationem signi, vt dicunt, non autem à priori, quia hæc prima alicuius scientiæ principia non habent alia priora eiusdem ordinis. Hanc opinionem tenet Auerr. 1 *phys. t*. 85. *lib*. 2. *t*. 22 *lib*. 12. *Met. t*. 5. Zim. *th*. 53. & Contrad. 1. *lib* 4 *de cælo* Iand. 1. *phys. q*. Burl. 1. *phys. t*. 8. Mirand. tamen *lib*. 1. *Apol. sect* 8. dicit non sibi constare Auerroem, subiectum physicæ esse causas naturales, alibi autem non posse probari subiecti existentiam. Sed conciliari potest, vt sit locutus de demonstratione à priori. Rauis. idem quoque in Auerr. notauit, scribens in illius prol. magnum. Recitat etiam sententiā dicentium posse principiū à priori quoque in eadem scientia probari, quoniam id quod est secundum rem posterius, etiamsi quatenus aliud per illud probatur quod prius est eum dicatur etiā demonstratio esse à posteriorij, tamen quatenus illud ipsum esse principium cognoscendi, dici potest aliquomodo prius, & demonstratio à priori. Quam opinionem rectè refellit idem Rauis. Demonstratio enim à priori propriè loquendo solum est per causas tem. Verum contra id quod in propositione dictum est, sentire videtur Auic. apud Auerr. *locis citatis*. quod ipse indicat *lib*. 1. *Met. cap*. 2.

De subiecto totali.

TErtia Propositio. Non est scientiæ probare suum totale subiectum esse. Videtur id expressè docere Arist. 1. *post. t*. 2. & 15. & 6. *Met. t*. 1. vbi docet de subiecto esse præsupponendum quod sit. Idem docet Them. 2. *po. cap* 11. Phil. 1. *po*. Auer. 1. *ph* t. 23, & *vlt. lib*. 2. *t*. 26. 6. *Met. t*. 1. 2. *de anima*. t. 27. 1 *po* t 2 & 76. & *lib* 2. *t*. 35. Alensis 11. *Met. sum*. 3 *cap* 1. & *lib*. 6 *t*. 1. D. Thom. 6. *Met. ibi* Alb & Porph. vt citat Caiet. Ægid. 6. *Met* q 2 Caiet. 2. *po. cap*. 1. *dub*. 8. Zons. 12. *Met* q. 2. Zim. *th*. 53. & 2. *de anima*. *cortrad* 27. Achillinus *q. de physic*. Bald. *quest*. 6. & c. Ratio huius est optima, quā indicat Phil. 1. *post. textu*. 2. & explicat Zim. *locis citatis*, ideò non probari subiectū esse, quia de ratione subiecti est, vt supponatur, & concedatur, quare à græcis appellatur concessum & da-

& datum, itemq; suppositum, vnde sicut inset argumentandum nemo agit contra hypothesim, ita superuacaneum est in scientijs probare subiectum esse. Quam rationem immeritò reprehendit Rauisius. Confirmatur Scientia & scibile sunt correlatiua, nec potest vnum cognosci sine alio, at si scientia probat suum subiectum esse, iam supponitur scientiam esse, & quæritur de subiecto, quare simul etiam simul etiam supponitur scientiam non esse. Hanc rationem indicat Auerr. 1. ph. t. vlt. Scot. 1 po. t. 76. hanc aliam secundam reddit, quia si de subiecto fuerit demonstratio, daretur processus in infinitum, idem enim quæreremus de subiecto illius demonstrationis per quæ-nam subiectum probatur. Tertia ratio est Caietani, quia semper in demonstratione concluditur prædicatum de tertio adiacente, quare semper supponitur id de quo demonstratur. Quartam rationem etiam habet Caietanus scientia quærit passiones de principia, & effectus eiusdem. Ergo supponi debet subiectum esse Quinta ratio est Nyphi 1. ph. com. vlt. Quia nihil est in scientia notius subiecto, sed hanc rationem iure refellit Zim. Etsi enim id verum sit loquendo de notiote secundum naturam, non tamen quoad nos. Potest tamen hæc ratio, si ad illam adiungatur prima, vtrumque defendi, rationes verò Caietani communes sunt cuilibet subiecto, siue totali, siue partiali. Prima potest etiam accommodari cuilibet partiali, quatenus de illo aliquid demonstratur, tamen propriè tantum est de subiecto totali, quod nomine subiecti absolutè intelligitur. Non eget igitur subiectum totale aliqua demonstratione, etiamsi in scientia aliqua sint fortè notiora, ac propterea probari non debet Sic enim Arist. 2. ph. t. 6 Ridiculum, inquit, est demonstrare velle naturam esse, nempè quia id notum est etsi sine dubio notius sit motum esse, & lib. 1. phi. & 8. dicit supponi in physica motum esse, nec posse probari, eum tamen 4. ph. t. 104. dicat mobile esse notius motu. Sexta ratio est Auerr. 3. Cæl. com. 4. & 6. Met. comm. 1. Mitand. lib. 1. Apol. 7. Quoniam hoc probare poprium est Metaphysicæ, quod indicare videtur Arist. 6. Met. t. 1 Quomodo tamen id intelligi debeat, proprius erit alibi de hac re differendi locus. Interim existimo id, si nudè accipiatur, falsum esse, quia non est Metaphysicæ agere de partialibus subiectis scientiarum, secundum particulares illorum entitates, sed alterius fortasse, quam vel scientiam vnam communissimam, vel peritiam rectè appellares. Nihilominus per quandam, vt ita dicam, appropriationem tribui id solet Metaphysicæ, quia est vniuersalis scientia, agens de maximè communibus, & prædicatis, & entis generibus, quæ ad particularia scientiarum obiecta definienda adhiberi solent. De eo autem quod definitur, supponi debet quod sit. Verum est quod Auerr. 3. Cæl. comm. 4. non dicit Metaphysicæ esse subiecta scientiarum demonstrare, sed stabilire, hoc est tueri & defendere aduersus eos, qui ea labefactare vellent, per sua principia communia ad inconueniens deducendo. Concludendum ergo est, non demonstrari subiectum esse, non quia desit medium à posteriori: sunt enim effectus, passiones, signa, &c. sed quia demonstratio solum ad ea quæ obscura sunt adhiberi solet. Hæc opinio est contra Scotum in prol. f. q. 3. & 1. Met. q. 1. Ant And. ibid. qui dicunt subiectum probari in scientia à posteriori, quod ostendendunt exemplo Aristotelis, qui aliqua subiecta probauit, & Prisnani probantis orationem constructam esse. Sed exemplum Aristotelis solum verum est in subiectis partialibus, de quibus nihil aliud diximus. Est etiam notandum, in scientijs solere nos aliquando quærere quodnam sit illarum scientiarum obiectum, quod non est probare subiectum esse, sed declarare, eum multa sint quibus subiecti ratio tribuitur, quodnam tandem illud sit, & si fortè aliquando probetur, sumuntur rationes aliunde, non ex propria scientia.

(*,*)

De subiecto partiali.

QVarta Propositio. Potest aliqua pars subiecti ignorata probari & demonstrari per medium, proprium eiusdem scientiæ. Ita sentit Zim. *contradict.* 2. 6. *Met. contrad.* 1. *quæst.* 4. *de Cæl.* & *th.* 53. Auer. 4. *de Cæl. com.* 42. licet ibi addat id rarò contingere. Et 2. *post. com.* 93. & 2. *de anima. com.* 29. D. Tho. 4. *vel in* 4. 32. Probatur id exemplo Aristotelis; Is enim 4. *de Cæl.* probat ignem elementalem esse. 8 *Ph.* primum motorem. 2. *de anima* dari sensum communem. *lib.* 3. dari intellectum agentem. *lib. Elench.* dari Syllogismum Sophisticum. *lib. de demonstrat. c.* 1. dari demonstrationem, vt multi tradunt. 1. *ph.* dari materiā Quod verò id efficiat sciētia ex proprijs principijs, patet; nam probat Arist. ignem esse per motum sursum, materiam per generationem, &c. Idem sentit Scot. & Auic. *locis citatis.* & Mirand. *lib.* 1. *ap. sect.* 5. dicens probari posse in Metaphysica intelligentias esse, tunc tamen huiusmodi probatio non fit à scientia partiali vt partialis est, hoc est ab ea parte quæ versatur circa illud obiectū partiale, sed ab alia aliqua priore parte eiusdem scientiæ; nam id de quo fit aliqua demonstratio passionis alicuius, an ē prædicati, semper supponi debet quod sit. Contrarium sentiunt quidam recentiores, dicentes nullam subiecti partem probari posse. Alij autem eam saltem quæ præcipua est, vt docet Zonf. 12. *Met. q.* 2. *art.* 1 *ratione* 2. quod si subiectū illud sit maximè præcipuum, vt ferè pendeant cæteræ partes ab illo, facilè concedi potest, non autem si præcipuum est tantū quia nobilius, probat enim Metaphysica intelligentias esse. Notandum autem est, esse quod supponitur, aut est esse actualis existentiæ, si subiectum actu existit, vel existentiæ secundum non repugnātiam. Cū autem probatur subiecti existentia, probari solet actualis. Cæterū non tantum à posteriori, sed à priori etiam interdum potest subiecti partialis existentia probari, per aliqua videlicet principia priora eiusdem scientiæ. Est contra quosdam apud Pauis. qui voluit id solum probari posse demonstratione signi, seu à posteriori. Qui autem etiam negat à posteriori probari posse, & exempla quæ ex Aristotele proferuntur, respondet non valere; id enim, inquit, fecit Arist. in Physicis, nō vt Physicus, sed vt Metaphisicus, quod est falsum: probat enim Arist. vt ostendimus, per principia Physica.

Secunda Propositio. Solet nihilominus subiectum & totale & partiale explicari in ipsa scientia, Inductione & Exemplo, aut leuiore aliqua ratione, aut etiam, vbi opus fuerit, Demonstratione, petita tamen ex aliqua alia scientia, si subiectum totale sit. Simile est in Hypothesibus, quas nonnūquam leuiter probare solemus, vt deinde aliud ex ipsis ostendamus, quod potissimum fit ad discentium gratiam. Vnde ortum habuerunt quæstiones illæ procemiales, quas vocant Græci προλεγόμενα, & hanc vocant Auer. teste Zim. Maieriem. Non ergo scientia suum subiectum totale sibiipsi præstituit, aut esse probat, sed supponit, aut certè leuiter probat quibusdam rationibus non planè alienis, à se, aut aliunde petitis. Simpliciter verò videtur solius esse periti præscribere suum cuique scientiæ subiectum, & illud si opus sit probare & explicare, &c. quod tamen Metaphysicæ tribuitur, propter eas quas diximus causas, quia est scientia vniuersalis, & vt loquitur Arist. Domina scientiarum. De qua re D. Th. 1. *Met. in init.* vbi eam appellat Archytectonicam. Et Auer. 3. *de Cæl. com.* 4. Constat autem subalternatarum scientiarum subiectum probari posse à scientia subalternante, quia essentialiter idem est; probari enim poterit ex principijs subalternantis. Ita docet Auer. 1. *ph. com. vlt.*

Obijcies. 2. *po. c.* 1. dicitur tot esse quæstiones, quot sunt scibilia, ergo & de subiecto quæri potest ac probari an sit, hæc enim prima est quæstio omnium. Resp. Hinc tantum vt summum sequitur posse probari subiecti existentiam,

non

non tamen in eadem scientia. Deinde non est sensus, de omni re semper quæri illa quatuor: An sit, quid sit, quod sit, & propter quid sit, sed omnia quæ de aliqua re quærũtur, ad hæc reuocari posse; nam de ente rationis quæri potest, inquit Auer. 1. *po. com.* 2. quid sit, non autem an sit, quæ tamen ratio non probatur, eo enim modo quo de ente rationis quæri potest quid sit, quæri etiam potest an sit. Lege Thomitanum. *1. po. contrd.* 14. Certè de principijs quæri potest quid sint, & quæri nequit propter quid sint, & de ijsdem supponitur an sint.

Obijcies Secundo. Cum Nypho, si probari possunt in scientia partes subiecti, ergo & totum subiectum; inuentio enim partium subiectiuarum, & inuentio subiecti eadem est, imò prius est inuentione subiectum totum, quam partes, vnde non valet: Animal est, ergo homo est, sed contra, &c. Confirmatur. Totum nihil aliud est quam suæ partes. si enim probari possunt partes, etiam totum. *Resp.* Totum & partes simul sumptæ, idem re sunt, & distinguuntur sola aliqua formalitate, etiamsi Scotus dissentire videatur, tamen partes inter se distinguit realiter, & totum collatum ratione aliquarum partium vnà cum aliquibus partibus, quodammodo distinguitur realiter ab illis. Quarè potest in scientia cognosci vna pars, & ignorari alia, imò etiam potest aliquid notum esse in ratione generis, ignotum autem in ratione speciei, quia sciri potest hoc esse animal, non autem cuius speciei, & contrà sciri potest aliquid esse determinatæ speciei, & ignorari proximum illius genus, vt testatur Arist. 7. *Met. t.* 28. exemplo muli, qui ex equo & asino procreatur; ignoratur enim proximum genus ad ista tria animalia. Idem referunt historiæ de lupa & cane, angue & anguilla. Quare non valet ratio, nec verum est omnes partes subiecti esse ignotas, tum enim ipsum quoque totum ignotum esset.

TERTIA DVBITATIO.

An subiecti quidditas sit præcognoscenda?

PRima Opinio est recentiorum Auerroistarum, nullam scientiam supponere suam quidditatem, quia inquiunt, Arist. 1. *po. c.* 1. locutus est tantum de quid quod est nominis. Confirmatur. Quia quid rei spectat ad præcognitionem principiorum, sumitur enim vt principiũ in demonstratione, ex Arist. 1. *de anima, t.* 11. Confirmatur. Si enim non refertur ad præmissas, sequitur quatuor esse præcognita; principia, subiectum, prædicatum, & medium terminũ.

Secunda Opinio, quæ Caietano tribuitur. 1. *po. c.* 1. & est D. Thomæ *ibid.* & 1. *p. q.* 1. *art.* 7. *ad* 1. præcognosci debere quid est subiecti, non in demonstratione quia, sed propter quid; in demonstratione enim quia satis esse cognosci aliquẽ effectum, aut signum à posteriori. Verum quia Arist. 1. *p à t.* 2. & deinceps egit tantũ de demonstratione propter quid, ideò non dixit præcognosci debere, nisi quid est quod dicitur. Idem docet Dom. de Fland. 1. *p. q.* 5. *art. vlt.* Hæc opinio verior videtur, & probatur ex Arist. 1. *enim post. t.* 24. ait scientiam supponere de subiecto esse, & hoc esse hoc est subiectũ esse, & habere tale esse, nempè quidditatem, quæ inquit Thomit. *contrad.* 70. omnium est interpretatio, & Arist. non rarò definitiones suppositiones vocat. Phil. id apertè asserit. 1 *po. t.* 2. explicans prænotionem quid significet res; semper enim addit vel quid est. Et *t.* 22. & cũ Arist. *t* 25. dicit quasdam scientias despicere præcognitiones aliquas, exponit Phil. hoc est inter alias scientiam non definire. Idem docet Auer. 1. *p. com.* 2. Alb. *tract.* 1. 1. *p. c.* 3 asserit subiectum præcognoscendum esse quoad definitionem quidditatiuam, & probat authoritate Porphyrij, & concludit hunc procul dubio esse sensum Aristotelis. Confirmatur. Quia superius ostensum est non esse improbabile sub præcognitione quid est quod dicitur comprehendi quid rei. Quod prætereà ex eo patet, quod Aristoteles 6. *Eth, cap.* 1. *loco* 17. loquens

loquens de definitione quid rei, ait definitionem assignari contra cognoscendi id quod dicitur, hæc est gratia definiendæ rei definitione reali. Probatur id. exemplo: Mathematici enim sua omnia ante definiunt, quam alias de ijs affectiones demonstrent. Arist. quoq; fere semper id facit, vt in his ipsis libris de Demõstratione *t.2.* definitionẽ Demonstrationis ponit, & *in lib pr. top* & Ele. syllogismos omnes in specie definit, & eorundem genus *2. phys.* definit naturam, *3. phys.* motum &c. Vnde illud Cic. *1. de offic.* omnem rectam alicuius tractationem à definitione debere proficisci. Quod apertè etiam indicat Arist. *1. de anima, t. 4. 5. & 11.* dicens *in T. 11.* esse definitionem & quid est, principium omnium passionum, quód idem habetur *4. phys. t. 31.* Idem probat Soto *1. po. q. 1. ad 3.* Itaque scientia quidem totalis suppo nit sui subiecti definitionem, quia illam à priori probare nequit, nec etiam ex prioribus aliquibus principijs colligere, potest tamẽ illam tradere explicationis causam, vt paulò ante diximus. Et quia ad constituendam definitionem plurimum iuuant regulæ Logicæ, & scientia Metaphysica, quatenus continet summorũ generum cognitionem, hinc est quod aliquando istæ definitiones vtriq; tribuuntur. Cæterum partialium obiectorum in eadem scientia potest ab eadem tradi definitio, quia alia quædam sunt in ipsa tanquam principia, ex quibus definitionem formare posset. Idem proportionaliter dicendum est de principijs scientiæ totalibus & partialibus. Ad rationem igitur cõtrariæ opinionis iam diximus non vacare probabilitate sub præcognitione quid est quod dicitur contineri quid rei, de qua re *in dub. 2. q. 3.* Ad primam confirmationem. Quid rei est principium Demõstrationis, sed incomplexum, etiamsi deinde componere possit principium complexũ, ingrediendo actu demonstrationẽ ipsam, quomodo etiam subiectum ipsum appellatur principium circa quod scientia versatur. *1. po. t. 43. ad fin.* Nec satis est definitionem poni in præmissis ad hoc quod ipsius cognitio tribuatur premissis, alioqui præcognitio etiã subiecti & prædicati referretur ad præmissas. Ad secundam confirmationem. Quid rei refertur ad præcognitum quod est subiectum, & ita tria tantũ sunt præcognita. Sed de subiecto tria sunt prænoscẽda: Quid nominis, an sit, & quid rei? Nec est æquiuoce locutus Arist. *1. po. t. 2.* sub præcognitione quid est quod dicitur, intelligẽs quid nominis & rei; nam id latius *t. 24.* explicauit, & eodem illo loco per prænotionem quia est, intellexit præcognitionem complexorum & incomplexorum. Ergo eodem modo potuit per quid est quod dicitur intelligere quid nominis, & quid rei.

Vltimo notandum est, nomen subiecti variè accipi: Aut enim significat id de quo totalis scientia est, aut partem illius subiectiuam, & sic nunquam potest passio, vel principium appellari subiectum, quia illud subiectum est de quo principia declarari, passiones verò demonstrari debent, vt rectè docet Zabar. *lib. de trib præcognitis cap. 7.* Quanquam absolutè loquendo subiecti nomine totale intelligatur. Alio modo accipitur subiectum pro omni ea re, quę in scientia explicatur, & hoc modo potest aliquando passio & principium appellari subiectũ, quia de passione possunt aliquando esse aliquę demonstrationes; & quod non tunc propriè appelletur subiectum, patet ex eo quod *1. po. t. 43.* dicatur subiectum cuius ostenduntur principia, partes, & passiones.

QVÆSTIO SECVNDA.

De præcognitione passionis.

PAssionis nomine intelligitur, vt rectè Caiet. *2 po. cap. 1. dub. 8.* omne prædicatum, idq; omne quod de altero dicitur & probatur. Quod quia vt plurimum in demonstratione præsertim propter quid solet esse vera passio, propterea hoc nomen passionis retinuit, vt diximus in explicatione textus *t. 1.* Quęnam autẽ de passione præcognoscenda sint, non solet tanta esse dubitatio: Imprimis certũ est præcognosci debere quid nominis: Vt enim passio de subiecto demonstretur, necesse est confusum aliquem conceptum passionis

præco-

præcedere, & communis ratio est omnibus prænotiotibus, quoniam prænotio nominis est otigo cuiusdam altetius notitiæ. Quæri igitur præsertim potest de præcognitione an sit, & quid sit.

PRIMA DVBITATIO.

An de passione prænoscendum sit an sit?

PRima Opinio. Passionem dupliciter considerari posse: Vel vt res quædam est, vel certè vt formaliter est quædam passio. Si primo modo consideretur, dicunt præcognosci posse quod sit, quoniam nullum certum subiectum dicit. Si verò secundo, non posse, quoniam passionis vt passio est, esse cõsistit in eo, vt insit subiecto suo, quod ante cõclusionem & demonstrationem per quam demonstratur de subiecto ignoratur.

Secunda Opinio: Aliorum. Etiam vt passio est, posse præcognosci quod sit, tũ maximè cum de aliquo effectu & passione scitur quod subiecto insit, ignoratur autem & quæritur causa propter quam insit, Aristotelem tamen non meminisse huius prænotionis, quia nõ est necessè vt ante demonstrationem cognoscatur passionem inesse: simul enim atq; probatur cur passio insit subiecto, probatur etiam & scitur inesse passionẽ.

Tertia Opinio. Adhuc hoc modo precognosci posse, atq; etiã debere indicat P. Ven. nisi enim, inquit, sciatur Eclypsin esse, nõ poterit, de luna demõstrari.

Notandum est, id quod de subiecto demonstratur, aut eo conuertitur, aut latius patet.

Quarta Propositio. Cum de passione quæritur propter quid, tũ præcognoscendum est quod sit. Vnde cum sciamus multas passiones & effectus rebus inesse, causas inquirimus quæ nos latent. Imò verò testatur Arist. *1. Met. c. 1.* hinc ortum habuit Philosophari, nempè ex admirari, admiratio verò est, cum cognoscimus aliquẽ effectum, & ignoramus causam. Et propterea rectè inquit Them. *ubi* 2, inquirentibus quare à magnete ferrum trahatur? prænoscẽdum est ferrum à magnete trahi, quo exemplo vtitur loquens de prænotione an sit. Quod autem tunc causam alicuius passionis probamus, simul videamur scire passionem inesse, nihil obest: id enim solum est concomitanter, alia verò ex parte sciri multò ante potest passionem inesse, ignorata causa, & demonstratio ad id cognoscendum per se tantum suscipitur.

Secunda Propositio. Cum de passione demonstrandum est quod rei insit, si nõ cõuertatur cum subiecto, prænosci potest esse in alijs; vt si probare velim terram esse rotundam, prænosci possum cælum esse rotũdum, non tamen id necessariũ est; Etsi enim vel nullum corpus esset rotũdum, vel id ignoraremus, institui adhuc quæstio & demonstratio posset, nec posset illa eadem passio præcognosci esse.

Tertia Propositio. Passio vt formaliter de ea quæritur an insit alicui, non potest sic præcognosci quod sit, quia ipsius esse & inesse subiecto. Nec valet distinctio de passione, vt res est, & vt passio est, nam passio vt est accidens propriũ & conuertibile cum subiecto, ex propria sua ratione habet quod sit in subiecto, vnde non potest prænosci esse nisi in subiecto. Si autem passionis nomine intelligatur prædicatum aliquod latius patens, poterit præcognosci esse in aliquo alio subiecto, nec tamen id necessarium est, vt dixi, de alijs prædicatis. Alij supponentes distinctionem in demonstrationem Quia, & propter quid, simplicem seu potissimam dicũt in demonstratione Quia, qua probatur passionem inesse, sed non posse præcognosci quod sit, si reciproca sit, vel saltẽ quod sit in illo subiecto, cui inesse probanda est; in demonstratione autẽ propter quid, quia solum quæritur causa cur insit, prænosci quod sit & insit, sed in demonstratione simplici, quæ vtrunque probat, non posse præcognosci. Verum de hac distinctione dicemus infra, & quicquid sit, tenendũ solum est quod dixi-

diximus. Hinc patet quomodo dictæ sententiæ conciliandæ, sed tertia falsa est, si loquatur de simplici inexistentia prædicati & passionis; nam vt hæc de re aliqua demonstretur, non debet prænosci quod sit, sicut in exemplo P. Ven. non debet præcognosci quod Ecclypsis sit, si de Luna demonstrari debet, nisi quatenus inest alteri subiecto, nempe soli, demonstratio vero quæ de Ecclypsi fit, est de causa propter quam conueniat, Lunæ, &c.

Obijcies. Arist. solam dicit de passione prænoscendi esse quid est quod dicitur, sed illa præcognitio solam continet præcognitionem nominis. Ergo. Resp. Esto Arist. per quid est quod dicitur, loquens de passione intellexerit quid nominis, & non quid rei, quod an præcognosci debeat, postea videbimus. Id tamen ib. fecit, quia præcognitio an sit, non est semper, & in demonstratione necessaria. Et quia cũ fit demonstratio propter quid, in qua ostenditur cur passio insit subiecto, simul cognoscitur esse passionem, licet cognitum ante fuerit passionem esse, & inesse. Et satis est quod ex vi illius demonstrationis ostendatur passionem esse.

SECVNDA DVBITATIO.

An præcognosci debeat quid rei?

HVius dubij solutio pendet ex superiori; si enim prænosci potest quod sit, poterit etiam prænosci & quid sit, præsertim enim interdum contingat definitionem passionis in Demonstratione sumi loco medij. Primo igitur dicendum est, in ea demonstratione, in qua passionem inesse subiecto omni & primo demonstramus, quæ appellatur demonstratio vniuersa, non potest prænosci definitio, quia nec etiam prænosci potest quod sit passio, cum ignoretur quod insit; est enim tunc passio conuertibilis cum subiecto, illiusque esse est inesse tali subiecto, nec potest cognosci quid res sit, nisi cognoscatur an sit. Secundo. Dicendum in demonstratione, in qua passio de subiecti aliqua parte, seu specie demonstratur, potest præcognosci illius definitio, quoniam prænosci quoque potest esse talem passionem, videlicet in aliqua alia parte. Tertio. Cum demonstrandum est propter quam insit passio, potest præcognosci ipsius definitio, quia etiamsi ipsa sit causa passionis, non tamen vltimata & perfecta: hæc enim est definitio subiecti vt videbimus, cum agemus de medio demonstrationis. Quarto. Cum demonstratio est à posteriori, non est dubium quin possit præcognosci definitio passionis, sed tunc non tam habet locum passionis & prædicati, quam medij, quia demonstratio à posteriori est, cum ex effectu aut passione, quę aliquid posterius est, probatur id quod prius est, nempè subiecti ipsius existentia, vel definitio. Aristoteles autem locutus potissimum de demonstratione à priori, & propter quid, & de præcognitionibus solum necessarijs, dixit de passione esse tantùm præcognoscendũ quid significet, quamuis nihil, vt diximus, obstet sub illa prænotione etiam comprehendi quid rei. Et hoc tenet Capr. 1. *f. d. 2. art. 2. ad primum* Aur. ly. contra primam conclusionem ex mente D. Thom. *1. po cap. 1.*

QVÆSTIO TERTIA.

De præcognitione principiorum.

SVper est agamus de prænotione principiorum, quorum nomine intelligimus principia complexa, siue propositiones. Porrò reuocandum est in memoriam, quod non semel monuimus, principia quædam esse propria, quæ dicuntur communia. Propria autem sunt respectu vnius solius conclusionis, cum hæc præmissæ determinatæ vni soli conclusioni seruiunt, quia cum sint determinatæ, habent determinatam quoque vim vnius solius conclusionis inferendæ. Aut respectu totalis scientiæ, ita vt assumi possint ad plures demonstrationes in eadem scientia. Communia vel sunt maximè vniuersalia, & omni scientiæ opitulan-

tulantia, vt quodlibet est, vel non est, aut certè pluribus scientijs, vt totum est maius sua parte.

Notandum secundo. Partialis alicuius conclusionis cognitio haberi potest per cognitionem propriorum principiorum dictæ conclusionis, quia hæc ab illis directè tantum pendet, & dicuntur principia intrinseca. Cognitio autem scientiæ totius requirit cognitionem principiorum omnium, illi scientiæ communem; plurium autem scientiarum notitia, vel omnium, etiam notitiam huiusmodi principiorum. Ratio omnibus communis est, quoniam ex Aristotele 1. *po. cap. 2.* Propter quod vnum quidque ta'e, & illud magis, sed propter principia habetur cognitio conclusionis scientiæ, ergo multò magis perspecta nobis esse debent principia. Quæ propositio quomodo sit intelligenda, dicemus in explicatione textus. Idem docet Arist. 2. *p. t. vlt.* Dicemus itaque tum de principijs communibus & partialibus simul, tum priuatim de principijs quæ sunt præmissæ in demonstratione, in qua directè conclusio infertur, hoc est ostensiue, & principia communia spectabuntur, vt possunt aliquomodo ingredi demonstrationem saltem ducentem ad impossibile.

PRIMA DVBITATIO.

De præcognitione principiorum omnium.

PRima Propositio. Quod attinet ad principia maximè communia, solet adhiberi tritum illud, *Quis aberrabit à ianua,* quod Auerr. intelligit de principijs, Alensis, Alb. D. Thom. & Henr. *in* 1 *p. art.* 1. *quæst.* 10. Alex. paulò ante, nempe de tota scientia, & quauis cognitione in communi, vt monet Zim. *in tab. verbo. Prima cognita.* De quo prouerbio vide tum Interpretes *ibid.* tum Erasmum *in Chiliadibus. cent.* 6. vel potius Adagia à Paulo Manutio collecta, qui dictionem græcam mauult legere per literam H, vt significet, *fera*, vt sit sensus, quis abberrabit à fera; est enim, inquit, deriuatum hoc prouerbium ab Euripide in hymnis, vbi refert fabulam de illo qui socium carissimum errore sagitta confodit, cum in feram intenderet, quod testatur Arist. in oratione Petielis; sed præstat legere per I. sic enim omnes codices habent, & ita omnes interpretes sententiam illam Aristotelis interpretantur, imprimis Auer. & Alex. & Argyrop. ita vertit, voluit enim Arist. aliquid facile valde proponere, vt inde ostenderetur difficile esse aberrare à quibusdam principijs maximè notis. Longè verò difficilius est feram ex insidijs & incommodo configere, quã à scopi ianua aberrare: Solebant enim veteres, quod & modo quoque obseruatur, scopum à lateribus & à tergo muro aliquo defendere, superne imminente tecto, vt ingressus qui paret ianuæ speciem referat. Quare leuis est contectura illius autoris, desumptam esse similitudinem à sagittarijs, illi enim etiam sagittando, & iaculum dirigendo in scopum se exercent. Præterea huc referri possunt, quæ sparsim Aristot. in laudem cognitionis principiorum docet, vt 3. *Elench. cap.* 10. Principio, inquit, inuento, facile est addere & arguere reliquum. Et 1. *Eth. cap.* 7. Principium, inquit, est plus quam dimidium totius, quod de principio scientiæ, complexo intelligit Eust. D. Thom. Auerr. Butid. & Burl. Alb. *de definitione.* Eandem sententiam habet Aristot. *lib.* 5. *polit. & alibi.* Plato 6 *de leg.* Est autem Hemistichium Hesiodi, quod translatum postea est ad quæuis negotia fortiter aggredienda. Vnde Horat. in Epist. *Dimidium facti qui cœpit, habet.* Similis sententia est Sophoc. apud Plut. *in lib. quomodo sint audiendi Poetæ.* Idem Aristoteles 1. *de generat. animal. cap.* 2. Principio, inquit, immutato, exiguo, multa ex his, quæ à principio sunt, immutari solent. Et *lib.* 5. *cap.* 7. Principia, inquit, quamuis magnitudine parua sint, tamen facilitate sunt magna. Et 1. *de calo t.* 33. idem repetit, dicens quod principium maius est virtute, quam magnitudine. Et præ-

præterea: Modica, inquit, transgressio in veritate discedentibus, fit longè millies decies maior, vt si quis minimam quandam dicat esse magnitudinem, hic enim minimum introducens, maxima vtique amoueret Mathematicorum. Huc etiam faciunt quæ sæpe dicit: *Paruum errorem in principio, magnum esse in fine.*

Secunda Propositio. De principijs prænoscendum est quod sint vera, quodque necessaria sit connexio subiecti cum prædicato. Quod in communissimis seu dignitatibus habetur per solam cognitionem terminorum, in alijs autem minus communibus inductione, vel experientia, logicis rationibus, syllogismo, hypoth. &c. In principijs verò moralibus præsertim per consuetudinem colligi potest ex 1. *Eth. cap. 3. & 7.* Et de hac re sufficiant quæ sup. diximus de præcognitione secundæ operationis, in qua sunt principia, ex quibus habitus intellectus constituitur, sed applicari possunt principijs, quatenus demonstrationem vtrunq; ingredi possunt, quo etiam modo dici solet habitum intellectus esse principium scientiæ, & consequenter demonstrationis, quæ est causa scientiæ.

Tertia Propositio. Hinc sequitur nō posse vllam scientiam, quatenùs talis est, sua principia probare demonstratione propter quid, quia non habet alia priora principia, sed nec etiam demonstratione, quia si de principijs cognoscendi in scientia loquamur, alia communiora supra se non habent. Est Aristot. 1. *phys. t. 8; lib. 8. Tit. 2.* Phil. *in t. 8. 1. ph.* Them. Simpl. Alb. D. Thom. Ægid. & Auer. & *1. colliget cap. 1.* & Gal. *1. de element.* ex sententia Hyppocratis & Aristot. Confirmatur. Principia enim prima cognoscendi notissima sunt, quare si per alia probarentur, nec prima, nec certissima essent. Per principia verò cognoscendi intelliguntur non modo ea quæ realem causam continent, sed etiam quæ effectum, passionem, signum, aliudq; posterius eiusdem generis, quod notissimum sit, & per quod in alterius notitiam peruenire possimus.

Quarta Propositio. Potest nihilominus scientia eadem suamet principia probare ad hominem, & deducendo ad impossibile, nimirum ex alijs principijs eiusdem scientiæ ab aduersarijs concessis, ea inferendo quæ ipse negat, quod commune est cuilibet principio.

Quinta Propositio. Directè & ostensiuè probari possunt in eadem scientia interdū principia, ea nimirum, quæ partialia sunt per aliquos effectus, passiones &c. demōstratione à posteriori, nec non etiam demonstratione à priori, cum aliqua sunt priora principia, per quę ista probari possunt; hoc enim modo in Mathematicis aliqua demonstratio esse potest, cuius principium per plus quam viginti principia priora probari posset.

Sexta Propositio. Scientiæ inferiores & subalternatæ habent principia, quæ probari possunt per principia subalternantis, vt principia Musicæ per principia Arithmeticæ, imò verò essentialiter fere eadem sunt. Et ratio est, quia se habent principia scientiæ subalternatæ tanquam effectus quidam & conclusiones respectu conclusionum subalternantis. Tunc autem obseruandum est, etiamsi principia subalternatæ in eadem probentur, non id tamen fieri ab ea vt subalternata est, sed tanquam veluti continuatur cum subalternante, & illius personam quasi induit: Vt enim subalternata est talis scientia determinata, necessario supponit principia sua, perinde atque subalternans, atque quæcunque alia scientia. Hoc docet Aristoteles 1. *phys. t. 8.* Vt enim, inquit, geometriæ non amplius est ratio ad eum qui destruit principia, sed aut alterius est scientiæ, aut omnium communis, vbi per alteram scientiam intelligit subalternantem, vt interpretatur Phil. Auerr. D. Thom. & alij. Id etiam apertè docet 1 *po. t. 23.*

Septima Propositio. Omnium principiorum quæ sunt in alijs scientijs probatio Metaphysicæ tribui solet. Ita Aristoteles *t. 8. lib. 1. phys.* vbi nomine omnium communis intelligit Metaphysicā, vt volunt

Inter-

Interpretes dicti, & Themist. & Simplic. Et 1. *po. t.* 23. ait non esse cuiusque scientiæ probare principia, sed scientiæ quæ est Domina omnium, per quam Metaphysicam intelligit. Idem etiam dicitur Plato sensisse, tribuens hoc Dialecticæ, dicensque omnes scientias supponere principia sua à Dialectica, per Dialecticam intelligens, quod non semel facit, Metaphysicã. Hoc testatur Porph. *in* 1. *Eucl. cap.* 14. Alc. *de doct.* Plat. *cap.* 5 *&* 6. Plotin. *Aen.* 1. *lib.* 3. *cap.* 4. *&* 5. Marsil. *in dictum locum Plotini, &* *in Eub. Platonis* Carpent. *in Alc. Platonis*. Verum quomodo id intelligendum sit, iam diximus; non enim per se, & tanquã per causas probat Metaphysica, singula singulatum scientiarum principia, quia non pertinet ad illam agere de particularibus rerum quidditatibus, nec consequenter de proprijs scientiarum principijs, alioquin dicendæ essent omnes scientiæ vni Metaphysicæ subalternari, quod falsum esse tractatu de scientia dictum. Lege interim Zons. 4. *Met. q.* 9. Iandun. 1. *Met q.* 2. Soror *phys. q.* 1. Dicuntur tamen probari à Metaphysica principia deducendo ad impossibile, quia illa vt est de obiecto maximè communi, habet etiam principia maximè communia, & quæ facile applicari possunt ad partialia.

Octaua Propositio. Etiam Dialecticæ tribuitur probare principia scientiarum. Hoc docent multi ex dictis Interpretibus 1. *ph. t.* 8. de omnium communi scientia Dialecticam quoque intelligentes. Quod idem habet Themist. 1. *post. cap.* 14. & Ammonius *præfat. in prædicamenta.* Alexand. 1. *Top. in init.* Notandum autem per Dialecticam aut intelligi posse partem Topicam, quæque vtens dicitur, atque de omni re probabiliter disserit, quo pacto eam intelligere videntur Græci, & sic Dialectica probat principia omnium aliarum scientiarum, quatenus rationibus probabilibus ea aliquando probari possunt, quo pacto Dialecticam etiam vsurpat Aristoteles non semel, eamque latè patentem faciens, atque Metaphysicam, vt ostendimus in proleg. Dialecticæ. Vel intelligi potest per Dialecticam ipsa tota ars, vt dirigit operationes intellectus, & præcepta de singulis rectè conformandis tradit, & vt docens appellatur, sicque dicetur probare principia omnium scientiarum, quia dat viam & modum quo probari possint, huiusmodi principia, vbi opus fuerit, præcipiens de inductione, demonstratione à posteriori, alijsque modis quibus principia probari possunt.

Dices. Eodem modo dici poterit Dialectica probare conclusiones aliarum scientiarum; docet enim modum demonstrandi, & conclusiones inferendi. *Resp.* Posset id in rigore dici, peculiari tamẽ ratione ipsi tribuitur probatio principiorũ, quatenus quicquid probatur, per communia & extranea probari debet, Dialectico & Logico more. Cum autem probatio fit per intrinseca & necessaria media, statim consurgunt particula res & distinctę scientiæ, quibus Logicæ nomen tribui non potest, vti diximus in proleg. vbi agitur de natura Logicæ.

Nona Propositio. Metaphysica ipsa & Dialectica nõ habet superiorem aliquam scientiam, per quam ipsarum principia modo etiam dicto probari queant. Sequitur ex dictis, quia sunt maximè communes, continentque maximè communia & euidentissima principia. Habet Simplic. 1. *phys. t.* 8. occurrens Eudemoni, qui sic argumentabatur. Si quælibet scientia non probat sua principia, sed quæpiam alia, de hac inquiram, probetne sua principia, quod si negaueris, abibimus in infinitum. Respondet Simplicius deueniri ad aliqua principia adeò perspicua & nota, vt probatione non egeant, sed maxima sua claritate fidem per se faciunt. Cui addi potest quod iam diximus, huiusmodi principia meritò esse in istis duabus scientijs: Metaphysica, & Dialectica, quarum altera est omnium Domina, altera autem omnium serua. Lege Themist. *contr.* 65. *&* 68. 1. *po.* Zimar. *th.* 33. Probat ergo Metaphysica aliarum scientiarum principia per sua communissima deductione ad impossibilia, quæ non possunt amplius ipsa probari, non

modo à superiore scientia, quæ nulla est, sed nec à seipsa, quæ maximè elucet in illo communissimo principio: Impossibile est idem simul esse, & non esse, de quo ante diximus, quod qui probare & ostendere conati sunt, reprehendit Aristoteles 4. *Met t. 9.* quod enim per causam & demonstratione à priori probari non possit, patet; nulla enim alia causa aut principium est, quod notius esse queat. Nec etiam deductione ad impossibile, quia ad nullum incommodum maius quis deduci potest, quam si fateatur posse duo contradictoria simul esse vera.

Obijcies. Aristot. ibid. probat illud principium, quia sequeretur, duo contraria simul esse in eodem, hoc est, duas contrarias opiniones. Hoc vtrumque habet expresse Arist. 4 *Met t. 9* Resp. primo cum Iauel. 4. *Met. q* 10. qui ait Aristo. contra eos agere, qui putant maius inconueniens esse duo cõtraria esse simul, quã id quod illo principio cõtinetur, quoniã sensu experimur vnũ contrarium pelli ab alio, de his verò terminis, esse, & nõ esse, non adeò manifesta haberi videtur experientia; imò omnis repugnantia quæ in rebus esse videtur, si sensum consulamus, maximè peti videtur ex contrarijs. Antip. Androp *q. 1. in 4. Met.* ait Aristotelem vti hac ratione, cum ijs qui principium illud recipiunt, quare præterea ait neminem putare posse quod idem sit simul, & non sit. Sed dicendum est quod Aristoteles non probat dictum principium; quod enim contraria simul esse possint, etiam multi ex Theologis nostris concedunt, sed solum ostendit neminem habere posse iudicium, quod idem simul esse possit, & non esse, alioqui duas haberet simul contrarias opiniones. Vnde quod probatur, est non posse hominem habere talem existimationem, quod idem simul esse possit, & non esse, non autem ipsummet principium, illud verò vt probet, assumit quiddam notius & generalius, non posse in eodem simul esse contraria, quod sequeretur, quoniam in eodem essent contrariæ opiniones, quod omnes fieri posse facilè negarent. Lege Alexand. Auerroes, & D. Thom. *ibid. & 1. pr. lect. 21.* P. Ven. *in t. 26. &c.* Non est tamen negandum, posse hoc etiam principium probari deducendo ad incommodum, ad modum dictum propositione quarta, nempè inferendo ex concessis aliquibus ab aduersarijs alia nonnulla quæ idem credit esse conuenientia, quamuis reipsa non sint adeò absurda, atque negare illud primum principium; necesse enim ait Aristoteles dubitantem de aliqua re, aliquid dicere, & aliquam rationem adferre, alioqui similis erit plantæ, videlicet, quia bruta etsi naturaliter, aliquid tamen certum non declarant, vel sermone nostro ad aliquid certum agendum commoueri solent. Quorum vtrumque stirpitus, quibus similis est huiusmodi vir ob suam stupiditatem, à natura negatum est. Verum tamen est huiusmodi probationem non esse dicendam demonstrationem; quia est contra leges veræ demonstrationis, quarum potissima est, vt ad ignotam ex notiore progrediamur. Hæc autem probatio erit ex notissimo ad minus notum. Appellanda igitur erit vera & certa redargutio, non autem demonstratio. Et à Theoph. *in lib. de aff.* apud Alexand. *comm. 27. in 4. Met.* appellatur demonstratio præter naturam, & violenta.

Vltima Propositio. Non solum de principijs præcognosci debent quod sint vera, sed etiam quid nominis. Hoc habet Aristoteles 1 *po t* 5. *& 24. & ibid.* Phil. Auerr. D. Thom. & alij Them. *1. po cap. 4 & 21.* Domin. de Fland. *1. po q. 5. art. vlt.* Zabar. *lib. de præcognit cap. 4.*

Dices. Arist. *in t. 2.* omisit hanc præcognitionem, solumq; dixit de principijs esse prænoscendum an sit, hoc est, an sint vera. Huius rei multiplex ratio reddi solet. Prima. Phil. Quoniam id erat clarissimum, non posse intellectum assentiri principijs nisi sciat quid nominis ipsorum, quidque termini significent, & hoc placet Baldo. Sed refellitur, quia etiam aliquando notissimum est subiectum esse, & vt Arist. monet 1. *po. t. 25.* sæpè scientia non curat huiusmodi præcognoscere. Secunda Ratio.

tio. Quia complexum vt sic non habet nomen, sed ratione tantum terminorũ ex quibus componitur. Ita Caiet. resp. Doct. Lou. Ægid. Nyph. & Phil. Etiam non placet hæc ratio, quia ex Arist. 2. *po cap*. 7. definitio quid nominis hoc differt à definitione rei, quia ista est tantum simplicium, illa verò & simplicium, & complexorum. Quod idem testatur 2. *Met. t*. 12. & Them. 2 *po cap*. 12. Tertia Ratio. Quia ratione subiecti & passionis censetur præcognosci principium, sed quid dicent qui sic respondent, de medio termino, quid etiam de dignitatibus, quę actu non ingrediuntur demonstrationem, ideoque non constat subiecto & passione cõclusionis. Denique in hoc omnes istæ rationes peccãt, quia non reddunt causam cur Arist. 1 *post. t*. 2. omiserit prçcognitionem quid nominis de principijs, alijs verò in locis illam ijsdem attribuerit. Alia igitur responsio est, à qua non abhorret Bald. loqui Aristotelem *in t*. 2 *li*. 1. de prænotione principiorum, quæ causant scientiam, & quatenus causant, talia vero principia sub hac ratione præcognosci debent vt vera sunt, non autem secundum quid nominis, quia hæc non causat scientiam. Sed non propter hoc, inquit Bald. voluit Aristo. excludere præcognitionẽ quid nominis ab ijsdem principijs & præmissis. Et videtur satis commoda solutio. Adde quod ratò solet in scientijs præmitti quid nominis præmissæ, quod tamen ne omnino quis putaret omitti debere, monuit Arist. id aliquando fieri posse.

SECVNDA DVBITATIO.

Cuiusmodi præcognitio sint præmissæ?

SVnt sine dubio præmissæ præcognitio agens respectu conclusionis, hoc est, debet præire cognitio præmissarum cognitionum conclusionis, de qua re diximus quæstione præcedenti. Solum duo dubitati possunt: An conclusio sequatur necessario assensum præmissarum, & an eodem actu assentiatur quis & præmissis, & conclusioni. Si autem distincto, an eodem instanti, vel diuerso tempore? De qua re etsi alias tum tractatu de syllogismo, tum cum de principijs ageremus, diximus, breuiter tamen quæ ad rem faciunt, dicemus. Quod ad primum attinet, sit

Prima Propositio. Si cognoscantur præmissæ vt præmissæ, hoc est, vt ordinatę & dispositæ in recta forma & modo, id est, vt perspiciatur vis connexionis terminorum cum medio; si materia necessaria est, vel probabilis, intellectus determinatus erit ad assensum conclusionis, quoad specificationem, hoc est, si illi aliquis actus exercendus est, non poterit dissentire. Quoad exercitium autem & ad actum de facto eliciendum, solum in materia necessaria determinabitur. Hoc patet proportionaliter ex dictis, siue de præcognitione secundæ operationis, siue de assensũ principiorum vt sunt in secunda operatione. Vnde si quis concessa maiore & minore syllogismi, quem sciat esse in forma, neget consequentiam, id ore tenus tantum faciet, non autem mente, vt de negãtibus principia ex Arist. diximus.

Secunda Propositio. Si sermo sit de conclusione probabili, non necessario illi actu intellectus assentitur, si accipiatur tãtum conclusio vt apprehensa cum ordine ad præmissas probabiles, citra tamen assensum. Ratio est. Quia intellectum sola euidentia ad actualiter assentiendum determinat, tamen si præbeatur semel assensus præmissis illis probabilibus, necessario etiam & præbebitur conclusioni; siue reuera præmissæ sint tantum probabiles, siue perinde accipiantur ac si essent. Potest enim, vt docet Aristot. 1. *pr*. ex præmissa aliqua probabili necessaria aliqua conclusio inferri, quod duobus modis intelligi potest: Vel quod existimetur id quod reuera necessarium est, esse probabile: Vel quod est probabile, putetur esse necessarium; nisi enim id fiat, nunquam poterit quis existimare conclusionem esse necessariam, arbitratus præmissas esse tantum probabiles. Si autem cum probabiles sunt propositiones, assentiatur tamẽ quis illis, necessario sequitur assensus conclusionis ex illa suppositione, Sic qui aliquem finem apponit effica-citer,

citer, etiam ex suppositione necessariò vult media ad illum finem, & contra qui vult media ordinata ad talem finem, etiam vult finem.

Tertia Propositio. Quando in re probabili pro vtraq; parte sunt æq; probabiles rationes, & præmissæ, idem iudicium est, quod supra de principijs, nempè nō potest intellectus ex se vni potius quam alteri assentiri, ex vi præmissarum probabiliū apprehensarum à nobis, citra vllum assensum. Si autem pro vna parte sint magis probabiles rationes, specificatiuè determinatur intellectus ad illam partem, non tamen quoad assensum actualem, eo modo quo dum solum attenditur in re probabilitas nulla ratione proposita in contrarium, nisi fortè, vt diximus, assentiatur quis præmissis; tunc enim etiam necessariò ex suppositione assentietur conclusioni.

Quod attinet ad secundum. Idem est dicendum de præmissis respectu conclusionis, quæ est in syllogismo demonstratiuo, in *lib. pr.* diximus de præmissis syllogismi, & earum assensu respectu cuiuscunq; conclusionis. Vel enim eodem actu assentimur conclusioni distinctè & præmissis, vel conclusioni distinctè, præmissis virtualiter. Vel si sint duo actus, potest vterq; eodem instanti fieri, quia sunt subordinati, & ad vnum quodammodo tendunt. Vel deniq; non est necesse concedere eodē instanti fieri, sed simul tamen, in hoc sensu, quia assensus cōclusionis in casibus positis necessariò statim sequitur. In tempore quidem, quando aliter fieri nequit, sed breuissimo & imperceptibili, quomodo illud Aristot. *1. p. t. 2.* si de præmissis & conclusione intelligatur, quæ simul cognosci c ūalijs interpretari possumus. Solum verò notandum, scientiam causatam per demonstrationem, per se consistere in conclusione, quamuis præcedere debeat præmissarum notitia. Hinc Aristoteles dicit *1. po. t. 5.* scire tum nos arbitrari, cum existimamus nos causam cognoscere. Indicat ergo non ipsam cognitionem causæ in se & per se esse scientiam, sed cognitionem rei per illam causam; quod solum est in conclusione, dependente tamen à præmissis, sed de hoc melius in tractatu de scientia. Lege Greg. *q. 1 prob. art 3 ad 5.* Denique memoria repetendum est, conclusionem dupliciter considerari posse: Vel vt est propositio quædam, & sic est pars demonstrationis; vel vt continet cognitionem rei per præmissas illatæ, & sic est effectus totius demonstrationis. Priore ratione si modo dicitur effectus, dicetur effectus non totius demonstrationis, sed præmissarum, quia totius demonstrationis simul etiam ipsa quædam pars est.

SECVNDA PARS.

TRACTATVS DE NATVRA DEMONSTRATIONIS.

SEquitur ad naturam tandem Demonstrationis accedamus, quoniam, vt diximus, eiusdem existentia commodius inquiretur vna cum scientia, de qua ibidem disputari solet. Cæterum hęc Demonstrationis naturæ explicatio potissimum absoluetur exposita eiusdem definitione, ea præsertim quæ secundo loco *t. 5 lib. 1.* ab Aristotele traditur, ijsq; quæ continentur, quæ quia multa sunt, vt certa methodus obseruetur, diuidetur hæc tractatio in aliquot sectiones. Prima ergo sectio erit de definitione Demonstrationis, aliæ autem de conclusione ipsa, de conditionibus præmissarum, & de medio Demonstrationis.

SECTIO PRIMA.

De definitione Demonstrationis.

QVoniam in explicatione naturæ Demonstrationis obseruari debet quod superiore disputationis parte fieri debere diximus authoritate Arist. Them. vt omnem quæstionem præcedat nominis præcognitio.

cognitio: idcirco primum de nominibus Demonstrationis, & quid demonstratio Aristoteli & nobis sit, constituendum est, posteà autem explicabitur ipsa definitio.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid Demonstrationis nomine intelligatur?

PRimo sciendum est, Demonstrationem in communi significare quamcunque rei cuiuluis manifestam ostensionem, quomodo dicimus demonstrare aliquid digito. Constituunt etiam Rhetores inter causarum genera, Demonstratiuum, quod in laude ac vituperatione versatur, quod scilicet non vocatur res in deliberationem, aut iudicium, sed veluti coram ponitur euidentibus rationibus alicuius laus, aut vituperium. Hac ferè ratione deinde Dialectici, vel Philosophi, potius id argumentandi genus, quod euidenter quid concluderet, ἀπόδειξιν, dicendum constituerunt, idemque argumentandi genus quo rei cuiusq; natura, vel causa explicaretur, & finem haberet scientiam, & nudam cognitionem & contemplationem, quamuis quoque ad alias necessarias ratiocinationes, aliquando referatur, sicut & scientiæ notio. Hinc est quod 3. *Top c.* 4. Arist. demonstrationem vocat τὸ φιλοσόφημα, quasi philosophorum propriã ratiocinationẽ.

Notandum quarto. Non eodem semper modo vsurpari apud Aristot. Demonstrationis nomen, neque etiam apud Interpretes; nam aliquando accipit pro cognitione intellectus nostri discursiua, euidente, certa, & vera. Alias pro obiecto ipso rebusque cognitis, prout ordine & modo illo intellectui obijciuntur, qui est Demonstrationis forma. Nonnunquam pro ipsa solum forma demonstrationis, hoc est pro præceptis bonæ demonstrationis: tandem pro effectu ipsius, qui est scientia. In prima acceptione sæpè demonstrationem sumit Phil. dicens esse actionem animæ, per quam operamur & demonstramus, & procedere ab habitu scientiæ; potest enim hic habitus & actum gignere, & ab eodem iam constituto proficisci, quod est commune omnibus tum actibus, tum habitibus. Vide *t. pr. init.* 1. *po. comm.* 4 *lib.* 2. *comm.* 53.54.58. Vocat etiam in hac significatione demonstrationem scientiam, cum ait distingui à scientia demonstratiua, sicut actum & habitum: est enim scientia vel actualis, vel habitualis, quæ erat vltima acceptio cuius meminimus. Sic præterea loqui videtur Eust. 2. *po. in fi. prolo.* Item Mag. & Alex. *t. pr.* Initio distinguemus Demonstrationem à scientia demonstratiua, tanquam actum ab habitu, quamuis per scientiam demonstratiuam intelligat Alex. habitum qui est de cognitione demonstrationis faciendæ, & demonstrationem ipsum modum faciendi, qui ab ipsa scientia traditur, quæ est tertia acceptio à nobis posita, quod indicat Arist. 1. *po. c.* 1. *init.* primum ait dicere circa quid & cuius sit consideratio, quoniam circa demonstrationem est & scientiæ demonstratiuæ, quam lectionem probat Alex. etsi alia etiam vsus sit, nempe & scientia demonstratiua, vt eo loco in expositore textus diximus, & hoc satis etiam docet ipsamet tractatio, quæ solummodo est demonstrationis efficiendæ. Idem haberi videtur ex *t.* 6. 2. *po.* cum concludit Arist. de Demonstratione dictum esse, & simul de scientia demonstratiua, idem enim inquit est. Themist. quoque 1. *po. c.* 4. Eam, inquit, sententiam, quã de modo agitur, demonstrationem vocamus. Et hac ratione omnes ferè Latini videntur interpretari eo loco Aristot. Alb. præsertim, D. Tho Ægid. & alij, vt idem dicantur esse demonstratio, & scientia demonstratiua, hoc est ad idem pertinentia, quoniam cognito modo demonstrationis, seu quẽadmodum ea fieri debeat, etiam quomodo scientia habeatur, cognoscitur. Idem dicere videtur Auer. 2. *post. text.* 100. explicans Demonstrationem, & scientiam demonstratiuam, per album & dealbatum. Sed Arist. 1. *post. t.* 2. & 5. videtur accipere Demonstrationem primo modo, nec non etiam vltimo, vbi ait scire etiam habere Demonstrationẽ, & Demonstrationem esse syllogismũ scientialem, seu

facientem scientiam. Et t.7. dicit demonstrationem scientiam esse quam habemus eo quod Demonstrationem habeamus, & quia id quod per demonstrationem scitur, necessarium est, debere etiam syllogismum, qui est demonstratio, constare ex necessarijs, vbi distinguit demonstrationem pro effectu ipso, qui est scientia, & pro syllogismo. *tit. quoque 11.* Si igitur, inquit, est demonstratiua scientia ex principijs necessarijs, hoc est, si est demonstratio vt syllogismum significat, quæ propriè constat ex principijs. Et *tit.* 5. quia dixerat scire esse rem per causam cognoscere, sequi ait demonstratiuam scientiam esse ex veris, primis, &c. subditus posse quidem sine his conditionibus syllogismum esse, non eum tamen qui est Demonstratio. Atque hac eadem ratione accipi Demonstratio potest pro obiectis ipsis in recta figura dispositis, quomodo Logici etiam est considerare res ipsas, sicut & realem ipsam operationem vt præceptis informari potest. Nec mirum quod modo in vna, modo in alia acceptione Demonstratio sumatur, sunt enim adeo inter se affines hæ acceptiones, vt altera ex altera sequi videatur. Nos verò de demonstratione præsertim agemus, vt significat modum ipsum rectè demonstrandi, vel præcepta ipsa, per quæ operatio dirigitur.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid sit definitio Demonstrationis?

MVltæ demonstrationis definitiones assignantur, vel potius descriptiones ex varijs illius tum causis, tum attributis desumptæ, non modo ab Aristotele, sed etiam ab alijs eius Interpretibus, potest enim res aliqua definitione explicari præter duas essentiales partes, genus & differentiam, illis duobus modis, vt videre est apud Aristotelem 8. *Met. t.* 6. *t. de anima. t.* 16. 2. *po. c.* 5. Atq; vt ab Interpretibus incipiamus, Phil. præf. 1 *po.* Demonstratio, inquit, est scientialis syllogismus, ex rationibus quibus per se creditur, & quas omnes confitentur acceptus. Auerr. *in Ep. log c. de demonst.* Est, inquit, syllogismus ex duabus præmissis veris, necessarijs, vniuersalibus per se. Aliqui recentiores ita definiunt: Demonstratio est ratiocinatio adeò verè colligens, vt nunquam mutari, aut aliter habere possit, quod per eam infertur. Hæ definitiones non multum discrepant ab ijs, quæ apud Arist. reperiūtur. Sunt aūt illæ potissimum tres. Prima. Est 1. *po. t.* 5. Demonstratio est syllogismus scientialis, hoc est, vt ipsemet interpretatur, secundum quem eo quod ipsum habeamus, scimus. Quare malè nonnulli scientialē interpretari volunt quo scientię vtantur, etsi id quoq; verū sit, Arist. aurē interpretationem sequuntur fere omnes Interpretes, & Them. paululum mutatis verbis, ita explicat Philosophi sententiā. Est, inquit, Demonstratio syllogismus pariens scientiam. Quam ob causam ijdem Interpretes annotant esse hanc definitionem ab effectu, vel à causa finali. Quo definiendi genere præsertim vtimur in instrumentis. Secunda Definitio habetur ibid. vbi inquit: Demonstratiua scientia, hoc est, Demonstratio, est ex veris, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, & causis conclusionis. Quā Alb. D. Tho. Lincon. & alij dicunt dari per materiam, quoniam, vt diximus, habent se præmissæ in demonstratione instar materiæ, & instrumentum vt finem suum assequatur, ex tali debet materia constare. Tertia Definitio 1. *Top. c.* 1. Demonstratio est, quando ex veris & primis syllogismus erit, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera eius, quæ circa ipsam est cognitionis principium sumpserunt. Hæ omnes definitiones videntur non conuenire in omnem Demonstrationem, sed in solam eam quæ dicitur propter quid. Et certè ad primam quod attinet, Etsi ipsa, si verba spectemus, quadrare omni Demonstrationi possit, quia omnis Demonstratio est syllogismus scientialis, hoc est faciens scientiā, non tamen iuxta mentem Arist. & iuxta eā scientiā, seu illud scire quod ab eo definitū est, rem per causam cognoscere, quod etiam longe nobilius est, quam quod Demonstratio quia parit. De secunda id nul-

Definitio Demonstrationis.

rò adhuc videtur euidentius, vnde dicit Arist. fine illis conditionibus esse quidē syllogismum posse, non autem Demonstrationem. Ex quo loco Auic. cum alijs colligunt Demonstratione quia non esse dicendam demonstratione. Verū de hac re infra. Videtur aūt certū per se loqui ibi Arist. solum de demonstratione propter quid, & à causa, seu à priori. Iam verò tertia definitio, vt, vult Alex. ibid. tantum conuenit demonstrationi à causa, quoniam illius solius præmissæ sunt primæ, vel cognitæ, ac demonstratæ per principia prima & immediata, aut sunt etiam ipsamet principia immediata, ideoque dubitat idem Alex. an syllogismus ab effectu, qui dicitur demonstratio, quia fit solum Dialecticus. Posset tamen vtrumque accommodari ista definitio demonstrationi quia, si diceremus constare ex primis secundum nos, præsertim cum in Top. Arist. noluerit de demonstratione quia exactè disputare, sed quantum satis erat, vt eam à syllogismo Topico secerneret, ad quod satis est si dicamus non progredi demonstrationem, quia ex probabilibus, sed ex veris & necessarijs, quæq; conclusionem verā necessariamq; inferant. Quare vt vna sit quæ vtrique Demonstrationi conuenit definitio, hæc fortè erit: Est syllogismus constans ex propositionibus veris, necessarijs & euidentibus, quæ euidentem & necessariam conclusionis cognitionē faciant; nam per vera distinguitur à syllogismo sophistico & pseudographo, qui falsas assumunt. Per necessaria à Topico, qui ex probabilibus tantum efficitur. Per euidentia ab eo syllogismo, qui est quidē ex veris & necessarijs, quorum tamen veritas & necessitas nobis clarè non innotescat, qualis est fortassis syllogismus fidei diuinæ, vel humanæ. Talis quoq; est illa aliorum recentiorum definitio suprà à nobis posita, quæ tamen non videtur esse completa: siquidem non omnis syllogismus ita verè colligens, vt nunquam immutari, aut aliter haberi possit, quod colligitur, continuò Demonstratio dicendus est, quia deest illi conditio necessaria, vt ex notis fit & euidentibus. Cæterum in hac vltima definitione comprehendente omnem demonstrationem, sunt hæc tria: Syllogismus, quod est viæ generis, materia, nempè præmissæ, & finis, qui est scientiam facere. De primo & secundo diximus tractatu de syllogismo, videlicet quomodo genus demonstrationis esset syllogismus, & quomodo præmissæ efficientis rationem haberent, quo etiam modo essent materia. De fine partim quæ necessaria sunt ex dicendis colligentur, partim peculiaris ad extremum tractatus disputatio instituetur. Quia verò præmissæ vt sunt propriæ Demonstrationis certas quasdam requirunt conditiones, præcipuus noster esse labor debebit in explicandis illis, quas Arist. expressit duabus posterioribus definitionibus, præsertim vbi secūda, vbi.

Definitio vtrique communis.

Notandum primo. Quod in expositione text. diximus non constare inter omnes, an singulæ dictiones singulas contineant dictiones, an verò eandem plures? Auer. enim vult quatuor conditiones enumerari, vt primum & immediatum idem sit, atq; contrahatur primū & immediatum, cum plura alia significare possit. Sic etiam idem sint notiora esse, & priora, sed D. Tho. cum alijs asserunt sex esse conditiones, vti & sex dictiones ponuntur, ita vt dicantur præmissæ immediatæ, quia medio vacant, quo probentur primæ in ordinē ad alias præmissas, quæ per ipsas probari possunt, & hæ rursum alterius alicuius Demonstrationis præmissæ; Vt enim dicitur 5. *Met. t* 4. Primæ demonstrationes sunt principia & elementa reliquarum Demonstrationum. Eodem modo priora, inquit, D. Thom. significant prioritatem naturæ quam dicuntur præmissæ tanquā causæ habere. Notiora verò, quæ debeant esse magis cognoscibiles & cognitæ, cum effectus cognitio ab illis pendeat. Scio aliter has conditiones ab alijs explicari vt à *Them. c.* 4. & Phil. *t.* 5. sed satius est id expresse suis in locis, quam transcursim & obiter explicare, sufficiatque proposito nostro videri has cōditiones aliquomodo distinctas, quas etiā Arist. *ib.* ferè omnes seorsim explicat.

Vnde & hæc in re Auer. à nonnullis ex suis discipulis deseritur. Nihilominus idem Auerr. in Ep. Log *cap. de demonstrat.* enumerat has conditiones. Prima, Vt sint veræ. Secunda, Vt vniuersales, hoc est, de omni. Tertia, Vt necessariæ. Quarta, Per se. Quinta, Causæ conclusionis. Sexta, Vt sint naturales. Septima, Priores, non tantum secundum esse, sed etiam secundum cognitionem. Octaua, Vt primæ, hoc est, immediatæ. Nona, Vt propriæ. Algaz. in Log. sua *cap de demonstrat.* has tantum ponit. Primo, Vt sint veræ. Secundo, Necessariæ. Tertio, Primæ. Quarto essentiales. Lege Auer. in Epist. quadam de primirato prædicatorum Demonstrationis.

Notandum secundo. Non omnes omnino conditiones transfert Arist. sed præcipuas quasque, & ex quibus aliæ, quas postea ponit, oriri dici possint, vt quod propositiones sint necessariæ, de omni, per se, vniuersales, & propriæ &c. & quidem de duabus cõditionibus, vt sint per se, & de prædicato vniuersali, lege Zab. libris duobus de propositionum necessitate.

Notandum tertio. Etsi omnes hæ conditiones ab Aristot. positæ, conueniant Demonstrationi propter quid, præsertim si omnes simul sumantur, quod meritò fecit Arist. cum longè sit nobilior Demonstratio propter quid, quam quia, vt si hæc cũ illa conferatur, soleat præ ipsa appellari syllogismus absolutè, aut ratio Dialectica, & coniecturalis, tamen quoniam etiam demonstratio quia proportione quadam omnes, vel plures habet ex istis conditionibus, debet enim esse ex veris, necessarijs, per se, de omni &c & quodammodo etiam ex prioribus & notioribus, atque causis, saltem quoad nos, propterea quæ de singulis conditionibus gratia demonstrationis propter quid dicentur, dicta etiam intelligi poterunt de Demonstratione quia Sed quia in Demonstratione pars quædam & potissima est conclusio, & quamuis sit ordine vltima, & in executione, est tamen prima in intentione: Idcirco de conclusione ante omnia dicemus, de medio verò Demonstrationis, quia peculiaris difficultas, tantum tamen modo habet in demonstratione propter quid, dicemus tertia parte huius disputationis, cum de specie Demonstrationis propter quid agemus.

SECTIO SECVNDA.

Qualis esse debeat conclusio.

REm paucis expediemus. Solet autem aliter ab alijs hęc quęstio proponi, An oẽs quatuor quæstiones, de quibus Arist. 2. *po. init.* An sit, quid sit, & quod sit, & propter quid sit, Demõstratione concludi queant? Quid harũ quęstionum nomine intelligatur, diximus alias, & dictũ in explicatione textus. Difficultas est potissimum de duabus primis: Constat enim, qualis res sit, & propter quid, in demonstratione probari & concludi. De quęstione autem *an sit*, patet ex dictis de præcognitis, de quæstione *quid sit*, disputat Arist. 2. *po.* vbi etiam quærit an idem quæsitum absolui definitione possit & demonstratione, qua de re dictum tractatu de definitione. Lege Them. q. 1 *ini. po. 2.* Sic autem rem totam paucis concludere possumus. Primo. Omnis quæstio quatenus quæstio est, demonstrabilis est quia sciri potest, ex Arist. 2 *post. cap. 1.* Secundo, Quæstio An sit incõplexa, significat rei existentiam à posteriori demõstrari posse, id ostendimus tractatu de præcognitionibus. Tertio, Quid, & propter quid, demonstrari possunt quatenus reuocantur ad quæstionem, An esse vera, hoc est, materialiter tantum ostendi, formaliter enim non potest definitio vt definitio est demonstratione probari, vt probat Arist. 2. *post.* Probabiliter igitur vt est quoddam prædicatum, vt si quæramus an homo sit animal rationale. Quarto. Conditiones conclusionis probandæ facilius cognoscentur ex dicendis de cognitionibus præmissarum. In genere autem dici potest cuiusuis Demonstrationis cõclusionem debere esse vniuersalem, necessariam, & per se. Et hæc videntur in præsentia satis esse, quæ tamen multis ab alijs examinantur. Sic etiam quæ spectant ad ipsam naturam conclusionis inferendæ, an realis sit, necessaria, vniuersalis, & alia huiusmodi, Denique cuiusmodi esse debeat.

debeat. Hæc omnia melius intelligentur tractatu de scientia.

SECTIO TERTIA.

De prima conditione præmissarum, vt sint veræ.

DVo potissimum quæri possunt; quomodo sint veræ propositiones, & quænam sit causa, & quod fundamentum veritatis, & simul quænam sint propositiones quæ appellantur sempiternæ veritatis?

QVÆSTIO PRIMA.

Quomodo propositiones dicantur esse veræ?

SÆpe diximus aliam esse veritatem transcendentalem, rerum etiam incõplexarum, & cuiuslibet operationum intellectus, alteram complexarum: & quamuis de rebus etiam quæ intelliguntur per huiusmodi operationem dicatur veritas, quę solet vocari obiectiua, absolutè tamē loquendo, & sine addito, veritas dicitur de vero intellectus enunciantis & iudicãtis, non autem rerum intellectarum. Alia verò omnia dicuntur vera cum addito, vt verum aurum, verum ens, verus conceptus rei, &c. quod obseruat D. Tho. *1. p. q. 16. art 1.* & de ver *q. 1. art. 1.* Vnde factum est, vt Plato in simposio veritatem animi cibum esse diceret. Et Plutarch. Sympos. *lib 3.* Homer. etiam *Iliad. 6.* D Augustin. *lib de vera relig.* D. Gregor. Nyssen. *de vita Moysis.* Et saltem certum est veritatem non solere propriè ab Authoribus dici, nisi eam quę in operatione intellectus est, nec quidem in quauis, sed quæ verum cognoscat, intelligatque & iudicet rem esse vel conformem, vel difformem. De qua re D. Thom. *sup art. 2 & ibid.* Caietan. Lege Aristotelem *5. Met t. 14. & lib. 11. sum. 3 cap 2* & omnes Interpretes his locis. Cæterum non modo dicuntur veræ propositiones, quarum habent in rebus realem termini existentiam, etsi perfectius quodammodo, nempè fundamentaliter dici soleant veræ, sed etiam quarum termini sunt veræ negationes, & non entia, quia licet non sint vera entia, sufficit tamen quod prout coniunguntur in complexa enunciatione, non repugnent, vt cũ dicimus: Chimæra est non ens, hic eõstat loqui Aristotelem de veritate complexa, & enunciatiua, quia hanc solam habent principia & præmissæ, atque conclusio ad quam illæ ordinantur. Probat autem Arist. debere principia & præmissas veras esse, quia inquit, non est non ens scire, hoc est, sciri non potest quod falsum est, vt interpretantur Auerr. Phil. Alb. D. Tho. &c. Et patet exẽplo quo nititur, vt quod diameter sit commensurabilis. Non potest autem esse scientia de falso, nisi in actu signato, vt de hoc ipso, quod de falso non possit esse scientia. Vnde Phil. sciri posse non ens, nempe quod nõ sit. Quamuis autem verum sit non ens sciri non posse, siue concipiatur vt est in conclusione, siue vt est in præmissis: Videtur tamen mens Aristotelis esse loqui de præmissis, vt sensus sit, ex falsis colligi conclusionem verã non posse, si demonstratiua sit. Ita Them. D. Thom. Auerroes &c. Nec refert quod ex falsis conclusio sequi vera possit, vt etiã Aristoteles *2. post. cap. 1. 1. post. t. 17. & 25.* quoniam, vt inquit Auerroes, hoc est per accidens. Atque vt melius notat D Tho. concludi quidem, & vtrunq; probari verum ex falsis potest, nõ tamen sciri: quod enim non est, non potest eius quod est, id est, passionis seu prædicati quod subiecto inest, esse vera causa. Et propterea Arist. *2. pr. cap 2.* dicit ex falsis sciri quid est, sed non propter quid.

Obijcies. Demonstratio ducens ad impossibile, constat ex falsis. Ergo. Respondeo. Ex professo solum loquimur de demonstratione ostensiua, siue propter quid, & quia; Etsi enim in demonstratione propter quid locum tantum propriè habeat causa, ex qua aliud infertur, sit Demonstratione, nihilominus etiam quia oportet vt rectè colligatur causa ex effectu, inesse præmissis veritatem. Adde quod sicut demonstratio ad impossibile est demonstratio secundum quid, ita pendet quoque ex veris secundum quid, nempè ad hominem. Rectè

autem Caietanus *lib. 1. post. cap. 2* monet, cum Aristoteles ait, quod non est, non sciri, vt probet præmissas esse veras, non esse sensum de eo quod non actu existit, non posse haberi scientiam, sed id quod rei verè non inest, non posse verè cognosci rei inesse, quod tamen falsa propositio affirmat. Idemque iudicium est, si verè insit quod non inesse ait falsa propositio. An verò non possit scientia esse nisi rerum inexistentium, diximus tractatu de prænot. & dicetur infra in tractatu de scientia. Denique non est dubium quin præter veritatem complexam præmissarum, requiratur etiã incomplexa veritas ex parte obiecti, & hoc indicat Aristoteles dicens procedere Demonstrationem ex causis proprijs rei, & scire esse rem per causam cognoscere, per quam res est.

QVÆSTIO SECVNDA.

De fundamento veritatis propositionum, & de propositionibus sempiternis veritatis.

PRima *Propositio*. Fundamentum & ratio veritatis propositionum, non est quod res existãt, sed necessaria connexio subiecti, quæ etiam appellatur identitas, ita vt non possit subiectum non modo esse & existere, sed nec etiam concipi sine prædicato ratione suæ essentiæ. Talis autem est hæc propositio: Homo est animal rationale, etiamsi nullus existat, & hæc connexio & identitas est in ipsis terminis ante omnem intellectus operationem, vt fatetur Caietan. & Ferrar. saltem fundamentaliter, & supposita distinctione graduum Metaphysicorum, multò id adhuc magis verum appatet. Quare non est pura rationis relatio, vt vult *Zons. 5. Met. q. 12. & lib. 3. q. 5.* quamuis importet negationem diuersitatis. Confirmatur. Nam nomine etiam cogitante, & quamuis de homo facto homo non existat, vera est hæc propositio conditionalis: Si homo est animal, est & substantia, vel animal est substantia: Vt enim tradunt Logici, veritas conditionalis necessariè innititur veritati simplicis propositionis, De qua re Auctr. *7. phys. com. 2.* Sicut etiam vt vera sit hæc propositio: Si Petrus currit, mouetur, oportet esse veram illam absolutam: Currens mouetur. Confirmatur secundo. Hæc propositio vera est: Homo est homo, etiamsi nullus existat, ergo & ista: Homo est animal. Consequentia patet. Quia animal includitur in ratione noui hominis, & de quo genus negatur, etiam & id quod per se sub genere est, sub animali verò continentur hominis species. Si ergo vera est propositio: Homo est homo, etiã & illa: Homo est animal. Antecedens verò probatur; Nihil enim verius esse potest, quam eiusdem de seipso prædicatio, tum quia apertè falsa est illius contradictoria, homo non est homo. Vel quia vera est hæc propositio negans: Homo non est homo, sequitur supponi debere alterius affirmatiuę veritatem; hoc enim semper fit, & illa maximè est in qua idem de seipso prædicatur. Quare 2. *Periherm. cap. 3.* hanc propositionem: Bonum non est malum, reuocat Aristoteles ad illam: Bonum est bonum. Confirmatur tertio. Vt enim inquit Aristot. *cap. de substantia*, & in postprædicamentis *ca. de priori* ex eo quod res est, vel non est, dicitur vera vel falsa oratio, hoc est, ex eo quod propositio significat dictam connexionem, & identitatem terminorum, quamuis ipsi realiter non existant, vt interpretatur Caietan. *1. post. cap. 6. & 9.* Etiamsi Aristoteles eo loco exempla det in materia contingenti, in qua propositiones tum tantum sunt veræ, cum termini existunt, vt si Socrates sedeat, oratio dicens illum sedere, vera erit, falsa si idem surgat. Confirmatur denique. Alioqui non esset scientia nisi de rebus actu existentibus, quod diximus esse falsum. Hac verò ratione ipsi termini per se sumpti dici possunt causa veritatis propositionum, tum efficiens, tum exemplaris, & quodammodo formalis. Efficiens, quatenus possunt res in animum nostrum sui species imprimere, cum tamen reuera sola mens nostra propriè possit dici causa efficiens. Exemplaris verò & formalis, prout veluti norma quędam ad quam propositionum ipsarum

veritas

veritatem expendimus, videlicet si cum rebus ipsis ipsæ consentiant, ideoque Aristot. *cap. de priori*, dixit rem esse causam veritatis quodammodo, & non absolutè. Exemplo esse potest pictura: nam effecta imago causam efficientem propriè habet solum artificem, dici tamen potest exempli causa D. Petrus eiusdem causa efficiēs, quatenus sui in pictoris animum similitudinem imprimunt, & est etiam veluti forma & exemplar. Lege Flam. *quæst. Log. cap* 11. Porrò hæc sententia est Alb. *lib. de causis cap* 5. *in postpræd cap*. 9. Et apud eundem Auic. Alph. Algaz. &c. Henrici. *quodlib* 10. *quæst* 3. Scoti, & omnium ferè Scholasticorum 3. *s. d.* 21. *&* 22. Ægid. 1. *po cap*. 2. D. Thom. *q*. 1. *de ver. &* 1. *p q*. 10. *art* 3 *ad* 3. *& quæst*. 16. *art*. 7. Herm. *quodl*. 3. *q*. 1. *cap*. 1. *s. d.* 22. *q*. 2. *ad* 5. Gregor. *& d* 8. *q*. 1. *art*. 1. *& lib* 3. *d*. 21. 22. Ferrar. 2. *contra gent. cap*. 52. Caietan. 1. *post. cap*. 6. *&* 9. *lib de Ente eß. q*. 11. Zons. *in prædic. substant. &* 9 *Met. q*. 5. Lincon. 1. *post. t*. 4. 6. *&* 7. D August. in *lib*. 2. *de libero arbitrio cap* 8. dicit nihil esse magis æternum, quam rationem circuli, ac duo & tria esse quinque. Id apertè colligitur ex 5, *Met. t*. 6. & Auerroes *ibid* Oppositam sententiam tenent quidam recentiores. Nominales 1. *post. quæst*. 3 *ad* 1. & apud Zons. qui negant has propositiones esse absolutè veras, sed accipi debere dicunt vt faciant sensum diuisum, de possibili, verbi gratia: Omne animal rationale est risibile, hoc est, omne animal rationale possibiliter est risibile. Item Herm. sui penè oblitus *quodlib*. 6. *quæst* 11. dicit hanc propositionem: Homo est animal, si sumatur in potentia, esse veram, vt sensus sit: Homo non existens, est animal in potentia, si autem sumatur actu, non esse veram. Duo. 1. *s. d.* 8. *quæst*. 7. ad tertium accedit, sed hoc est contra communem omnium loquendi modum; nemo enim cùm dicit: Homo est animal, sumit animal pro actu existente, sed vult tantum conuenire hoc prædicatum homini, seu esse connexionem inter hæc duo. Argumentatur etiam Soto, quia sequeretur, inquit, æque esse necessarias propositiones veras in materia necessaria & contingenti, & æque esse sempiternas veritates vtrasque, verbi gratia, hanc: Homo est albus, quia homo etiam non existens albus esse potest. Responderi potest non esse parem rationem, quia istius propositionis: Homo est animal, sumptæ secundum possibilitatem, hæc erit sententia; homo non existens potest esse animal, sed vbi extiterit, de ratione illius erit, vt sit animal, quod non reperitur in ista alia propositione: Homo est albus; Vt enim verum sit, posse hominem album esse cum erit, non tamen homini existenti debebitur vt albus sit. Verum quidem id est, sed ex hoc ipso licet argumentum trahere, tunc enim sequitur non consistere veritatem propositionis in sola potentia, sed etiam in quadam necessaria connexione prędicati cum subiecto, propter quam vera erit propositio in materia necessaria, non item in contingenti. Accedit quod potentia est quid adueniens rei ipsi, igitur ante illam adhuc res habet intrinsecam illam connexionē. Maneat ergo veritatem propositionis cōsistere in intrinseca, solaq; connexione.

Secunda Propositio. Eadem ratio est propositionum, in quibus prædicata essentialia dicuntur de singularibus, vt: Petrus est homo. Ita sentit Scot. Cap. Caietan. Zons. & Soto nominatim, & reliqui, si consequenter loqui velint. Hanc propositionē probant eadem ferè omnia argumenta, quæ pro præcedenti allata sunt, præcipuè quia æque in singularibus reperitur dicta terminorum connexio, & vt benè Soto notat, & definitio indiuidui non est alia præter naturam & definitionem speciei. Quare in his, alijsq; huius generis propositionibus verbum *est*, solam significat actualem connexionē, non autem existentiam, quæ in accidentalibus propositionibus ab hoc verbo significatur, & dici solent de tertio adiacente, de quibus intelligendum est quod dicitur *in lib. Periherm.* Ex propositione de tertio adiacente licere inferre propositionem de secundo. Vnde non sequitur: Homo est animal, Ergo homo est, sicut rectè sequitur: Homo

est

est albus, ergo homo est. Confirmatur. Quia si hæc propositio, Petrus est homo, non est vera, ad modum explicatum, nec etiam illa: Petrus est Petrus, vt diximus de illa: Homo est homo. Contrariũ sentit Iand. 4. *Met.* q 5. sed non valde consequenter. Quod si quæras, in talibus propositionibus qualisnam suppositio sit, siue pro quo supponat subiectum, vt: Homo est animal. Resp. cum Soto, Zons. & alijs, suppositionem esse personalem, vel vt rectius loquamur, absolutam, & naturalem; homo enim supponit, & pro immediato significato, quod est homo specificè sumptus, & pro mediato, hoc est pro omnibus indiuiduis.

Tertia Propositio. Idem est dicendum de propositionibus, in quibus proprietates de subiectis prædicantur. Ratio est. Quia conueniunt rei propter essentiam ex qua fluunt, ideoq; sicut est necessaria connexio prædicatorum essentialium, ita consequenter necessaria & proximè ad essentialem accedens connexio passionum fit cum eodem subiecto, non sic autem est de alijs accidentibus, quæ communia sunt, & ob aliam extrinsecam causam conueniunt rei: illa enim non prædicantur nisi de existente subiecto, vt: Homo est albus. Quidam tamen id negant, quia inquiunt à Deo saltem separati posse huiusmodi proprietates. Alij, quia fluunt quodammodo ab essentia per effluxum quendam & emanationem, quæ videtur existentiam subiecti necessariò supponere. Nonnulli quia credunt nõ conuenire passiones subiectis ex natura sua, sed ex sola Dei voluntate, ideòque si ab initio Deus ignem frigidum condidisset, quod aiunt, potuit, frigus fuisset propria ignis affectio. Verum concedatur posse realiter passiones à subiecto separari, de quo magna lis est apud Philosophos, tamen semper restat connexio quædam & ordo naturalis inter illas & subiectum, quem nec Deus quidem tollere potest. Quod sufficit ad verificandas propositiones de rebus non existentibus. Quod ad emanationẽ attinet prout significat actualem illum effluxum proprietatum, supponentem productionem realem essentiæ, quam veluti ipse sequitur sic sine dubio supponit existentiam subiecti, vel, quod idem est, non est sine illa. Si autem solam dependentiam ab essentia, cum qua connexæ sunt passiones. hoc modo non magis supponit existentiam. Denique quod tertia sententia affirmat, est per se satis absurdum, cum certum sit substantias, atque res omnes ex se & natura sua magis esse ad vnum quid propensas, quam ad aliud, quod solum est ratione proprietatum, quia essentia constituit rem in se, & ad se. Item constat esse ordinariam & certam rerum essentias indagandi viam per proprietates, vt sæpè docet Arist. præsertim 4. *ph.* in definitione loci, *de anima.* t. 11 *&c.* Est autem obseruandum quod non modo in prædictis omnibus propositionibus fieri possunt aliquæ determinatæ propositiones infra ens, sed etiam ipsiusmet entis, dicendo, verbi gratia, homo est ens, Petrus est ens; non enim per ens intelligimus existentiam, nec eam ens in suo conceptu intrinsecè includit. Et quia Auic. Algaz. & Alphar. apud Alb. in loco notato per ens fortasse existentiam intellexerunt, cum concederent verificari alia prædicata, negarunt tamen verificari prędicatum Entis. Aduersum hæc quæ dicta sunt proponit Zons. ac etiam diluit multas obiectiones, præcipuæ verò sunt istæ. Prima Aristotelis. 2. *post.* t. 17.

Prima Obiectio. Eius quod non est, non potest definitio sciri. Ergo ad veritatem propositionum requiritur rei existentia. Resp. Zons. Primo loqui Aristotelem disputatiuè. Secundo loqui de scientia quæ à nobis acquiritur, ad quam necesse est rem, quæ sciri debet, existere, cum omnis nostra scientia ex singularium rerum cognitione, quæ existunt, pendeat. Addi potest, sensum Aristotelis esse non de existentia actuali, sed de esse, quod aliquam dicit entitatem, atque ita id cuius tenetur definitio aliquomodo esse præcognoscitur.

Secunda Obiectio. Non valet hæc consequẽtia: Socrates est homo mortuus, Ergo

est homo, ergo non etiam valet: Socrates est non existens, Ergo Socrates est, Ergo ad veritatem propositionis necessaria est rei existentia. Resp. 1. Arist. 2. *Periherm.* vbi de prima illa argumentatione loquitur, solum negat inesse in ea formalem consequentiã, quamuis consequens illius semper sit verum, id est, semper verum est Socratem esse hominem, non tamen id sequitur ex illo antecedente: Socrates est homo mortuus. Secundo. Non est par ratio; nam esse mortuum, est terminus quidam diminuens & alienans, faciensque vt homo sumatur non pro habente naturam humanam, sed pro cadauere. Hic autem terminus non existens, non diminuit significatum hominis: idem enim homo est essentialiter, siue existat, siue non existat. Deniq; mortuum non tollit naturam cui conuenit, vt secundum seipsam, si in actuali existentia ponatur, se mouere possit, sed q; actu habeat illud esse, quod ab anima viuente tribuitur.

Tertia Obiectio. In triduo mortis Christi non erat vera hæc propositio: Christus est homo, vt sentire videtur Theol. 3. *f. d.* 21. & 22. & D.Th. 3 *p. q.* 55 *art.* 4. Ergo Petro non existente, non erit vera hæc: Petrus est homo: Resp. Scot. Theologos solum intendere quod Christus in triduo non erat homo existens, vt Scotum Zonf. interpretatur, videtur tamen prætereà Scotus dicere esse propositionem illam Logicè etiã falsam, quia inuoluit implicationem; Christus enim dicit suppositum, quod est in diuina & humana natura. In triduo autem non erat suppositũ diuinum in humana natura, etsi seorsim esset in singulis partibus. Sicut etiam falsa esset ista illatio: Socrates est homo albus, Ergo etiã non existens est albus, quia album supponit subiecti existentiam. Nihilominus idẽ Zonf. & Cap. videntur concedere esse veram propositionem. Et certè par ratio est, atq; huius propositionis: Petrus est homo; sicut enim connexio essentialis Petri cum homine, etiamsi Petrus nõ existat, ita videtur esse connexio essentialis in hac propositione: Christus est homo, & sicut vera est illa propositio, quam Petrus dicat suppositum existens in natura humana, ita etiam erit & ista vera, quia Christus intrinsecè dicit suppositum in natura humana, & sicut ab æterno illa vera est, etiamsi Petrus non existat, ita vera erit & ista ab æterno, et. iamsi non habeat Christus suppositum, naturam humanam actu suppositans. Dissimilis autem ratio est de hac & illa propositione, & simul. Petrus est albus, quoniam album nullam habet ex se cõnexionem essentialem cum subiecto, vel a essentia dependentem, ideoq; rei solum existenti conuenit, & propter cõditiones naturales & extrinsecas.

Quarta Propositio. Veritatis propositionum nulla alia est, præter dictam terminorum connexionem & identatatẽ, causa efficiens. Ratio. Quia hæc identitas est immutabilis, nec potest non esse. At cum Deus sit causa agens, & quidem liberrima, posset facere vt non esset. Hanc propositionem videtur expressè docere Alb. & Cap. locis citatis, & hac ratione dicuntur propositiones sempiternæ veritatis, quia connexio terminorum semper fuit ab æterno vera & necessaria, etiãsi termini non dicantur esse, siue existere, Imò inquit Zonf. 5 *Met. q.* 10 in ratione tertia. Si per impossibile Deus non esset, & nulla alia causa agẽs, hominẽ esse animal, esset verum, quia hæc videntur æq; esse necessaria, hominem esse animal, & Deum esse Deum, siquidem eorum opposita æq; sunt impossibilia. Hic tamen loquendi modus fortasse moderatione aliqua eget. Cur autem non sit causa efficiens huius essentialis connexionis, ratio est, quia efficientia propriè solum respicit esse existentia, vel rem existentem, non autem essẽtiã rei præcisè. Hinc sequitur, quod veritas propositionum non dicit per se & necessariò ordinem ad Deum, vel ad Dei Ideas, vt vult Alb. & Cap. Experimur enim optimè à nobis concipi rerum essentias sine hac relatione ad Deũ. Verum tamẽ est quod consequenter &

Nn 2 indi-

indirectè si per impossibile tolleretur Deus tollerentur etiā entia, & essentialis earum connexio, quoniam essentia est talis cōditionis, vt sit quiddam aptum concipi in ordine ad Ideas diuinas, & aptum produci. Si verò Deus non sit, id etiam non erit. Si tamen per impossibile fingens esse qui concipere & producere posset, etiamsi non esset Deus, posset tamen verè dici essentia esse, in quo distinguitur à conceptu, qui est de rebus fictitijs, quoniam ipsi non sunt aptæ quæ producantur, nec tamen ideò sequitur dicere hanc connexionem positiuam formalem & essentialem ordinem ad Deum tanquam causam efficientem, quoniam aliud est ipsa intrinseca connexio terminorum, aliud res cōnexas possibiles esse, seu produci posse, imò ista potentia est aliquid superadditum essentiæ, multaque possibilia sunt, quæ tamen vt sic non dicunt essentialē & necessariam connexionem. Et in hoc sensu concedi potest D. Tho. *quodl. 8 q. 1. art. 1.* & Alb. Si res non haberent causam effectiuam, à qua produci possent, non possent de illis propositiones verificari, quia tunc non haberent rationē entis, & si haberent, omninò ad modum entium fictitiorum; sicut si fingas nullam potentiam visiuam esse possibilem, nihil remanebit quod visibile dici possit. Oppositum Zons. sup. & Caiet. *t. 30. c. 6.* dicere videntur, quod si reuera sentiunt, non sunt audiendi. Sequitur prætereà vt propositiones veræ esse dicantur, concedendum esse essentias rerum quadam ratione æternas esse, nec à Deo effectiuè esse quod concedit Henricus & Gons. 5. *Met q* 10. *lib. 9. q. 5. ad 2.* negat autem Her. *quodl. 1. q. 10.* Absolutè tamen Deus Op. Max. rerum omnium est effector, quia nomine rerum intelliguntur ea quæ realem essentiam & existentiā habere possunt, & quæ sunt terminus realis productionis, per quę seorsim produci distincta actione possunt. Hoc totum rectè videtur exprimere definitio veritatis ab Auic. tradita 1. *Met.* quā etiam D. Tho. *vtitur 1. cont. gent. cap* 60. Veritas est proprietas esse vniuscuiusq; rei, quod stabilitum est in quantū talis res nata est de se facere veram existimationem. Etsi addat D. Th. conformitatem ad Ideas diuinas. Illa verò definitione & exprimitur veritas propositionum complexarum, & earum fundamentorum. Et confirmatur. Nec enim quæri potest à quo sit animal rationale effectum, quia quæri etiam posset propter quid sit, hoc est propter quem finē, id autem quærere, est nihil quærere, vt ait Arist. 7 *Met. t.* 59.

Secunda Prop. Quæcunq; veritas propositionis pendet ex conformitate & adæquatione ad rem, & essentialē rei connexionem, vel si de quacunq; propositione etiam non æterna loquamur, ex conformitate ad rem absolutè loquendo, quia sicut se habet res ad esse, ita propositio ad veritatem. Quare cum hoc consistat in indiuisibili, nō potest rectè dici vnam propositionem esse magis verā, quam aliam; sicut nec potest dici vnum magis ęquale quam alterum. Et idē est, quomodocunq; intelligamus hanc veritatē, siue in ordine ad Ideas diuinas, siue non. Posset tamen in hoc sensu cōcedi vnam esse magis veram, quam aliam, quatenus continet ens magis perfectum, quomodo 2. *Met. t* 4. docet Arist. quasdam res alijs esse veriores. Lege Ferr. *1. cont. gent. c. 1, 3,* & Fons. 4. *Met. c. 2. q. 6 sect 12. ad 1.*

SECTIO QVARTA.

De secunda conditione vt sint immediatæ.

Secunda conditio ab Arist ponitur vt sint prima & immediata, quæ duo idē esse Arist. in expositione Textus ostendimus. Vnde in eodem loco dicit Arist. primum esse principium & hoc ipsum ait esse immediatē propositionē. Et t. 6. vocat indemonstrabilem propositionē. Duo autem potissimum de hac re quæri possunt: Quid sit propositio immediata, & quotuplex.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit propositio immediata?

Propositio immediata, vt definit Arist.

Arist. 1 po t. 5. est, qua non est alia prior. Vbi nota primo quod per immediatum principium intelligit Arist. t. 5. id solum quod est indemonstrabile, non autem quod etiam proprium est, licet vtrumq; ad demonstrationem perfectum requiratur: nam hæc duo distinguit idē Arist. t. 23. immediatum & proprium principium. Quare cum aliquando ait simul debere demōstrationem esse ex proprijs principijs, non est putandus pro eodem hæc sumpsisse. Et t. 5. vbi cōditiones omnes enumerauit, veluti concludens infert; sic enim principia propria eius quod demonstratur, hoc est si prædictæ conditiones adhibeantur, erunt principia & præmissæ demonstrationi accomodatæ, reique quæ per illam infertur.

Notandum Secundo. Ideò prima & immediata propositio vocari solet principium, quia est id vnde pendet cognitio conclusionis, & vt plurimum in Demōstratione propter quid, etiam causa rei, quæ in conclusione infertur: nec enim dari potest principium aliquod essendi, quod non sit quoque & principium cognoscendi, vt diximus contra Iand.

Notandum Tertio Prima propositio dicitur, non quę quamlibet aliam quomodolibet præcedit, sed ante quam non sit simpliciter alia, per quam & directè & ostensiuè probari possit. Item primam dicimus, in qua prædicatum non modo dicitur de immediato subiecto. & adæquato, vt: Homo est risibilis, & vocatur immediata propositio immediatione subiecti, verum etiam eum nulla causa mediat cur insit subiecto prædicatum, vt: Homo est animal rationale (prioris enim illius propositionis causa est quod homo sit admiratiuus) & dicitur immediata propositio immediatione causæ. Hanc distinctionem vide apud Auer. 4. c. post. & 1. p. com. 36. & in ep. Log. c. de prim. pred.. Alensis 5. Met. t. 23. Alb. 1. p. tr. 2. c. 9.

Notādum Quarto. Hinc sequitur propositionem immediatā esse eam, quæ medio caret quod non intelligitur loquendo de demonstratione perfecta, & propter quid, vt satis sit non intercedere inter ipsam & conclusionem vllam aliam mediam propositionem, vel mediū per quod probari possint. Sed requiritur vt contineant secundum se mediū rei illius, de qua fit prædicatio: Vt enim diximus, idem est Arist. immediatum quod indemonstrabile, ideoq; t. 6. scientiam immediatorum dicit esse indemonstrabilē. Propositio item immediata ab eo definitur, non quæ proximè antecedit conclusionē, sed quā non est alia prior, vel quam non præcedit alia, per quam directè & ostensiuè probari possit, tanquā quę illius causam contineat: siue alia aliqua prior sit ratione obiecti, vt hęc propositio: Homo est animal rationale, est posterior istā Deus est æternus, siue quod magis vniuersalibus terminis constet, vt hæc: Quodlibet est, vel non est, quam ista: Omne totū est maius sua parte. Siue denique prior esse dicatur, quia nobis notior, vt hęc eadem, quam illa: Omne animal rationale est discursiuum. Vnde inquit Auerroes: Nihil aliud est, principia esse immediata, quam nullum dari medium inter maiorem extremitatem, & terminum medium. Et Arist. c. 10. pro eodem sumit, fieri ex prima & proxima vera, & perfecta causa maioris extremi. De qua te rectè Zab. lib. de speciebus Demonstrationis. c. 17. Quare non est quod Alb. tract 2. c. 4. dubitet quā propositionem immediatam intelligat Arist. ratione ne conclusionis, an quia aliam superiorem non habeat? Intelligit enim Arist. propositionem quæ ita præcedit conclusionem, vt aliam priorē causam non habeat. Dixi autem me loqui cū Arist. de Demonstratione propter quid, & perfecta, & de Demonstratione ostensiua; nam vt habēt rectè Aegid. & Caiet. Demōstratione ad impossibile potest immediata propositio probari, & demonstratione etiam quia per effectū, vt Deus est. Et demonstratione præterea propter quid imperfecta per causam remotam, si dicenda tamen est demonstratio propter quid, seu Demonstratio quia, vel negari omninò esse demonstrationem, sicut nec de illa Demonstratione, in qua vna causa per aliam diuersi

generis verbi gratia materialis causa per finalem probatur. Dicunt enim quidā esse limitandam hanc doctrinam ad vnum causæ genus, vt sit immediata propositio, quæ generis eiusdem aliam causam nullam habet. Constituatur ergo nobiscum Aristotele propositionē immediatam esse, quæ medio caret, quo ostensiuè per causam essendi & cognoscendi & demonstrari possit, quamuis alijs quoq; multis modis dici possit quæpiam propositio immediata, vt quia careat medio, quo, demonstratione etiam ad impossibile probari possit, vel quod per effectum notiorē ostendi nequeat, hoc est inductione, vel deniq; quæ in aliqua determinata scientia non habet medium, per quod probari possit, etsi fortassè per aliam scientiam ostendi nō repugnet. Hinc sequitur contra Caietanum propositionem, in qua passio prædicatur de definitio, seu de proprio subiecto, non esse immediatā, quia habet causam subiecti definitionem, per quā de subiecto probari possit. Etsi enim re idem sint definitum & definitio, quod est Caietani fundamentum, tamen aut respectu nostri distinguuntur, sicut id quod confusè & distinctè concipitur. Aut etiam ex natura rei, quia aliud est totum ipsum, aliud autem difiniti partes, quæ in toto ipso exprimuntur. Et sanè si hæc non sit demonstratio, per quam de subiecto ostenditur passio ob ipsius subiecti definitionem, non video quæ alia melior esse possit demonstratio. Imò sæpè Arist. alijq; omnes Interpretes Demonstrationis veram causam esse aiunt definitionem. Et Alb. D. Th. docent 1. *Ele. c. de petit. princip.* tunc peti in Sylogismo principium, cum assertur pro medio definitio minus nota, non autem si magis sit cognita definitio. Et colligitur ex Arist. 8. *top. c. 4. loco* 8 o. Ipse tamen Arist. tum 6. *top.* tum præsertim a *po.* multa tradit de definitione, vt est mediū & principium Demonstrationis. Lege Scot. 1. *s. d.* 2. *q.* 2. & nos inf. dicem⁹.

Notandum vlt. Certum est dari huiusmodi propositione, quæ sunt immediatè, alioqui esset processus in infinitum, quomodo Arist. à 1. *p.* t. 34. Et multis impugnat. Id tamen dubitari potest, an idem sit propositio immediata, & per se nota, seu an omnis immediata propositio sit per se nota, & contrà? De qua re quamuis dixerimus tractatu de prænotionibus secundæ operationis, tamen peculiari quæstione nobis dicendū est.

QVÆSTIO SECVNDA.

An sit idem propositio immediata, & per se nota?

DIsputant hanc quæstionem magis ex professo Scolastici. 1 *s. d.* 2. quam Philosophi, vbi quærunt an hæc propositio sit per se nota: Deus est, ideoq; etiam agunt de propositione per se nota, quiduam illius nomine intelligendū sit.

Secunda Opinio. Greg. Arimi. 6 *q.* vult propositionem per se notam esse illam, quæ cuiuis qui rationem vtatur nota esse potest, sine alterius extrinsecæ rei notitia, ex sola terminorum explicatione. Vnde inquit, hæc propositio: Nix est alba, non est per se nota, quoniam illi tantum patet, qui id aliquando viderit, vel causam talis affectionis nouit. Deinde infert quod non omnis propositio, in qua prædicatum est de intrinseca ratione subiecti, & est propositio immediata, sit etiam per se nota, vt: Deus est, angelus est spiritus, &c. quoniam non omni intellectu sui gignunt assensum. Tandem dicit omnem propositionem per se notam esse immediatam, & omnem quæ secundum se nota est, etiam & secundum nos notam esse. Idem quo ad hoc vltimum sentit Auer. 1. *s. d.* 2. *q.* 1. *apud Cap. & Arim.*

Secunda Opinio. Scot. 2. *s. d.* 2. *q.* 3. Propositionem per se notam esse, quæ nota est ex proprijs illius terminis, vt sunt illius, verbi gratia: Omnis homo est disciplinabilis, non est, inquit, per se nota, quia non est nota ex terminis proprijs, hoc est ex definitione, cū sit passio propria, & non prima, sed tantum in confuso per definitum: Putat enim definitionem & definitum esse distinctos terminos, quare hæc esset per se nota: Animal

mal rationale est disciplinabile, & in cōmuni dicit rem significatam in propositione per terminos confusos non efficere propositionem per se notam, nisi appareat statim vera propositio, habita cognitione terminorum. Et ideò hæc inquit propositio: Deus est, quam habēt beati, est per se nota, quoniam ipsi cognoscunt subiectum & prædicatum distinctè, & per definitionem. Sed eadem materialis propositio, quam nos habemus, non est per se nota, quoniam non fit in nostro intellectu nota ex se, & propterea vult esse distinctam propositionem ab illa beatorum, in quo differt à Greg. qui vult esse eandem, quia tamen non sunt in nostro intellectu ex se clara, ideō nec etiam dicendum esse notam per se. Conuenit autem cum eodē, quod eandem vult esse propositionem secundum se, & secundum nos notam, ideoq; illam propositionem quam habent beati, ait Sco. esse notā secundum nos, in hoc sensu, quoniā si haberimus illius terminos, qui expliciti sunt & clari, nobis etiam esset nota; illam verò quam habemus, etiam beatis fit & nobis non esse notam, quoniam si ipsi haberent eos conceptus, quos non habemus, nec fieret ipsis per se nota. Quarè vide Sot. per terminos propositionis intelligi non rem absolutè significatam, sed prout subest illius significatum, & noster conceptus, siue prout res à nobis concipitur, vt contrà Odam & Gab. A liaco, & alij Nominales loquuntur de propositionibus, vt sunt formaliter propositiones, & quid complexum, & quia res à nobis intelligi potest, & conceptu distincto & confuso, inquit Scot. propositionem constantem terminis significantibus rem in confuso, non esse per se notam, nisi ex tali terminorū confusa cognitione res ipsa statim innotescat. Cum autem propositio constat ex terminis significantibus rem distinctè; tunc aiunt hanc esse propositionem per se notam, si modo respectu cuiuscunq; intellectus apti sint termini distinctè cogniti claram rei parere cognitionē.

Tertia Opinio. D Th. *1 p q 2. art. 1* & quam quia secuturi sumus, exponemus per sequentes propositiones.

Prima Propositio. Propositio dici potest esse nota tripliciter: secundum se, quoad nos, vel ratione vtriusq; & sic vt medium potest esse his tribus modis notum, sic etiam & quod immediatum dicitur, totidem modis notum dici potest. Vt enim habet Arist. *2. t. c. 10.* Quod modis dicitur vnum oppositū, tot modis dicitur & alterum. Propositio nota secundum se est illa: cum cognitis terminis propositionis, statim ex natura sua cognosci propositio potest, vt non amplius opus sit alio medio. Nota secundum non est, cum non egemus aliquo alio medio notiori, quamuis ex natura rei suppetat medium, per quod probari posit, vt ignis est calidus, & omnia ferè quæ sensibus nostris patent. Deniq; vtroq; modo nota propositio est, qua nec alia nobis notior est, nec ipsa medium habet per quod probari posit, vt omne totū est maius sua parte. Aut quoniam id secundum se probari posse ait Ioannes Magironus. *d. t. lib. 1. f.* quodlibet est, vel non est. Hæc distinctio non modo est Arist. sed omnium ferè Interpretum; inquit enim Them. *lib. 1 p. c. 5.* hanc propositionem: Vestis est candida, esse immediatam, non tamen eiusmodi, quæ ad Demonstrationem requiritur, quoniam, inquit, non est vniuersalis, hoc est non est prædicati vniuersalis. Quæ ratio non est sufficiens, sed quoniam licet propositio nobis quidem nota est, non tamen secundum se. Phil. idem docet hic, & colligit ex Arist. cuius plurima produci loca possunt; præcipua sunt tum in hoc libro t. 5. tum *1 ph init. & t. 49. Them. ibid.* ait aliam propositionem esse per se notam omnibus, aliam non item, quam eandem diuisionem habet Phil. sed est leuioris momēti.

Secunda Prop. Absolutè loquēdo dicitur propositio per se nota, quæ ex quidditatiua terminorum cognitioni euidens ex natura sua apparet. Hoc etiam docent aliqui Thomistæ, vt Her. *1. f d. 3.*

q.3 *Cap* *d*.2.*q*.2. Fer.1. *cont. gent. c*.11. Caiet. 1 *po c*.3 Soto *ibid*. q 3 Dur.1 *f d* 3 q 3. Vnde si aliquid est, quod potest esse, si cognoscantur quidditatiuè termini absq; alio modo cognosci, & hoc ipsum requirit, vt eius veritas manifestè innotescat, propositio talis dicitur per se, & si à nobis nō possint termini quidditatiuè cognosci, dicetur ignota secundum nos. Exemplū est in hac: Deus est. Fieri tamē potest vt aliqua propositio per se nota sit & cognoscatur ex sola terminorum confusa notitia, vt: Omne totū est maius sua parte, at verò si quidditatiua cognitio terminorum, quæ requiritur à nobis facilè haberi possit, dici etiam poterit propositio per se nota. & secundum nos, & secūdum se, cuius propositionis per se meminit Bo. *lib. de hebdomad.* vt refert D. Th. 1. *p. loc. cit.* & *de ver art*.12. dicens, posse notam esse aliquando propositionem vel vel omnibus, vel sapientibus.

Tertia Prop. Omnis propositio per se nota secundum se & naturam suam dicitur etiam immediata, quia secundum se nota est, quæ non habet vnde probari possit, aut debeat, hoc ipsum autem est esse immediatam, hoc est medio carere.

Quarta Prop. Omnis propositio immediata secundum se, est etiam nota secundum se, per se, & naturam suam, quia immediata propositio dicitur secundum se illa, quæ medio caret. & causa per quam probetur, aut probari queat.

Quinta Prop. Hinc sequitur quod non omnis propositio immediata est per se nota, & secundum nos, sunt enim illæ tātum propositiones secundum nos notæ, & secundum se, quæ nullam habent propositionem respectu nostri priorem, nec etiam secundum se, per quam probetur. Tales verò sunt solæ maximæ dignitates, & quæ secundum nos, & secundū se notæ dicūtur. Cæteræ autem propositiones immediatè secundum se pro maiori parte probari possunt à nobis notiore aliqua secundū nos propositione. De propositione per se nota lege apud Authores citatos, præsertim apud D. Tho. cum alibi, tum de ver. *q*.10. *art*.12. vbi hęc verba notāda sunt, quæ habētur in corpore articuli. Ad hoc, ipquit, vt aliquid sit per se notum, nihil aliud requiritur, nisi vt prædicatum sit de ratione subiecti, quia tunc non poterit cogitari subiectū, absq; hoc, quod prædicatum sibi inesse appareat. Vt autem aliquid sit per se notum nobis, oportet quod nobis sit cognita ratio subiecti, in qua concluditur prædicatum. Lege 4. *Lect. Met.* 5.1. *f. d.* 2.1. *cont. gent. c*.10. & 11.

QVÆSTIO TERTIA.

Quæ sint propositiones immediatæ?

ARist. 1. *po*.1.5. diuisit propositionem immediatam in aliquot membra. Verum quia alia est magis generalis diuisio in immediatam propositionem affirmantem & negantem, idcircò antequam de Arist. partione dicamus, de hac communiore dicemus, & primo de affirmantibus propositionibus. Secundo de negantibus. *Lege* *D. Tho.* 1. *po. Lect.* 5. 26. 44.

RRIMA DVBITATIO.

De propositionibus affirmantibus immediatis.

Prima Prop. Omnis propositio in qua prædicatum est definitio, vel pars definitionis, est immediata & indemōstrabilis. Ratio. Quia nō habet causam priorem per quam probetur. Nec est, vt diximus, causa cur prędicatum insit subiecto, præter ipsammet intrinsecam terminorum connexionem. Ita D. Tho. 1. *po. lib.* 5.1. *p. q*.2. *art*.1. *q* 10. *de ver. art*.12. Caiet. 1. *p.* & 1. *po c*.2. *Cap*. 1. *f. d* 2. *q*.2. *art*.1. & 2. nec tamen dicit D. Th. hanc solam esse immediatam, vt illi impingit Her. & patet ex locis citatis, vt contineatur diuisio propositionum immediatorum in plures quam eas in quibus prædicatum est definitio, vel pars definitionis, vt videbimus.

Secunda Propositio. Omnis propositio in qua prædicatum est de ratione subiecti aliquomodo, etsi non sit propriè definitio, aut pars definitionis, est per se nota,

nota, & immediata, nam vt docet Cap. art. 2. ad 1 quinque modis cōtingit, prædicatum esse de ratione subiecti. Primo. Quia est definitio subiecti, vt: Homo est animal rationale. Secundo. Quia est pars definitionis, vt: Homo est animal, vel homo est rationalis. Tertio. Quia definitum prædicatur de definitione, vt: Animal rationale est homo. Quarto. Quia se habet per modum definitionis, vel descriptionis, vel vt illi æquiualens, & prędicatur de definito, descripto, aut qualitercunque notificato, vt totum est maius sua parte: nam id æquiualet definitioni, vel descriptioni totius Secundo. Cum è conuerso fit ista prædicatio vt: maius sua parte est totū.

Tertia Propositio. Omnis propositio in qua passio prima prædicatur de subiecto, non est immediata. De hoc diximus præcedenti quæstione. Ita docet Scot. 1 *f. d. 2 quæst.* 2. & Nominales, ac P. Ven. 1 *po. c. 2* Ratio est. Quia ex natura rei videtur aliqua distinctio esse totius definiti, & definitionis partis complectentis, & consequenter potest passio, quæ definito prædicatur, demonstrari per ipsius definitionem. Confirmatur: Omnes enim vulgò dicunt prædicationem definitionis cum definito esse per se, & directum, ergo est aliqua distinctio Caier. tamen vult esse propositionem immediatam, & Soto 1 *po q* 2. & 3. Fer. 1. *cont gent c* 11. & maior pars Thomistarum, qui etiam à se esse volunt D. Tho. 1. *po Lect* 36. 1. *p. q* 2. *art.* 1. De ver. *q.* 10. *art.* 10. 1. *f. d.* 3. *q* 1. *cont gent c* 11. Verum vindicandus est ab hoc errore D. Tho. Nam *q. de ver.* 10. *art.* 11. ait creaturam esse, non esse per se notam, quia non est de ratione creaturæ existentia, quasi diceret posse probari aliunde, sic autem se habet passio cum de subiecto prædicatur. Et 1. *p. quæst. 2. art.* 1. opposita ratione vsus affirmat Deum esse, esse per se notum, quia de ratione & quidditate Dei est sua existentia. Volunt autem Thomistæ posse dici istam propositionem immediatam nunquam propriè secundum non ratione distincti conceptus, quem definitio cum in definito sit confusus, euoluit, atq; explicat, sed constat ex dictis propositio nostra, tum etiam quia falsum est illorum fundamētum, nullam esse ex natura rei distinctionem definitionis & definiti, & saltem negare non possunt aliud quid esse definitionem vt est ipsamet rei essentia, aliud autem vt concipitur tanquam causa & medium passionis probandæ. Et confirmatur. Quia Soto c. 2. dicit hanc propositionem: Petrus est animal rationale, non esse immediatam, quia probari potest per definitū, quod est homo. Licebit ergo nobis etiam dicere esse hanc ipsam propositionem immeditam, quoniam definitio & definitum sunt idem, ideoque non posse sumi definitum tanquam medium.

Quarta Prop. Omnis propositio in qua prædicatur secunda passio de prima, vel tertia de secunda, & sic deinceps, vel quæcunq; passio de subiecto, nō est immediata. Hæc posterior pars eadem ratione probatur, qua præcedens propositio. Prior autē, quoniam etsi prima passio sit immediata causa secundæ, & secunda, tertiæ, & sic deinceps, non est tamen completa causa, sed tandem probari debet quæcunq; passio per subiecti definitionem. Adde quod cum probatur secunda passio per primam, per subiecti definitionem, solet esse innaturalis & indirecta propositio, vt si dicas: Omne animal est rationale, discursiuū est admiratiuum: Omnis homo est animal rationale discursiuum, Ergo est admiratiuum. Vel: Omne animal rationale est admiratiuum, omne discursiuum est animal rationale, Ergo omne discursiuum est admiratiuum. In præcedenti syllogismo omnes propositiones naturales sunt, & probatur secūda passio per primam, & per subiecti definitionem In posteriori autem minor propositio non est naturalis, sed illius conuertens: Animal rationale est discursiuum. Dici tamen vtrunq; potest immediata quatenus est proxima causa alterius passionis.

alterius ex extremis. Confirmatur etiam. Idem quoque fieri potest per aliquod inferius vnius ex extremis, vt: Nulla substātia est superficies, aliqua quantitas est superficies, Ergo aliqua quantitas non est substantia. Qui per totum sub quo extremum aliquod continetur, intelligūt genus generalissimum, vt videtur Them. Auer. Phil. &c. negant probationem illā primi argumēti esse huiusmodi, vt faciat quo minus dicta propositio sit immediata: nam accidens cum non sit genus, non habet veram rationem medij tanquā distincti ex natura rei à quantitate; analogum enim non habet vllum conceptum præcisum, sed immediatè dicit sua inferiora, etiamsi non adæquate singula. Alij concedūt esse mediatam propositionem, dicuntq; satis esse si extrema sunt sub aliquo superiore, quod distinguatur aliqua ratione ab ipso, & ab alio extremo eiusdē propositionis. Quale in proposito est accidens, quod & à substantia distinguitur, & est quoddam superius respectu quantitatis, quamuis analogum. Hic dicendi modus non est planè improbabilis, præsertim cum constet posse esse scientiam de obiecto analogo. Eadem enim ratione potest aliquod inferius istius obiecti analogi probari per ipsummet analogū superius. Hoc tamen non videtur esse ad mentem Aristot. qui propositionis immediatę exemplum proponit, cum vnum genus de altero summo negatur. P. Ven. respondet, non rectè eam propositionem probari, quia, inquit, medium non est notius conclusione hoc est accidens. Ad secundam rationem posset concedi bonam esse illā probationem, quæ est per modum intrinsecum accidentis. Et denique omnem etiam aliam quæ est per explicationem descriptiuam superioris analogi, quamuis propriè talis probatio non sit dicenda à priori, in analogis enim non est distinctus à natura rei conceptus eius quod constitui intelligitur, & eius quod constituit. Ad primam confirmationem, Demonstratio, seu probatio per proprietates, est tantum à posteriori, quæ non obest quin dicatur aliqua propositio immediata, quę talis esse dicitur, quatenus medio aliquo caret, quo à priori probetur. Ad secundam confirmationem. Illatio illa est particularis, & pręterea adhuc est à posteriori, inferius enim est quid posterius superiore. Concludendum igitur est propositionem immediatam negatiuam esse, cum neutrum extremum est in aliquo toto, vel quod sit propriè genus vniuocum, vt eitati Authores significant, & D. Thom. 1. *po. lib* 26. & est probabilis opinio, vel certè quæ non habent superius, nec etiam analogicè, quo pacto hæc diceretur propositio immediata: substantia non est accidens, quia etsi habeant supra se eos tanquam quid commune analogicè, non tamen vnumquodque ex his extremis habet proprium superius, per quod vnum probari possit non inesse alteri, & idem sequitur, etiamsi secundum Scotum ponatur ens esse genus vniuocum ad substantiam & accidens.

Obijcies Ex Aristotele 2. *Periher cap. vlt.* hæc propositio: Malum non est bonum, quę est maximè vniuersalis, ita probatur: Nullum non bonum est bonum. Ergo similiter hæc propositio probari poterit: Nulla substantia est quantitas, nulla non quantitas est quantitas. Resp. Nyph. 1. *post. ad fin.* non probari hoc modo propositiones, sed exponi tantum & explicari, vt si diceres: Qualitas est qualitas, & substātia substantia, & neutrum est sub neutro. Ergo substantia non est qualitas.

Obijcies Ista propositio: Substantia nō est accidens, probari potest per modos intrinsecos, seu per descriptiones cuiuis proprias vt si dicas: Nullum quod est per se, est accidens, omnis substantia est per se, ergo nulla substantia est accidens. Resp. Non esse bene probationem propriè à priori.

Secunda Propositio. Si ambo termini sint sub eodem toto, sub quo vt sic non differunt, sed conueniunt potius, tunc propositio negatiua est immediata, vt: Nullum irrationale est rationale, nullum bipes est quadrupes, nullus leo est equus. Ita D. Thom. *loc. cit.* Et intelligendum est, cum accipiuntur extrema secundum proprias

suas differentias, quibus constituuntur, quia cum ipsæ sint idem quod constituta per eas, censentur seipsis & sine modis distingui. Obseruandum etiam est, vt extrema sint sub suo toto immediatè, alioquin posset esse mediata propositio, vt si dicas: Homo non est planta, quia ens sub aliquo communi in genere, atque adeò sub communissimo, quod est substantia, conueniant, non tamen sub proximo, & homo, verbi gratia, non differt proximò à planta per rationale, sed per esse sensitiuum.

Dices. Hæc propositio: Homo non est equus, probari potest per definitionem cuique propriam. Resp. Cum hæc duo conueniant in animali, differant autem proprijs differentijs, idcircò seipsis etiam differre censentur, nisi fortè accipiatur in probatione explicita vtriusque differentia, quæ in confuso continebatur in nominibus istorum, ac proinde satius erit dicere propositionem immediatam in hoc casu esse, cum negatur vna differentia de altera, vt si dicamus: Rationale nō est hinnibile, quia differentiæ seipsis immediatè differunt.

Tertia Propositio. Cum vtrumque extremum est sub aliquo toto; siue sit genus generalissimum, siue interiectum, non est propositio immediata, probari enim rūc potest per totum siue genus, tum prædicati, tum subiecti, vt: Linea non est homo, nam supra lineam est quantitas, supra hominem substantia. Vel etiam hæc propositio non est immediata: Planta non est angelus, quia supra plantam est corpus, supra angelum est substantia incorporea, saltem vt quid commune ad animam rationalem & Deum.

Quarta Propositio. Cum vnum extremū est sub toto, non autem aliud, tum propositio est mediata, quia probari potest ex ea parte qua vnum extremum habet supra se totum, vt: Calor nō est quantitas, potest enim probari per genus caloris, quod est qualitas. Quamuis si placet prior illa opinio de toto analogo, dici potest eādem rationem esse, atque cum supra aliquod extremum est totum, aliquod vniuocum. Quod ad præcedentem propositionem pertinet, vel si etiam placet probari posse aliquam propositionem per modum intrinsecum, aut descriptionem summi generis, poterit etiam quod ad præsentem propositionem spectat, propositio probari ex parte illius extremi, quod supra se totum vniuocum non habet: vt hæc ipsa propositio: Calor non est quantitas, si accipiatur probationis loco descriptio quantitatis.

Vltima Propositio. Addi potest cum Soto in c.12. Esse etiam propositiones immediatas, sicut in veritate, ita & in falsitate, tum affirmando, tum negando. Et sicut sunt affirmatiuæ propositiones mediatæ veræ vel falsæ, ita etiam & negatiuæ, vt: Homo non est rationalis, substantia est qualitas, sunt propositiones immediatæ & falsæ; illa negatiua, ista autē affirmatiua.

QVÆSTIO QVARTA.

De diuisione propositionis immediatæ secundum Aristotelem.

De hac diuisione diximus 1. *po. c. 2. parte* 3. in explicatione textus, vbi Arist. t. 5. diuisit principium, quod dixerat esse immediatam propositionem, in axioma seu dignitatem, & in positionem. Positiuū rursum in suppositionem & definitionē. Suppositionem in eam quæ simpliciter dicitur suppositio, & in petitionem. Positio est principium indemonstrabile, quod tamen non est necesse ab addiscente scientiam præcognosci, sed eget leui aliqua explicatione, dignitas verò clarissima est, & quodammodo à natura, vt inquit Philo. *comm. 44.* Themist. *cap. 5 parap.* Interdum tamen latius dignitatis & effati nomen sumitur, videlicet pro omnibus principijs Demonstrationis, vt notat Flam. in *q. Log.* & ita loquitur Aristoteles 1. *post. t.* 20. 25. & 27 & Them. *cap.* 16. dicens effata esse demonstrationis principia. Et Simpl. 1. *phys. com. 8.* appellat nonnullas hypotheses & materiæ definitionem effata. Sic etiam quidam intelligunt Phil. cum 1. *post. tom. 2.* dixit maiorem demonstrationis propositionem esse dignitatem. Et hoc modo diuidi solet dignitas & principium in com-

muge

ratione aut omnibus, aut pluribus, aut vni scientiæ. Et de dignitatibus communibus vt sunt principia rerum, illa definiendo, & probando etiam contra protervos, agere est Metaphysici, vt patet *ex lib. 4. Met. c. 7. lib. 11. sum. 1. cap. 2. sum. 2. cap. 2. & 3.* Vt verò vsui sunt Demonstrationibus, de illis agit Logicus. Reliqua quæ de hac tota diuisione dici possent, non sunt difficilia. Solum reuocandum in memoriam quomodo definitio dicatur esse positio, nec tamen significet esse & non esse, quod aliquot modis citato loco explicauimus, inter quos non est infimus, qui à Mirando traditur *in instit. Log. sect.* 3. dici definitionem principium demonstrationis, non quod reipsa sit, sed quia esse potest, sicut videns, inquit, dicitur, & quod potentia, & quod reipsa videt. Hic etiam nota, videri definitionem aliquando communiter accipi pro quouis demõstrationis principio, prout significat terminare, ac veluti finire cognitionem illius rei, cuius est principium. Sic Eustrat. 1. *po. cap.* 3. Tamen ab Arist. in sua diuisione, tum Dignitas, tum Definitio ponuntur vt distincta quędã membra. Lege Proclum *2. in Eucl. c. 8.*

QVÆSTIO QVINTA.

An omnis demonstratio constet ex immediatis, & an dignitates ingrediantur Demonstrationem?

LOquimur de demonstratione à priori. Et cum dupliciter dicatur principium immediatum: Immediatione causæ, vel subiecti, sermo nobis est de immediatione causæ. Denique supponendum est inter demonstrationes quasdam dici perfectissimas, alias minus perfectas, vt videbimus, & docet Phil. 1. *po com. 2 & 6.* Simpli. 8. *ph dig. 2.* Auer. *in Ep. c. de Demonstrat*

Prima Propositio. Omnis demonstratio debet aliquomodo constare ex immediatis. Probatur ex *t. 5.* Et ratio est, quia nemo aliter dicitur perfectè scire, nisi euidenter assentiatur conclusioni, & in eius assensu conquiescat, quod facere non potest, qui immediata principia perspecta non habeat.

Secunda Propositio. Demonstratio perfectissima, quæ & porissima dicitur, constare debet ex principijs actu immediatis. Ita docet omnes Interpretes, præsertim Auer. 1. *post. in t. 2.* Et ratio est, quia ille dicitur perfectè scire, qui quodammodo intuetur veritatem eorum, ex quibus pendet conclusio. Sed nisi præmissæ sint immediatę, id esse nequit. Ergo. Confirmatur. Melius est ex actu immediatis procedere, ergo optima & perfectissima demonstratio ex talibus procedit. Confirmatur. Quia quę non procedit ex actu immediatis, pendet ex alia priore demonstratione, perfectissima autem ex nulla alia pendet.

Tertia Propositio. Demonstratio quæ constat ex principijs mediatis, virtute solum & in potentia est vera Demonstratio. Probatur authoritate Aristotelis *ex 1. Top. cap. 1.* vbi demonstrationem esse dicit, quando ex veris & primis, aut ex talibus quæ per aliqua prima & vera eius, quæ circa ipsa est, cognitionis principium sumpserunt. Et 1. *post. t. 5.* ait non esse necesse omnes præmissas nobiliore cognitionis modo, quam conclusionem cognosci, sed quæ immediata sunt, omnes nobiliore cognitionis modo sciuntur. Hoc docet D. Thom. Phil. aliique *ibid.* & Alex. 1. *phys. com. 18. & 1. Top. cap. 1.* Quod etiam probat, quia omnes conditiones demonstrationis, de quibus Aristotel. 1. *post.* desumptæ sunt ex demonstrationibus Mathematicis, aut saltem in iisdem explicatæ, in illis autem non semper sunt præmissæ actu immediatæ, nisi in quam paucissimis, vt & obseruat Apoll. 1. *p. q. 8.* & Proc. *in 1 Eucl.* Phil. 1 *post. com 21.* Ammon. *cap de qual* Et confirmatur, sequeretur enim demonstrationes scientiæ subalternatæ non esse veras demonstrationes. Hinc sequitur malè Auerroes 1 *post. com 10* asserere, locutum esse Aristotelem ibi, qui est secundum nos *t. 5.* tantum de demonstratione porissima, quæque constat ex actu immediatis propositionibus. Quod conatur etiam ex Aristotele probare, ita interpretãs rationem Aristotelis, si demonstratio non constat ex immediatis, intelligit actu

Met. c. 7. dum inquit, immobilia, vt in Mathematicis, non per se quidem, sed similitudine quadam principia appellantur, &c. Quo loco, vt obseruat Flam. *q. log.* c. 14. dum dixit Arist. locum, significat non esse illud principium veram existendi causam, sed cognoscendi tantum, vel præsertim. Hinc Alex. *præm. in* 1. *pr.* negat Mathematicam esse partem philosophiæ. Et Simpl. 3. *de anima, com.* 36. Phil. 1. *po. com* 21. Am. in Categ. c. *de qual.* negãt habere veras demonstrationes. Nihilominus præstant demonstrationes Mathematicæ alijs quæ veras causas continent, maxima tum perspicuitate, tum certitudine, vt habetur 1. *Eth.* c 3. Quæ autem huiusmodi sunt, maximam perfectionem censentur habere. 1 *po t.* 62. Sed hæc certitudo oritur potius ex eo, quod ad sensus valde pateant res Mathematicæ, vt notat Simpl. 1. *de anima. t.* 11. Simpliciter verò perfectior ea est certitudo, cum effecta per veras proprias; rei causas cognoscuntur, vt habetur *in præm. ph*: & Metaphysicæ. Vt igitur demonstrationes Mathematicæ cedere debeant Physicis & Mataphysicis, verèque philosophicis, non sunt tamen vel ipsæ, vel Mathematicæ disciplinæ sordidis artibus inferiores, quod malè conuitiabatur Aristippus apud Aristotelem 3 *Met. t.* 3. qui dicebat in fabrilis, aut in contraria omnium causa ex meliori, aut deteriori redditur, quorum in Mathematicis nulla ratio habetur, sed nimirum ille ex Socratis auditoribus primus omnium teste Laërtio *lib* 2 *quæstu* philosophari cæpit, & mercedem a discipulis suis exigere. Verum de hac re in tractatu de scientia, de Mathematicis autem *ibid lib. in ph.* 2. Resp. Cum Arist. dicit demonstrationis principium esse definitionem, vel de perfectissima tantum locutus est, vel definitionis nomine, vt dixi nus, vsus est prout etiam comprehendit ipsas quoque in terdum dignitates. Adde quod similes sunt hæ dignitates veris definitionibus, ita vt vtrumque dici possint aliqua ratione esse in primo per se dicendi modo, quod indicat D. Thom. 1 *post. lect.* 5.

Atque ex his patet ad obiecta. Notandum autem, cum ingrediuntur demonstrationem huiusmodi principia maximè communia, solere contrahi per aliquam materiam particularem, vt videantur esse particularia principia, & hoc monet Aristoteles, 1. *post. t.* 26. loquens de illo principio & dignitate maximè communi, necesse est in quacunque re affirmationem aut negationem verã esse.

Quinta Propositio. Si per ingredi virtualiter intelligatur quod principia, quæ sic demonstrationem ingredi debent, sint huiusmodi, vt ab ijs conclusio demonstranda intrinsecè pendeat, non sunt necessariò dicendæ dignitates, vel etiã virtualiter dicendæ ingredi demonstrationem. Ratio, quoniam conclusio à solis per se causis immediatis & proprijs intrinsecè pendet, talia autẽ non sunt principia maximè communia. Confirmatur. Aliàs enim dignitates istæ essent actu præcognoscendæ, quod tamen nemo experitur esse necessarium.

Sed obijcies. 1. *po t* 2. dicitur de principijs esse prænoscendum quod sint, hoc est quod vera sint, & exempli loco affertur dignitas illa maximè conueniens: Omne aut affirmare, aut negare verum. Et *tex.* 25. habetur, Dignitates primas esse principia immediata demonstrationis. At principium immediatum & id quod ante demonstrationem præcognoscitur virtualiter saltem demonstrationẽ ingredi debet. 3. *Met. t.* 4. Ex dignitatibus, inquit Arist. est omnis demonstratio. Vbi etiam nota vocari ab Aristot. communes sententias & opiniones, non quod sint de rebus vt à Metaphysica minus certis, cum alioqui alibi vt certissima supponantur, quæ est Alberti interpretatio, sed per communissimas sententias intelligit dignitates, quas multi vocãt communes animi conceptiones & notiones quod idem significat opinionis nomen latius sumptum. Denique omnis demonstratio nititur illis principijs communibus: De quolibet verum est affirmare vel negare, & de eodem non potest idem affirmari & negari. Ergo saltem virtualiter ingrediuntur.

rior notior esse debeat, an ambæ, sint quo loco nolo disputare quæstionem illam celeberrimam de primo cognito; pertinet enim illa potius ad librum de anima, nec etiam necesse erit agere de methodo tradendarum scientiarum. quam Arist. 1. *ph* t. 2. & 3. innatam nobis esse ait, vt à notioribus nobis ad ignota progrediamur. Quare authores partim etiam in isto nonnulli differunt de methodo, præsertim B. Ramus *lib.* 9 *animaduers.* Aristotelicarum *in cap.* 2. *lib.* 1. *po*, nos enim in comp. satis diximus.

QVÆSTIO PRIMA.

Quot modis dicatur aliquid notius?

PRima *Propositio.* Duobus modis dicitur aliquid notius: Natura, & nobis. Ita Arist. 1. *po* t. 5. 1. *Eth.* c. 4. 5. *Met.* t. 1 2 *anima.* t. 12. 1. *Met.* t. 10. 6. *Top. loco* 17. & 18. *sed loco* 18. sic habet: Dupliciter est accipere notius: Aut simpliciter, aut nobis. Simpliciter igitur notius est, quod prius est posteriore, vt punctū linea, & linea superficie, &c. Nobis autem quandoq; accidit, nā maximè solidū magis sub sensum cadit quam superficies. Hic Arist. duo simul facit. Primo Dat causam cur aliquid dicatur notius natura, nempe quia est prius & causa alterius, & consequenter est tale ex natura sua. vt si cognoscatur eo modo quem rei ordo & natura exigit, prius cognosci debeat: Sicut enim prius habet esse ita & cognoscibilitatem. Ex quo etiā colligendum est omnē causam, principiū, partē, siue essentialem, siue integralē, vniuersale, &c. secundū naturam, natura, vel naturæ, secundum rationē & simpliciter notiora esse, quæ omnia idem significant. Vnde friuolum est quod aliqui dicunt dici natura notiora, quasi magis ab ipsa natura cognita, vel à Deo, vel intelligentijs; nam nec natura secundum se est principium cognoscitiuum & à Deo omnia cognoscuntur pari facilitate, & quod maximè natura cognoscibile est, non magis ideo ab intelligentijs cognoscitur, hoc est Deus, quem nemo comprehendere potest. Est ergo natura notius, quod secundum se aptum est & postulat vt prius cognoscatur, vel etiam quod ex se habet plus cognoscibilitatis ratione causalitatis, non autem semper ratione perfectionis, nec etiam ratione simplicitatis; substantia enim composita natura sua notior est accidente, quod est tamen quiddam simplicius, etiamsi per accidens non magis à creatura, vel à nobis res quæ natura notior dicitur, cognoscatur. Illud autem figmentū dicitur esse Stoicorum, qui naturam intelligentē faciebant. Verum illos Plut. *lib.* 1. *cap.* 11. videtur ab hac nota liberare, testatur enim solum hanc fuisse Stoicorum sententiam, hominem vt primū editus est, principem eius animi facultatem perinde ac si ageret de conscribenda charta singulas exarare in anima notitias, vt primus sit inscriptionis modus à sensibus, deinde quod sensu perceptū est, memoriæ commendetur, postea vbi multæ eius generis formæ concurrerint, experimentū homo adeptus dicatur, quod definitur multitudo eiusdem generis notiorū. Addit Plut. naturales has notitias fuisse à Stoicis appellatas prænotiones & anticipationes, alias aūt notitias. Si autem Auer. 1. *ph*, t. 2. ita loquatur, vt notius secundum naturā esse velit, quod natura prius intelligeret, si intelligentia prædita esset, vt apertè loqui videtur, rectè sentit, & immerito à nonnullis in eo errore ponitur. Secundo Arist. reddit causam cur dicantur aliqua nobis notiora, quoniam sensu magis percipiuntur, quare simpliciter loquendo notius nobis est, quod facilius à nobis cognoscitur quomodocunque se res habeat, hoc est, siue natura prior sit, siue non. Talia sunt sensibilia omnia, & quæ cum ijsdem maximè sunt coniuncta, quod idem docet Arist. locis citatis. Et ratio est manifesta, quia omnis nostra cognitio ex sensibus deriuatur.

Obijcies 1. *po.* tit. 5. dicit Arist. singularia nobis esse notiora, 1. autem *ph.* 7. 4. contra id asserit de vniuersalibus.

Notandum est, triplex esse vniuersale, quod ad esse facit. Primo, in causando, quod multorum est causa, vt Deus, sol, &c.

lia effectus ipsos, resq; compositas. Propter quā causam dixit Arist. *in 4. t.* esse incipiendum ab vniuersalibus, quia totum, inquit, secundum sensum notius est. Ita accipiendum est vt sensibus notiora sint singularia & effectus, propter magis communia accidentia sensibilia, quę quia inducunt nos in cognitionem magis communium prædicatorum, ex eo rectè infert Arist. ab vniuersalibus incipiendum esse. Denique notandum est cum dicuntur vniuersaliora, cognitione confusa, notiora esse, intellige vt plurimum; nam genus asini & equi, cum sit vniuersalius, est tamen innominatum & ignotum, vt docet Arist. *7. Met. t. 28.* Ex quo patet quod iniuria Zimara D. Thomam reprehendit dicentem, id quod diximus argumentum accipiens ex eo loco Aristotelis in tab. verbo, genus. Nihil enim aliud dixit D. Thom. quam vt plurimum ita esse, quod docet Arist. & monet vniuersaliter id non esse verum. Lege Domin. de Fland. *1. post q. 5. art 3. & 4.*

Secunda Propositio. Potest aliquid esse notius & nobis natura, primo ad modū dictū, vniuersaliora enim sunt notiora nobis cognitione confusa, natura autem, distincta. Sed præterea etiam cognitione distincta aliqua interdum vtroq; modo notiora sunt, vt patet ex Demonstrationibus Mathematicis, quæ est Auerr. sententia, non modo *in lib post. & quæst Log.* sed etiam *1. ph. com 2. 1. anima com. 11.* quod cum vulgo etiā ab alijs dicatur, ferè tantū locū habet in ijs demonstrationibus, ad quas maximè communia illa principia geometrica, vel arithmetica, vel vtrique scientiæ cōmunia adhibentur, de quibus *Mathemat. init.* suorum librorum, quoniam principia illa demonstrabilia sunt, & prima, nobisq; vel ex solis terminis nota. De qua re lege Peter. *de princ. cap. 8.* In rebus quoque physicis idem aliquando cernere est, saltem in aliquibus, vt idem demonstrat *cap. 7.* sed optimè de hac re D. Thom. *1. p. quæst. 85. art 2. ad 1.*

Tertia Propositio. Demonstratio propter quid (de qua præsertim locutus est ibi Aristoteles, nam demonstratio quia apertè est ex notioribus nobis: quia est ex effectu) requirit per se tantum notiora natura. Ratio est, quoniam ad demonstrationē propter quid per se solum requiritur vt contineant præmissæ causam cōclusionis, hæc autem ex natura sua solet vt plurimum notior tantum esse secundum naturam. Hæc est communis opinio Them. Phil. D. Thom. &c. præter Auerr. qui inducens nouum quoddam demonstrationis genus, quam nomine potissimæ intelligit, vult de ratione eius esse vt constet & ex notioribus nobis, & natura simul, idque præsertim reperiri in Mathematicis demonstrationibus. Quod vltimum etsi concedi de aliquibus possit, non tamen consequens est omnem demonstrationem, etiam perfectissimam, id necessariò requirere, & si quæ debent esse demonstrationes perfectissimæ, certè illæ quæ in Metaphysica aut Physica sunt; Mathematicas enim ratiocinationes vix demonstrationis nomine dignari solemus.

Obijcies. Intellectus assentitur conclusioni propter præmissas, ergo cum conclusio esse debeat nobis nota, etiam & præmissæ; quare semper erunt præmissæ aut notiores natura, & nobis simul, aut notiores nobis tantum, vt patet in demonstratione quia, nunquam autem notiores duntaxat natura. Resp. Primo. Certum est dari distinctionem notioris secundum nos, & secundum naturam, vt diximus satis supra dū ageremus de propositione immediata. Secundo. Cum dicitur ad demonstrationem requiri per se tantum, vt sit ex notioribus natura, non est sensus, debere demonstrationem esse quoddam instrumentum per se non ordinatum ad cognitionem nostram, sed quod demonstratio procedit ex quibusdam, quæ secundum se si considerentur, vniuersaliter loquēdo natura sunt notiora, & nobis, non quamuis vt ipsi demonstrationem habeamus, opus sit à nobis præcognosci, & aliquo prius modo manifestari, vt possimus conclusioni assentiri. Nec placet solutio quorundam Thomistarum, de qua Domin. de Fland. *q. 5.*

[illegible] dicit demonstrationem esse ex notioribus nobis natura, quoniam est ex vniuersalibus, quæ comparata ad intellectum sunt nobis notiora. Volunt enim Thomistæ ab intellectu directè solum percipi vniuersale, indirectè autem & reflexe singulare, de qua re *lib. de anima*. Negans autem pars videtur probabilior. Porrò confirmatur quæ diximus luculentissimo Themistij testimonio *1. po. c. 4.* versus finem. Nam & cum notiora, inquit, dicuntur id referendum ad naturam est; nec enim demonstratio ad mensuram se ingenij nostri submittit, sed rectam tenet ad veritatem viam, nec quid ipsi possimus, attendit, sed in solam rei naturam incumbit, illam vestigat, illam explorat, etiamsi nobis ignota inconspectaque sit. Vbi non vult Them. naturam quodammodo ipsam, & non nostrum intellectū demonstrationem conficere, sed solummodo non attendisse Aristotelem quomodo affecti simus, sed quemadmodum affecti esse debeamus, ita principia soli alioqui (vt ità dicam) naturæ cognita, nobis naturam imitantes nota faciamus ad rerum cognitionem peruestigandam. Quare acutè Zab. 4. *de Met. c. 10. in med.* hunc esse sensum diuisionis huius notiorum ab Aristotele traditæ monet: Alia dicuntur esse notiora non secundum naturam, sed nobis, alia verò natura, non nobis, hoc est non nobis vt naturæ ordini aduersantibus, nobis tamen vt naturā imitantibus, & res cognoscentibus eo modo quo cognoscendæ sunt, videlicet cum ab ijs rebus quæ ex se cognoscibiles sunt, ad ea progredimur, quorum hæc est natura, vt non cognoscantur nisi ex alio, qualis est effectus cognitio ex causa & hoc ipsum nomen notioris secundum naturam exprimere videtur; nam idem est quod notius per se, simpliciter & absque vllo respectu ad facultatem humani ingenij. Vbi etiam nota, quod alio quoque modo præter eum quem diximus dicitur aliquid nobis esse ignotum, videlicet nō tantum cum cognosci debet ex alterius dependentia seu cognitione, sed etiā cum quā à nobis, etiamsi ex se independens sit ab alio, cognosci tamen per se nō potest: huiusmodi sunt res à natura sensuq; liberæ. Vltimo nota, quod quæcunque alia etiam quæ dicitur quia demonstratio, debet esse ex notioribus; est enim hæc demonstratio ex effectibus nobis notioribus, quamuis in tradendis conclusionibus Arist. solius propter quid rationem habuerit. De his lege Interpretes in hunc locum, & 1. *ph.* Peter. *lib. 3. de princ. à c. 6.* & deinceps. Et Fons. 1. *Met. c. 2. q. 2.* & 3.

QVÆSTIO SECVNDA.

An vtraque præmissa notior sit conclusione.

HAud dubium, quin de vtraque id dicendum sit, quoniam ratione pro vtraque facit, scilicet. Quia conclusionis cognitio pendet & elicitur ex vtriusque præmissæ notitia. Ergo vtraque notior esse debet. Videtur tamen Arist. indicare satis esse si vna earum notior sit; dicit enim *t. 5.* debere principia aut omnia, aut quædam esse notiora. Verum dicendum cum Phil. Them. D. Tho. &c. velle Aristotelem dicere non quod absolutè omnia, aut quædam principia notiora fiet, quamuis id verum sit, sed quod nobiliore cognitionis modo, qui videtur esse habitus intellectus, & quia hoc verum est de primis principijs & immediatis, ideò dixit aut omnia, aut quædam, quanquā vtrumq; in plurali numero dictum sit. Vbi autem hæc non sunt ita accipienda, vt credamus posse omnia principia, hoc est præmissas, vel etiam aliquam saltem ex singulis demonstrationibus ista ratione & nobiliore cognoscendi modo notiorem esse. Nec enim demonstratio semper ex duabus præmissis immediatis constare solet, rarò etiam ex vna, sed illud (*aut quædam*) positum est moderationis loco eius quod antecedit (*aut omnia*) ita vt non permittat ab absolutè verificari. Resp. etiā Ægid. approbans tamen priorē responsionem, additā hoc esse à Philosopho propter præmissas scientiæ subalternatæ, quæ non sunt magis notæ, quam conclusio, cum nō in ipsa, sed in subalternante scientia cognoscantur, idq; per demonstra-

monstrationem. Adde quamuis principia immediata, siue immediatæ præmissæ distincto cognitionis genere non sciantur, nam per demonstrationem cognoscuntur, tamen dici possunt melius magisque cognitæ, quatenus illarum vi & conclusioni assentimus, quæ diximus etiam in explicatione textus ex authoritate Alberti. Lege Domin. de Fland. 1. *post q* 11. *art.* 1. *not.* 3. Sed videamus quomodo dicantur præmissæ notiores esse conclusione.

QVÆSTIO TERTIA.

An præmissæ prius & magis cognitæ sint, quam conclusio?

Notandum primo. Loquimur de Demonstratione propter quid, constat etiam quod ratione obiecti potest sæpè conclusio nobilior esse, quam præmissæ, si nempe probetur species aliqua per generis affectiones, quæ tamen demonstratio non erit perfecta, quia non constat ex præmissis conuertentibus, & ex medio secundum quod ipsum, de quo postea, tamen etiam ex subiecti dici potest præmissarum cognitio nobilior esse, quatenus est causæ, vt causa est.

Notandum secundo. Loquimur de conclusione & præmissis cæteris paribus: nemo enim dubitat posse conclusionem, quæ colligitur ex pluribus medijs, quorũ vnum euidentissimum est, alterum obscurum, notiorem esse principio illo minus noto.

Notandum tertio. Notius potest quid esse tum ex parte certitudinis, quæ est adhæsio quædam firma intellectus cum ex parte euidentiæ, quæ est claritas quædam, qua quodammodo obiectum ipsum cernitur. Vel intuitiua euidentia ex sola apprehensione terminorum, vel ex cognitione discursiua. Et quãuis vbi est euidentia, statim impellatur intellectus ad certè firmiterq; rei adhærendum, esse tamen certitudo potest absq; euidentia, vt patet in rebus fidei, præsertim diuina.

Notandum quarto. Vt diximus Arist. *t.* 5. *t.* 50. solum probare intendit immediata principia esse notiora conclusione, vnde *idem* 2. *Met. t.* 4. repetens quod hic dixit, primũ in vtroq; genere esse maximè tale.

Notandum quinto. Comparatio hæc inter præmissas, seu principia & conclusionem, debet præcisè fieri, vt bene Caiet. id est, vt hinc accipiatur cognitio conclusionis, inde vero cognitio principiorum, quamuis nõ possit hæc conclusionis cognitio sine principiorũ cognitione esse.

Notandum sexto. Scientiæ nomen plerumq; pro quauis cognitione, præsertim certa, sumitur. Ita Arist. *t.* 5. dicens magis sciri principia, quam conclusionem.

Prima Propositio. Principia prima nota natura & nobis, notiora sunt quam conclusio. Patet, non tantum ob rationem Aristotelis. *t.* 5. sed etiam experientia; nemo enim illa negat, sicut conclusiones. Deniq; quia habitus illorum principiorum est intellectus, longe nobilior quã habitus conclusionũ, qui est scientia.

Obijcies Sequeretur conclusionem quæ ex plurimis principijs pendet, esse debilissimam, minusq; sciri, quam aliã aliquã quomodolibet probatam, vt conclusionem vltimam geometricam. Secundo. Sit cognitio conclusionis vt duo, præmissarum vt tria, si incipiant vtraque remitti, sequeretur haberi posse principiorũ cognitionem aliquam sine vlla cognitione conclusionis. At principium sine principiato cognosci nequit. Tertio Cognitio principiorũ ordinatur ad cognitionẽ conclusionis. Ergo imperfectior est. Tandem præmissæ sunt causa naturalis cognitionis conclusionis, ergo æqualem effectũ producunt, sicut ignis ignem. Confirmatur. Quia experientia docere videtur nõ minus nos assentiri huic propositioni: Homo est risibilis, quam illi alteri: Homo est animal rationale, cum tamen illa ex ista inferatur. Ad primũ. Ideò negant aliqui inter alias causas esse Mathematicas veras demonstrationes, sed quicquid de hoc sit, esto sit cognitio tali conclusionis valde debilis, est tamẽ citra latitudinẽ scientificarũ conclusionũ. proindeq; perfectius cognoscitur, quã vlla alia nõ scientifico modo probata. Ad secundũ, concedendũ est fore in dicta remissione, vt tandẽ deueniatur ad cognitionẽ aliquorum

principiorum adeò tenuem, vt sit principiorum, ipsorum secundum se, & non vt sunt formaliter causa conclusionis, quod non est inconueniens. Ad tertium rectè respondet Apoll. 1. *post. q. 16.* principia per se primo non ordinari ad conclusionem; est enim principiorum proprius quidam habitus. Accedit quod etsi concedi possit sub ea ratione qua referuntur principia ad conclusionem esse ignobiliora, absolutè tamen ignobiliora sunt quemadmodum & habitus qui circa ea est, & referuntur ad conclusionem tanquam causa & quid perfectiuum. Ad vltimum Principia inquam sunt æquiuoca causa, hoc est, non eiusdem ordinis; illorum enim habitus est intellectus, conclusionis autem scientia. Producit ergo principij cognitio quicquid potest, non tamen sibi æque perfectum & similem effectum si cum conclusione conferatur.

Dices. Ergo saltem præmissæ immediatæ æqualem producent effectum, quia eodem cognitionis genere sciuntur, hoc est, scientia. De hac re post dic. Ad confirmationem. Principia semper sunt notiora, quoniam interdum non ita facilè discerni possit exiguus ille excessus qui est inter notiorem & priorem assensum vnius & alterius, & saltem constat conclusionem cognosci propter præmissas, non autem propter conclusionem, vel propter discursum.

Secunda Propositio. Præmissæ & principia immediata propria scientiarũ & particularium demonstrationum notiora sunt quam conclusiones ex ipsis illatæ. Rationes eædem sunt quæ pro superiore, quoniam cognitio principiorum est per habitum intellectus & independens à conclusione &c.

Obijcies. Huiusmodi principia cum non sint nota nobis ex solis terminis, egent aliqua probatione à posteriori ab effectu, à signo, per inductionem alijsue modis, quare efficitur in nobis illorum cognitio vel per demonstrationem quia, vel per ignobilius aliquod aliud instrumentum. Non est ergo notior & nobilior principiorum cognitio quam cõclusionis, quoniam conclusio scitur per demonstrationem propter quid, quod est nobilius instrumentum. Resp. Principiorum immediatorũ cognitio non est formaliter scientifica, sed fit per habitum intellectus, quãuis initiatiuè & ex parte nostra cognoscantur à posteriori, & non ex solis terminis, vbi autem à posteriori cognita sunt, quia ex se apta erant propter suam indemonstrabilitatẽ vt cognoscerẽtur ex sola terminorum notitia, iam non perseuerat cognitio nostra vt scientifica, sed postquam adducti fuimus illa cognitione, incipimus eadem principia ex sola terminorum apprehensione, simplici intuitu cognoscere, & generatur habitus intellectus At non ita habet in cognitione sciẽtifica; hæc enim semper intrinsecè est cognitio rei per causam & per discursum. Et hæc ratio est, cur supra dixerimus in præcognitionibus principiorum habitum intellectus secundum quosdam Apoll. ab Aristotele 2. *post. t. vlt.* habitum in ratiocinatione consistentem, sic enim quidam legunt, nam versatur, inquit Flamin. q. *Log cap.* 12. in ratiocinatione, quatenus ratiocinatione acquiritur, idem autem est supra ratiocinationem. quia semel acquisitus efficit vt res ipsas intueamur, nulla vtentes ratiocinatione. Nec mirum videri debet habitum perfectissimum ignobiliore opera acquiri quam scientiam, hoc enim præstat intellectus, quod mens ob insitam vim paululum illustrata perfectè inspicit principia immediata; in scientia autem opus est nobiliore quadam, sed difficiliore via cognoscendi, idque per se, ac non tantum vt dispositione, quod indicat esse ex se habitum intellectus magis certum & perfectum; sicut etiam principia velut per se consistũt, ita vt cognoscantur, non requiritur per se alicuius rei notitia, ideoque dicuntur nota natura. Vnde se habent leniora illa argumenta ad mentem nostram, si de habitu intellectus loquamur, sicut ad oculos collyria, quæ non faciunt lucem idoneam, sed oculum potius vt lucem cernere queat. Non potest autem mens ita perpurgari, vt effecta per se inspiciat, sed

semper

ſemper cauſas ſimul inſpiciat oportet, quod in principijs non requiritur. Hęc fere ex Flaminio.

Tertia Propoſitio. Præmiſſæ etiam mediatæ & demonſtrabiles ſunt notiores cõcluſione quæ ex ipſis colligitur. Ratio eſt quam ſuprà diximus ex Alb. quoniam ſe habet vt principium & cauſa concluſionis. Et confirmatur. Quia ita natura comparatum eſt, vt oculis quæ remotiora ſunt minus perſpicuè videamus. Pari ergo ratione de intellectu loquendum eſt, remotiora verò ſunt, quæ vel ex pluribus medijs pendent, vel ex aliquibus, quam quæ ab hac dependentia libera ſunt; ſunt autem principia quæ demonſtrabilia ſunt à paucioribus pendentia principijs quam concluſio quæ infertur. Denique Ratio Ariſtotelis, Propter quod vnumquodque tale &c. etiam hic locum habet. Obiectiones contra has duas propoſitiones eædem fieri poſſunt quæ contra primam.

Quarta Propoſitio. Idem ſeruata proportione iudicium eſt de præmiſſis demonſtrationis quia; quatenus enim ſunt cauſa concluſionis, ſaltem cognoſcendi, debent profectò eſſe notiores. Obſeruandum tamen eſt circa has duas vltimas propoſitiones, quod præmiſſæ tum demonſtrabiles in demonſtratione propter quid, tum quæ in demonſtratione quia ſunt, notiores ſunt intra latitudinem ſcientificę cognitionis; ſiquidem cognitę ſunt per ſcientiam, quo differunt à præmiſſis indemonſtrabilibus, quæ per habitum intellectus cognitionemque ordinis diuerſi ſciuntur.

Quinta Propoſitio Illud principium quo vtitur Ariſtoteles, vt probet eſſe notiora quam cõcluſionem, Propter quod vnumquodque &c. ſolet ſic à nonnullis exponi, nos tamen quod ad intelligendum Ariſtotelem facit, diximus in expoſitione textus, vt verum ſit, ſi denominatio ijs quę inuicem comparantur communis ſit, & ſi prædicatum formaliter illis inſit, ſi rationem quandam habeat magis & minus, hoc eſt, vel perfectæ intentionis, vel perfectionis & nobilitatis; vel dependentiæ & independentiæ; ſi denique alias conditiones habeat, de quibus alias.

Vltima Propoſitio. Solent etiam aliqui explicare ſintnè præmiſſæ notiores concluſione prius tempore, ſed quid dicendum ſit, colligi poteſt ex dictis de præcognitione præmiſſarum, & in tract. de ſyllogiſmo *in lib. pr.* Hoc certum eſt, natura ſaltem, ſeu in prioritate naturę notiores eſſe, quoniam ſe habent vt cauſa quæ natura ſemper effectum antecedit. Hoc autem locum habet in quacunque demonſtratione, vel in demõſtratione propter quid, id præcisè tantum neceſſarium eſt, vt ſi non de prioritate, ſed de notionis modis loquamur, ſint præmiſſæ notiores ſecundum naturam. Quælibet autem præmiſſæ dicuntur notiores natura loquendo de prioritate naturæ, quoniam eſt commune omnibus vt ſint cauſa concluſionis ſaltem cognoſcendi. Atque ita ſi attendatur ratio cauſæ, dicuntur eſſe priores natura, quoniam omnis cauſa natura ſaltẽ prior eſt effectu. Illud autem de præmiſſis demonſtrationibus propter quid, quod notiores eſſe debeant natura, confirmari poteſt ex Ariſtotele *1. poſt t. 22. 23.* vbi ait demonſtrationem quia ex notioribus nobis, demonſtrationem propter quid ex notioribus natura tantum eſſe poſſe, ac propterea fieri poſſe regreſſum demonſtrationum. Cæterum etiam certum videtur, cum diſcurſus fiat in tempore, aliquã ſaltem ex præmiſſis tempore quoq; prius notam eſſe quam concluſionem, fortè autem ambæ ſimul cum concluſione cognoſcũtur, de quo diximus. Lege D. Tho. *1 Periherm lect. 13. 1. p q 82. art. 2. in corp 1. 2. q 51. art 1. ad 2. 2. q. 51. art. 4. ad 2. 3. ſ. d. 33. q. 1 art. 2. q. 1. in corp.* & Domin. de Fland. *1. poſt q. 6. art. 2.*

SECTIO SEXTA.

De quarta conditione, vt ſint priores.

NOn eſt quod pluribus hoc loco de iſta conditione diſputemus; quæ enim dicenda eſſe videbantur, ea omnia intelligi poſſunt ex dictis de propoſitionibus immediatis, quas eaſdem eſſe docuimus cum primis, ex ijſq; conſtare demonſtrationem

tionem vel mediatè, vel immediatè, etsi ratione hæc duo differant: Immediatum & primum, quia immediata propositio dicitur in quantum caret medio, prima per respectum ad alias quæ per ipsam probãtur. Sic etiam idem dicẽdum est de prima & priore propositione, vt benè Domin. de Fland. q.9 art.2. ad 3. sunt enim re idem, sed differunt secundum rationem, quia prius importat ordinem ad posterius ex suo modo significandi, non autem primum, quod potius dicit id quo non est aliud prius. Cęterum, ideò constat demonstratio ex prioribus, quia ex causis, inquit Aristot. t.5. Vel in essendo, suntque priora secundum naturam; vel in cognoscendo, suntque priora secundum nos, & vtroque etiam modo dicuntur priora proportionaliter ad modum explicatum de notioribus. Vnde & Arist. apertè distinxit tum notiora, tum priora in ea quæ & nobis, & natura & priora & notiora sunt, quibus addi possunt quæ sunt vtroque modo.

SECTIO SEPTIMA.

De quinta conditione, vt contineant causam.

HÆc est vltima apud Aristotelem præmissarum conditio, nos verò sicut fecimus hactenus de demonstratione in communi, hanc conditionẽ exponemus, cum Arist. tantum de sola agat Demonstratione propter quid, præsertim quia specialis quædam difficultas est de causa & medio demonstrationis propter quid, quæ commodius reijcietur in tractatum de speciebus Demonstrationis.

QVÆSTIO PRIMA.

An necessario constet Demonstratio ex causis?

NOtandum primo. Quod diximus & elicitur ex Themist. cap.4. causa duplex est: Altera rei & essendi, altera cognitionis nostræ, seu cognoscendi, & secundum nos. Prima est, quæ dat esse rei, & simul etiam dicitur causa cognoscendi, quia ex se est, apta est, vt causet effectus cognitionem; sicut enim se habet res ad esse, ita & ad cognosci. 2. Met. t. 4. ideoque non datur vlla causa essendi, quæ non sit etiam cognoscendi. Causa cognoscendi est, quæ iuuat nos ad aliquid cognoscẽdum, etiamsi non sit realis illius causa, sed effectus potius. Hoc ita explicat Themist. vt dicat causam cognoscendi esse præmissas, quæ efficaciam habeant concludendæ rationis. Essendi autem, quæ præter hoc causam rei demonstrandæ contineant; nam quamuis, inquit, causa cõclusionis huius: Ignem deurere, sit cinis pridiè relictus, non tamen causa rei dicendus cinis est, quia cinis ignis causa esse non potest, sed ignis cineris potius.

Notandum secundo. Causa etiam vt significat eam, quæ non est tantum cognoscendi, duplex est. Prima. Realis & vera, hoc est, quæ verè realiterque causet, quia verè & realiter est alterius causa, estque quid distinctum à causato, & ab effectu, vt rationale respectu risibilis. Secunda. Est virtualis, hoc est, quæ verè non est realis alterius causa, nec vllo modo à parte rei distinguitur ab illa, sed tamen dicitur causa, quia si ea res causam aliquam habere posset, istam, & non aliam, haberet, qua ratione in Deo dicere solent Theologi simplicitatem esse causam immutabilitatis, infinitatem immensitatis. Et quamuis huiusmodi causæ quatenus non sunt causæ essendi, appellari possent causa cognoscendi tantum, quia tamen habent eum modum causandi, qui est in veris causis essendi, hoc est, aliqua ab ijs pendeant tanquam à priore, perinde atque si esset vera causa, causa autem cognoscendi tantum solet esse quid posterius, quod nullo modo habere potest veram rationẽ causæ essendi, per quandam analogiam & attributum, ac similitudinẽ ad veras causas. Simili modo loquitur Arist. qui etiãsi sentiret cæli motum esse perpetuum, & nunquam cæpisse, tamen 2. de cæl. t.13. docet si aliquando cępisset, initium sumpturum fuisse ab orientali parte, quam dextram vocat.

Prima Propositio. Certum est omnem demonstrationem constare ex causis, Ratio

est, quia scire est rem per causam cognoscere. Quam definitionem accommodate possumus omni scientiæ, quæ siue per demonstrationem propter quid, siue quia, paratur; omnes enim demõstrationes præmissæ habent se vt causa, saltem cognoscendi, quamuis illa Aristotelis definitio de solo effectu Demonstrationis propter quid intelligenda sit.

Secunda Propositio. Demonstratio propter quid, de qua solum egit Arist. *cap.* 2. & cuius solius effectum definiuit in definitione scire, debet constare ex veris & realibus causis. Ratio est. Quia Arist. inquit: Scire est rem per causam cognoscere, per quam res est, Vnde Them. in *te.* 4. inquit: In demonstratione vtrumque requiritur, vt causa conclusionis causa etiam rei sit quæ concluditur. Et *init. cap.* pressius, inquit, ac propriè scire dicitur, cum causam illã tenere credimus, à qua res vt si habet.

Tertia Propositio. Concedi tamen potest demonstrationem propter quid, etsi non adeò perfecta, esse posse ex causis virtualibus, quales essent per quas in diuinis vnũ attributum ex alio concluderetur. Hoc rectè, meo quidem iudicio, probat Caiet. 1. *post. cap.* 2. quia, inquit, huiusmodi causa virtualis scilicet est ratio cur vnum alteri insit, & non solum ratio cur ita sse cognoscatur. Vnde etiam notat quod demõstratio simpliciter, hoc est, propter quid est duplex: Quædam ex natura rei scibilis (rectius fortè diceremus scientifica) hoc est, quæ ex natura sua sibi vendicat quod eius conclusio non nisi demonstratiuo discursu nobis nota fiat, quoniam ex natura sua res scienda medium habet. Alia est demonstratio simpliciter, & propter quid, ex parte nostri, hoc est, cuius conclusio quantum est ex se, nobis ex solis termi nis nota esse potest, tamen propter obfuscatum lumen nostrum discursum exigit, & medium habet à priori non reale, sed ex parte nostri. Ex quo sequitur non valere argumentum, quod recentiores quidam contra Caiet. faciunt, sequi etiam demonstrationes quia dici posse veras simpliciter ac etiam demonstrationes propter quid, quoniam respectu nostri præmissæ sunt etiam causæ; Demonstratio enim quia, constat ex iis quæ verè sunt posteriora, vt ex effectis, signis &c. Dictæ autem demõstrationes etsi non constent ex veris causis prioribus, tamen & huiusmodi sunt, quæ possunt cum aliquo fundamento cõcipi, vt priores, & vt causæ posteriorum quorundam effectuum, & ita in his iisdẽ locum quoq; habere possunt Demonstrationes à posteriori, vt si vnum attributum quod concipitur esse altero posterius, sumatur veluti medium ad probandum id quod concipitur esse prius. Nec necessarium est nouisse Aristotelem huiusmodi demonstrationis genus, quia locum habet in diuinis, quæ fortasse, quod ad hoc attinet, non adeò illi nota fuerunt, & in quibus, si propriè loquamur, locum non habet prius, aut posterius, vt in symbolo profitetur D. Athanas. Quod tamen contendit Caiet. notam videlicet fuisse hanc Demonstrationem Aristoteli, verum Aristot. scire definiuit, quod est per causam per quam res est, & quamuis soleant græci causæ nomen etiam ad diuina transferre, vt notat D. Tho. *q.* 10. *de potent. art.* 1. *ad* 8. vbi id expresse dicit de attributis. Solent etiam vnam personam appellare alterius causam, quem tamen loquendi modum communiter detestant Latini Patres. Fortè tamen si voluisset Arist. consequenter loqui, asserens Deum esse actum purissimum & simplicissimum, illi tam multas tribuens affectiones, facilè potuisset hunc demonstrationis modum inuenire. Confirmatur autem quod dictum est: multi enim sunt qui Mathematicas negant per veras & naturales causas procedere, cum tamen in illis sint demonstrationes propter quid. Lege P. Ven.

Obijcies. Vna definitio per aliam monstrari potest, sed definitio non habet causam, ait Aristoteles: Ergo &c. Respondeo. Definitio est immediatum principium, sed in eodem genere causæ. Vt autem possunt causæ sibi inuicem esse causæ, ita potest vna probari per aliam, & esse causa alteri tum cognoscendi, tum essendi. Quare demonstratio non est per definitionem, vel principium immediatum,

quod

quod non sit etiam causa. Non est tamen perfecta talis demonstratio, vt dicemus.

Tertia Propositio. Demonstratio ex causa reali debet habere causam quæ cognoscatur esse causa & habere eum effectu connexam, Ita Arist. *t.* 5. Propter quam res est, & quia illius causa est. Et Them. *t.* 4. pressius, inquit, scientia dicitur, cum causam illam tenere credimus, à qua res vt sit habet, & quæ causa esse cognoscatur. Debet etiam cognosci rem propter illam causam non posse aliter habere, vt ibi subiungit Aristot. & rectè exponit Ægid. Quare sciri debet hanc causam esse per se, ex qua necessariò sequatur effectus, etiamsi ab alijs causis diuersi generis pendere idem effectus posset.

QVÆSTIO SECVNDA.

An cuiuslibet scientiæ Demonstrationes per omnes causas esse possint.

HÆc quæstio magis spectat ad disputationem de scientia, de qua etiam disputant Interpretes *in* 1. *t.* 1. *ph.* & quia tres sunt potissimum scientiæ: Metaphysica, Physica, & Mathematica, de his institui quæstio solet. Quod attinet ad Metaphysicam, Auerr. & Alb. tribuunt, vt per efficientem, finalem, & formalem, demonstratio progredi possit. Alex. solam tribuit formalem & finalem, Burl. tribuit etiam materialem. Quod attinet ad Mathematicas, Auerr. & Alex. solam illis tribuunt formalem. Alij autem materialem, alij omnem veram causam illis denegant, vt Nyph. 1. *ph. Bur. in proem.* M. & Proclus 1. Eucl. dicens tantum per signa Mathematicas sua probare. Accedit P. Ven. 1. *ph.* Dicendum est metaphysicã constare ex causa formali, ex finali, & ex efficiente, vt efficiens dicit eam quæ est principiũ agendo causas aliquid, & peculiari nobis nomine solum agens dicitur, quomodo D. Th. loquitur 2. *ph.* non autem vt actionem dicit cum motu, quod propriè spectat ad physicos. Materialem quoque habet, quamuis nullus eam audeat concedere præter Burl. & eam negat P. Ven. non quidem vt dicit subiectum mutationis, sed principium essendi. Ad Metaphysicam enim spectat considerare omnia principia rerum in communi. Quod attinet ad Mathematicas, an veras causas habeant, pendet ex illa quæstione, vtrum abstrahant Mathematicæ ab ente & bono, quia tamen aliquas demonstrationes habent, dici potest progredi Methematicas ex causa formali, & ex materiali intelligibili, quæ est quantitas, per quam D. Thom. intelligit solam materiam cum quantitate. Alb. verò nudam quantitatem, quod fortè si ad Mathematicam inferatur rectius dicitur. Quod attinet ad Physicam, non est locus opinionibus, constat enim posse physicam per omnia causarum genera demonstrare. Lege Tolet. *quæst.* 3. *in t.* 1. *ph.*

QVÆSTIO TERTIA.

An necessarium sit cognosci omnes causas, & fieri resolutionem vsque ad omnium primas in quouis genere?

CAusarum genera quatuor sunt: Finis, efficiens, materia, & forma, & ex his quædam sunt primæ, quædam non. Prima causa materialis est materia prima, efficiens & finalis Deus Opt. Max. qui idem dici potest prima omnium forma, seu principalis forma, vel saltem causa exemplaris, quæ habet rationem formæ. Notandum est autem scientiam dupliciter dici posse perfectam: Vel in genere & simpliciter, vt videlicet sit perfectissima & absoluta; vel in tali genere, ac circa tale subiectum. Item vel scientia & cognitio rei est essentialis, aut non.

Prima Propositio. Ad perfectissimam & absolutam scientiam opus est, vt omnes omnino causæ, etiam primæ, cognoscantur. Ita docet Apollinat. 1. *post. quæst.* 17. Iand. 3. *Met. quæst.* 2. Zons. 6. *Met. quæst.* 1. & P. Ven. 1. *ph.* quo loco multi agunt de hac re. Ratio est. Quia res tum perfectissimè cognoscitur, cum illius omnes causæ tenentur, à quibus res dependet vt sit: sicut enim se habet res ad esse, ita & ad cognosci. Pendent autem omnes

omnes res, vel quam plurimæ, à quatuor causis, vnde illud:

Fælix qui potuit rerum cognoscere causas.

Cum autem res aliqua omnes causas non habet, tum non est necesse omnes causas cognosci, sed eas tantum quas habet, verbi gratia, intelligentiæ carent causa materiali, & aliæ huiusmodi nonnullis causis. Ex quo sequitur quod simpliciter nihil intelligi potest sine prima philosophia, vel Metaphysica; quia sine Deo, quod est potissimum Metaphysicæ obiectum, exacta causæ efficientis seu agentis cognitio haberi non potest, & sine attributis maximè communibus accidentalibus non potest rei quidditas perfectè cognosci. Hinc est quod 6. *Met. t.* 1. dicit Arist. solam sapientiam considerare ipsum quod quid est, ideoq; appellatur, Domina scientiarum omnium. Propterea etiam *in proœm. lib. de anima*, commendat Arist. scientiam de anima hoc potissimum nomine, quod mentis & intellectus nobis aperiat cognitionem, qui est scientiarum omnium causa & effectiuum principium. Quomodo autem Metaphysica consuleret omnes causas, etiam supremas, Lege Iand. *loco cit.* & Scot. 1. *Met.* q 1. Auer. 7. *Met. com.* 5. 9. & 39 & *lib.* 1. *com.* 15. & 18. Et *lib.* 4. *com.* 1 & *lib.* 16 *com.* 1. *lib.* 8. *com.* 4. *lib.* 12 *com.* 1. 5. & 6. 2. *ph. com.* 21. quibus locis etiam loquuntur Authores de causis quæ à Mathematica considerari possunt. Arist. autem 3. *Met t.* 3. docet non omnem scientiam considerare quatuor causas.

Secunda Propositio. Vt scientia sit perfecta in genere, sufficit cognoscere causas intra illud genus, nec opus est cognosci primas, satisq; est pertingere ad vltimas in illo genere subiecto. Ita docet Flam. *quæst. log. cap.* 9. Vt, inquit, in Philosophia naturali satis est peruenire vsq; ad materiam primam, & cœlum, & indicat Iand. *ibid. conclus.* 2. Ratio est, quoniã quælibet scientia versatur circa proprium ac determinatum quoddam subiectum, non modo materiale, sed etiam formale, & rationẽ habet considerandi limitatam, intra quam non semper comprehenduntur omnes causæ, quas alioqui res illa materialiter & secundum entitatem suam habet.

Tertia Propositio. Perfecta & vera scientia esse dicitur, quæ est cognitio rei per vnam etiam tantum causam. Loquor de scientia quæ est effectus particularis alicuius demonstrationis; nihil enim præterea desiderat Aristoteles nisi vt sciri sit rem per causam cognoscere per quam res est, huiusmodi verò est quæcunque causa, vt si accipiatur rationalitas respectu risibilitatis. Vnde satis est ad propositum Arist. quod causa quæ in præmissis sumitur, sit proxima & adæquata causa rei. Quare, vt rectè notat Zab. *lib.* 2. *de medio Demonst. c.* 4. *init.* posuit Arist. causam in singulari numero, quoniã proxima in quocunq; causæ genere vna dũtaxat esse potest, & remotæ non sunt absolutè dicendæ causæ per quas res sit: ea enim causa est per quam & propter quam res est, quæ rei dat esse determinatum, & vltimatum, & ideò Arist. dixit causam cũ articulo τὴν αἰτίαν, & 1 *tom.* 99. ait causam quidem remotam esse αἴτιον, sed non τὸ αἴτιον. Et confirmatur. Quia alioquin scientijs, ac præsertim in Mathematica paucæ ad essent demonstrationes, paucæ n. sunt quarũ nõ adhuc præmissæ probari possint per causas alias remotiores, vel certè non per quadruplex causæ genus.

Quarta Propositio. Cuiusmodi esse debeat causa, quæ pro medio in Demonstratione sumenda est, vt præcipuè passio probetur, dicendum est tractatu de specie Demonstrationis propter quid, vbi grauis esse solet quæstio de medio Demonstrationis.

Quinta Propositio. An esset demonstratio resoluenda ad prima illa maximè communia principia, quæ sicut veluti causæ quædam complexæ conclusionis, supra diximus. Quod autem attinet ad causas primas incomplexas probabilius est etiam ad perfectissimam scientiam, si actualis sit, & per Demonstrationẽ actu fiat, non requiri illã resolutionem, vt docet rectè Apoll. 1. *p. q.* 17. Ægid. *in t.* 19. & est communis sententia. Ratio est.

Quia resolutio solum est necessaria vt præmissæ cognoscantur esse veræ, at prius potuerunt esse cognitæ, & possunt ab illo qui demonstrauit illas, nullo negotio resolui in eadem prima principia. Satis igitur est vt virtualiter fiat huiusmodi resolutio, id autem etiam necessarium est ad perfectissimam scientiam. Dixi autem ad scientiam perfectissimam, quoniam dici potest scientia perfecta, etiamsi resolutio fiat ad causas primas per se notas intra idem genus. Quare qui hoc modo resoluit, verè experitur se absq; vlla formidine certò & perspicuò assentiri præmissis, atq; conclusioni per eas illatæ.

Sexta Propositio. In scientijs determinatis satis est si resolutio fiat in causas quæ sunt intra limites eiusdem obiecti, alioquin peccaretur id quod ab Aristotele cauetur, ne transcendat quis de genere in genus; Etiamsi igitur habeat res aliqua multas causas, atque adeo etiam primas, tamen quoniam hæc scientia est tantum huius generis obiecti, & hoc tantummodo sub tali ratione vel definiendi, vel abstrahendi res suas consideratas. Propterea debet suis finibus esse contenta, nec transilire ad alterius scientiæ limites; si tamen habere debeat omnino perfecta rei illius scientia, tum mutandum erit veluti auxilium ab alijs scientijs, quod nihil aliud significat, quam esse scientias inter se nexu quodam copulatas, vel certè quæ grauior difficultas est, probare videtur vacare probabili opinione illam quæ ait dari ex natura rei vniversam scientiam complectentem omnem cuiusuis rei cognitionem, de qua tractatu de scientia. Tantum de conditionibus ab Aristotele in Demonstrationis definitione *t.5.* positis dictum sit, supersunt tamen nonnullæ aliæ conditiones, quæ ex eodem Aristotele colliguntur, & sunt veluti quædam determinationes præcedentium, de quibus dicemus in sequentibus.

SECTIO OCTAVA.

De sexta conditione, vt sint de omni.

ARist. *t.7.* Ex eo quod in definitione dixerat, scire esse nosse rem per causam cognoscimus, per quam res ipsa sit, & impossibile sit aliter se habere, infert scire quod est secundum demonstratiuam scientiam, hoc est id quod per demonstrationem sciri potest, & debet, necessarium esse oportere, & consequenter demonstrationem esse syllogismum ex necessarijs. Hoc autem ipsum vt melius explicet, proponit sibi esse agendum, quod & deinde præstat, de eo quod dicitur de omni, de per se, & de vniuersali, de quibus conditionibus postquam egit, colligit *t. 15 & 16.* quomodo ex necessarijs constet Demonstratio. Nos igitur primo explicabimus quid sit, propositiones esse de omni in hac sectione, & deinde alijs, vt tandem referamus quemadmodum Demonstrationis præmissæ necessariæ sint, quoniam illæ conditiones ad hanc veluti referuntur, quod etiam indicat Auerr. *q.11. log. & 1. post. com.44.* Atque hæ omnes conditiones, vt notat Albert. veluti contrahunt præcedentes explicatas, quod præmissæ sint veræ, immediatæ, ac primæ, &c. quod idem significat D. Tho. & Auerr. Ex his autem Auerr. *q.4.* dicit vltimam illam, vt sit prædicatum vniuersale & primum, esse nobilissimam, excellentissimam, & fortissimam, quod idem quoque habet Bald. *com.28. dub.3.*

QVÆSTIO.

Quid sit dici de omni?

DIci de omni inquit Arist. *t 8.* est, quod sit vtique, non in aliquo quidem, in aliquo autem non, neq; aliquando quidem, aliquando autem non, vt si de omni homine, animal, si verum est dicere hunc hominem & alterum esse animal, etiam nunc alterum & alterum, Hæc Arist.

Notandum primo. Quod dictio illa *omnis* est subiecto adiungenda, cum relatione tamen ad prædicatū, ita, vt de omni dicatur, quod de subiecto dicitur omnibusque sub eo contentis.

Notandum secundo. Explicat Aristoteles duas conditiones huius subiecti, quatenus ad prædicatum refertur, vt etiam contra quatenus prædicatum habet relationem

ad

tē subiectum per negationes, cum tamen æquè benè potuisset per positiuas dictiones, si dixisset prædicatum de omni esse, quod inest omni subiecto, & omni tempore, quomodo definit Auerr. q. 11. log. Ratio autem cur id fuerit, quia negationes melius explicant dictum de omni, ita Auerr. iste quidam negat aliter potuisse definiri, seu describi, seu sermone explicari & exponi: nolo enim hic de modo loquendi disputare. In his autem Auerr. est Nyph. quia, inquit, sequeretur falsam esse propositionem, si per terminos expositiuos exponeretur, verbi gratia, falsa esset hæc propositio: Omnis sol est lucidus, quia est tantum vnus sol, nec habet propositio quod de pluribus positiuè verificari possit. Nec etiam positiuè dictum de omni accipi potest, alioquin ante mundi conditionem, cum nullum fuerit tempus, vera esset ista propositio: Homo est animal rationale. Addere possumus & hanc, si fortè recurratur ad plures soles in potentia, quoniam propositiones de Deo sunt de omni, & tamen plures Deos esse repugnat. Hæc argumenta probant rectius exponi dictionem de omni per conditiones negatiuas; vnde inquit Alb. satis est si communitas subiectorum & temporis sit negatiua, hoc est vt nihil sit in subiecto, cui non conueniat prædicatum, nec vlla temporis differentia, in qua etiam non conueniat. Si igitur aliquod subiectum est cui repugnat intrinsecè plura, sub se continere, poterit tamen prædicatum quod de illo dicitur, esse dicique de omni. & ita habet etiam Caietanus. Confirmatur. Quia 7. *Met t.* 15. docet Aristoteles, errare eos qui definiunt hoc solem, etiamsi hic tantum reperiatur. Et 1. *post. t.* 13. & 14. alijsque permultis locis quæ à nobis producta sunt in tractatu de vniuersalibus, vbi diximus non esse necessè vt vniuersale plura sub se actu contineat. Nec est quod addatur communitas locorum, quoniam hæc satis ex præcedentibus duabus colligi potest; & sicut ille, sic ista etiā negatiuè intelligi potest, vt videlicet non vendicet subiectum de quo dicitur prædicatum de omni, vllum sibi certum locū. Quomodo sæpè Arist. vt diximus tractatu de vniuersalibus, ait vniuersale semper & vbiq; esse. Immeritò igitur Bald. *dub.* 4. arguit temeritatis eos, qui asserāt, quoniam, inquit, locus est accidens quoddam rei singularis & indiuiduæ, sed profectò æquè est accidens rei singularis tempus, si per se sumatur, atque locus.

Ad primum argumentū. *Resp.* Bald. *d* 6. intelligendum esse quod ait Arist. vt plurimum, videlicet quoniam vt plurimū plura sub se quoduis subiectum habet singularia. Vetū in hac re sequitur Bald. Auerroem, posse aliquod vniuersale vt species sub vnico singulari conseruari, nō habita etiam ratione potentiæ Logicæ, & non repugnantiæ quod eam tefutat.

Ad secundum. *Resp.* idem, iuxta Aristotelis opinionem de mundi æternitate semper fuisse homines, quod etsi verum sit, non tamen hac de causa credendus est Arist. communitatem temporum in dicto de omni exegisse, sed quia propositio quælibet in qua est extrinseca connexio, abstrahit ex natura sua à quauis temporis differentia. Aut certè verbum *est* in ea propositione ampliat pro tēpore possibili, & imaginabili. Denique quia verum est quotiescunq; hoc subiectū est, etiam & tale sortiturum esse prędicatum. Quem loquendi modum indicat Arist. *t.* 8. cum ait: Si verum hunc dicere hominem, verum & animal.

Ad tertium. Etiā patet ex dictis, nam, propositiones de Deo omni conueniunt, quoniā nihil est cui conueniat natura diuina, cui nō etiā conueniant omnia prędicata quæ sunt de Deo, quia dictū de omni intelligitur negatiuè. Addit tamen Alb. intelligi hoc dictū de omni conditionaliter, & per nō repugnans. & virtualiter, id est, si aliquod subiectū est quod sub se plura contineat, de illis prædicatū diceretur, & nisi repugnaret plura esse sub alio, etiā de facto de pluribus diceretur. Hic aūt obseruandū est, non esse necessariū ad dictū de omni, vt subiectū de quo est prædicatio, sit semper actu, vel etiā vt pro omni tempore actu conueniat hoc prædicatū.

Vel denique vt prædicatum actu semper conueniat omnibus contentis sub subiecto: nam hæc propositio: Homo quinos habet digitos, est de omni, nec tamen necesse est semper verificari de mutilo homine. Sic etiam vera est hæc: Luna patitur eclypsin, nec tamen semper id patitur. Quanquam potius appellanda est Demonstratio ea ratio per quam de luna demonstratur quod possit deficere, quam quod reuera & actu deficiat; potest enim hoc aliquando impediri, saltem ab angelo, si Deus permittat, interiecto obstaculo, ne vmbra terræ interponatur inter solem & nos, & quia quæ de facto fiunt, accidentalia & singularia sunt, nihilominus tales demonstrationes non sunt adeò exactæ. Aristoteles verò reddens conditiones Demonstrationis, agit de quam maximè perfecta, imitatus Platonem in Idea de Repub. Quem vtrumque videtur postea secutus Cic. præcipiens quid ad perfectum oratorem requireretur, vt quidā dicunt, quemadmodum nec Platonis Respublica, nec Ciceronianus orator vnquā fuit, aut esse vix potest, ita nec Demōstrationem omnibus ijs numeris absolutam, easque habent conditiones quas requirit Arist. Alijs verò in locis Arist. sæpè monet non eandem in omni Demonstratione necessitatem exigi debere, vt 2. *Met. t.* 15. *&* 16. 1. *Eth cap.* 3. Sed de hac re dicemus tractatu de scientia.

Notandum tertio. Aristoteles paulò post meminit cuiusdam Demonstrationis, quam particularem vocat, nec tamen de illa agit, cum has & præcedentes conditiones Demonstrationis expendit. Est enim hæc Demonstratio imperfecta, vt dictum, & veluti æquiuoca species Demonstrationis, quare ad omnem Demonstrationem perfectā necesse est adhiberi propositiones de omni, quod vel ex eo probant omnes Interpretes, quoniam dictum de omni posterioristicum supponit prioristicum. Est autem illud, cum propositio est notata signo vniuersalitatis. Nihilominus quoniam propositio in materia necessaria æquiualet propositioni cui est præfixum signum vniuersalitatis, propterea satis est si propositiones demōstrationis necessariam contineant materiā, imò verò vt plurimum negligunt scientiæ apponere notam vniuersalitatis. Sic etiam quando aliqua propositio habet terminum aliquem particularem, sed alicuius speciei vt contentæ sub genere, vel quando continet aliquod indiuiduum generis quod æquiualet speciei ipsi, potest talis propositio dici de omni, vt: Quoddam animal est rationale, nam sub quodam animali subsumi possunt omnia indiuidua hominis. Lege Apoll. 1. *post q.* 11.

Notandum quarto. Cum Themist. *ca* 9. Differunt dictum de omni prioristicum à posterioristico. Nam prioristicum solum supponit subiectorum communitatem, hoc est, prædicatum pluribus sub subiecto contentis communicari, siue materia illa necessaria sit, siue tantum contingens, æquè enim est hæc propositio vniuersalis & de omni: Omnis homo ambulat. Ad dictum autem posterioristicum requiritur præterea communitas temporum, & consequēter etiam locorum, vt vna etiam cum Themist. docet Phil. ideoque malè Nyph. contrarium eos sensisse dicit, alijque Interpretes in hoc conueniunt. Secundo. Est aliud discrimē, quod, vt ait Zab. 1. *de prop. necessarijs c.* 2. à paucis est animaduersum; quoniam posterioristicum nudam ac solam dicit propositionem, prioristicum autem docet etiam, vt saltem denotat totum syllogismum. Vt enim quidam alij obseruant, connotat propositio de omni prioristico etiam minorem propositionem subsumptam, & cum illa connexam per idem medium, ratione cuius connexionis maior extremitas de tota minore in conclusione prædicetur, & medium de tota maiore in minore propositione, ita vt principio dici de omni prima figura, & cæteræ vt saltem reducantur ad primā, tota innitantur. Itaque dictum de omni posterioristicum dicit quandam habitudinem & relationem ad sequentes propositiones, quæ in syllogismo plures requiruntur. Verum si concedunt quod Interpretes omnes vnanimi consensu dicunt, dictum de omni posterioristicum

suppo-

supponere prioristicum, sicut prioristicum totum syllogismum dicere videtur, ita etiam posterioristicum totam Demonstrationem. Nam sicut se habet prioristicum ad vniuersalitatem subiectorum, ita posterioristicum ad subiectorum, & temporum, & locorum vniuersalitatem.

Notandum quinto. Vt propositio sit de omni, debet esse naturalis & directa, de qua te infra cum agemus de modis per se.

Notandum sexto. Omnis quidem propositio demonstrabilis debet esse de omni, non tamen quæuis de omni est etiam demonstrabilis; exempli causa: Omnis homo est sensitiuus, propositio est de omni, nec tamen apta demonstrationi, quoniam hoc prædicatum non est vniuersale primum & secundum quod ipsum, quod idem est; nec enim reciprocatur cum subiecto.

Notandum septimo. Sicut de omni prioristicum habet sibi oppositum dictum de nullo negatiuum, sic etiam posterioristicum affirmatiuum habere potest oppositum negatiuum, de quo tamen nihil Arist. Tum quia ex affirmatiuo & positiuo facilè poterat intelligi; tum quia quæ de Demonstratione præcipiebat Aristoteles, potissimum referebat ad Demonstrationem affirmatiuam & positiuam, quę sola perfecta est, & scientiarum propria. Erit igitur dictum de omni negatiuum posterioristicum, cum prędicatum ita remouetur ab altero, vt etiam ab omni eius parte & tempore, vt: Nullus est lapis, hoc est, nullum indiuiduum, nullo loco, nullo tempore.

Notandum vltimo. Quomodo conueniat, aut etiam differat propositio de omni à propositione vniuersali, vt vniuersale significat notam vniuersalitatis, paulò ante diximus. Si autem accipiatur vniuersale vt est conditio quædam specialis Demonstratiuarum conclusionum, ex explicatione illius meet clarius postea cognoscemus. Si autem sumatur tantum propositio vniuersalis, vt habet notam vniuersalitatis. Præterea dicendum est non sufficere quamlibet vniuersalitatē, sed requiri ad propositionem de omni vniuersalitatem subiectorum, temporis, & loci, & si materia sit necessaria, satis erit, etiamsi signum illud nō addatur. Secundo. Se habent ista omnia, propositio vniuersalis pro vniuersalitate sola subiectorum, propositio de omni, propositio per se, & propositio vniuersalis, pro peculiari illa affectione tanquam prius & posterius: omnis enim propositio de omni est vniuersalis, in illa priori significatione; Omnis propositio per se est de omni, vniuersalis & per se, & de omni, & vniuersalis, non autem si ordo inuertatur.

SECTIO NONA.

De septima conditione, vt sint per se.

Ampla est, & prolixa de modis dicendi *per se* disputatio. Quare vt eam explicemus, primum de modis per se in vniuersum dicemus, post de illis sigillatim qui ab Aristotele propositi sunt.

QVÆSTIO PRIMA.

De modis per se in vniuersum.

Aristoteles 5. *Met. t.* 23. plures affert huius dictionis per se significationes, sed præter eas quæ hoc libro ponuntur, illæ sunt potissimæ, vt per se dicatur quod non est ab alio, & est independens, quod soli & vni Deo conuenit. Deinde quod est immediatè tale, vt superficies dicitur alba immediatè. Postea quod non est per aliud verum, si ad propositiones referatur, vt: Homo est albus, est propositio per se vera, hæc autem: Album est homo, per accidens & per aliud. Hoc autem loco ponit Aristoteles quatuor significationes, & tres modos dicendi per accidens, quoniam id proposito suo satis erat, eratque distinguenda nominis ambiguitas, quod semper faciendum est in quauis disputatione. *t de Cælo t.* 110. Tamen an omnes isti quatuor modi ab Aristotel. positi, sint prędicandi & dicendi, an causandi tātum, vel essendi, quæ videtur esse magis vulgaris opinio: sunt enim qui dicant primum & secundum modum esse tantum

modos enunciandi,&demonstrationi seruientes, posteriores duos vel essendi, seu inhærendi & causandi, voluisse tamen Aristotelem, cum plures alios modos per se enunciare potuisset, duos duntaxat ijs qui vtiles sunt annumerare, quia satis erat hęc duorum vtilium cum duobus alijs inutilibus collatio ad cognoscendum qui vtiles essent. Alij autem plures modos esse volunt,& Themist.*cap.*10.*par*,addit quintum.Sit

Prima Propositio. Arist.intendit considerare modos prædicandi per se,etsi ex modis essendi desumptos, vel etiam modos essendi,prout inde varij enunciandi modi trahi possunt. Sicut enim se habet res ad esse,& essendi modum,ita & ad prædicari ac prædicandi modos. Et ratio aperta est; Tum quia omnes appellant,modi dicendi,hoc est,prædicandi & enunciandi,tum quia non curat Logicus modos essendi secundum se, aut etiam per accidens,nec etiam *in lib. post.* modos prædicandi absolutè,illud enim spectat adMetaphysicam, hoc autem ad lib. de Interpretatione. Ad lib.autem post. pertinebit cōsiderare modos dicendi per se, vt significant prædicationem & enunciationem, hoc est,materiam necessariam & intrinsecè connexā. Sicut etiam ad eosdem libros spectat agere de syllogismo, vt est in materia necessaria,de syllogismo verò secundum se ratione formæ actum est in lib.priorum, ac proinde etiam de propositione vt nudam prædicationem dicit, actum est in lib. Perihermen. Confirmatur argumento non inualido,quo vtitur Zab.*lib.*1.*de propos. necess. cap.*3. Nam Aristoteles cum de propositionibus agere voluerit, satis erat modos dicendi per accidēs afferre, vt eos à modis dicendi per se seiungeret. Omittere autem debuit modos essendi per se, qui cum non sint enunciandi, atque prædicandi, non aptè poterant cum modis per se dicendi conferri.Præterea si Aristoteles modos per se plures afferre voluit, qui non omnes essent dicendi ac prædicandi,& tamen plures alios essendi modos afferre potuit, maior subeat causa cur modos omnes per se essendi recenseret, quam modos per accidens, aut si isti omitti non debuerunt, multò minus illi.

Secunda Propositio. Modi enumerati ab Aristotele, quod omnes sint prædicandi, hac ratione ostendi potest. De primis duobus nemo dubitat. Quod ad tertium spectat, qui dicitur esse existendi, certum est posse fieri prædicationem existentiæ de aliqua re per se, & tanquam per modum intrinsecum, vnde fiunt propositiones de secundo adiacente,quæ per negationem eius quod in alio est rectè explicari possunt, verbi gratia: Homo est, substantia est, istæ sunt prædicationes tertij modi, & sunt per se. Et si aptitudinaliter existentia accipiatur,conuenit id substantiæ per se, hoc est, vt cum est, per se sit. Si autem accipiatur existentia actualis; illa quidem est tantum rerum singularium, quibus essentialiter non competit,si solum Deum excipias. Conuenit tamen secundæ substantiæ per primam, quæ dicitur existere propter sua singularia. Confirmatur. Nam Aristoteles *in Antepraedic. & passim,* Omne, inquit, quod non est in alio, est per se, at hoc etiam conuenit secundæ substantiæ, ergo fieri potest prædicatio per se de secunda substantia, vt Demonstrationem hic modus ingrediatur. Quare etiam hoc loco Aristoteles 1. *post. t.*9. quæ igitur, inquit, non de subiecto, hoc est, non in subiecto, per se dico, quæ autem de subiecto, accidentia. Vt enim diximus in Antepræd.esse in subiecto, & dici de subiecto aliquando idem significant. Et quamuis Philop. & Themist. intelligant solum tertium modum per se de prima substantia,ratio tamen aliud suadet, & ipsemet Philop. eadem victus ratione, tandem in secunda expositione concedit in nostram sententiam, vt etiam patet ex textu expositione. Iam verò quod quartus quoque dicendi modus sit prædicandi & enunciandi, ita probatur; potest enim fieri prædicatio,in qua vna causa, ex qua effectus per se pendeat, prædicetur, vt si dicam: Ecclipsis est interpositio vmbræ

terræ inter lineam & aspectum nostrum, est enim per se causa efficiens eeclipsis id quod in propositione affirmatur. Vel etiam si dicas: Interijt quis ex iugulatione, nam causa istius interitus connexa est quæ in propositione dicitur. Huic modo prædicandi opponitur modus prædicandi per accidens, cum sunt quidem aliqua simul, non tamen est vlla necessaria, ac per se connexio vnius cum alio tanquam effectus cum causa, vt si dicam: Fodiens reperit thesaurum, vel ex ambulante coruscauit. Sed hæc melius intelligentur & probabuntur, cum de ipsis modis sigillatim dicemus, & ex his etiam quæ mox subijciemus.

Tertia Propositio. Non sunt plures quam quatuor dicendi modi per se. Hoc non alia ratione probandum est, quam demonstrata huius numeri sufficientia, & reiectis alijs modis, si quos fortè alij ponunt. Colligi ergo potest hic quaternarius numerus hac ratione: In quauis re tria considerari possunt: Existentia, operationes, & prædicatum quæ illi attribuuntur. Si res per se existant, confestim consurgit tertius dicendi modus, si sit per se causa & principium operandi, pertinet ad quartum modum, attributa verò attingunt essentiam ipsam, & sunt primi modi. Vel sunt accidentia, quæ si communia fuerint, reijciuntur à demonstratione; sin autem propria, pertinent ad secundum modum. Alio modo colligitur hic numerus ab alijs, quem sequitur Zab. *lib. 1. de præp. necess. cap. 4.* In omni propositione vel prædicatum & subiectum reipsa, hoc est, naturaliter distinguuntur, vel re conueniunt. Si sit hoc secundum, tunc erit tertius modus, quoniam existentia non distinguitur realiter ab eo, cuius est existentia. Si primum, vel prædicatum de altero dicitur vt illi inhærens, aut vt quid illi intrinsecum, & hoc rursum dupliciter fieri potest: Vel vt sit quid pertinens ad essentiam, & est primus modus, vel certè vt sit propria affectio, & est secundus. Si autem prædicatum est aliquid extrinsecum, habens tamen aliquam affinitatem cum subiecto, pertinet ad quartum modum, causa enim est quid quodammodo connexum cum effectu, est tamen extra effectum. In hac ratione colligendi nobis non placet quod hic Author dicit non distingui existentiam ab eo cui conuenit, nisi sola ratione, & notionaliter, vt minimum enim est distinctio formalis. Falsum etiam est prædicata alia trium modorum, præterquam tertij, esse realiter distincta, vt idem Author contendit, nisi fortè per distinctionem realem intelligit eam quæ est à parte rei, & comprehendit etiam formalem. Addi potest tertia alia ratio, quæ ex D. Thoma petitur. Præpositio per, secundum Aristotelem, aut dicit sollicitudinem, aut habitudinem alicuius causæ. Si primum, est tertius modus per se existendi. Si secundum, aut dicit habitudinem causæ, intrinsecè, aut extrinsecè; si extrinsecè, est quartus modus, si intrinsecè, aut dicit habitudinem causæ formalis, hoc est definitionis, aut partium eius, quæ ad formam ab Aristotele reuocantur, & est primus modus. Vel dicit habitudinem causæ materialis in qua ita vt ratione prædicati sit subiectum ipsum de quo res dicitur, propter intrinsecum effluxum & emanationem prædicati à subiecto, & est secundus modus. Hinc sequitur.

Quarta Propositio. Modus qui ponitur à Themist. non est distinctus, imò verò ineptus est; dicit enim Themist. illum esse quando accidens prædicatur de accidente cui primo inest, vt color de superficie, vultque esse significatum illum modum ab Aristotele istis verbis: Quæcunque verò neutro modo insunt, accidentia sunt. Probatur primo. Quia Aristoteles post hæc verba subdit ista exempla: Album & musicum vt dicuntur de animali, hæc autem non dicuntur de illo immediatè, sicut color de superficie. Confirmatur ad hominem. Quia idem Themist. 2. *de anima, cap. 22.* confirmans hunc ipsum suum quintum modum, ait de superficie intrinsecè & essentialiter prædi-

prædicari colorem, ita vt nec etiam intelligi possit color sine superficie, at si id verum est, ponitur sine dubio superficies in definitione coloris, ac proinde cum prædicabitur de superficie color, erit secundus dicendi modus, quod etiam significat Arist. *lib. de sensu & sens. c. de col.* Nec refert quod subiectum vnius accidentis sit aliquando accidens; vel enim subiecti loco intelligimus, de quo aliud prædicatur. Denique hæc ratio conuincit: Aut color est de ratione superficiei, & sic illi conuenit in primo modo, aut superficies de ratione coloris, & ita hæc prædicatio est in secundo modo. Vtrum autem sit non curo; si enim vnum alteri accidit iam erit, modus prædicandi per accidens. Obijcit Auerr. *comm. 32.* Relatiua vicissim de ipsis dicuntur, nec tamen in primo aut secundo dicēdi modo, Ergo sunt duo tantum modi dicendi, vt significare videtur Aristot. qui non referuntur ad primum, vel secundum modum, videtur velle esse modos per accidens, fortasse qui non adeo apti sint qui ingrediantur Demonstrationem perfectissimam, vel certè eos qui dictis duobus primis opponantur. Resp. autem Auerr. primam solutionem opponens (nec enim negat omnes quatuor esse modos per se prædicandi & enunciandi) id quod dicit Aristot. vt plurimū tantum esse verum, in relatiuis autem non habere quoniam ista tum à definitionis, vt testatur Aristor. 6. *Top. loc. 17. & 18.* tum etiam à Demonstrationis legibus excipiuntur: Cum enim primus modus dicendi sit cum prædicatum est de ratione subiecti, & contra secundus, cum subiectum de ratione prædicati, non erit prædicatio relatiuorum vel primi, vel secundi modi, quoniam & subiectum est de ratione prædicati, & prædicatum de ratione subiecti. Addit Bald. *in com.* Auerr. non ingredi relatiua Demonstrationem, quoniam ea est à notis ad ignota, relatiua autem æque sunt vel nota, vel cognita. Præterea Demonstratio propter quid est per causam, sed verum relatiuorum non est potius causa alterius, quam alterum alterius, vt docet Arist. *c. de Relat. & c.* De simul. Quāuis aliquando materialiter loquendo possit vnum Relatiuum esse alterius causa Aristotelis de materia & vt docet forma. *2. ph. t. 30.* inter quæ etiam quandam relationem docet eodem *lib. 6,* 36. Caiet. Respondet, relatiuum vnum de altero prædicari in primo modo, quia dicitur tantum vnum de altero obliquo, quatenus ponitur in eius definitione. Si autem ponatur vnum directè in alterius definitione, hac ratione esse extra essentiam. Mihi non videtur absurdum, vnum relatiuum vt præcise præcipitur tanquam id quod ingreditur relationem alterius de altero prædicari in primo dicendi modo, & contra si accipiatur posterius, à quo præcedens habet quandam dependentiam, dici etiam de eodem in primo modo.

Obijcit secundo. Auerr. Esse quasdam causas efficientes per se quorundam effectuum, qualis est interpositio vmbræ terræ inter nos & aspectum nostrum, si ad Ecclipsin referatur. Ergo non solus primus aut secundus est dicendus modus per se, Respondet autem *com. 34 & 35.* non quoties aliquis effectus pendet ab aliqua causa, toties esse per se causa de effectu prædicationem, sed tunc tantum cum adæquatur causa effectui, isque pendet à causa tum in esse, tum in fieri, cuiusmodi est datum exemplum. Sed non est, quod huic argumento respondeamus, facit enim pro nobis contra eos, qui volebant solos duos primos modos esse dicendi & enunciandi. Nec verò nobis probatur quod dicit Auerr. Cum est talis causa quam ipse descripsit, prædicationem istam non esse causalem, sed potius formalem, & pertinere ad primum dicendi modum; propriè enim cum attenditur effectus alicuius causa, prædicatio illa dicenda est causalis, causalis scilicet causalitate efficientiæ.

Quinta Propositio. Hactenus solū diximus de modis dicendi per se in communi, prout sunt enunciandi & prædicandi, non autem de iisdem, vt conferuntur cum Demonstratione, præsertim quæ appellatur

tur potissima. De qua re, vbi de singulis modis actum fuerit, dicetur.

Sexta Propositio. Aristoteles mentionem tantum fecit modorum per se positiuorum & affirmatiuorum, non autem negatiuorũ, cum tamen etiam postea differat de Demonstratione negatiua. Ratio eadem est quam diximus cum ageremus de dictione de omni; continentur enim modi dicendi per se negatiui virtute in modis affirmatiuis, & referuntur hæc omnia ab Aristotele ad Demonstrationem positiuam & affirmatiuam. Lege Bald. *comm.* 34. *d.* 2. & Apoll. *quæst.* 21. Esset autem modus dicendi per se negatiuus, qui contineret negationem eius, quod non est cum re compatibile, vt si dicitur: Homo non est brutum &c. Porrò vult Apoll. nullam dari per se propositionem negatiuam, quę propriè dicatur continere modum dicendi per se, quamuis ipse solum loquatur de primo dicendi modo, vel etiam de secundo. Ratio autem est, quoniam nunquam est de ratione vnius rei, quod non essentialiter talis res, vel quod ex ea non fluat talis aliqua affectio, quãuis per accidens sequatur, vt quia aliquid est de ratione illius, & ex tali subiecto talis emanat passio, consequenter etiam repugnet rei tum opposita ratio, tum effluxus disparatæ passionis. Vnde prius dicendæ sunt tales negatiuæ propositiones continere modos per se dicendi virtualiter & reductiuè, sicut Homo non est irrationalis, est per se, vel: Homo non est risibilis, etiam est per se; illa in primo modo, ista in secundo.

Septima Propositio. Propositio quæ est per se, debet etiam esse de omni. Colligitur ex supra dictis, & est aperta sententia D. Thomæ, 1. *post. lib.* 9. Auerr. *Epit. Log. cap. de Demonstrat.* Philop. *in t.* 9 & *Them. cap.* 10. *parap.* Patet etiam ex ordine quem statuauit Aristot. in exponendis conditionibus. Primum enim egit de dicto de omni, post de modis per se, tandem de prædicato vniuersali, innuens semper posteriorem conditionem supponere anteriorem. Confirmatur. Nam particularis Demonstratio non est verè Demonstratio, esset autem si constaret ex propositionibus per se, ex illis autem ideò nõ constat, quia propositio particularis non continet dictum de omni. Hæc propositio propriè intelligi debet de propositione per se in primo modo, quoniam ea propositio de omni est, in qua id quod superius est, vel superioritate vniuersalitatis, vel superioritate causæ essentialis, de altero prædicatur, hoc autem tantum fit propriè in primo dicendi modo. Hoc est cõtra aliquos, qui volunt conuertentes propositiones per se esse etiam propositiones per se, non modo ratione materiæ necessariæ, sed etiã ratione formæ, quod est falsum, vt si dicam: Homo est rationalis, & rationale est homo; hæc enim conuertens etiamsi necessaria sit, tamen est impropria & innaturalis propositio. Demonstrationis verò propositiones nõ modo ratione materiæ, sed etiam ratione aptæ formæ necessariæ esse debent. Sicut etiam in vniuersum non tantum necessaria debet esse materia, sed legitima quoque forma. Lege Auer. *cap. de Demonstrat.* & Ægid. 1. *post. in t.* 32. & simile est de omnibus propositionibus quæ non habent naturalem prædicandi modum. Hinc sequitur primo propositionem per se etiam esse necessariam, vt diximus de communitate subiectorum, locorũ, temporum. Et debet propositio quoque esse necessaria ea necessitate, quam ex hac & sequentibus conclusionibus postea cum Arist. colligemus Secundo. Sequitur non esse propositionẽ per se vt hic loquimur, cuius subiectum est particulare, vel singulare. Est contra Iand. 5. *Met q* 30. Ita autẽ docet Phil. 1. *po. t.* 62. & Them. *ca.* 19 *parap.* Apoll *q* 21. Etsi Iand. loquatur de propositionibus in primo modo, sed est par ratio cæterorum. Et causa est, quoniam singularium non est propriè Demonstratio.

Octaua Propositio. Propter eandem caussam debet propositio per se simul esse naturalis, vt paulò antè diximus, hoc est, debet in ea prædicatio fieri naturalis & directa, vt videlicet superius de inferiori, aut æquale de æquali, aut accidens dicatur de subiecto. Hoc docet Themist. *cap.* 35. *parap.* vbi agens de modis dicendi per acci-

accidens,tum, inquit, maximè accidentariam prædicationem esse, quoties per uersо naturę ordine substantia de accidente efficitur, vt inquit cum de albo animal dicitur, & *cap.38.* secundum naturam, inquit, dicuntur prædicationes, quoniam de substantia accidens efficitur, prętet naturam, quoties de accidente substantia. Prædicationes verò quæ naturalem terminis regionem mutant, ne prædicationem quidem appellatione censemus, eoque missas hoc loco fieri velimus. Ratio quoque colligitur ex præcedenti conditione; nam propositio de omni est tum, cum superius de inferiori prædicatur, aut de æquali æquale, seruata superioritate causæ. Huiusmodi autem est prædicatio naturalis. Ergo sicut conditio præcedens est necessaria, sic etiam ista. Lege Auerr. 2 *post. com* 94. & *1.pr. dig. in 4. fig.* & 5. *Met. com.* 59. Caietan. *cap.4.1 post.* Et confirmatur ex Aristotele *1.post.32* & 35. Hinc sequitur, conuertentes propositionum per se, etiamsi quoad rem dici possint esse per se, non tamen quoad modum, quia non sunt naturales, quas ideò Apoll. *loco cit.* & P. Ven.1.30. vocant reductiuè propositiones per se. Vnde malè Caiet. *in 1.4 d.1.* putat aliquam propositionē non naturalē posse esse per se, eā videlicet in qua dicitur subiectū de accidente proprio in concreto, vt sensibile est homo, quia, inquit, ponitur in definitione risibilis homo, sed id falsum est, & secundum naturæ existentiam non aliter debet definiri accidens proprium, quam in abstracto, nec poni debet subiectum in definitione, nisi in obliquo. Itaque vult Caietan. conuertentes propositionum, in quibus de æquali dicitur esse per se, & Iauell. 3. *Met. quæst. vlt.* Nobiscum tamen sentiunt alij communiter, vt Them. *sop.* & Auer. Ægid. *in 1.32,* Tramb. 3. *Met q.2.*

Nona Propositio. Prædicatum quod alicui per se competit, etsi possit respectu alterius esse prædicatum per accidens, non tamen respectu illius eiusdem cui per se competit. Prima pars patet experientia: Accidit enim essentiæ accidentis, & accidentis etiam propriè tales alicui subiecto, sicut etiam accidens, & sumendo prædicatum. Et quidem latius accipiendo id quod alteri accidit, diximus sępe differentias generi accidere, quia non sunt de eius essentia. Secunda pars indicatur ab Aristotele *1. de anim. t. 42.* cum ait quod secundum se bonum est, per aliud non esse, vbi indicat Auerroes, & colligitur ex 1. *post. t.9* & 10. Et ratio est, Quoniam id quod est de alterius essentia, necessariam dicit cum eo connexionem, non ergo ei potest accidere, opponūtur enim ista: Esse necessarium & accidentarium.

QVÆSTIO SECVNDA.

De primo modo dicendi per se.

IN *post.* de singulis modis dicetur, de quibus hæc duo videnda erunt: Quid sint, & quas sub se comprehendant propositiones.

PRIMA DVBITATIO.

Quid sit primus dicendi modus?

ARist. *1.9.1 post.* Per se, inquit, quæcunque & insunt in eo quod quid est.

Notandum primo. Per *quid est*, vt diximus tractatu de genere, intelligi interdū solam definitionem integram & totalem, aliquando autem partes veræ definitionis, hoc tamen loco ab Aristotele, etsi pręferrim agat de modis per se, qui perfectæ Demōstrationi esse vsui possunt, ac propterea etiam præcipuè de primo modo, vt comprehendit prædicatum maximè essentiale, tamen nihil fortasse repugnat, quo minus etiam ea prædicata contineri dicamus, quæ rem vti ipsa est describunt, & sunt aliquo modo prædicata essentialia & quidditatiua.

Notandum secundo. Existimarunt quidā, vt refert Zab. *1. de prop. necess. ca. 6.* satis esse ad primum dicendi modum, vt prædicatum sit de ratione subiecti, in hoc sensu, vt nequeat sine prædicato subiectū quidditatiuè intelligi. Ex quo effici volebant, vt si conuerteretur propositio primi modi, euaderet secundi modi propositio, &

sortiro

contra propositiones secundi modi per conuersionem fierent propositiones primi modi, verbi gratia: Homo est rationalis, est primi modi, fiet autem secundi, si dicitur: Rationale est homo, quoniam sicut de ratione hominis est rationale prædicatum de subiecto, ita de ratione hominis est rationale in secunda propositione, nempè subiectum de prędicato. Sic etiam hæc propositio: Homo est risibilis, est in secundo modo, quia subiectum est de ratione prædicati. Fac ita: Risibile est homo, erit propositio primi modi, quoniam prædicatum est de ratione subiecti. Sed falsa est hæc sententia; quoniam opus est tam in primo, quam in secundo modo, vt id quod de subiecto prædicatur, verè & per se insit in subiecto, quod non seruatur in dictis propositionibus, nec enim aut risibili inest homo, aut idem homo rationali, & sunt huiusmodi propositiones indirectæ, ac præter naturam. Debet igitur primus modus dicere prædicatum, quod insit in eo quod quid est, hoc est, quod insit subiecto in eo quod quid est, secundum rationem essentialem eius, nec enim verbum *inesse* coniungi debet *in eo quod quid est*, sed suppleri debet subiectum, vt sensus sit, prædicatum inesse debere subiecto in eo quod quid est, quia græci ὑπάρχειν, non efferunt cum propositione ἐν, sed absolutè, dicentes, inesse non in aliquo sed alicui. Et confirmatur exemplis quæ ponit Aristot. vt: Rectum inest lineæ, & omnibus, inquit, his insunt in oratione quid est dicente. At verò non inest homo rationabili & risibili, sed contra.

Notandum tertio. Vt rectè notat Bald. *comm.* 30. Definitionem ingrediuntur aliqua in recto, alia autem in obliquo, vt: Homo est animal rationale, vel triangulum est figura plana tribus lineis contenta. Ratio huius disparitatis est, quia quæ in recto ponuntur, sunt veræ partes ac intrinseci gradus rei realiter identificati cũ re, quæ autem ponuntur in obliquo, non sunt secundum se de essentia, nec idem re cum definito, sed aliquid à quo res dependet essentialiter. Ad modum primum dicendi, per se sufficit poni in definitione alicuius prædicatum in obliquo, vt patet ex exemplis Aristotelis, quod etiam docet Lincon. *m* 140. Caiet. *in cap.* 4. *dub.* 3. Iand. 5. *Met. q.* 39.

Notandum quarto. Cum omnis modus per se aliquam denotet causam, quam subiectum habet à prædicato, primus modus dicit causas intrinsecas, materialẽ & formalem, siue quæ ex his petuntur, genus & differentiam, & quæ ex vtrisque constat, definitionem, quæ solet appellari totalis & maximè propria forma. Aut denique dicit modus per se primus aliquid, quod cum in definitione in obliquo saltem ponatur, se habet per modum alicuius formæ, quomodo si loquatur P. Ven. *int.* 35. & Bald. *c.* 30. & Apoll. *q.* 15. *&c.* dicentes sola prędicata formalia pertinere ad hunc modum, nõ dissentimus. Alioqui certum est exempla hic ab Aristotele posita de linea vt dicitur de triangulo, nõ habere perfectissimam rationem causæ, si de formali sermo sit; nec aliud etiam vult Auerroes *in Epit. Log. cap. de Demonstrat.* 2. *de Anima comment.* 7. *Met comm.* 11. Ideò enim primus modus dicitur habere causam formalem, quia definitio tota se habet vt forma ex Auerr. 7. *Met. comm.* 31. 34. 36. *&* 40. & partes definitionis referuntur etiam ad causam formalem, vt docet Aristotel. 2. *Phys.* & Auer. *ibid. &* *lib.* 8. *comm.* 6. Sit igitur primus dicendi modus, cum prędicatum aut est definitio tota, aut aliquid aliqua ratione pertinens ad quidditatem. *Primus modus dicendi per se.*

SECVNDA DVBITATIO.

Quanam propositiones sint in primo modo?

PRima *Opinio* est Scotistarum in Zroinb. *in* 3. *Met. q.* 3. esse quatuor genera propositionum per se. Primo. Quando prædicatum est definitio. Secũdo. Cum est pars definitionis, hoc est genus, vel differentia; siue proxima sint, siue remota. Tertio. Cũ magis commune dicitur de minus cõmuni, quamuis non sit verum genus, vel differentia, vt cum eas dicitur de inferioribus. Quarto, Quando idem pręedicatur de

non est alia causa. Domin. de Flandr. *post. q. 15. art. 1. ad 8.* ait reduci ad primum modum virtualiter, quia, inquit, subiectum istius propositionis non potest intelligi conceptu quidditatiuo sine prædicato, negat tamen esse in primo modo formaliter, quia idem non est in seipso. Itaque concludendum est, propositionem identicam non esse per se, sed nec etiam propriè dici potest per accidens, sicut nec verè dicenda est propositio, quia inutilis est, nugatoria, & præter naturam.

Secunda Propositio. Si ad modum dicendi per se requiritur gradus præcisus, & hunc non dicit ens, non prædicatur per se de inferioribus. Hoc videtur docere Arist. dicens non debere poni in definitione ens & alia transcendentalia. 5. *Top. c. 2. lib. 6. c. 3. 2. post. cap. de inuent. definitionis.* Et ratio est. Quia cum ens nihil aliud sit propter suam analogiam, quam ipsamet inferiora sua, non dicit prædicatum distinctum ab illis; nam idem est ens homo & homo 4. *Met. t. 2.* Nihilominus etiamsi verum sit, prædicationem entis de alio aut nunquam, aut rarò assumi in demonstratione, quoniam si perfecta præsertim sit, supponit de subiecto quod sit ens, tamen fortè nihil absurdi est, si dicatur ipsos prædicatio esse in primo modo, & in genere omnem prædicationē analogi, vt supra verissimū esse diximus, propositionem non esse immediatam quæ per prædicatum analogum probari possèt, sed Arist. propriè loqui tantum voluit de perfecta & vniuoca prædicatione.

Tertia Propositio. Propositiones negatiuæ & indirectæ non sunt in primo modo, sed potius absolutè loquendo dicendæ esse per accidens. Hoc in vniuersum sup. probatum est. Et ratio est, quia ea pertinent ad primum modum, quæ intrinsecæ sunt de alterius ratione, & vt sic de alieno prædicantur, quales esse nō possunt dictæ hæ propositiones.

Quarta Propositio. Cum prædicatur vna definitio in vno causæ genere, de altera in altero, vel de definito eodem, vt habente alteram definitionem, propositio potest esse per se, si tamen prædicatio fiat per se in obliquo. Tunc autem si vtrauis definitio de vtrauis prædicetur, erit primus, sicut diximus supra de relatiuis, quorum vnum in alterius definitione ponitur. Quarè falsum est quod quidam asserunt non differre has prædicationes ab identicis propositionibus, qui etiam vtuntur authoritate Auerr. *com.* 37. Sed quicquid de illo sit, non est inquam verum quod dicunt, quoniam apertè cernitur, vtrumuis de altero prædicetur, semper vnum alterius respectu rationem essentialis prædicati habere. Et propterea non potest hæc prædicatio referri ad secundum modum, vt ipsi volunt, quia ad illum necesse est prædicatum inhærere subiecto, vt videbimus.

Quinta Propositio. Cum prædicatur genus de differentia, vel differentia superior de inferiori, vel cum subiectum est singulare, non est modus dicendi per se. Vltimum membrum probatum est in communi *quæst. praeced. quæst. 7.* Primum & secundum membrum probata sunt disputatione de genere, vbi ostendimus nec genus de differentijs, nec differentiam de differentia, nec de genere differentias per se prædicari.

Sexta Propositio. Non tantum dicuntur in primo modo definitio de definito, genus vel differentia de specie (qua in re diminutus est Auerr.) verum etiam quoties prædicantur aliquæ causæ per se, vt materia & forma. Vel denique eorum quæ spectant ad rei quidditatem, nec aliquid continent quod subiecto tanquam accidens inhæreat. Quarè vt id melius intelligatur, quæ propositiones sub hoc primo modo contineantur, sic accipiendum est. Primo: Propositio est per se in qua prædicatum est de essentia subiecti, in communi loquendo, & iuxta probabilem illam sententiam, etiamsi sit aliquando prædicatum analogum, & propterea ens dicitur prædicari per se, quatenus continet in confuso quidquid est in subiecto, & prædicatur tum ratione huius communioris prædicati, quod est esse ens, & quatenus dicitur in quid:

quamuis propter suam analogiam nullam propriè definitionem ingredi possit. Secundo. Est propositio per se, in qua genus summum & cætera vsq; ad postremū de re aliqua dicitur, quanquam id quod postremum est, magis videatur significate prædicatum per se, quoniam etiam magis attingit rei quidditatem. Hinc factum est vt propositionū in primo modo quasdam nonnulli dicant esse per se primo, alias vero per se secundariò. Istæ sunt quæ continent genera remotiora, vel, vt alij loquuntur, quæ continent differentias magis remotas, illæ autem sunt vel quæ continent differentias proximas, vel genera. Atque ita Arist. c. 14. 1. *post*. ait, habere tres angulos, &c. prædicari de scaleno quodammodo non per se. Et hæc propositionum partitio locum quoque habere potest in propositionibus secundi modi. Lege Dom. de Fland. 1. *p. q.* 15 *art*. 1. *not*. 5. Quamuis cum ponitur genus proximum, vel differentia, etiam poni intelliguntur & remotiores partes; siquidem vltimus gradus quidditatis præcedentes omnes necessariò supponit. Tertio. Dicitur per se differentia non modo proxima, sed etiam remota, vt iam diximus.

Obijcies. Arist. aliquando dicit prædicationem per se esse in terminis conuertibilibus, ergo cum prædicatur aut ens, aut genus, aut differentia remota, non erunt modi per se. Resp. Non est necessarium ad prædicationem per se vt termini terto commeent, vnde docet Arist. *c*. 12. 1. *post*. aliquid immediatè dici posse per se de pluribus. Est ergo intelligendus Arist. de prædicatione propriatum præsertim affectionum, quarum prædicatio spectat ad secundum modum. Lege Phil. Zaffinum, 1. *post. com*. 52. Quarto est propositio per se, cum dicitur definitio de definito: Etsi enim re hæc idem sint habent tamen nonnullam distinctionem, saltem rationis ratiocinatæ, cum tamen multi asserant prædicata essentialia hac tantum ratione distingui, nec vllus neget prædicati per se huiusmodi quidditatiua prædicata de re cui conueniunt. Videtur tamen discedere Philop. 1. *post. com*, 7. qui definitionem non modo esse prædicatum quidditatum, sed omninò esse prædicatū, dicit, quod idem tradere videntur Them. Alb. Lincon. sed communis opinio sentit contrarium, & Arist. 1. *Top. c*. 3. appellat definitionem prædicatum. Cæterum quamuis Arist. 1. *post*. partium definitionis solū expresse meminerit, nihilominus definitionis quoque mentio facta est implicitè in partibus. Et 5. *Met. t*. 23. ad primum modum absolutè pertinere dicit quidditatis partes, quidditatem ipsam, & substantiam.

QVÆSTIO TERTIA.

De secundo modo dicendi per se.

PRIMA DVBITATIO.

Quid sit secundus modus?

EX dictis liquere potest quid sit hic secundus per se dicendi modus. Sic autem definit Aristoteles *t*. 9. Et quibuscunque in existentium ipsis, ipsa sunt in oratione quid est declarante, quemadmodū rectum inest lineæ; linea enim ponitur in definitione recti. Ex his verbis elici possunt hæ conditiones propositionum secundi modi. Prima. Quod prædicatur, debet esse accidens. Ratio est, quia cum substantia (loquor autem de ea quæ distinguitur ab omni accidente) est de ratione alterius substantiæ, se habet velut forma respectu materiæ, horum autem non potest esse prædicatio, nisi in obliquo, & spectat ad primum modum. Hoc significant Aristotelis exempla & verba illa: *Quæcunq; inexistentium*, quasi dicat inhærentium in subiecto. Secunda Conditio. Vt accidens sit proprium. Ita Auerr. *com*. 31. Et ratio est, quia in huiusmodi accidentium definitione debet subiectū poni tanquam causa adæquata, alioquin etiam per se esset prædicatio cuiuslibet accidentis de subiecto & alioquin etiam non esset propositio necessaria. Lege Apoll, *q*. 22. Et nota, id de quo dicitur passio, debere esse subiectum inhæsionis, saltem vltimatè; nam cum passio posterior de priore dicitur, est prædicatio aliquo modo

modo per ſe, vt dictum, in poſterioris tamen paſſionis definitione poni debet nō modo prior, ſed etiam ſubiectum ipſum, in quo propriè ineſt. Tertia Conditio. Vt ponatur ſubiectum in definitione prædicati, quoniam ſubiectum reſpectu accidentis proprij habet peculiarem quandā cauſalitatis rationem, non tantum materialem, ſed formalem etiam & effectricem, vt diximus diſputatione de propriò. Quare difficilè eſt ad explicandum quomodo differat cauſalitas huius ſecundi modi à cauſalitate quarti, quæ eſt effectiua, nam ſi effectiua eſt cauſalitas ſubiecti etiam in ſecundo modo, videbitur ad quartum pertinere. Ideò quidam, vt refert Zab. *c.10.lib.* 1. dicunt quatenus ſubiectum habet rationem cauſæ efficientis, hoc modo pertinere ad quartum, vt autem habet rationem materię, non ex qua, ſic enim pertinet ad primum modum, ſed in qua pertinere ad ſecundum. Reſpondet autem ipſe ſubiectum accidentis proprij eſſe cauſam effectricem, & externam ratione eſſentiæ, quia eſt extra eſſentiam eius, tamen etiam cauſam internam ratione loci & ſubiecti, quia ineſt accidens proprium in eodem in quo eſt illud, quod eſt ipſius cauſa, vt riſibilitas eſt in eodem homine in quo eſt rationalitas vnde fluit. At vero cauſa efficiens pertinens ad quartum modum, eſt inquit, externa vtroque modo; iugulatio reſpectu iugulati, obiectio vmbræ terræ reſpectu Ecclipſis. Itaque omnis cauſa efficiens externa eſt ratione eſſentiæ, quædam eſt interna ratione loci & ſubiecti. Vel etiam alia, inquit, cauſa efficiens eſt cum actione quadam & paſſione, & hæc pertinet ad quartum modum. Alia verò cum ſola enunciatione, quo minus proprè dicitur cauſa efficiens, ac potius appellari ſolet forma, quia eſt quid ſimile formæ, cum ab effectu nunquam ſeparetur; tamen quia eſt extra eſſentiam effectus, reuocantur aliquando ad cauſam efficientem. Vnde propter oppoſitam rationem, cauſa formalis reſpectu effectus formalis, quem veluti cauſare dicitur, ſemper ſolum dicitur eſſe formalis. Ac propterea etiam poni dicitur ſubiectum in definitione ſui accidentis proprij, quia ab eo nunquam ſeparatur. Confirmatur id ex Auerr. *com.* 34. Iſta equidem ſubtiliter, nec non probabiliter vtrumq; dicuntur, non ſunt tamen ad rem noſtram omnino neceſſaria; nam modo conſtet collocari ſubiectum in definitione prædicati, quod ſibi inhæret, ſatis eſt ſi intelligatur hic ſecundus modus quomodocunque tandem velimus explicare hanc habitudinem ſubiecti ad accidens proprium, quartus enim modus etiamſi diceret omnem cauſam efficientem, dicit tamen vt eſt prædicatum expreſſum in propoſitione quæ nunquam fit in ſecundo modo. Et quamuis admittas ſubiectum in propoſito noſtro habere habitudinem formæ, quatenus formam ſignificat, & comprehendit prædicatum eſſentiale in obliquo, & cum determinat alterius dependentiam, adhuc erit diſtinctio huius ſecundi modi à quarto, quia hic ſecundus requirit inhærentiam prædicati in ſubiecto, vnde & à nonnullis fuit appellatus modus per ſe inhærendi, ex quo, vt id obiter dicam, colligi poteſt eſſe alios modos prædicandi, cum hic non minus ſignificet modum eſſendi, quam reliqui. Accedit, quod etiamſi Ecclipſis requirat externam aliquam cauſam, puta interpoſitionem terræ, tamen ipſamet Ecclipſabilitas ad talem lunæ naturam neceſſariò ſequitur, non minus quodammodo, quam riſibilitas ad naturam humanā, quod ſemel intelligere pluribus iuuat ad diſputationem de medio Demonſtrationis, in qua vna ex celeberrimis opinionibus tota fere conſiſtit in diſtinctione affectionum quarundam extrinſecarum & intrinſecarum, quæ de medio tollenda eſt, quod ibi. Interim non minus riſibilitas, verbi gratia, multas requirit cauſas extrinſecas, vt in actum prodire poſſit, quam Ecclipſitas vt actu fieri queat. Lege Flam. 9. *Log. cap.* 1.

(***)

SECVNDA DVBITATIO.

Quæ propositiones pertinent ad secundum modum?

Sequitur non includi sub isto modo propositiones primi modi conuertibiles, vt: Animal rationale est homo, sensibile est animal. Est contra Caietanum, qui inquit, cum prædicatur de specie genus, vt sit conuertens propositio, debent omnes species sub disiunctione annumerari, vt si conuertenda sit ista: Homo est animal, dicendum erit: Animal vel est homo, vel equus, vel leo &c. quia alias non esset propositio de omni. Sed contra Caietanum ferè omnes disputant, præsertim Ægid. Lincon. Burl. &c. Et ratio est, quia hæ propositiones sunt inductæ, & præter naturam, & non continent prædicatum accidentale, ac inhærens. Secundo. Sequitur contra Caietanum, Non includi in hoc secundo modo propositiones, in quibus prædicatur differentia de genere, etiamsi vtraque sumatur sub disiunctione simul, vt: Animal vel est rationale, vel irrationale. Ratio est, quoniam non sunt differentiæ de ratione generis, nec genus de ratione differentiarũ, deberet autem si huiusmodi propositio esset secundi modi, poni genus in definitione differentiatum. Secundo. Non includuntur propositiones, in quibus aliqua passio prædicatur de subiecto superiore, vt: Animal est risibile. Est contra Auerr. *comm.* 11. 1. *post.* vbi id ita limitat, si modo, inquit, non excedat illa passio limites & considerationem proprij obiecti scientię. Est etiam contra Apoll. Caietanum *ins.* 35. Burl. *ibid.* Bald. *comm.* 31. & P. Ven. qui ait esse propositionem per se, cum passio iungitur subiecto superiori. Ratio est, quia propositio per se, etiam fatente Auerr. debet esse de omni, debet esse necessaria, vtrumque autem falsum est in casu proposito; nam si dicatur de subiecto superiore, non conueniet omnibus sub illo contentis, & etiam poterit idem subiectum in aliquo suo inferiore opposita esse præditum passione. Idem apud Auerroem fecit Alphar. qui præterea ait esse propositionem per se, cum in definitione prædicati ponitur genus generis, vel aliquid superius, etiamsi non contineatur terminis scientiæ. Hæc propositio est per se: Homo est vnus, bonus &c. quia in definitione istorum prędicatorum ponitur ens, quod latè patet, & pertinet ad Metaphysicam, homo autem ad physicam. Et in hoc meritò arguitur ab Auerroe, sic enim scientiæ confunderentur, & vna transcenderet de genere in genus.

Obijcies. In definitione passionis ponitur subiectum, in definitione subiecti ponitur genus, Ergo potest de genere prædicari passio. Respondeo. Ponitur in definitione passionis subiectum adæquatum, non autem illius pars quæcunque. Quarto. Non pertinet ad hunc modum propositio, in qua dicatur subiectum de passione, vt: Risibile est homo. Est contra P. Ven. Et ratio est, quia est indirecta, & quia prædicatum non est quid inhærens. Quinto. Non facit ad hunc modum cum subiectum quomodolibet est de ratione prædicati, si videlicet propositiones sint indirectæ, vt: Animal est homo, vbi subiectum est de ratione prædicati, tamen propositio est præter naturam. Est contra Nyphum, & similis videtur esse illa opinio de qua diximus *quæst. præced.* fieri ex primo modo secundum, cum prædicatum subit locum subiecti. Ratio est, tum quia hæ propositiones sunt indirectæ, tum quia prædicatum non est quid accidentarium & inhærens. Nec pro Nypho est Themist. imò plurimis in locis oppositum docet. Et præterea *in cap.* 35. Demonstraturus, inquit, prædicationes inconditas & præposteras, quemadmodum & accidentarias vitabit, quin etiam propositionem per se esse debere de omni, supra probatum est. Huiusmodi certè non sunt hæ propositiones. Et Auerr. quem Nyph. se sequi ait, non modo *loco citato* 1. *post. dig. in* 4. *fig. Gal.* dicit indirectam propositionem esse in fine abominationis, sed etiam 1. *post. comm.* 41. *&* 56. *lib.* 6. *com.* 94. 2 *phys. comm.* 23. *&* 24. *&* *quæst.* 4. *post.* Et ratio illius est in 1. *pr.* quoniam ars sequitur naturam, vt habet 4. *Meteor. cap.* 24.

Nam,

Natura autem refugit id quod præposterum & inordinatum est. Denique ad hunc modum non pertinet quicquid est de ratione alterius, nisi hoc addatur, vt prædicatum sit accidentarium, quod etiam docet Themist. & Phil. quos pro se profert Nyphus. Sexto. Non videntur includi accidentia propria, quæ conueniunt omni, sed non soli, vt: Homo est aptus ad videndum. Est contra P. Ven. qui vult esse propositionem per se, cum passio coniungitur cum subiecto inferiori, vt si dicam: Socrates est risibilis. Ratio est, quia in definitione huius accidentis non ponitur subiectum illud particulare & inferius, sed subiectum solum adæquatum, ex quo huiusmodi passio emanat. Nihilominus quatenus hoc subiectum inferius supra se continet id cui propriè conuenit hæc passio, & quatenus accipitur vt proprium illius inferius, quomodo non ponit hoc subiectum in numerum cum alijs inferioribus, quæ eandem communicant passionem, qua ratione potest appellari hæc prædicatio per se, quoniam hoc inferius cum alijs æquiualent subiecto adæquato. Ita Caietanus. Vnde Auer. qui Apoll. dicebant in secunda conditione requiri vt accidẽs sit proprium quarto modo, quod intelligi debet ad sensum explicatum. Et Apoll. expressè concedit huiusmodi propositionem esse per se, quod etiam significat Philop. & Iand. 5. *Met. q.* 31. Et confirmatur. Quia quod conuenit rei ratione alicuius superioris, quod per se de illa prędicatur, illi etiam per se conuenire videtur. Denique, quia nemo videtur talem prædicationem appellare accidentariam, si tamen Aristotelis mentem & loquendi modum consulamus, ipse huiusmodi propositiones non censet absolutè per se appellandas esse, sed potius quodammodo non per se, vt habetur t. 11. vbi ponit hoc exemplum: Æquilaterus habet tres angulos &c. Et 2. *Top. cap.* 1. *loc.* 8. habet hæc verba: Vt per se quidem quod triangulus duobus rectis æquales habet, per accidens autem quod æquilaterus, quoniam enim accidit triangulo æquilaterum per hoc &c. videtur igitur Aristoteles prædicationem per se sic intelligere, ita vt per se reduplicet vltimatum naturæ gradum proprium illi rei de quo fit prædicatio, nõ autem superiorem gradum. Vnde Auert. *quæst.* 10. monet huiusmodi prædicationem non esse ab Aristotele negatam per se esse, sed tantum esse aptam demonstrationem, quæ requiritur vt prædicatum sit etiam primum & secũdum quod ipsum, siue vniuersale. Et confirmatur ad hominem. Concedunt enim hanc propositionem non esse per se: Homo est coloratus, quia est prædicatum cõmune, & tamen si consideretur genus hominis superius aliquanto, quod est corpus mixtum, illi per se conuenit esse coloratum. Non ergo est insufficiens ratio, vt absolutè dici possit prædicatio per se, cum prædicatum tribuitur subiecto superiori. Septimo. Non includitur propositio, in qua proprium secundo modo prædicatur, hoc est, quod soli, sed non omni conuenit, vt: Homo est Logicus. Ratio est, quia hæc prædicatio non est de omni, & Logicæ causa adæquata non est homo, sed talis exercitatio & disciplina qua paratur Logica. Octauo. Non spectat ad hunc modum proprium tertio modo, quod soli omni, sed non semper conuenit, vt homini esse canum. Est contra quosdam recentiores. Sed probatur, quia propositio debet esse de omni, quæ requirit vniuersalitatem etiam temporum. Præterea in hoc exemplo canities certam quandam temperiem. Nono. Tandem explicatur quæ propositiones ad hunc modum pertineãt. Primo secundi modi prædicatio est, cum proprium quarto modo de subiecto dicitur, hoc est propria passio, vt: Homo est risibilis, fortasse autem maximè dicetur huiusmodi prædicatio, cum omnium prima passio de suo subiecto prædicabitur, quia in huiusmodi passionis definitione subiectum ponitur immediatè. Secundo. Cum etiam dicitur passio de definitione subiecti, vt: Animal rationale est risibile: Hoc afferunt Caietan. Apoll. P. Venet. &c. pręter paucos, quoniam inquiunt definitio non est subiectum, sed tantum causa. Verum hoc nihil obstat: nam prætere-

quam quod re idem sunt definitio & definitum. etiam animal rationale dicit aliquid subsistens atque homo, & quod est causa passionis, dici quoque solet subiectum prædicationis, & subiectum Metaphysicum; quod verò est inhæsionis, appellari solet subiectum physicũ. Adde quod subintelligatur cum dicimus animal rationale, ipsemet homo. Confirmatur. Quoniam definitio ipsa longè melius explicat causam passionis, & explicitè est id per quod debet passio de subiecto probari, ideoque debet tunc in maiore Demonstrationis propositione prędicari passio de definitione. Cum ergo Demonstratio cõstare debeat ex propositionibus per se, erit absque dubio illa propositio per se, verbi gratia. Tertio. Est propositio per se, cũ definitio passionis de subiecto prædicatur, vt: Homo est aptus ad ridendum, quia est idem ac si dicerem, Homo est risibilis, & tam est connexa passionis definitio cum subiecto, quam ipsamet passio. Tunc autem obseruandum est, vt monet Caiet. vt solum de subiecto dicantur, quæ in passionis definitione in recto ponuntur; quæ enim in obliquo, significant passionis habitudinem ad subiectum, quare idem de eodem prædicaretur. Quarto est propositio per se, cũ vna passio posterior de priore in eodem ordine adæquationis dicitur: nam vna eademque res plures habet sibi adæquatas & reciprocas passiones, quæ ordine tamen quodam fluunt singulæ ex subiecto, vt altera dicatur prior, altera posterior &c. Cum igitur prædicatur quæ posterior est de priore, ideò est propositio per se, quia vt rectè definiatur posterior, debet in eius definitione poni prior, quãuis omnes tantum perfectè & quidditatiuè definiri tantum possint per subiectum, à quo omnes pendẽt, verbi gratia, discursiuum est admiratiuum, est prędicatio per se secundæ passionis de prima, & hæc posterior, vt rectè definiatur, per præcedentem explicabitur. Si verò prędicetur prior passio de posteriore, erit propositio indirecta. In hac sententia est Apol. *loc. cit.* Tamen si quæcunque posterior passio, etiam neglecto ordine, de quacunque alia priore prædicetur, dici poterit prædicatio per se. Esto enim proximè nõ pendeat posterior nisi ab ea, quæ sa etiam proximè antecedit, tamẽ sicut pendet à subiecto vltimatè, ita & à passionibus eidem magis propinquis. Hoc idẽ asserere videtur P. Ven. Quinto, est etiã propositio per se, in qua prædicatur passio aliqua, quæ à nonnullis appellatur extrinseca, quod pendeat vt sit ab aliqua causa extrinseca, vt si dicam: Luna deficit, quia pendet Lunæ defectus ab interpositione vmbræ terræ. Ratio est, quia hæc passio definitur per subiectum, hoc est per Lunam, in qua habet causam intrinsecam, & propriè affectio Lunæ est ecclipsabilitas, cuius causa est quod Luna aliunde lumen suum mutuatur. Non tamen videtur propositio per se, cum prędicatur passio ista de causa extrinseca, sicut diximus esse propositionem per se, cum definitio passionis dicitur de re aliqua, vt sicut dicitur interpositio terræ est Ecclipsis, non quia non sit subiectum de ratione prædicati, sed quia est prædicatio innaturalis, definiti de definitione. Sexto. Est propositio per se, non modo cum passio quæ prædicatur est simplex, sed cum etiam est veluti composita, & cum disiunctione, si tamen hac ratione de subiecto prædicetur. Quare hæc est propositio per se: Numerus aut est par, aut impar; Si enim de numero pronunties par, non erit in definitione paris numerus positus tanquam subiectum adæquatum, quia non omnis numerus est par, sed se habebit tũc numerus sicut subiectum respectu illius affectionis, quæ illi soli, sed non omni conuenit. Quare dicendum est proprietatem numeri esse vt sit par, vel impar, quoniam definitionem integræ istius passionis aptè ingreditur numerus. Videtur autem Aristoteles institutum suum eodem r. 9. ita conferre, quod videlicet sub disiũctione poni debeat hæc proprietas, quoniam esse parem, vel imparem, curuum aut rectum, & alia huiusmodi, respectu eorum de quibus dicuntur, habent vim quandam oppositionis priuatiuæ, vel contradictoriæ. Necesse est autem alteram contradictoriam partem rei cuiuis

inesse,

tinesse, & cum subiectum aptum est, aut habitu praeditum, aut eodem vacuum priuatumque dicitur. Igitur omnis numerus dicendus est esse par, vel impar, linea recta vel curua &c. sed de his plura in expositione textus. Lege Zab. *lib. 1. de prop. necess. ca. vlt.* Dici tamen etiam posset propositionem esse per se, cum alterū membrum praedicatur de numero; tunc enim si dicatur, verbi gratia, par, intelligere licebit speciem aliquam certam numeri incertam, cuius nec nomen & conditio latet, ita vt esse parem numero sit propriū cuiusdam speciei. Sic nisi sciremus quodnam sit animal rationale, & quodnam irrationale, crederemus esse aut rationale, aut irrationale affectiones quasdam animalis.

Obijcies. Arist. 3. *de cal.* à t. 32. & deinceps probat cęlum, terram, & alia esse rotunda. Ergo cęlum esse rotundum, vel terram, erit praedicatio in secundo modo, quia est passio quaedam de subiecto quae demonstratur. Resp. Illa sunt potius dicenda argumenta necessaria, quam verae demonstrationes, vel vt inquit Alphar. apud Auer. *com.* 41. dici possunt demonstrationes quaedam imperfectę, in perfecta enim debet praedicatum conuerti cum subiecto.

QVÆSTIO QVARTA.

De tertio modo.

Sequentes duos modos quoniam nō ita latè patent, ita explicauimus vt simul quid sint, & quaenam sub illis propositiones contineantur, ostendatur. Tertius igitur modus, vt inquit Aristoteles *t. 9.* est, cum aliquid non de subiecto dicitur alio aliquo, hoc est, cum aliquid significatur vt per se existens, quod est solius substantiae. Et sensus est quod substantia non habet extra se causam suae existentiae, sed sibiipsi suae existentiae causa est, accidens autem non sibi sufficit ad existendum, sed extra se causam habet suae existentiae, hoc est, substantiam, cuius propterea dici solet esse ens. Vnde qui dicit substantiam existere, facit propositionem per se, qui verò dicit accidens existere, profert propositionem per accidens, quia existentiae nomine ea absolutè intelligitur, quae dat rei vt sit per se. Ex hoc sequitur quod quaestione prima diximus, non esse hunc modum essendi tantum, vel existendi, sed praeterea dicendi, praedicandi, enunciandi: Continet enim praedicatum existentiae, quae quia non est de essentia rei, & quia etiam ipsa propriè non dicitur esse essentia quaedam, sed modus quidam essentiae, propterea nec ad primum, nec ad secundum modum pertinet. Confirmatur. Quia sicut alij hunc modum explicare rationem qua res aliqua per se existit, vel qua saltem natura sua apta est res vt per se existat, sic etiam non habent cur negent posse id propositione aliqua explicari, quam nos dicemus esse propositionem per se. Hoc sentit Alb. dicens hunc modum habere locum etiam in cōplexis, hoc est, in propositionibus. De qua te lege Zab. *lib. 1. de prop. necess. cap. 3. & 7.* Refert etiam Burl. multos alios asserentes esse hunc tertium modum, quando verbum *Est* praedicatur siue de prima, siue de secunda substantia. Hinc igitur primo sequitur comprehēdi sub hoc modo non tantum primam, sed etiam secundam substantiam. Quod est cōtra Them. Lineon. vt diximus *quaest. 1.* sed pro nobis faciunt non modo quos refert Burl. sed etiam Phil. P. Ven. & D. Thom. quicquid Bald. *com.* 33. id neget de D. Thoma. Et ratio est, quia Arist. solum excludit à tertio modo accidentia. Ergo.

Obijcies. Arist. ait dici per se tertio modo quae significant hoc aliquid, sed huiusmodi tantum primae substantiae. Ergo. Respond. Aristot. primo dixit praedicari in tertio modo, quae non dicuntur de subiecto, videlicet inhaesionis. Deinde verò huiusmodi esse substantiam, & quaecunque hoc aliquid significant, non ergo excludit secundam substantiam. Errat igitur Bald. & immeritò reprehendit Caietanum, dicens per subiectum intellexisse ibi Aristotelem subiectum praedicationis, vel inferius. & vocans secundam substantiam accidens, quoniam non per se & primariò existit, sed

secundatiò & in prima, hoc enim vtrúq; & impropriè & falsò dicitur. Secundò. Sequitur non excludere Aristotelem non modo ea quæ in alio sunt inhæsiuè, sed quæ etiam sunt essentialiter in alio; ita enim excluderentur secundæ substantiæ, & partes definitionis, genus, differentia, materia forma, &c. Continetur ergo sub hoc modo, cum ab Aristot. sola accidentia reijciantur cuiuscunque substantiæ, quia cuiuis conuenit non dici de subiecto, & per se esse, seu non inhærere alteri. Ex his etiam soluitur illa obiectio. Arist. dicit tertium modum esse eorū quæ nō dicuntur de alio, sed secundæ substantiæ dicuntur, ex c. *de substant.* Resp. enim quod per dici de subiecto intelligit Arist. esse in subiecto, nam inquit; quia autem de subiecto, accidentia, quæ non de subiecto, per se, quod etiam nos in antepræd. ostendimus ex alijs locis Aristotelis, præsertim 1. *ph.* t. 26. & 62. in quo, sola, inquit Arist. substantia de nullo dicitur subiecto, sed alia omnia de substantia, vbi de substantia in communi loquitur. Deniq; falsum est quod indicat Ferr. 1 *ph* q. 1. paulo post med. tertium modum esse, cū aliquid de alio dicitur per se, hoc est secundum se, & res aliqua talis esse dicitur secundum se, etiamsi per accidens oppositam possit habere rationem, quomodo inquit qualitas dicitur per se, & secundū se indiuisibilis, quia ex natura sua expers est quantitatis, potest tamē per accidens fieri diuisibilis, si coextendatur subiecto; hic enim loquēdi modus nimis latè patet, & Arist. hoc loco non conuenit.

QVÆSTIO QVINTA.

De quarto modo.

QVarto modo dicitur per se authoritate Aristotelis *ibid.* quod propter ipsum inest vnicuiq; per se. Quibus verbis significatur hunc modum causam & effectum habere; id enim exprimit dictio illa *propter*. Vnde sensus videtur esse quando ex terminis vnus est alterius causa, propositio dicitur per se, quando autem pro causa affertur id quod non est causa, est per accidens. Sed quodnā genus causæ contineat hic modus, id verò dubium est: Auerr. enim putat continere solam causam efficientem, P. Ven. efficientem & finalem, sed hanc præsertim finalem quæ duæ causæ vocari solent extrinsecæ & loco separatæ. Ægid. hanc vtramque sed præcipuè efficientem. Dom. de Fland. *q.* 15 *art.* 1. solius meminit efficientis, D. Thom. *lect.* 10. Them *c.* 10. Phil. & Alb. *in t* 9. absolutè loquendo vocant modum causandi. Alij tamen expressè etiam dicunt comprehendi in hoc modo omne genus causæ. Quibus certè fauet D. Th. sic enim ait: Ponit Arist. quartum modū, secundum quem hæc propositio *per* designat habitudinem causæ efficientis, vel cuiuscunque alterius, id apertè fatetur Bald. *com.* 34. Nobis hæc postrema sententia verisimilis videtur. Et ratio est, quoniam definitio huius modi tradita, omnibus causis conuenire videtur, vel esse id quod propter ipsum cuique inest, siue quod concurrit per se ad aliquem effectum. Confirmatur. Quia quæuis causa vt dicit ordinem causæ ad effectum, non constituitur sub hac ratione in primo vel secundo modo qui sunt ex habitudine vel inhærendi, vel essentialiter prædicandi, verbi gratia, hæc: Animal rationale est discursiuū, potest & ad secundum mediatè pertinere, & ad quartum. Ad secundū, quia prædicatur passiō de proprio subiecto, Ad quartum, prout spectatur in subiecto habitudo quædam causæ ad prædicatum, quamuis modi dicendi propriè attendantur penes prædicatū quod de subiecto dicitur, Confirmatur secundo. Hæc enim videtur propositio in quarto modo: Homo est carneus, in qua ponitur causa materialis; Homo constat ex anima, in qua ponitur causa formalis &c. Arist. autem exemplum tantum posuit in causa efficiente, quia illa maximè solet appellari causa, & quia modus significans hanc causam, & finalem, fere pertinet ad quartum modum tantum, alij autem continentes alias causas etiam vel ad secundum, vel ad primum. Confirmatur. Nam effectus in actu positus pendet à causa sua efficiente, nec te inei ad primum.

primum, vel secundum, vt rationale ridet, quia hæc prædicatio etiamsi ratione causæ sit per se, non tamen ratione passionis, aut prædicati essentialis; nec enim alterum horum est actu ridere. Item hæc est in quarto modo: Iugulatum interijt, etiamsi causa non sit conuertibilis, nec essentialis prædicatio. Nec fuit necesse Aristotelem diuidere quartum modum in quatuor causas, quia id facilè à quouis fieri poterit. Distinxit tamen primos duos, qui sunt per se essendi, hoc est cum prædicatum est in alio per se, quoniam id non erat ita obuium, & quia illi duo maximè ad Demonstrationem conducebant, vt post ipse esset distincturus priores duos, quasi reijciens à Demonstratione. Notandum autem quod causa respectu effectus in quarto modo non solum ponitur vt illum respicit in potentia, quæ est Caietani opinio, vt: Risibile est rationale, nec tantum in actu, vt vult P. Ven. sed vtroque modo. Ratio est, quia Arist. ponit exempla effectuum in actu; vt: Quod iugulatum est, interijt. Alia verò ex parte propositiones in quibus prædicantur effectus possibiles, vel causabiles, quatenus attenditur habitudo causæ ad effectum, non ponuntur in primo vel secundo modo, Ergo in quarto.

Obijcies. Cum ponitur effectus in actu, propositio est contingens tantum, cum ponitur effectus in potentia per se pendens à causa, vt: Rationale est risibile, prædicatio pertinet ad secundum modū. *Resp.* ad primum. Propositio illa contingens est, si habeas rationem prædicati essentialis, vel cum propria passio de se dicitur, non tamen ratione habitudinis, quam per se habet effectus à causa, quod sufficit, vt per se dicatur huiusmodi propositio in quarto modo, & Arist. non alia exempla profert, quam effectum in actu. Ad secundum iam diximus posse idem diuersa ratione ad plures modos spectare. Notandum etiam non esse hunc modum causandi tantum, sed etiam prædicandi, quod ex *q.* 1. colligitur, & est Apoll. *q.* 21. Et confirmatur ex his quæ dicuntur ab aduersarijs, nempè propositionem, quarti modi, etiam si sit causæ respectu actualis effectus, non tamen esse contingentem, si attendatur habitudo causæ, quæ per se est ad effectum; signū ergo est esse propositionem per se, & non tantū contingentem. Vltimo notandum non habere locum in isto modo prædicationem indirectā, vt monet Zab. *lib.* 1. *c.* 8. Cuius hæc videtur causa, quia prædicatio causæ de effectu tantū fit in obliquo, & sicut est mutua inter ista duo habitudo, ita etiam mutuo vnū de altero in obliquo prædicari potest, vt dictum, vel effectū pendere à tali causa vel causam esse huiusmodi, vt talem sit apta effectum causare, quod est simile illi, quod diximus de mutua relatione prædicationis. Ex quo etiam confirmatur, quod diximus etsi coincidat quartus modus aliquando cum primo & secundo, esse nihilominus ratione distinctum: nam si quartum modum velis exprimere, non rectè dixeris, verbi gratia: Rationale est risibile, vel risibile est rationale, altera enim propositio indirecta est, altera pertinens ad secundum modum, sed ita: Rationale causa est risibilis, risibile pendet à rationale tanquam à causa. Atq; hæc de quatuor modis. Nunc videndum est, cum omnes sint dicendi & prædicandi, quinā Demonstrationi seruiant. Illud autem etsi pauci expressè asserant, nemo tamen, vt existimo, dissentit, sed cum dicunt primum & secundum solos esse dicendi, intelligunt de prædicatione essentialis attributi, vel propriè affectionis; ijdem enim ferè omnes contra Caiet. non modo non negant, sed asseuerate etiam pronunciant, propositiones quarti modi, cū causa dicitur de effectu in actu constituto, nō esse contingētes, sed per se.

QVÆSTIO SEXTA.

Quinam modi per se ingrediantur Demonstrationem.

Notandum est, Possunt considerari præmissæ & conclusio in ordine ad vtraque modi per se, vt rectè obseruat Caiet. Immeritò autem illū reprehendit Bald. *comm.* 34. Loqui etiam possumus de Demonstratione tum propter quid, tū quia.

Denique si de Demonstratione propter quid, cum passio aliqua demonstratur per definitionem subiecti, vel per aliam aliquam priorem passionem.

Prima Opinio. Them. Phil. Auerr. Alb. & Pamphilo Montio credimus in Scolijs, in Linc. & ipsiusmet Lincon. & Pamph. duos tantum primos ingredi Demonstrationem.

Secunda. Soto, quæ etiam indicatur à D. Tho. *lect.* 3. 1 *po.* ingredi etiā 3ū & quartū.

Tertia. Est teneta Alb. *tract.* 2. *c.* 11. & Doct. Parif. apud P. Ven. omnes quatuor modos ingredi.

Quarta. D. Tho. *lib.* 10. secundum & quartum ingredi, quod idem indicat, Butl. & Domin. de Flandr. *q.* 15. *art.* 2. interpretatur de conclusione.

Quinta. Caiet. si attendatur conclusio, in ea esse posse secundum & quartum, si tota Demonstratio, omnes quatuor.

Sexta. Est quorundam *apud Aegid.* tantum pertinere secundum modum.

Septima. Alph. vt colligitur ex Auerr. *com.* 35. solum quartum pertinere.

Octaua. Ægidij, qui omnes opiniones conatur conciliare, cum tamen ad secundam & sextam magis propendeat.

Prima Propositio. Si sermo sit de modis vt pertinent ad conclusionē Demonstrationis propter quid, in ea ponūtur secundus tantum & quartus. Ratio est, quia in demonstratione propter quid prædicatur passio de subiecto, sed cum prædicatur passio de subiecto, apertè est secundus modus, nec non etiā quartus, quatenus subiectū est causa passionis, vt si velis causam efficientē ipsum, quoq; habet rationē causæ efficientis. Et certè id videtur omnino conforme Arist. siquidē verborū illorū in *t.* 10. ex codice græco hæc est sententia: Quæ igitur dicuntur in simpliciter scibilibus, per se ipsas sic inexistēte prædicatis, aut inexisti, hoc est subiecta & prædicata, quia subiectū est id, quod, vt ita dicam, inexistitur, prædicatū autem quod inexistit. Ea quæ dicuntur inexistere, sunt ex necessitate, hoc est in simpliciter scibilibus, nempe in conclusionibus ea quæ dicuntur inexistere, aut inexisti, sunt per se, & ex necessitate propter mutuam illam habitudinem inexistentiæ actiuæ ex parte prædicati, & passiuè ex parte subiecti. Et confirmatur ex versio Procon. quæ sic habet: Quæ igitur dicuntur, in ijs quidem quæ omnino absolutéq; sub scientiam cadunt, hoc modo ijs per se conuenire, quæ prædicata appellantur, ea per se sunt, & necessariè. Certum autem est scibilia, & quæ sub scientiam cadunt, esse ipsasmet conclusiones. Et D. Tho. *lect.* 10. id docet, dicens scibilia esse conclusiones, in quibus passiones prædicantur de proprijs subiectis, subiecta autem, ait, non tantum ponuntur in definitione, se etiam sunt causa eorum, vnde conclusiones demonstrationum includunt duplicem modū dicendi, per se scilicet secundum & quartum. Confirmatur etiam exemplis ab Arist. positis de recto respectu lineæ, quæ sunt conclusiones Demonstrationū Mathematicarum.

Secunda Propositio. Si loquamur de Demonstratione *quia*, in illius conclusione primus & quartus modus esse potest. Ratio est, quoniam in ea prædicatio esse solet definitionis, aut partis illius de re aliqua, quæ pertinet ad primum modum, quia sunt prædicata essentialia, & ad quartū prout sunt, vel esse possunt causæ.

Tertia Propositio. Si probetur in existentia subiecti, eodem modo dici poterit ingredi conclusionem tertius modus. Id autem fieri potest vel in Demonstratione propter quid, cum simul probatur, existentia accidentis in subiecto, vel in Demonstratione quia, cū demonstratur existentia substantiæ. Si primū fiat, erit in conclusione secundus modus, quia prædicatio passionis de subiecto proprio & adæquato est secundi modi. Si aūt secundū, erit tertius modus in conclusione; cū enim prædicatur existentia, de substantia, est modus per se existendi, qui est tertius.

Quarta Propositio. Si agatur de modis per se, collatis cum tota Demonstratione, quomodo vt plurimū loqui solent Authores, pertinent ad Demonstrationem primus, secūdus, & quartus modus, tertius autem plerumq; supponi solet, quod si nō fiat;

fiat, actu etiam ingredi poterit. Vt enim diximus disputatione de praenot. ferè semper solet supponi subiecti, aut passionis existentia. Ratio propositionis est, quoniam vt inquit D. Tho. *lect.* 13. *qui lect.* 10. duos tantum posuerat modos: secundum, & quartum, cum in Demonstratione probatur passio subiecto per medium, quod est definitio, oportet quod prima propositio, cuius praedicatum est passio, subiectum definitio subiecti, quae continet principia passionis, sit per se in quarto modo, quae tamen etiam potest esse in secundo, qui etiam tunc est, cum praedicatur passio de definitione subiecti, & secunda propositio, cuius subiectum, est ipsiusmet subiectum, & praedicatum est ipsa definitio, erit in primo modo. Conclusio verò in qua praedicatur passio de subiecto per se, in secundo modo. Vnde immeritò Bald. dicit D. Thom. reprehendendum esse quod sit tantum locutus de modis per se in ordine ad conclusionem. Confirmatur hoc exemplo: Omne animal est discursiuum, omnis homo est animal rationale, ergo omnis homo est discursiuus, vbi si maior consideretur, vt subiectũ est causa passionis, sic pertinet ad quartum modũ. Ad secundum verò quatenus etiam subiectũ est de definitione praedicati. Sic etiã potest eadẽ propositio esse in primo & quarto modo, vt: Ecclipsis est priuatio luminis, ex interpositione vmbrae terrae prouenieus; quatenus enim praedicatum est definitio subiecti, ad primum pertinet, quatenus autem praedicatũ etiam est causa subiecti, ad quartum modum.

Quinta Propositio. Absolutè tamẽ maior propositio in Demonstratione propter quid est in secundo modo, vel in quarto quoque, quoniam is cum secundo coincidit. Ratio est, quia in maiore propositione passio praedicatur de medio, quod vel est definitio subiecti, vel subiectum ipsum, vel passio aliqua propinqua. Cũ autem praedicatur vel posteriore passio de priore, vel quaecunque passio de subiecto, aut definitione subiecti, est secundus modus. Hoc est contra Remigium Meliorarum, quem refellit Flam. *quaest. Log. cap.* 2. qui Remigius cum pro se Themistium afferret, dicentem, maximum esse vium in Demonstratione primi modi, ergo is erit in maiore propositione: Negat Flam. consequentiam; solum enim id verum est, quia medio, quod solet esse definitio, maximè fulcitur Demonstratio. Est autem obseruandum, si in Demonstratione etiam propter quid ostendatur aliquando posterior passio per priorem, posse esse vtramque praemissam in secundo modo, vt: Omne discursiuum est admiratiuum, homo est discursiuus, Ergo homo est admiratiuus. Posterior passio est esse admiratiuum, prior discursiuum. Praedicatio posterioris de priore, quae fit in maiore, est secundi modi. Similiter praedicatio passionis de subiecto, quae fit in minore, est etiam secund: modi. Hanc sententiã de maiore propositione, quod debeat esse in secundo modo, defendit Auerr. vt etiam fatetur Remigius *ad fin tract. de med. Demonst.* Hinc sequitur, non necessariò ingredi quamlibet Demonstrationem tres illos modos, quoniã non semper mediũ quod subijcitur in maiore est definitio subiecti, aut pars definitionis, ac proinde non erit primus, vel quartus modus; verum de hac re plura dicemus tractatu de medio.

Obijcies. Aristot. 1. *post. t.* 10. duos tantum priores modos dicit ingredi Demonstrationem, quod videtur repetere t. 35. & 36. Resp. id dixisse Aristotelem, quia saepè coincidunt quartus cum secundo & primo, quatenus quartus dicit necessitatem in Demonstratione, ob quam necessitatem egit Arist. de his modis, nec tamen omnes propositiones quae sunt in quarto modo, necessariae etiam sunt ea necessitate, quae ad Demonstrationem requiritur, ac propterea secundum praecisam illam rationem, quam dicit quartus modus, non esset aptus Demonstratione, sed quatenus dicit talem causalitatem. Alij dicunt de quarto modo, prout Demonstrationem ingreditur, satis egisse Aristotelem, *text.* 5. dixit Demonstrationem constare ex causis veris

dicatur linea esse recta, vel curua, quod nisi fiat, non etiam erit propositio per se, quod tamen affirmat Aristoteles.

Notandum tertio. Prædicatum secundum quod ipsum, quod græcè dicitur quatenus ipsum, dupliciter intelligi potest. Primo, Quod conuenitur rei secundum quod talis est, ratione eorum omniũ quæ actu & formaliter habet, non autem extrinsecè, & hoc modo propositio omnis de prædicato, seu secundum quod ipsum, conuertitur cum propositione per se in primo & secundo modo, quia in illa acceptione significatur quicquid est de essentia, vt fluit ab essentia. Secundo, Significat id quod conuenit etiam rei formaliter & actu, verum vt præcisè talis est, & differt ab omnibus alijs, vel differentia maximè propria & essentiali, vel certè propria per accidens proprium, & hoc modo latius patet propositio per se primi & secundi modi, quam propositio secundum quod ipsum. In hac verò vltima acceptione Aristotelem omninò accepisse prædicatum secundum quod ipsum, ex eo fit manifestum, quia 1. *post. t.* 14. ait omnẽ prædicatum vniuersale esse, quod cum subiecto conuertitur, & *t.* 11. dicit demonstrari prædicatum vniuersale de subiecto primo & adæquato, quæ vera non sunt, nisi conueniat prædicatũ subiecto secundum rationem formalem posterius explicatam. Et hæc est sententia Theoph. apud Phil. Auerr. *com.* 36. *in fin.* & 37. *in init.* & *quæst.* 10. Ægid. Caietan. &c. Videtur tamen Them. *cap.* 12. dissentire, cum quo agendum erit postea. Nec satis video cur quidam D. Tho. oppositam sententiam affingant; is enim, sicut & reliqui omnes, æquè etiã ac Arist. pro eodem accipit secundum quod ipsum primum & vniuersale. Ostensum est autem prædicatum primum & vniuersale esse, ipsiusmet D. Tho. authoritate, quod cũ subiecto conuertitur.

Obijcies. Arist. *t.* 11. & 19. dicit propositionem per se esse secundum quod ipsum, Ergo propositio secundum quod ipsum, vt nos loquimur, idem est atq; propositio primi vel secundi modi. *Resp.* Voluit tantũ Arist. indicare in Demonstratione perfecta omnes propositiones per se esse etiam secundum quod ipsum. Se habent igitur propositio per se & secundũ quod ipsum vt magis minusq; perfectũ, quod idem dictũ volo de propositione de omni, nam propositio de omni si perfecta sit, erit per se, propositio per se item perfecta erit secundum quod ipsum; sicut se habent inter se albedo purissima & admixta. Quamuis hæc omnia habent se etiam vt superius & inferius. Atque ita interpretantur Arist. Theophr. Phil. Auerr. Alb. Ægid. Lincon. &c. vt dixerit propositionem secundum quod ipsum, & per se idem esse, sed non adæquate, quomodo dici solet inferius esse suum inferius, vt homo dicitur animal. Confirmatur. Quia propositio per se consistit in connexione terminorum, hæc autem maxima est cum adæquatur prædicatũ subiecto. Hoc ergo voluit indicare Arist. per se & secundum quod ipsum idem esse dicens, nempè quia de per se purissimo iam locutus erat. Et *t.* 11. afferens secundã descriptionem prædicati vniuersalis, vniuersale est tunc quando in quolibet & primo monstratur, subiecit illã aliam conditionem, quã in præcedenti descriptione posuerat, nempè vt esset per se; facta enim expurgatione posuerat, nempè vt esset per se, pro eodem illam accipit, & prædicatum secundũ quod ipsum, primum & vniuersale. Vnde Auer. *q.* 10. per se, inquit, dupliciter sumitur: Communiter, & propriè. Communiter nõ est idem quod primum, propriè autem est idem. Lege Zab. *lib.* 2 *de prop. necess. cap.* 2.

Notandum Quarto. Sequitur ex dictis idem significare ista omnia: Vniuersale, secundum quod ipsum, & primum, sed tamen harum diuersarum appellationum hæc causa redditur, quod primũ & secundũ sint conditiones subiecti respectu prędicati, vniuersale autem contra conditio prædicati in ordine ad subiectũ. Hinc est quod Arist. *t.* 11. Vniuersale, inquit, dico, quod vtiq; & de omni sit (id est dicatur) & per se secundum quod ipsum, vt per se inest lineæ punctum & rectum, etenim

secundum quod linea, quæ videtur etai subiectum. Et infra: Vniuersale, tunc est, quando in quolibet & primo monstratur, vbi vniuersale ponitur tanquam prædicatum, & secundum quod ipsum, & primum ponitur ex parte subiecti de quo vniuersale demonstrari debet. Et certè de hac distinctione, si præsertim spectetur vis dictionis *primum*, videtur esse magis manifestum, quod tamen negant quidam recentiores, fortè quia crediderunt sumi *primo* aduerbialiter, vt sensus esset prædicatum conuenire primo, hoc est, antè omnia, cum tamen adiectiuè sumatur. Sic etiam ignoratione linguæ græcæ Auerroes vocare solet prædicatum primum, disputans quodnam sit prędicatum primum, & ita multi passim modo vsurpant, quibuscum possumus & nos, vt inquit Arist. cum paucis sentiendum, cum multis loquendum, ita loqui. Nihilominus P. Ven. vult quod quemadmodum secundum quod ipsum subordinatur ly *per se*, vt in communi sumitur, ita primum subordinatur ly *secundum quod ipsum*, ita vt quod conuenit subiecto primo, etiam & secundum quod ipsum, non tamen vice versa, de qua re dicemus. Adde etiam vniuersale, vt hic sumitur dici vniuersale secundum materiam, quia in suo subiecto materialiter & inhæsiuè recipitur, quod intelligendum cum prædicatum est accidentarium, tanquam posterius in suo priore; aliud enim, inquit, est vniuersale secundum formam, hoc est, quod est verè superius, quoduis enim superius *ex 2. phys. 28. & 32 cap.* se habet vt forma sui inferioris, quod etiam diximus tractatu de vniuersali.

QVÆSTIO.

Quæ propositiones sint tales?

Supponitur hoc, præmissas debere habere hanc cõditionem, quo posito, quęritur de propositionum multiplicitate, & modis quibus hęc conditio conuenire potest, & hoc nemo negat. Sed præterea obseruandum est, etiam conclusionem demonstrationis, si pręsertim de perfecta loquamur, huiusmodi esse oportere. Ita Auer. *loc. cit. com. 41. & quæst. 11.* Lincon. *com.* 69. & 70. Est autem contraria opinio Alphar. & Auempace, & vt etiam videtur Them. *c. 8* & apud Auer. *com. 54.* dicentis præmissas esse primas, sed non conclusionem. Et Alex. apud Auer. & Them. ait primum in conclusione ideo esse, vel id esse quod fit ex primis. Verum hi duo Authores, vt quidam dicunt, loquuntur de propositionibus primis primitate causæ, quatenus idem sunt immediatum, quo modo nos non loquimur, quomodo etiam Them. & Alex. dicunt posse dici in conclusione etiam primum non id quod simpliciter est vniuersale, sed id quod inter ea primum est vniuersale, inter ea inquã quæ demonstrari possunt; hoc est, cum conclusio aliqua prima est, quę ex propositionibus immediatè ducatur, in quibus verbis sanè indicat Them. se & Alexandrum loqui de conclusione quę est de primo prout primum idem significat quod vniuersale, hoc autem non est primum primitate causæ, sed primitate subiecti. Sed quicquid sit, patet quod diximus, quoniam Demonstratio est de passione propria, vt conuenit proprio subiecto, & per propriam causam. At hæc omnia efficiunt propositiones de subiecto, vel prædicato primo. Imò id docet Arist. *t. 23. & t. 11.* atque deinceps probat ex professo id quod demonstratur, hoc autem est conclusio, dicitur esse vniuersale ad modum explicatum, & exponit quomodo contingat error circa hoc. Et *t. 21.* Ex eo quod pręmissę sunt de vniuersali, infert & conclusionem talem esse debere.

Notandum secundo. Etiam supponendum est quomodo cognoscere possimus quid prædicetur de subiecto vt primum est. Id autem docet Aristot. *t. 14.* dicens, quando igitur non nouit vniuersaliter, & quando nouit? Respõdet quod quãdo ablatis alijs inerit primo, hoc est quod subiecto posito primo ponitur, & ablato primo, aufertur, illud est subiecti alicuius primi prædicatum. Auer. *com. 43.* dicit Alphar. *in lib. de Resol.* asserere hunc locum Aristotelis ad extrahendum prædicatum primum omne persuasiuum, hoc est probabilem, non verò demonstratiuum & necessarium, quo-

quoniam dicebat ille non esse verū quod docet Aristoteles cum eidem vni plura insunt propria: si enim aufertur vnum ex proprijs; affertur & alterum, & si vnum ponitur, ponitur & alterum, vt patet in admiratiuo & risibili si conferantur cum homine, & tamen prædicatio risibilis de admiratiuo non est prima, sed est prædica per accidens. Hæc ille. Sed errauit, inquit Auer. hic Author, quoniam locutus est Aristoteles de existentia & subiecto, cui insunt prædicata. At passio media non inest alteri passioni, quamuis possit esse causa illius. Cum autem prædicatum primum sit illud quod conuenit alicui subiecto primo, & ratione illius alijs, Caiet. *in c. 5. dub. vlt.* ait, subiectum inesse alijs, quæ prædicatum illud participant aut formaliter, aut virtualiter. Formaliter, vt quia homini tanquam subiecto primo conuenit esse risibile, etiam homo formaliter inerit singulis hominibus, quibus inest vt sint risibiles. At verò bonitas, verbi gratia, & alia huiusmodi prædicata de Deo dicūtur & de creaturis formaliter, sed de creaturis per participationem. Quare etiam in creaturis inerit Deus ipse virtualiter, & per participationem Confirmat hoc ex D. Tho. 2. *cont. gent. cap.* 15. vbi habet quod esse conuenit Deo secundum quod ipsum, creaturis per participationem. Verum non est hoc necessariū: sufficit enim instituto nostro & prædicatum primum sit illud, quod subiecto alicui conuenit adæquatè, & alijs propter illud subiectum, alioquin cum res omnes sint huiusmodi per Dei quandam participationem, de nulla re dici posset quod prædicatum haberet secundum quod ipsum & vniuersale. Atque ita bonitas, verbi gratia, secundum quod ipsum ad sensum explicatum conuenit enti, quia de illo adæquatè dicitur, etsi hoc ipsum ens de Deo & alijs tribut analogicè dicatur. D. autem Tho. solum vult Deo secundum quod ipsum conuenire esse, hæc est independenter ab vlla alia causa, vel ente. His ita constitutis de propositionibus continentibus prædicatum secundum quod ipsum, & vniuersale, siue sit conclusio, siue præmissæ, quamuis ex dictis facile sit colligere quid sit dicendū, quia tamen plures sunt hac de re opiniones, paucis sunt exponendæ.

Prima Opinio. Auemp. & Alph. apud Auerr. esse tres veluti species huiusmodi propositionum. Prima est, cum prædicatum est primum, proprium, immediatum, & reciprocum, vt cum definitio dicitur de specie, differentia vltima, vel propria passio. Secunda, Cum prædicatū est primum, sed non propriū, & vt de specie dictū est. Tertia. Cum nec est primū nec proprium, sed est vniuersalius subiecto, minus autem vniuersale genere subiecti, vt posse ambulare, latius enim patet quam homo, minus quam animal. De prima specie patet. De secunda probatur ex *com.* 37. vbi dicitur quod vniuersale est, quod in quolibet & in primo monstratur, genus autem primo & immediatè de specie dicitur. De tertia, quia multæ sunt tales demonstrationes, & apud Physicos & Mathematicos, vt cum ostenditur terram esse rotundam; rotunditas enim latius patet, quā terra, minus autem quam elementum, si sumatur secundum totam suam amplitudinem.

Secunda Opinio. Them. *cap.* 12. & 13. *par.* Hic primo dicit secundum modum dictum non continere huiusmodi prædicata, & hoc habetur ad finem *cap.* 12. Eadem est opinio Alex. apud Them *cap.* 8. Secundo dicit *ibid.* prædicationem generis de differentia diuidente esse vniuersalem, & differentiæ etiam de specie, ac vt quidam non male colligunt, superioris differentiæ de inferiore. Quo loco indicat etiam Them. illud primum, rationem enim huius reddens, dicit: Alioqui si quis hoc negauerit, cogetur fateri Demonstrationem ad solas pertinere definitiones. Et hæc ratio vt valeat, supponit præter prædicationem generis de differentia & definitionis de subiecto, vel differentiæ etiam de subiecto, quæ sunt secundum quod ipsum in primo modo, nullam aliam esse dicendam vniuersalem prædicationem. Huius

secundi erroris sup à meminimus not. 1. tandemque indicat Themist. co. 12. huiusmodi propositionem esse tantum illam, quæ immediata est, hoc est, cum conuenit subiecto sine alia causa, & ideò negat conclusionem esse vniuersalem, quoniam conclusio probatur per causam. Ibidem etiam notandum in versione nomina Latina cap. 12 haberi secundum modum per se, & duos sequentes vniuersaliter esse nõ posse, sed in textu græco additur tertius quidam modus, quod fieri debuit, quia cum quinq; positi fuerint à Them. oportuit eum dicere & tres sequentes.

Tertia Opinio. Generis de specie prædicationem esse vniuersalem, vt videtur Themist. cap. 12. ita sentire, & Alphar. & Auemp. Tribuitur etiam Linco. co. 76. & 70. quamuis nihil tale reperiam apud ipsum, sed Zab. lib. 2. cap. 6. ait esse communem opinioñ, præter vnum inquit Auer. qui id negare videtur.

Quarta Opinio. P. Ven. non idem esse primum & secundum quod ipsum, esse autem passiones quaslibet quæ intrinsecè subiecto conueniunt, prædicata subiecto conuenientia secundũ quod ipsum, subiecto autem primo solam conuenire passionem conuertibilem Non autem velle videtur solam immediatam seu primã passionem conuenire subiecto primo, dicit enim esse tectum, non conuenire lineæ, vel etiam simum non conuenire naso tanquam primo subiecto.

Quinta Opinio. Prædicatum primum & secundum quod ipsum esse omnes passiones quæ cum subiecto conuertantur. Ita Apoll. q. 27.

Sexta Opinio Esse definitionem vltimam differentiam & passiones reciprocas.

Septima Opinio. Auerr. sup. & Zab. cap 9. etiam hanc propositionem esse secundum quod ipsum: Homo est quoddam animal.

Prima Propositio Genus de differentijs vt primo subiecto non prædicatur. Ratio, quia de illis non dicitur per se. Confirmatur. Quia nec genus est de ratione differentiæ, nec contra, quare nec in primo, nec in secundo modo. Item præter naturam est hæc prædicatio: se enim habet atque prædicatio materiæ de forma. Confirmatur etiam, quia Themist. secum ipse pugnare videtur, cap. enim 13. ad fin. concludit cum Aristotele vniuersalem affectionem per illud constare, quo primum abiuncto, prædicatum abiungitur. At certum est abiuncta differentia non abiungi statim genus, quoniam hæc non conuertuntur. Propterea quidam ita conantur Themist. excusare, vt genus dixerit prædicatum non de vna tantum differentia, sed de vtraque simul ex æquo genus diuidente, sic enim reciprocabitur prædicatum cum subiecto. Sed esto id ita sit, adhuc tamen faciunt contra ipsum allatæ rationes.

Secunda Propositio. Genus non prædicatur de specie tanquam de subiecto primo. De hac re fusè Auerr. 1. post comm. 11. 36. 37. 41. 44. 54 & lib. 2. post. 94. & quest. 10. Philop. comm. suo 22. & est communis sententia. Probatur ex Aristotele, quia tunc tantum inest prædicatum subiecto primo, cum subiecto posito illud ponitur, & ablato aufertur, vt constat non esse huiusmodi speciem secum genere conferatur. Denique vt alia plura Aristotelis dicta omittam, non sunt genus & species termini conuertibiles, & 2. post. comm. 93. 94 & 95. inquit Aristoteles non posse idem de pluribus primo prædicari. Adhæc falsa est ista prædicatio: Homo secundum quod homo, seu quatenus homo est animal, quia particula *quatenus* designat paritatem & reciprocationem terminorum, sicque sequeretur solum hominem esse animal, si enim velis significate, quæ lata erit huius dictionis vsurpatio, per quatenus internum aliquod principium cum exclusione extrinseci, hoc modo verum erit, hominem secundum quod homo est, esse animal, non tamen propterea conueniet animal homini, scilicet tanquam subiecto primo. Quod autem illa prima significatio dictionis *quatenus* accepta fuerit ab Aristotele in proposita materia, testatur Auerroes & alij omnes communiter, & huius distinctionis meminit quoque Iand. 2. Met quest. 10. Eodemque modo potest dictio per se trifariam.

fariam accipi: Vel vt significat id quod est principium internum, vel strictius, quod est tale per propriam essentiã, & id quod res in tali etiam constituitur, vt notat etiam Auerroes. Sic autem coincidit in prima significatione dictionis quatenus, ita vt idem sit aliquid per se conuenire, & secundum quod ipsum; quamuis magis videatur obuia significatio dictionis per se primo illo modo, & dictionis secundum quod ipsum, & quatenus primo etiam modo; vnde sic vsurpauit secundum quod ipsum & quatenus, per se autem restrinxit per hanc dictionem secundum quod ipsum.

Tertia Propositio. Quoddam animal non prædicatur de specie tanquam de subiecto primo, & secundum quod ipsum. Ratio, quia quoddam animal indeterminatè significat hoc vel illud, & quamuis animalitas in homine requirat quasdam dispositiones vt in ipso sit, distinctas à dispositionibus aliorum animalium, quod videtur esse aduersus fundamentum; id tamen per accidens est, & commune est hoc omni prædicato quod de inferiore dicitur. Et verè in homine semper est quid distinctum animalitas vt animalitas à ratione differentiæ propriæ quæ est rationalitas, nec illi conuenit ratio animalis quatenus talis est, alioqui solus homo esset animal. Confirmatur. Quia huiusmodi propositio: Homo est quoddam animal, formaliter & propriè loquendo non est vniuersalis, & de omni, nec est ad scientiam vtilis.

Quarta Propositio. Omnes proprietates quarto modo rei vnius dicuntur de illa tanquam de subiecto primo & secundum quod ipsum. Est communis opinio, in quo benè etiam Apoll. etsi solas has propositiones videatur vniuersales agnoscere. P. quoque Ven. benè dixit competere huiusmodi proprietates subiecto primo, malè tamen dicit eum negat conuenire secundum quod ipsum, nec esse idem hoc vtrumque, cuius nos contrarium supra diximus ex Aristotele. Hinc autem etiam refellitur illa pars opinionũ Them. & Alex. qua asserebat propositionẽ vniuersalem esse tantum eam quę immediata est, hoc est, quæ per causam non probetur, nec in secundo modo locum habere huiusmodi propositiones, nam Aristoteles apertè dat exemplũ propositionis in qua passio prędicatur de subiecto, scilicet triãgulum habet tres angulos æquales, &c.

Obijcies. Passio inest subiecto mediante causa. Ergo non inest primo; hoc est, potissimum fundamentum illius sententiæ. Resp. primo. Coguntur fateri dari propositionem vniuersalem in secundo modo, si non in conclusione, quod ipsi contendunt, saltem in maiori propositione, in qua vt probetur passio de subiecto, prędicari plerumque solet definitio passionis de subiecto, quam tamen maiorem propositionem ipsimet fatentur esse vniuersalem & primam. Secundo. Vt diximus, vt dicatur aliquid conuenire subiecto primo, nõ est opus vt illud prædicatum sit primum primitate causæ, sed satis est si sit primum primitate subiecti, hoc est, non est opus vt non sit alia causa per quam probari possit, sed vt non insit alteri priori subiecto, quamuis id quod inest alicui primo primitate causæ, insit & simul primitate subiecti, sed inter accidentia propria nullum est quod insit primo primitate causę, quia hoc est ipsamet quidditas & causa. Quare concludendum est nõ modo omnino esse verum nõ reperiri in secundo modo propositionem vniuersalem, sed omnes etiã propositiones secundi modi esse vniuersales, quod negant illi qui in secundo dicunt esse propositionẽ, in qua passio prædicatur de subiecto superiore, in his est Phil. &c.

Quinta Propositio. Etsi Arist. per se tantum loqui videatur de propositione cuius prædicatum conuenit subiecto primo, prout illud est passio, quoniam id primario intendere videtur de re ipsa quæ monstrari, & in conclusione probari debet, & loquitur de Demõstratione propter quid, qua ostenditur passio per causam, quomodo vera videtur opinio Apoll. dicentis propositiones omnes & solas quæ sunt in secundo modo esse vniuersales, tamen absolutè loquendo, & definitio & differen-

ria dici possunt prædicari de definito tanquam de subiecto primo. Ratio est, quia cum illo conuertuntur, & positis illis prædicatis, ponitur species, & ablatis aufertur, atque vicissim posita specie, ponitur prædicatum. Et hæc est communis opinio Themist. Auerr. Philop. Et saltem in Demonstratione solet vtplurimum minor continere definitionem subiecti quæ de subiecto dicitur. Et aliquo modo tum definitio, tum differentia dicuntur prædicata, quia possint demonstratione quia demonstrari, vt indicat Arist. 1. *post*. Concludamus ergo. Propositio de prædicato vniuersali supposita conditione de omni & per se, est illa quæ continet prædicatum conuertibile cum subiecto, & dicitur vniuersale prædicatum, quia dicitur de omnibus contentis sub subiecto, & secundum vniuersalitatem totam quam subiectum habet.

SECTIO VNDECIMA.

De nona conditione, vt præmissa sint necessaria.

TRes vltimæ conditiones de omni per se & secundum quod ipsum, eo referebantur vt exponeretur necessarias esse debere demonstrationis præmissas, quare non videtur hæc res longiore egere explicatione; nam quod attinet ad id quod scitur, siue ad conclusionem ipsam, cum necessarium non nisi ex necessarijs efficiatur, sicut ex veris verum tanquam ex causa, debet sine dubio esse necessariũ. Quomodo autem propositiones sint necessariæ, patet tum ex dictis de propositionibus sempiternæ veritatis, tum ex dicendis ratione obiecti scibilis in tractatu de sciẽtia. Est autem necessitas in communi quędam conditio rerum, dicens earundem firmitatem atq; immutabilitatem. Cum autem alia sit necessitas simpliciter, quæ nullo modo impediri potest, & consistit in actuali existentia, sed solius Dei est, alia autem creata & naturalis, qualis est motus cæli, quam impedire Deus potest, in qua sunt adhuc plures gradus angelorum, cælorum, elementorum totalium. Cum item sit alia necessitas incomplexa, qualis est rerum iam dictarum, & ratione essentiæ, omnes rerum etiam corruptibilium naturæ possunt dici necessariæ ad modum dictũ de veritate essentiatũ. Alia autem complexa, quæ reperitur in propositionibus. De hac vltima propriè tantum loquimur, & videtur coincidere cum dicto de omni, vniuersali, & per se. Secundo sciendum est, vt propositio sit necessaria. Primo. Non requiritur existentia rei. Secundo. Non requiritur quod necessaria sit propositio absolutè loquendo necessitate ex parte subiecti & prædicati, qualis esset ista: Homo est animal rationale, vbi vtrimque est necessaria connexio, dicitur enim necessaria propositio ex parte subiecti, cum requiritur à subiecto prædicatum, non autem contra, vt: Homo est animal. Dicitur etiam necessaria propositio ex parte prædicati, quando vt prędicatum sit, exigit tale subiectum, non tamen subiectum requirit tale prædicatum, vt: Homo est Grammaticus; non inquam absolutè loquendo vt propositio necessaria sit, requirit dictam necessitatem, alioqui hæc non esset necessaria: Homo est animal, cum id necessarium sit quod aliter habere nequit, hoc est, cum subiectum intrinsecę requirit tale prædicatum. Tamen iuxta ea quæ ab Aristotele dicuntur, videtur id exigi, nempè quatenus propositiones assumuntur ad perfectam demonstrationem: debent enim continere prædicatum vniuersale, hoc est, conuertibile cum subiecto quod est vel definitio, vel differentia, vel passio propria, sine qua etsi concipi subiectum essentialiter posset, non tamen etiam esse, vt ita dicam, essentialiter, quia est talis essentiæ subiectum, vt ex ea passiones fluãt, & passio huiusmodi est, vt ad tale subiectum intrinsecè ordinem dicat. Quare necessarium quod ad rem facit duplex est: Aut constituens, aut necessario consequens, vel, quod idem est, à priori, aut à posteriori. Cuiusmodi necessarium non est in propositione, in qua superius de inferiore dicitur, vt: Homo est animal, non enim animal vel hominem constituit, vel

ex illo sequitur, quia non est propria illius passio. Lege Auerr. *locis cit.* qui ideò dicit has propositiones non esse omninò & absolutè necessarias, sed habere admixtam necessitati contingentiam, præsertim autem id testatur. 2 *post. com.* 94. Lege etiam Zab 2. *de prop. necess. cap.* 10. & 11. Tertiò. Positiuè ad necessariam propositionem requiritur primo vt enunciet id quod aliter habere nequit. Ita Arist. *t.* 15. & 16. Vnde cum volumus probare aliquid non esse necessarium, probare nitimur debere habere posse. Secundò. Requirit intrinsecam connexionem terminorum ad modum dictum, videlicet vt aliquid sit constituens necessariò, vel consequens, seu vt habeat necessitatem à priori, aut à posteriori. Idcirco propositiones omnes secundi modi sunt etiam necessariæ, & ex propositionibus primi illæ, in quibus definitio aut differentia de re prædicatur. Lege Auerr. 1 *post. com.* 44. Tertio. Debet hæc propositio habere conditiones supra explicatas, vt sit naturalis, de omni, per se, & vniuersalis. Quarto. Necessitas debet esse positiua, & non ex suppositione, vel conditionalis. Atque ex his soluuntur plures obiectiones, de quibus partim diximus in conditione de omni. Quartò sciendum est. Debent præmissæ Demonstrationis esse necessariæ. Probat id Aristoteles primo. Quia omnes propositiones per se sunt necessariæ. At Demonstratio constare debet ex propositionibus per se. Sicut ergo non quæuis propositio per se ingreditur Demonstrationem perfectam, ita nec omnes propositiones necessariæ. Secundo. Conclusio quæ scitur debet esse necessaria, quia quod scitur, debet non aliter posse habere, sed necessarium non potest sciri nisi ex præmissis necessarijs; nam qui affert medium contingens, non habet rationem ostendentē propter quid. Tertio. Quia contra eum, qui putat se demonstrasse, vtimur hac demonstratione, quod nō sint necessaria ea ex quibus procedunt, quæ omnes Aristotelis rationes institutum optimè concludunt.

(*x*)

SECTIO DVODECIMA.

De decima conditione, vt sint propria.

Ex omnibus quæ hactenus diximus principijs, seu præmissis cōditionibus, hæc vltima quodammodo resultat, vt dicere nobis liceat quod Arist. *in t.* 5. post enumeratas à se in definitione Demonstrationes, conditiones; sic enim erunt & principia propria eius quod demonstratur. Imò Arist. pro eodem sumere videtur principia prima & propria, quoniam prima dicunt maximè perfectam conditionem, ac veluti cumulum cæterarum. Inquit enim Aristot. Ex primis autem est, quod ex principijs proprijs. Cęterum *t.* 23. & 24. aliter loquitur de principijs proprijs non spectatis vt propria sunt alicuius vnius Demonstrationis, sed in ordine ad totam scientiam; sumitur enim scientia tum pro partiali, quę est effectus determinatę alicuius Demonstrationis, vt sint tot scientiæ, quot Demonstrationes; tum pro totali, quæ multas comprehendit Demōstrationes, nos enim in præsentia de priore tantum loquimur. De principijs enim scientiæ totalis diximus, & dicemus tractatu de scientia. Et hoc ipso quod Demonstratio perfecta constat ex prædicatis vniuersalibus, quæ sunt definitio vltima differentia, & passio propria, liquido sequitur constare etiam ex proprijs quatenus proprium dicitur de istis omnibus, vt diximus *cap. de proprio*, cum tamen nō negemus alias Demonstrationes imperfectiores procedere ex communibus principijs, vt diximus, & scientiæ totalis, quia non omnes habet perfectās Demonstrationes, sed imperfectas etiam, ac rationes interdum ad syllogismos tantum necessarios, & non demonstratiuos. Ideò principijs etiam communioribus tum Demonstratio, tum scientia vtitur, quod tamen non facit quatenus particularis aut determinata scientia est, cum non possit transcendere de genere in genus, vt ibi docet Arist. Est autem, inquit Arist. *t.* 23. difficile cognoscere si quis sciuit, difficile enim est cognoscere si ex vniuscuiusque principijs sumus, aut non, quod est scire, hoc est ex pro-

secundum naturam, & probat tantum rei existentiam. Secunda. Dicitur Demonstratio propter quid quæ solum intendit reddere causam effectus, & prodit ex principijs natura notioribus, nobis verò ignotis. Tertia. Ab eo vocatur Demonstratio simpliciter & potissima, quæ est per principia naturâ & nobis notiora, & facit scire rei existentiam, seu quod sit, & propter quid sit, siue causam. Has omnes Demonstrationes alij numerant, sed quidam volunt esse essentialiter diuersas, vt Z m. in tab. verbo Demonstratio, & verbo via doct. & *tb.* 53. Bald. *q. de med. Demonstrat c.1.q de neg cap.2.* Io. Anton. Scotius *tract. de Demonstrat potiss.* Thom. 92. 93.1. *po* Alex. Piccol. *tract. de cert. scientiarum Mathe. cap.* 4. Marc. Ant. Ermia apud Zab. de speciebus Demonstrat. *c.13.* Melior. *tract de mod. Demonst. c.1.* & est omniũ ferè Auerroistarum, qui id Auer. tribuunt. Refert idẽ Piccol. Vincentij Madij præceptoris sui opinionem, Demonstrationem ex causa conuertibili cum effectu tum propter quid, tum potissimam appellari posse, nec tamen differre nisi per accidens, in alijs autem causis locũ habere opinionem Auer. & hi omnes asserunt opinatum Auer. esse essentialiter tres species distinctas. Ratio potissima est, quoniam dantur tria media: Vnum notantũ secundum naturam, aliud nobis duntaxat notius, tertium autem vtroq; modo. Sunt etiam tria quæsita: Rei sola existentia, causa effectu, denique & causa effectus, & eiusdem existentia. Confirmatur. Quia Arist. *1. po. à t. 5.* vsque ad 30. differit de Demonstratione simpliciter & perfectissima, *t.* autem 30. de Demõstratione propter quid & quia. Et *t. 42.* ait nobiliorem esse scientiã quæ scire facit an sit, & propter quid est. Et *lib. 2. t. 7.* dicit dari medium quod facit scire, & quod est, propter quid est, hoc est causam illius. Ostendunt etiam isti Authores discrimen inter Demonstrationem propter quid, & potissimam. primum discrimen. Quia in Demonstratione propter quid medium non est causa formalis, sed aliqua alia. At in Demonstratione simpliciter est causa formalis. Secundum discrimen, quia Demonstratio simpliciter semper fit ex terminis reciprocis, Demõstratio propter quid non item. Tertio. Quoniam Demonstratio potissima duplicem absoluit quæstionem: An sit, & propter quid sit. Demonstratio propter quid solam causam effectus reddit. Has omnes differentias ponit Thomit. & Gem. sed Bald. solam vltimam recipit, additq; aliã quæ indicata est argumento superiore, quoniam Demonstratio potissima est ex nobis & natura notis, nobis scilicet secundum se, Demonstratio autem propter quid est quidem ex notis nobis, verum non per se, sed ex aliqua alia ratione per se autem est ex notis natura tantum.

Secunda Opinio. Esse tantum duas species Demonstrationis: Propter quid, & quia, ita vt Demonstratio quæ dicitur simpliciter, tantum differat accidentaliter à Demonstratione propter quid. Est D. Tho. Alb. Aegid. Lincon Apoll. *q. 35.* & vno verbo Latinorum, atque Græcorum, præsertim Alex. apud Nyph. Phil. *com. 12. & 17.* Them. *1. po c. 27.* vbi dicit quod Demonstrationis potissimæ ingenium est vt communi examine vtramque absoluat quæstionem, & vt sit, & quomodolibet sit. Est etiam hæc opinio ferè omnium Arabum, Algaz *cap 8.* Logicæ. Nec videtur Auer. quod tamen parũ referret, dissentire à nobis, vt Iand. princeps Auerr. asserit. *12. Met. q. 3.* Et Caiet. *1 po in c. 13.* Quamuis indicet Auer. Demonstrationem simpliciter esse veluti speciem sub Demonstratione propter quid, idemque monet Nyph. qui omnes hoc modo conciliant Auerroem cum alijs. Et quidem Auer. *com 95.* ait Aristotelem *cap. 10.* comparare Demonstrationem simpliciter cum Demonstratione quia. Comparat autem Arist. Demonstrationem propter quid cum Demonstratione quia, & *com 97.* fatetur confundere Arist. Demonstrationem propter quid & potissimam.

Rationes pro hac sententia dicemus inf.

Tertia Opinio. Auic. apud Auer. *com.* 55. & 59 & q. 15. dari solam Demonstrationem propter quid. Idem sentit Alex. 1. *top cap* 1. vbi Demonstrationem vocat Syllogismum Topicum, quo etiam loquendi modo vtitur Phil. *com* 11 vocās Syllogismum coniecturalem. Sed ex his solus Auic. hanc sententiam expressè defendit, alij tantum comparatiuè loquuntur, vt videlicet cōfertur Demonstratio, quia imperfectior, cum Demonstratione propter quid. Id patet ex Phil. *com.* vbi Demonstrationem quia vocat Demonstrationē. Et ex Them. qui cum c. 15. *lib* 1. negare visus esset esse Demonstrationem, id explicat ad modum dictum c. 7. 14 27. & 30. Contrà hanc opinionem optimè agit Bald. in q. *de reg. Demonstrat.* & infrà.

Quarta Opinio. Francisci Neridonensis, vt refert Bald. q. 70. Demonstrationem propter quid non esse veram Demonstrationem, sed solum demonstrationem quia, quoniam procedit Demonstratio propter quid ex notis natura, non autem ex notis nobis: Ac quia hoc perfectius, præstat Demonstratio quia, quod Demonstratio propter quid; facit enim vt cognoscamus causam effectus, vt causa est.

Prima Propositio. Datur Demonstratio propter quid & Demonstratio quia. Id docet Arist. 1 *po. c.* 30. Ratio est, quia datur scientia perfecta, qua cognoscimus effectus, alicuius causam. Datur etiam scientia minus perfecta, qua verè & certò ex effectu causam cognoscimus, instrumenta autem quibus hæ scientiæ parātur, dicuntur Demōstratio propter quid & quia, sed hoc melius intelligetur cum de singulis speciebus dicemus.

Secunda Propositio. Essentiales & primariæ Demonstrationis species duæ sunt tantum: Propter quid, & quia, reliquæ accidētales sunt, siue sub istis primarijs aliquæ aliæ species contineantur plures, siue non. Quod autē in præsentia volumus, illud est, Demonstrationē quæ vocatur simpliciter & potissima, non esse primariam ac veluti ex aduerso positam speciem, si conferatur cum illis duabus. Probatur primo. Quia Arist. in c. 30. has duas solas enumerat, & omnes Interpretes, præsertim Græci, nō faciunt mentionem nisi harum duarū, Demonstrationem verò propterea appellant ἀποδεῖξιν διότι hoc est Demonstrationem propter quid, & propriè, nulla ergo alia est Demonstratio quæ potissima sit & perfectissima. Confirmatur. Quia 6. *top. c.* 1. *loco* 18. non vult Arist. haberi in definitione notiorum rationem, quæ nobis notiora sunt, quoniam, inquit, contingit alia alijs esse notiora, & vni interdum aliqua esse nota, alteri verò aliquando ignota, sed notiorum tantum natura, quoniam illa se semper eodem modo habent. Ergo nec in Demonstratione ex eo quod aliquid sit nobis notius & natura, simpliciter dicendum erit Demonstrationem eam esse simpliciter distinctam specie ab ea quæ fit ex notioribus natura tātum, vel nobis. Et de hoc sup. diximus dū ageremus de notis, Them. testimonio, qui in c. 4. dicit Demonstratio non quid possumus attendit, sed in solam rei naturam incumbit, etiamsi nobis ignota inconspectaq; sit. Cōfirmatur etiā. Quia respectu vnius Demonstratio aliqua esset propter quid, respectu autem alterius esset Demonstratio simpliciter. Esset quidem propter quid, si verbi gratia scire: quia Lunam pati Ecclypsin, sed nesciret causam, cum primum per Demonstrationem illi causa nota facta esset, haberet Demonstrationem propter quid. Esset autem Demonstratio simpliciter, si candem demonstrationem cōficeret, ignorato prius quod Luna Ecclipsin pateretur; tunc enim & hunc effectum Lunæ conuenire, & etiam causam illius nosset. Confirmatur etiam. Dicunt aduersarij huiusmodi Demonstrationes potissimum esse Mathematicas, sed has Arist. in c. 33. vocat propter quid. Ergo. Confirmatur etiam. Quia Demonstratio propter quid, quantum est ex se, facit vt cognoscamus effectum esse, quod

sid

si id non fiat, est quia is ante nobis erat perspectus. Vndè Arist. 2.po.t.8. ait non posse cognosci propter quid, nisi etiam cognoscatur quod est; siue id aliunde, siue per illam ipsam Demonstrationem. Et certè quomodo cognosci potest causa & propter quid sit effectus aliquis, si non cognoscamus illum effectum esse? Sed contra differentias positas inter Demonstrationem propter quid, & Demonstrationem simpliciter, sic argumentor. Primo. Potest Demonstratio propter quid esse per causam formalem, quia secundum Auer. regressus Demonstratiuus fit, cum antecedit Demõstratio quia, in qua cognoscitur per effectum causa, & sequitur Demonstratio propter quid, per quam ex eadē causa effectus cognoscitur. Sed potest per effectum aliquem cognosci causa formalis. Ergo per causam formalem regredi poterimus ad cognoscendum effectum, non verò habet locum regressus in Demonstratione simpliciter. Ergo Demonstratio propter quid constare potest ex causa formali. Secundo. Demonstratio propter quid est in terminis reciprocis, ea saltem quæ ab Aristotele explicata est, quoniam debet habere propositiones de prædicato vniuersali, & secundum quod ipsum. Et Auer. com.56. etiam proprietatem agnoscit in Demonstratione propter quid, vt etiam in Demonstratione quia, si sit perfecta. Et confirmatur. Accipe enim causam & effectum reciproca, & prius per effectum ostendens causam esse, tum per causam probes effectum, cum posterior Demonstratio sit propter quid, confeceris profectò Demonstrationem propter quid in terminis reciprocis; non enim est regressus in Demonstratione potissima. Tertio. Quod Demonstratio propter quid sit ex notioribus, non tantum naturâ, sed etiam nobis, quamuis sup. diximus primum sufficere, vel ex eo patet, quia Demonstratio est instrumentum in gratiam nostri, Ergo debet esse ex notioribus nobis, quamuis forte per aliquam aliam rationem, vel Demonstrationem innotuerint nobis præmissæ. Ergo Demonstratio quæuis ex notioribus nobis est, sed notis vel vt diximus sup. de notis secundum naturæ ordinem, eam Demonstratio est à causa & ad effectum, vel contrarium naturæ ordinem, vt cum est assuefacta ad causam. Et ideò illa dicantur nota nobis & natura, hæc autem tantum nota nobis, hoc est nota nobis per se, illa nota nobis & simul natura, quia nobis illa nota fecimus. Quarto. Quod eadem Demonstratio propter quid ostendat ex natura sua rē esse, & propter quid sit, sup. diximus, etsi fortè respectu nostri id non semper faciat, quoniam iam prænouimus per Demonstrationem quia rem esse, vel certè effectum esse, & perinde est ac si quis per literas certiores nos faciat rei alicuius, quā ante sciebamus, tunc enim suam adhuc literæ vim retinerent, nos de eadem re commonefaciendo, quo exemplo appositè sanè vtitur Zab. de speciebus Demonstrat. cap.18. Qui author optimè hanc sententiam impugnat, tum ibi, tum præced. & sequentibus capitibus. Et præter Arist. clarissima testim quibus in quæst. propter quid est, etiam quæsitum si est, comprehendi docet, vt 2 po com.16 17 32. 33 34. 36. 39. vsque ad 47. etiam Auer. loquens de triplici illa Demonstratione, idem de Demonstratione propter quid asserit com. 45. & 46. 1. po. dicens per Demonstrationem propter quid demonstrari existentiam quoque effectus. Confirmatur. Demonstratio per causam remotam ex Aristotele t. 30. ostendit rem esse. ergo multò magis quæ est per causam proximam, quia illa causa multò magis facit rem esse. Confirmatur. Quia etiam respectu nostri Demõstratio propter quid facit cognoscere, & propter quid res sit, & quod sit; nam com. 39. 1.pr. dicit Arist. eum qui cognoscit rem sine cognitione causæ, non cognoscere quid ea sit, quia non etiam cognoscit quod

quod sit, nisi leuiter. At verò cum qui cognoscit per causam perfectè cognoscere quod sit, ita vt prior illa cognitio respectu huius quodammodo dici possit ignoratio. Imò Auer. 1 po. com. 95. respondet Auicennæ dicenti, Demonstrationem quia non esse veram demonstrationem, quoniam in ea nō cognoscatur causa, vt formaliter causa est, sed assumitur effectus tanquam notus, nec constat Demonstratio ex necessarijs. Respondet inquam cognosci quidem effectum in Demonstratione quia, sed imperfectius, perfectius autē & certius per Demonstrationem propter quid, quoniam in ea cognoscitur per causam, quæ continet necessitatem existētiæ effectus. Atque ex his patet ad fundamentum contrariæ opinionis, iam enim ostendimus discrimina quæ ponūtur, aut nulla esse, aut tantum accidentaria. Arist. autem cum egit de Demonstratione potissima, etiam egit de Demonstratione propter quid. Et t. 42. lib. 1. tantum comparat scientias, quod ex illis vna solum sciat quod, alia autem propter quid, non verò dicit quod aliqua tantum sciat propter quid, & non quod. Imò oppositum sequitur, vt diximus. Sic etiam t. 7. 2. po. pro nobis potius facit, vt diximus. Hinc etiam solui possunt quæ ab Arist. dicuntur in t. 30. lib. 1. *sub fin.* vbi omninò dicere videtur aliquas scientias scire propter quid, ignorare autem ipsum quod est; nam per cognitionem quod est intelligit ibi cognitionem existentiæ rei quæ per sensum habetur, quam aliquæ scientiæ à sensu & materia abstrahentes non habent, etiamsi verè cognoscant existentiam eorum quæ demonstrāt, quomodo illam habere possunt. Vnde Arist. Ipsum quod, inquit, sensitiuorum est scire. &c. ipsum verò propter quid Mathemat. hi namq; habent Demonstrationes, & plerumq; non sciūt ipsum quod; quemadmodum qui vniuersale speculantur, multoties nonnulla singulorum nesciunt, quia non aduertūt. Exemplum potest esse in Musica tum speculatiua, tum practica: nam speculatiua scit talem esse numerorum consonantem proportionem, sed quia non canit, non experitur illam proportionem. Cōtrà autem practica, quia vocalis est, & de rectè canendo præcepta tradit, credit esse huiusmodi proportionem, causam tamen ignorat, quomodo autem, & cur aliqua Demōstratio dicatur simpliciter & potissima, dicemus postea, sed quod Demonstratio propter quid & quia sint distinctæ essentialiter species, communis est omnium sententia, præsertim eorū quos in secunda classe posuimus, præter vnum fortassè Apoll. qui ait aliquam aliquando Demonstrationem esse posse & propter quid, & quia, id autem quod dicimus, docet Arist. t. 30. Et constat vnam esse in priori, alteram in posteriori, vnam à causa, alteram ab effectu; vnam demonstrare quid sit res, alteram an sit.

SECTIO SECVNDA.

De Demonstratione propter quid.

NObilior Demonstrationis species est Demōstratio propter quid, quare de ea etiam primo agemus, quamuis naturæ ordine prior sit Demonstratio quia, quæ ex analogia, quam habet ad Demonstrationē propter quid, facilius cognoscitur, quod ipsum docet Arist. Supponimus autem primo dari hanc Demonstrationem, contra aliquo. hæc enim est communis opinio, & probata. Nec quicquam vigent illius rationes, quod videlicet Demonstratio propter quid fit ex notis natura, nam & hoc satis esset ad Demonstrationē propter quid, & præterea paulò antè diximus & ex nobis & natura notis progredi Demonstrationem propter quid. Itē etsi per Demonstrationem quia sciamus causam effectus, non tamen frustra est Demonstratio propter quid, quia per priorem illam non scimus effectum aliquem inesse rei propter talem causam, sed tantum à posteriori causam existere. Et quamuis etiam id daremus, tamen adhuc esse posset Demonstratio pro-

propter quid, quia ex causa iam cognita talis effectus. Probare praeterea posse mus alios eiusdem rei effectus, qui ex eadem causa procedunt. Hoc ergo ita constituto, de hac Demonstratione duo dicemus: Quid sit & quotuplex, & quodnam illius sit medium.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit & quotuplex Demonstratio propter quid?

PRima *Propositio.* Demonstratio propter quid est ille syllogismus, cuius definitionem ponit Arist. *1.po.t.2.* & cuius conditiones persequitur à *t.5.* & deinceps. Quæ omnes soli isti Demonstrationi simul semper conueniunt. Et in communi appellatur hæc Demonstratio causæ, Demonstratio dans causam, videlicet à fine proprio, qui est notam facere causam. Addit Bald. *quæst. 7.* dici Demonstrationem causæ, vel à causa, & non effectus. Sed huius additionis ipse est author, & falsa est causa qua ad id dicendum adductus est, videlicet esse aliam quampiam Demonstrationem, quæ simul & causam & effectum esse ostendat. Sic autem appellatur ab Arist. *1 po t 30. lib 2 t 4.* Ab Auer. *1. po com. 95 lib. 2. 25 quæst. 11. Epit Log. cap. de Demonstrat.* Secundo Cæl. *com. 35. 1. ph. in proæ.* & Them *cap 27 29 & 41.* vocat Demonstrationem vadenā: Appellatur etiam Demonstratio naturæ. Demonstratio à causa ad effectum, Demonstratio cur, seu quare, & quamobrem. Denique Demonstratio a priori.

Secunda Propositio. Non est necessè dicere esse plures essentiales distinctas huius Demonstrationis species, sed satis est si dicantur distingui accidentaliter, quales sunt illæ quæ ex aliquo quatuor causarum genere constant, quod docet Arist *1. post.* de qua re postea dicemus. Quales etiam esset illa, in qua posterior passio demonstratur per priorem, quod planè indicat Arist *2 po t.23* dicens propter quid ostendi de quibusdam quod vtrimque dentata non sint per hoc medium, hoc est cornua habere; quamuis enim omnium passionum propriè causa sit subiectum, tamen est quidam ordo inter plures passiones, vt vna alteram præcedat, atque ita posterior per priorem demonstrari potest. Non est autem Demonstratio propter quid, cum aliquis effectus demonstratur per causam remotiorem, nec etiam aliqua passio alicuius entis superioris assumitur vt medium demonstrandæ passionis, quæ enti inferiori conueniunt. Alpharabius apud Auer. triplicem dicit esse demonstrationem potissimam. Primam. Cuius medium sit causa vtriusq; extremi vt si de homine demonstretur risibilitas per animal rationale, nam hæc definitio causa est hominis, quia est ipsius essentia; causa passionis, quia ex ea fluit. Secundam. In qua medium est causa tantum passionis, vt si probes Lunam deficere propter obstructionem terræ, id enim est quidem causa Eclipsis, non autem Lunæ. Tertiam. In qua medium est causa minoris, hoc est subiecti, sed in essendo, maioris, hoc est prædicati in inferendo, siue inessendo, vt inquit, si probes hominem esse corpus per animal; hoc enim est causa essendi hominis, corpus autem est causa inessendi & inferendi. valet enim: Est homo, Ergo corpus. Sed contrà hunc Authorem rectius dicemus quæstione seq. Et de Demonstrationibus quasreiecimus quæst. de Demõstratione quia. Quæ autem pertinent ad Demonstrationem propter quid. dicuntur habere omnes conditiones dictas, & in primis vt causę sint proximæ respectu effectus; proxima inquam causa non in suo tantum genere, verum etiam qua satisfiat quæstioni propositæ, quo fit vt aliquando possit esse causa alicuius effectus proxima, non tamen apta Demonstrationi propter quid, verbi gratia, si quæras cur aliquis in forū se cõtulerit, causa proxima efficiens dicentur pedes, cum tamen propria causa sit fortè vt amicū expectaret. Ex quo colligis Zab. lib. de speciebus Demonstrat. c.21. posse esse Demonstrationem ex causa proxi-

ma, quæ tamen dicenda sit non propter quid, sed quia tantum, quæcunque enim rei extrinseca sunt & aduentitia, referũtur quodammodo omnia ad medium Demonstrationis quia.

Tertia Propositio. Cum ex quatuor causarum generibus peti possint media Demonstrationis propter quid, quia tamen causarum omnium præstantissima est formalis, quæ ex ea constabit. Demonstratio si conferatur cum reliquis, dicetur Demonstratio perfectissima. Et hac etiam de causa dici poterit Demõstratio potissima & simpliciter, non autem vt volunt discipuli Auer. Omnis enim Demonstratio propter quid est item Demonstratio simpliciter & potissima, si nomine Demonstrationis potissimæ ea intelligatur, qua absoluitur hæc duplex quæstio, An sit, & propter quid sit, & quæ conficitur ex nobis notioribus & natura, quoniam paulò ante diximus, omnis Demonstratio propter quid suapte natura potest vtramque hanc conditionem habere, quamuis aliquando præueniatur à nobis hæc Demonstratio, aliunde petita cognitione existentiæ rei. Confirmatur ex Eust. 2. *po. in t.* 11. & 12. vbi Demonstrationes à causa materiali, efficienti, & finali minus perfectas vocat, quam quæ est à causa formali. Auer. etiam 1 *po. com.* 10. dicit Demonstrationem propter quid aliam esse ex mediatis, aliam ex immediatis. At perfectior sine dubio est quæ ex immediatis constituitur, quia continet subiecti definitionem quæ est absolutissima causa, & hoc potest rectè conciliare opiniones illas quæ erant de Demonstratione potissima.

QVÆSTIO SECVNDA.
De medio Demonstrationis propter quid.

EST hæc quæstio omnium quæ sunt de Demonstratione, ac propè etiam dixerim omnium quæ in Logica agitantur maximè celebris, & de qua plurimi differunt, vt inter tot tamque diuersas opiniones suam facilè non esset interponere, & certi aliquid de ea statuere, nisi vnus nobis Arist. omnium instar de hac re apertè locutus esse videretur. Ante autem Authorum sententias pauca prænotabimus, quæ ad medij secundum se sumpti naturam & conditiones intelligendas videbantur.

Notandum Primo. Medium quod vocant Arabici Interpretes, vt Auer. habet 5. *ph. com.* 4. *Cæl com.* 18. &c. Aliud est reale, aliud autem Logicum. De reali nihil ad nos. Eius acceptiones qui volet, legat apud Bald. *quæst.* 8. Logicum est duplex: Prioristicum, alterum posterioristicum. Illud est terminus qui bis ponitur in præmissis syllogismi, & quem definit Arist. 1. *pr. c.* 5. Mediũ voco quod ipsum in alio, & aliud in ipso est. Illud autem est ipsamet causa quæ ad cognitionem rei confert; scire enim est rem per causam cognoscere, hoc est per medium, pro eodẽ enim vult hæc accipi: Medium & causam. 2. *po.* 7. 1 & *seq.*

Notandum Secundo. Conuenit quidem medium eum principijs (solet enim & principium appellari) quatenus principia dicuntur causa conclusionis, & quatenus in ipsis solet poni vt rectè conclusio inferatur. Vnde medium dici solet principium prout principium & causa Aristoteli idem sunt 1. *ph. t.* 1. 12. *Met. t.* 23. 1. *ph. t.* 27. sed est principium incomplexum, hoc est non est propositio aliqua, sed est simplex quidam terminus, vel etiam plures, sed citrà affirmationem, aut negationem, & solet vocari causa essendi conclusionis ab Auer. 1. *po. com.* 11. Deniq; medium est pars vtriusque præmissæ, non ergo formaliter est præmissa, vel aliqua propositio, potest tamen etiam dici causa cognoscendi, quomodo habet Them. 1. *po. cap.* 4. appellans causam cognoscendæ conclusionis, nempè vt assumitur in propositione.

Notan-

Notandum Tertio. Medium dicit habitudinem ad extremum, seu vt sit medium in Demonstratione propter quid debet esse conuertibile cum vtroque extremo; nam Demonstratio perfecta propter quid continere debet prædicata vniuersalia, & secundum quod ipsum.

Notandum Quarto. Medium est causa essendi respectu alicuius extremitatis, hoc enim propriè significat nomen causæ. Est communis opinio præter Auic. apud Auer. 1. *po. tom.* 11. *& in ep. cap. de Demonstrat. & quæst* 12. & contrà Ioan. Ant. Scotium *tract. de Demonst. potiss* qui dicunt satis esse si medium sit causa inessendi alicuius extremitatis, videlicet cur maius minori insit, sed certè non potest hoc ritè defendi, quia si est causa inessendi, etiam est causa essendi; nam inesse passionis in subiecto, est ipsummet esse illius, passionis enim essentia consistit vt insit proprio subiecto, & sicut se habet res ad esse, ita & ad cognosci. Ergo & causa erit cur agnoscamus passionem inesse, & si est huiusmodi causa cognitionis nostræ, vice etiam versa erit causa essendi. Nec refert quod hoc medium appelletur definitio, definitio verò vt definitio nullam dicit rationem medij, vel causæ: nam satis est quod definitio assumi queat tanquam mediū passionis, & quod reuera sit huiusmodi, etiāsi consequenter, & ita ferè oēs Latini loquuntur; quamuis etiam possit esse medium aliqua ex causis, nō ita intrinsecis. Propter quam causam Arist. solet 2. *po.* appellare definitionem causam & medium, causam verò absolutè loquendo soleant vocare medium potius, quam definitionem Arabes. Ita Aristoteles cum 2. *pr.* & causam & definitionem, vt patet ex definitione scire, & 2. de anima. *t.* 11. Quarè sirce causa Bald. inhæsitur in Latinos, quod huiusmodi loquendi modum vsurpent.

Notandum Quinto. Medium in Demonstratione propter quid dicitur esse causa maioris extremi, Ratio est. Quia in Demonstratione maius extremum est id quod de minore probandum est. Ergo cum scire sit rem per causam cognoscere, hoc est per medium cognoscere, oportet medium esse causam istius extremi. Ita docet Auer. 1. *pr. com.* 11. *& quæst.* 11. Eadem videtur esse sententia eorum qui dicunt medium debere esse definitionem passionis, quā passionem solent Græci vocare quæsitum & dictum, subiectū verò ac minus extremum concessum ac datum. Hinc sequitur reijciendam esse opin. Alph. & Auic. de vario modo causandi quē habet medium respectu maioris & minoris extremi. Nec fieri potest vt sit causa inessendi, non autem essendi. Denique si medium sit causa inessendi seu inferendi maioris extremitatis, non erunt propositiones conuertibiles, nec proindè etiam Demonstratio erit potissima, quæ ex huiusmodi propositionibus conuertibilibus constare debet. Idem sensisse videtur Alb. *in q.* 1. dicens etiam fieri posse vt medium sit causa vtriusque sed maioris maxime extremi. Quod autē illud verū sit ex eo patet, quoniam maioris extremitatis potest medium esse causa efficiens, minoris autem causa formalis; definitio enim subiecti est causa illius formalis, respectu autem causæ est efficiens. De qua re rectè Auer 1. *post. com.* 11 Et confirmatur ex Aristotele locis citatis, & præ cæterà 2. *ph t.* 27. vbi inquit in quæst. propter quid quærere nos causam, certum autem est id de quo quæstio est, esse maius extremum. Debet igitur causa quæ quæritur esse maioris extremi ratio. Sciendū tamen est quod causa maioris extremi aliquando exprimitur per totam subiecti definitionem, aliquando per differentiam tantum, aliquando demum per formalem passionis definitionem ex genere & differentia. Sic etiam potest assumi vna ex his definitionibus in Demonstratione tanquam medium.

Notandum Sexto. Cum constet mediū Demonstrationis debere esse causam, & hanc

hanc Arist. 2. po. dicat debere esse definitionem, ac ibi velit ex omni genere causæ sumi posse medium, dubitari potest, cum definitio aut subiecti, aut passionis esse queat, vtrū medium in Demonstratione esse debeat, & medium cuiusnam potissimum causa rationem habeat. Circà primum versatur potissimum quæstio nostra, de hoc autem secundo Phil. 2. po. com. 23. & Bald. quæst 8. dicunt esse debere causam formalem, quibus fauere videtur Auer. 1. po. com. 35. Alb. l. 2. t pr. cap. 1. videtur dicere esse finalem causam, quia, inquit, hæc est causa causarum, id autem docet Ant. And. 5. Met quæst. 2. ad 3. Addit Alb. mediū vel etiam esse aggregatum ex formali, & efficienti causa, quæ sæpè coincidunt, quod etiam asserere videtur Auer. 2. po. com. 56. & 58. de finali causa, Et com. 42. de efficiente, quanquam de efficiente id ait esse per accdens, de finali tum solum, cum nobis est ignota forma. Denique inquit Alb. esse causam quæ dat complementum rei, talis verò non semper est eadē. Sed hoc posterius magis constat, Aristotelem 2. po. dicere omnem causam posse ingredi definitionem, & definitionem esse medium Demonstrationis. Et ratio etiam id conuincit, quoniam in omni causæ genere quædam sunt semper proximæ, propriç, & adæquatæ, à quibus res pendet, & per quas quæstioni propositæ satisfieri potest, quæstioni inquam qua quærimus propter quid sit res, vt docet Aristoteles 2. ph. t 27. Quin etiam 2. po. sæpè Arist. exemplis hoc illustrat, in definitione Ecclipsis, tonitrui, &c. Et 1. post. t. 2. & 5. vnam Demonstrationis definitionem materialem ostendit per finalem. Eodem modo primo & secundo de anima duplicem animæ definitionem, ex materia & fine vicissim probat. Et 2. ph. t. 91. per finem materiam concludit, finis autem & efficiens in naturalibus, vt plurimum coincidunt, ex Them. 2. post. cap 14. Phil. sup. cap 11. Alex. in quæst. natural. Lege Piccol. de cert. Mat. scient. cap. 5. Hoc tamen peculiare est accidentibus proprijs, de quibus propriè etiam tantum est Demonstratio, quod eadem res, hoc est idem subiectum vicem gerat quadruplicis causæ respectu eiusdem, verbi gratia homo, aut illius definitio animal rationale, huius passionis, scilicet risibilitatis est causa efficiēs, quoniam inde fluit; est finalis, quoniam ad illam refertur, vt tanquam actus subiectum suum perficiat; Est materialis, quia inhæret in homine, si non inhæsione reali, & extrinseca, quæ propria dicitur esse eorum tantum accidentium quæ realiter distinguūtur, vt sicut propriam & distinctam habent existentiā, ita propriè quoque sola inhærere & inexistere dicantur, saltem inhærentia formali & intrinseca. Denique est causa formalis, quia passionis essentia quidditatis pendet à subiecto. Hinc primo sequitur passionis probandæ per Demonstrationem medium, si sit subiecti definitio, non esse eiusdem definitionē vt subiecti definitio est, formaliter loquendo, vt sic enim est indè pendens à quacunq; causalitate passionis, sed vt illi aduenit tanquam secundariò, esse causam alterius, licet materialiter loquendo verè sit causa formalis subiecti, & illius definitio, hoc est sit id quod est causa formalis & definitio subiecti. Secundo. Essentiam ad substantiam rei non propriè demonstrari posse per causam efficientem, quia non pendet ab illa, nisi in fieri, si loquamur de causa vniuoca & proxima, ab vniuocis enim & communibus pendet etiam res in conseruari. Tertio. Sequitur cognitionem passionis necessario & intrinsecè pendere ex cognitione subiecti, præsertim cū quæritur de illius inhærentia, etsi causa formalis Meta. passionis sit genus & differentia. 8. Met. t. 13. tamen & hæc ignota esse solet, & non est per se causa cur hæc passio per se subiecto inhæreat, sed talis natura subiecti, vnde fluit passio, vt etiam ibid. innuit Arist.

Prima Opinio. Medium esse definitionem subiecti. Est Scot. 1. po. q. 56. Tartar q. vlt. 2. po. qui etiam dicit Demonstrationis

tionis potissimæ medium esse tantum subiecti definitionem, & non passionis, quia propositio in qua dicitur definitio passionis de subiecto, est mediata, cum probari possit per subiecti definitionem. Mirand. quoque dicit medium esse causam finalem, crediderim, quia subiectum est vltimus finis passionis. Hoc idem Nyph. *ad fin.2 post.* tribuit Theoph. Alex. & alijs, Subindicat id quoque Philop.1.*de Anima.t.11* & Simplic.*ibid* Ratio inquit, simpliciter est, quia substantia rei quę per definitionem explicatur, est causa passionum Et confirmatur, quia Aristot. agens de passionibus rerum naturalium, loco, tempore, &c. semper primo inquisiuit definitionem, vt extra[...]iones earundem affectionum demonstratet. Idem sentit Themist 1.*de Anima.cap.7.* Hanc opinionem Bald.*quæst.8.* tribuit Simplicio Alex. & Theophilo, qui inquit dixit principalius subiecti definitionem esse medium, secundario etiam definitionem passionis. Confirmatur. Nam 13 *Met. sum.2.cap.5.* dicitur omnis syllogismi principium esse definitionem; & 2 *phys. t.78.* ad ipsum quid reducitur propter quid. Item constat quod definitio aliqua debet esse medium, sed nō potest esse definitio passionis, quia accidentia non habent definitionem. 7. *Met t.15.& 16.2 post.com.11.& 12.* idemque Arist. sæpè dicit definitionem subiecti esse debere huiusmodi, ex qua passiones cognosci & probari possint. Ita habetur t. *de Anima.t.11.lib 2.t.12.4.Phys t 31.* Probatur prætetea hæc sententia his rationibus. Primo. Passio fluit à subiecto, Ergo per illius essentiam & definitionem solum propriè demōstratur. Confirmatur. Nam demonstratio procedere debet ex indemonstrabilibus, at definitio passionis probari potest per definitionem subiecti. Secundo. Si medium esset definitio passionis, peteretur in Demonstratione principium; nam definitio & definitum idem sunt, & est æquè ignotum quod passio insit subiecto, propter passionis definitionem, atq; quod definitio passionis subiecto conueniat. Tertio, Definitio materialis demonstratur per formalem, Ergo sāc saltem medium erit definitio subiecti. De D. Thoma quidam volunt eum esse in illa sententia, vt Domin. de Fland. 2 *post.q.1.art.5.* loquens de Demonstratione perfectissima, & Zons. 6. *Met q 8 conclus.3. ratione 3.* Soto 1 *po.q.1.* Idem etiam D. Tho. tribuit Scotus & Zab. vtrique isti Auth. tribuit *lib.1 de med. Demonstrat.cap.2.* Tribuunt quoque Lincon. *super com.51.1.post.* etsi ibi contrarium potius dicat. De Scoto etiam quidam dicunt id solum ipsum asseruisse de Demonstratione potissima, non negasse autem quin alicuius Demonstrationis medium esse possit definitio passionis.

Secunda Opinio. Medium esse definitionem passionis. Est Ægid. Nom. 2.*post.t.9.* tamen etiam definitionem subiecti vt includit definitionem passionis, hoc est, vt aliquo modo pertinet ad illam, esse medium, & per se, atque præcisè posse esse medium, non tamen in Demonstratione potissima. Vide Aug. de Messiatis apud Ægid. *in lib Elench.* Eandem opinionem, quod medium sit definitio passionis, indicat Themist. 2.*post cap.31* qui ait, rationem, hoc est, definitionem maioris extremi, quæ in conclusione ponitur, esse medium, tamen quia ibid. vocat etiam medium causam, non cogimur ita illum intelligere, potest enim definitio syllogismi esse causa maioris extremi, hoc est passionis. Et etiam dicit Them. Phil. 2.*post.com.16.* dicit medium terminum esse definitionem maioris extremi, ea autem est definitio subiecti. Idem dicit *in com.97.* Eust. *in com.135.* dicit medium esse definitionem maioris extremi, ideoque esse definitionem passionis De D. Thoma quid dicendum sit, postea dicetur. Ratio huius opinionis potissima est, quia à subiecto plures manant passiones, Ergo vnius quę demonstratur non potest esse medium & causa definitio subiecti, Secundo. Mediū debet esse quid prius vno extremo, & posterius altero, saltem ratione ordinis & dependentiæ huiusmodi est definitio passionis, nam est prior passione ipsa, posterior minore extremo quæ est subiectum. Confirmatur ex 1.*post.com.41.* & *lib 2.25.*

Ratio maioris extremi, hoc est definitio est medium, Ergo definitio passionis. Et *lib.2.t.1.* idem, inquit Aristot. est quid & propter quid, hoc est definitio & causa per quam passio demonstratur, vbi etiam ponit exemplum definitionis Ecclipsis, quam de linea probat. Hanc opinionem tribuit Auerr. Picol. *cap. 6.* & illam ipse sequitur.

Tertia Opinio. P. Ven. vtramq; definitionem esse medium. Verum si per Demonstrationem potissimam intelligat omnem Demonstrationem propter quid, nō erit hac ex parte absoluta hæc sententia, si etiā non velit esse duas distinctas, sed in vnum coalescentes, non distinguetur à sequenti.

Quarta Opinio. Est quorundam apud Domin. de Fland. quod recitat ex quodam Rodopho, mediū esse definitionem aggregatam ex definitione subiecti & passionis, & hanc opinionem refutat ibid. Rodolphus, quia hæc definitio solo situ differt à Demonstratione *ex 2. post.* & in omni Demonstratione medium debet esse quid vnum & simplex. Videtur hoc sentire Alb. *2. post. tr. 2. c. 11.* vbi dicit passionem, si complerè accipiatur, hoc est secundum intrinseca sui generis, quod videlicet sit qualitas, & hæc qualitas, & secundum extrinseca; hoc est ratione subiecti à quo pendet, tum declaranda esse per definitionem continentē & subiecti & passionis definitionem ex quibus fiat vna completa passionis, si autem spectetur secundum alterutrum, posse medium esse alterā definitionē & hac distinctione inquit effugi oēs difficultates. Hoc ipsum tribuit Bald. quibusdā recentioribus, Caietanus D. Thomæ, Them. & Auerr. & Alb. & Aristoteli ipsi. Et certè D. Tho. *opusc. 38.* id apertissimè docet.

Quinta Opinio. Alphar. Auic. & quorundam aliorum Arabum, nempè medium Demonstrationis esse causam vtriusque extremi. Quæ sententia si voce tenus accipiatur coincidit cum tertia, non tamen id ipsi contendunt, vt possit medium Demonstrationis materialiter esse causa formalis subiecti, & simul etiam sumatur vt est causa passionis. Sed id volunt quod *sup. in not. 5.* exposuimus. Et lege contra eos Auer. *1. po. com. 11. & q. 1b.*

Sexta Opinio. Nyphi *in fin. 1. po.* Actum passionis demonstrari per definitionem passionis; si autem accipiatur secundum aptitudinem & potentiam, medium esse posse & definitionem subiecti, & passionis, quoniam hæc, inquit, conuertuntur cū passione. Sed hæc opinio quoad secundum membrum ad tertiam reuocari debet. Primum autem absurdum est, quia Demonstratio non fit de accidente communi & particulari, quale est passio ipsa, si sumatur pro actu, vt actu ridere.

Septima Opinio. Melior. *tr. de hac re,* passiones esse [illegible]ces. Internas & externas. Illæ sunt, quæ subiecto conueniunt intrinsecè, istæ autem quæ propter aliquam causam externam, vt Ecclipsis lunæ. Deinde dicit passionum internarum medium esse definitionem subiecti, externarum autem sumi debere medium extrinsecus, Accedit ad hanc sententiam Zab. *lib. de med. Demonst. cap. 11. 12. 13.* nisi quod *c. 10. & 14.* dicit in omni Demonstratione potissima medium esse definitionem maioris extremi, raro autem contingere vt sit causa minoris, in nulla esse tantum causam seu definitionem minoris; quia vero in tradenda doctrina habenda ratio est eorum quæ vt plurimum eueniunt, nulla verò, aut non tanta eorum quæ raro, ideo dixisse Auerr. mediū Demonstrationis esse definitionem maioris extremitatis. Sed hæc etiam sententia falso videtur niti fundamento; nam passio quæ externa dicitur, aut prædicatur per se de subiecto, aut non. Si per se, ergo est in secundo modo, nec enim esse potest in primo, cum non sit de illius essentia, vel quidditate. Secundus autem modus est, cum subiectum est de essentia passionis. Potest ergo vt probetur de subiecto passio, assumi tanquam medium eiusdem subiecti definitio, si autem non prædicatur per se, valeat Remig. quia non est passio de qua Demonstratio institui possit. Confirmatur: Falsum enim est exemplū de Ecclipsi, non

non

non conuenit Ecclipsis Lunæ propter solam obstructionem terræ ; cur enim non obstruit terra alia astra? dices, quia Luna est propinqua terræ, & minor illa, huiusmodi vero non sunt alia astra. Ergo item Luna ipsa est causa cur enim tali natura Luna, cur minor sit terra, & lumen mutuetur à sole, non potest alio referri, quam ad illius naturam. Itaque si probetur de Luna ipsa Ecclipsabilitas, id fiet Demonstratione perfectissima, in qua medium erit definitio Lunæ, quod sit corpus quoddam non habens à se lumen terræ propinquum, & ea minus. Si autem actualis Ecclipsis demonstretur, non erit ita perfecta, & in ea medium erit interpositio terræ, tanquam causa necessaria talis effectus, vt in re ponatur. Hic etiam omitto illud incommodum, in quod Remig. ex præcedenti incurrit maiorem Demonstrationis propositionem esse in primo modo, nam sup. *in tr. de prop.* per se diximus Demonstrationis propter quid solam minorem propositionem esse in primo modo, primam verò in secundo. Confirmatur id quod diximus de Ecclipsi; nam Arist. *t. 8. 2. po* postquam dixit accidere Lunæ Ecclipsin ob interiectionem terræ, addit, si vero huius alia ratio media ex reliquis erit rebus, quasi diceret non esse aliud immediatum principium quod terra interponatur, sed ab aliis causis rationibusq; id pendere. Denique mirum est, nusquam Aristotelem mentionem fecisse distinctionis harum passionum, cum ea tamen tanti referat. Lege F am. *q. Log. cap.* 1.

Octaua Opinio. Bald. *quæst.* 8. Medium non esse definitionẽ maioris vel minoris extremi, hoc est non debere vocari definitionem sed esse causam, nam potest, inquit, medium esse causa maioris extremi, quod sit vel definitio, vel differentia sola, & quamuis aliquando sit definitio, non sumitur tamen vt definitio est, sed vt causa, & hoc, inquit, significat quod dicit Aristoteles ratio maioris extremi. Dicit deinde, quoniam prius illud ad modum tantum loquendi spectare videbatur, medium esse causam maioris extremi, quamuis aliquando & ex accidenti possit esse causa subiecti, seu minoris extremi.

Nona Opinio. Recentiorum quorundam apud Zab. *lib. 1. de med. Demonst. c. 6*, Medium esse causam formalem minoris extremi, hoc est subiecti, & effectiue causæ passionis, & quia per talem causam passio definienda est, dicitur etiam passionis probandæ medium esse ipsamet definitio: Aristoteles autem, inquit, attendens id quod in Demonstratio præcipuè requiritur, quia Demonstratio est propter passionem, ideo solum dixit medium esse rationem, hoc est definitionem maioris extremi, non autem minoris.

Decima Opinio. Gab. *f. q. 8. prol.* Qui primo dicit non necessariò Demonstrationis medium esse definitionem absolutè loquendo, sed satis esse si quoque modo sit causa passionis, quod si sit definitio, debere esse definitionem subiecti, non autem passionis, quia, inquit, definitio passionis impetrat ipsammet passionem, quæ non est causa suijpsius, definitio autẽ subiecti subiectum, quod est causa materialis passionis.

Vndecima Opinio. Videtur esse D. Thomæ, qui 1. *post. t. 2.* dicit ex definitione subiecti & passionis sumi medium, & 2. *post lect. 7. p* t. aliquando esse definitionem passionis, aliquando subiecti esse medium, vt passio de subiecto demonstretur primum per definitionem passionis postea ipsamet definitio passionis probetur per definitionem subiecti. Iterum fit duplex Demonstratio. Prima. Omne potens ridere est risibile, omnis homo est potens ridere, Ergo omnis homo est risibilis. Secunda fit ista: Omne animal rationale est potens ridere, omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est potens ridere. Vnde ait D. Thom. Definitio passionis perfici non potest sine definitione subiecti, & ita occurrit Aristoteli, qui, inquit, videtur dicere definitionem passionis esse medium: principia enim, inquit D. Thom. quæ continet definitio sunt

principia passionis, non ergo Demonstratio resoluitur in primam causam, nisi accipiatur idem Demonstrationis mediū definitio subiecti. Sic igitur oportet passionem concludere de subiecto per definitionem passionis, vt alterius definitio passionis concludatur de subiecto per definitionem subiecti Iauell. *t.* 11. *de syllogismo. ad fin* id tribuit D. Thom. Et Soto. *in* 1. 6. 2. *po.* Aliter alij D. Thomam interpretantur, sed hæc verba sunt expresse D. Thomæ. Eadem videtur esse sententia P. Ven. 2. *post. com.* 47. & Linc. 1. *post concl.* 15. *&* 2. *post. concl.* 32. Ex his opinionibus eas nos inter tractandum obiter refutabimus, quæ videbuntur absurdæ, nunc autem constabit quid aliæ habeant verisimilitudinis.

Prima Propositio. Definitio subiecti prout est formaliter definitio subiecti, non est mediū in Demonstratione. Hæc propositio patet ex not. prius. Et ratio est, quia definitio subiecti vt sic pertinet ad substantiam & quidditatē rei, passio verò est accidens, definitio etiam est ad se & independens ab omni passione. Confirmatur. Quia potest differentia aliquando sumi pro medio. Secundo, Quia vbiq; Aristoteles dicit medium demonstrare esse causam maioris extremi, at definitio per se tantum respicit subiectum, cuius est causa formalis & intrinseca, subiectū autem est minus extremū. Et in hoc probantur nobis omnes illæ sententiæ, quæ negant definitionem subiecti esse medium.

Secunda Propositio. Sæpè potest mediū Demonstrationis esse id, quod realiter & materialiter est definitio subiecti. Ratio. Quia medium debet esse causa, huiusmodi autem potissima est id quod est definitio subiecti, præsertim respectu primæ & immediatæ passionis. Et hoc rectè probant quæ dicta sunt prima opinione. Nihilominus posset etiam materialiter medium esse differentia subiecti, quia est potissima pars essentiæ, ac etiam causæ rationem habere potest. Vel etiam dici posset medium Demonstrationis esse definitio prioris passionis per quam posterior probetur propter eandem rationem.

Tertia Propositio. Definitio passionis quam formalem & Metaphysicā dicunt ex genere & differentia, non est aptum Demonstrationis medium, vt perfectè passio per illam probari dicitur. Ratio est. Quia hæc definitio solum explicat quid passiones, & non propter quid. Confirmatur. Non enim indicat cur insit sub ecto passio, sed alia aliqua assignari debet qua demonstretur cur subiecto insit passio. Denique quoniam tantum in Demonstratione oporteret prædicari de definitione passionis passionem ipsam, quæ prædicatio non est naturalis in maiore enim propositione prædicari debet maius extremum de medio. Confirmatur etiam ex not. 6.

Quarta Propositio Medium materialiter est definitio causalis passionis, quia medium debet esse definitio maioris extremi *ex* 2. *post. com.* 41. 95, *&* 97. Sed non est definitio formalis, Ergo causalis. Et ratio etiā est, quia hæc sola dicit propter quid, & etiā dicit quid passionis, quatenus est diciturque definitio causalis. Dixi materialiter, quia ad Demonstrationem non assumitur definitio, nisi vt explicetur propter quid insit passio subiecto, non verò vt ostendatur quidditas ipsa, quia hæc non ad Demonstrationem, sed ad definitionem spectat. Vnde etiam non accipitur in Demonstratione per modum definitionis, sed solūm exprimitur vt causa, & ponitur in propositione. Hoc solum probant rationes secundæ opinionis, præter quas multas profert Bald. & Piccol. *locis citatis.* & est Flam. sententia *q. log. cap.* 7.

Quinta Propositio. Hinc sequitur medium Demonstrationis esse definitionem subiecti, non quidem vt definitio subiecti est, sed vt est causa passionis. Et hoc indicat Aristoteles 1. *de Anima. t.* 11. 2. *de Anima. t.* 12. *&* 26. 4. *Ph. t.* 31. 4. *Cæl. t.* 1. *& alibi;* vbi definitionem subiecti talem esse debere dixit, ex qua proprietates omnes probari possint. Et 1. *Eth. cap.* 7. Inuentionem definitionis dicit

esse

esse plusquam dimidium totius, nemde scientiæ, quæ inde pendet propter proprietates quæ per definitionem probantur. In quem locum Eust. dicit à Plat. comparatam esse definitionem & principia meneratio & perfecto exercitus, conclusiones autem & Demonstrationes certantibus. Confirmatur. Nam ut diximus nor. 6. habet se definitio subiecti respectu passionis tanquam causa in omni genere causæ Item Demonstratio in qua est tale medium, est ex perfectè immediatis, definitio enim formalis demonstrabilis est per definitionem subiecti.

Sexta Propositio. Cum de subiecto demõstratur prima passio, tũ habet Demonstratio potissimum medium iam dictum, hoc est definitionẽ subiecti, sed cum demonstratur secunda, vel alia posterior, tum expresè probatur posterior per priorem, & sic est Demonstratio propter quid, sed non ita perfecta virtualiter autem etiam cum probatur definitionem subiecti, quod si explicitè fiat, perfectior erit Demonstratio, ideoque prior illa Demonstratio, qua ostenditur posterior passio per priorem, reducitur ad Demonstrationem propter quid, quia se habet prior passio tanquam causa posterior; fluit enim ab essentia mediante priore. quãuis perfectissima causa sit subiectum. Confirmatur. Quia nisi ita dicamus, paucissimas reperiemus Demonstrationes propter quid, etiam in Mathematica, vt in quibus vt plurimum vna passio ex alia præcedente probatur longo quodam ductu & ordine. Est autem figmentum quod Picol. dicit *cap. 6. ratione 5.* fingamus hominem non esse, risibilitatis autem definitionem esse in aliquo, etiam & in eodem futuram risibilitatem. Ex quo vult efficere medium Demonstrationis esse definitionem passionis, id enim omninò implicat in aliquo esse definitionem passionis & risibilitatis, & risibilitatem ipsam qui non sit homo. Hanc propositionem expresè docere videntur D. Tho. sup. Notandum autem, quod in huiusmodi definitionibus videntur aliquando fieri prædicationes innaturales verum sunt tantum innaturales secundum vocem, vt: Omne docile est admiratiuum, vbi prædicatur accidens de accidente, nam secundum rem est naturalis prædicatio, est enim sensus: hoc est admiratiuum, quia docile.

Septima Propositio. Nec tamen necessè est etiamsi medium sit definitio subiecti vt causa, totalem poni definitionem causalem; sed potest esse medium subiecti differentia; quoniam est præcipua pars essentiæ subiecti, & assignari potest pro causa passionis probandæ, & rationem habent quodammodo quadruplicem causæ.

Octaua Propositio. Hinc sequitur quomodo dicatur Demonstratio constare ex quatuor causarum generibus, quia subiecti definitio materialis harum omnium causarum rationem quandam habet, tamen potest præterea Demonstratio seorsim progredi ex distinctis causis, materiali, formali, &c. sed quod attinet ad efficientem & finalem, si accipiatur vt propriæ sumitur in effectis extrinsecis & ratione eorum debent esse propriæ tales causæ, hac ratione syllogismi constantes ex huiusmodi causis, non erunt dicendi perfectæ Demonstrationis. Cum ergo Aristoteles 1. & 2. *post.* exemplis vtitur de Ecclipsi, tonitru, congelatione, &c. noluit has esse perfectas Demonstrationes, sed vsus est tanquam magis obuijs exemplis, vt cognosceremus causam efficientem quæ vt plurimum accipi solet pro causa extrinseca. Quare de huiusmodi rebus possunt quidem esse syllogismi necessarij, non tamen perfectæ Demonstrationes. Vnde Auerr. reuocare videtur Demonstrationes ex vera causa efficiente ad eos syllogismos qui sunt ex signo extrinseco 1 *po. com.* 34. vel etiam dici potest considerari tunc istos effectus tanquam possibiles, vt dependentes quidem ex natura sua à causis proprijs & intrinsecis, sed cum habitudine tamen quandam ad aliquid extrinsecum; vel tanquam efficiens, vel tanquam dispositionem quæ ad efficiens reuocetur. Potius

 igitur

igitur Demonstrationes erunt de possibilitate talium effectuum, vt de Ecclypsabilitate, de tonitru vt possibile est. Et tunc causa propria efficiens dici poterit subiectum ipsum, quod potest talem effectum in se recipere; vt Ecclypsabilitatis causa efficiens est Luna ipsa, formalis, finalis, & materialis illa eadem, fieret & quodlibet subiectum respectu suarũ passionum. Et horum ratio est quia scientia non est nisi de rebus habentibus necessariam connexionem, & sic per Demonstrationẽ ex propositionibus per se, causa autem extrinseca nec est de ratione passionis.

Obijcies. Aristot. 2. *post*. *text*. 8. & 2; absolutè dicit rationem & definitione maioris extremitatis esse medium. Ergo definitio formalis passionis est medium. Itẽ sciri simul quid & propter quid. Ergo in Demonstratione per quam scitur propter quid, etiam cognoscitur quid, nempè definitio ipsa. Est igitur medium definitio ipsa passio. Respondeo primò. Si intelligamus de passionis formalis definitione, non loquitur ibi Aristoteles de perfecta Demonstratione, vnde ibid. subdit: Si verò rursus huius aliud medium sit, ex reliquis erit rationibus, hoc est ex alijs definitionibus, quoniam etiam passio habet præter formalem, causalem definitionem; at Demonstratio perfecta solum est ex indemonstrabilibus & immediatis, tunc ergo tantum est perfecta, cùm medium est definitio causalis. Vnde secundò per rationem & definitionem maioris extremi intelligere possumus definitionem causalem, vel definitionẽ subiecti vt causalis est, vel definitionem passionis non vt formaliter est definitio, sed vt causa. Tertio. Cum dicit Aristot. idem esse cognoscere quid & propter quid, non vult vtrumque in Demonstratione formaliter pręstare: quid enim propriè scitur per definitionem tantum distinctum instrumentum, sed tantum virtualiter, quoniam medium in Demonstratione est definitio, quare t. 8. concludit Aristoteles syllogismus est quidem ipsius quid, sed non fit per Demonstrationem, planum est tamen per syllogismum & per Demonstrationem. Vnde quamuis per accidens sit ipsum quid cognosci in Demonstratione, non tamen est per accidens propositũ Aristotelis quod ibi dicit, quod erat vt ostenderet definitionem non probari per Demonstrationem, ideoque concludit. Quare syllogismi quidem ipsius quid est, non fit neque demonstratio, planum est tamen per syllogismum & per Demonstrationem, quia eius faciliè potest ex Demonstratione definitio.

Obijcies secundo. Cum sumitur medium definitio ipsa, tum in Demonstratione ponitur propositio aliqua non naturalis; nam prædicatur in maiore definitum de definitione, quia maius extremum de medio. Est autem medium definitio, passio maius extremum. Respondeo. Hæc obiectio locum habet siue definitio dicatur esse subiecti, siue passionis, sed hæc etiam obiectio valdè confirmat nostram sententiam; illud enim inconueniens sequitur, si medium sit sola definitio formalis passionis, quia se habet definitio vt forma quędam. Est autem præter naturam prædicatio, cum id cuius aliud est forma, de alio prædicatur. Si autem dicamus medium esse definitionem causalem, & quia se habet respectu effectus hæc definitio tanquam forma quædam, erit pręдicatio naturalis, vt si dicas: Aptitudo ad ridendum est risibilitas, immaterialis est, si autem: Animal rationale aptum ad ridendum, est risibile, est naturalis. Illa autem prior esset maior in Demonstratione, cuius medium esset definitio formalis, posterior, in demonstratione cuius medium esset definitio causalis. Ex his ergo apparet quomodo conciliari possint plurimæ opiniones. Prima quæ ait definitionem subiecti esse medium, materialiter enim id verum est. Secunda. Quæ ait esse definitionem passionis, nam id quoque verum est de causali. Tertia. Quæ vtramque definitionem, nam causalis definitio vtramque quodammodo comprehendit. Quarta. Quatenus dicit medium esse causam maioris extremi, quæ aliquando quoque esse possit causa minoris, quamuis

verò

verè semper in perfectissima dicendum medium debet esse causa formalis subiecti materialiter, & causa propria passionis. Nona. Quæ ait medium esse causam formalem minoris extremi, & efficientem maioris, si de efficiente intrinseca loquatur. Decima & Vndecima. Etiam si ad rectum sensum trahantur, sunt veræ, præsertim 11. D. Thomæ. Reliquæ falsæ sunt, & suis locis à nobis refutatæ. Igitur qui dicunt passionis definitionem esse medium, verum dicunt materialiter, qui definitionem subiecti, similiter, & præsertim si de prima passione loquantur. Vnde formaliter semper medium debet esse causa passionis, & materialiter est definitio causalis respectu eius quod à subiecto fluit, hoc est respectu cuiuscunque passionis respectu autem primæ materialiter est definitio subiecti, & hæc videtur esse sententia D. Thomæ tum locis citatis, tum 2. *post. t.* 1. & 18. Hinc etiam sequitur Demonstrationem propter quid primo esse eam, quæ ex quatuor causis constare potest. Secundo. Quæ ex differentia subiecti, vt etiam est causa. Tertio. Ex causa vna aliqua intrinseca. Quarto. Cum posterior passio probatur per priorem. Quinto. Si addere placet, sed omnium imperfectissimè, cum medium est causa intrinseca, efficiens & finalis.

SECTIO TERTIA.

De Demonstratione Quia.

De hac duo dicemus: An sit, & quotuplex? Quia enim specialem habet hæc species difficultatem, sunt hæc tractatione seiungenda.

QVÆSTIO PRIMA.

An detur Demonstratio Quia.

Prima Opinio. Auic. apud Auerr. 1. *post. com* 95. & *q.* 15. negantis dari. Primo. Quia non est syllogismus faciens scientiam definitam ab Aristotele, hoc est rei per causam, nec habet conditiones Demonstrationis positas *t.* 5. Imò ibid. Aristoteles ait posse quidem sine illis conditionibus esse syllogismum, non tamen Demonstrationem; nam si aliquomodo dicas conuenire Demonstrationi Quia, etiam plures dici poterunt esse Demonstrationes, vt ad impossibile, negatiua, particularis, &c. Secundo. Frustra esset Demonstratio propter quid, quoniã non potest cognosci causa per effectum, quod fit in Demonstratione Quia, nisi etiam cognoscatur effectum, esse illius causæ effectum, sed hoc est cognoscere causam, esse talis effectus causam, quod Demonstratio propter quid probat. Confirmatur. Sequitur enim peti principium in Demonstratione Quia, nam probatur causa effectus de subiecto per effectum. Supponitur ergo ignotam esse causam, sed debuit etiã esse nota, antequam inferretur per Demonstrationẽ, in maiore enim propositione prædicatur causa effectus de effectu, & cum debeat esse propositio necessaria, & vt talis cognosci, debet quoque connexio inter effectum & causam, quæ est vt huius effectus hæc sit causa. Cognoscitur ergo & supponitur in maiore propositione causam esse, quod tamen probandum esset. Confirmatur. Ex 1. *pr. cap.* 21. petitur principium cum prius probatur per posterius, posterior verò est effectus, prior causa. Confirmatur tertio. Si dicas non cognosci causam, vt causa est, ideoque non peti principium, quoniam id probandũ est, sequitur Demonstrationem esse tantum syllogismum probabilem, quia in maiore prædicatur causa passionis, vel effectus de effectu, sed non potest cognosci necessaria connexio causæ cum effectu, nisi cognoscatur causam istam esse effectus causam. Ergo si non cognoscitur probabilis tantum est syllogismus. Probatur etiam, nam Demonstratio Quia se habet vt Inductio. 1 *post. t.* 23. Inductio autem non est necessaria argumentatio, Ergo nec Demonstratio Quia. Hoc ipsum docet Them. 1 *po. c* 15. Simpl. 1. *ph. com.* 2. appellans Demonstrationem Quia syllogismum coniecturalem. vbi

etiam

etiam ex eo infert Physicam non esse perfectam scientiam, quia tota ferè constat ex Demonstrationibus Quia, & coniecturalibus syllogismis. Phil. 1. *post. comm.* 2. vocat syllogismum istum Topicum. Et Aristot. 1. *post. comm.* 55. vocat syllogismum à signo, dicitque t. 23. non dari veram Demonstrationem circularem, quoniam Demonstratio Quia non est vera Demonstratio.

Secunda Opinio. Auct. sup. D. Tho. Alb. omniumque Latinorum, & Them. 1. *post. com* 7. vbi ait Demonstrationem quidem aliquando esse ex prioribus secũdum nos, & non simpliciter, sed non esse simpliciter, sed secundum nos Demonstrationem. Et *cap.* 14 *sub fin.* ait Demonstrationem ab effectu esse Demonstrationem, sed minus perfectam. Et *cap.* 17. ait: Sicut serie est duplex, per causam, & per effectum, ita & Demonstrationem. *Cap.* autem 15. solum vult hanc Demonstrationem non esse adeò perfectam, sed *cap.* 30. id apertè supponit, dicens perfectiores scientias esse per Demonstrationem propter quid, minus autem perfectas esse per Demonstrationem Quia. Philop. quoque & Alex. 1. *top. cap.* 1. nec non etiam Simpl. eodem modo possunt exponi.

Notandum primo. Aristot. 1. *post. t.* 2. 5. *& deinceps*, propriè solum loquitur de Demonstratione propter quid, secundariò autem etiam de Demonstratione Quia. Probatur. Quia alioquin in t. 30. sine causa conferret vtramq; Demonstrationem inter se, & hoc docet Them. *cap.* 7. ex analogia ad duplex scire, dicens etiam posse dici Demonstrationem Quia esse & ex causis, & ex prioribus, scilicet secundum nos. Totam denique Demonstrationem appellat secundum nos, & *cap.* 27. Sunt, inquit, & alij syllogismi, nempe qui sunt ex causa, quatenus causa significat quoduis medium, qui Demonstrationes dicantur, modo cætera quæ requisiuimus habeant, vel conditiones Demonstrationis propter quid, idque proportionaliter. Vnde Arist. t. 5. cum tantum syllogismum excludi dicit qui non habeat allatas conditiones, nō autem qui aliquo alio modo proportionaliter illas habeat. Non tamen eadem est ratio Demonstrationis ad impossibile, Inductionis, syllogismi particularis, &c. nam Demonstratio ad impossibile constat aut ex apertè falsis, aut ex aliqua hypothesi & suppositione negatiua non parit scientiam perfectam, quæ positiua tantum est. Particularis syllogismus est de re quæ propriè sub scientiam non cadit. Quare Arist. 1 *po. t.* 23. comparat Demonstrationem Quia Inductioni, non quod sit ex singularibus, sed quia est ex posterioribus, sicut Inductio est ex singularibus, quæ vniuersalibus sunt posteriora.

Notandum secundo. Demonstratio Quia definitur ab Aristotele t. 30. syllogismus producens scientiam quia, hoc est, quo cognoscimus quod res sit aliquomodo, hoc est, quod sit ens. Ad hoc autem subdit quod cognoscamus rem esse, cum ex effectu probari dicitur causa; quia enim vtplurimum solet hæc Demonstratio fieri ad probandum causam esse, dici solet per hanc Demõstrationem probari quod causa sit, cum alia etiam probari possit. Non est autem necesse vt per hanc Demonstrationem cognoscatur causa vt formaliter causa est, sed tantum esse connexionem inter id quod à posteriori sumitur vt medium, & aliud quod esse probatur; illud autem fieri potest ex eo quod animaduertimus id quod tribuimus subiecto, & est medium esse proprium illi quarto modo, quod ipsum inde colligamus, quia inductionem videmus conuenire omni & sempiterno, & quia naturali lumine cognoscimus id quod pluribus conuenit esse etiam naturale. 2. *phys. t.* 48. Quod autem naturale est, omnibus eiusdem generis conuenit, nisi aliud obstet per accidens. Item cum videamus in alijs conuenire accidentia pluribus subiectis, sed diuersæ naturæ, vt albedinem niui, cygno, &c. non autem aliquod accidens aliud determinatum, verbigratia, risibilitatem colligimus etiam soli vni subiecto huiusmodi accidens conuenire, sed si pluribus subiectis insit accidens, ab ijsdem tamen non separetur

pareretur, inferius esse accidens proprium respectu eorum omnium, quæ idẽ participant propter aliquam vnam naturam iisdem communem, & propterea etiam inferius ex huiusmodi accidente inesse totali illo & adæquato subiecto naturã veram communem, quale est verbi gratia sentire, intelligere, &c. sicut contrà ex eo deprehendimus aliquod accidens esse commune, quod non omnibus in quibus est insit inseparabiliter, ac propterea sequitur non habere necessariam cum illis connexionem. Deniq; hæ omnes regulæ adhibendæ sunt, quibus cognoscimus habere aliquod attributum cum alio connexionem, vt quod posito illo primo, ponatur, & primum ablatum primum etiam auferatur subiectũ. Præterea quod non videatur vlla res extrinseca quæ attributum illud producat in rerum natura, & quod sit causa cur huiusmodi affectio rei conueniat. Item quod nunquam videamus huiusmodi prædicata separari, intendi, vel remitti, quod dicant aptitudinem rei, quod nihil aliud est, quam ipsamet res ipsa, non autem consistat formaliter in actu. Hinc est quod Auer. sup. ait posse esse cognosci, aliud inesse alteri necessariò & per se, & subiectum etiam esse de definitione illius, quamuis ignoremus formaliter causam illius prædicati, vt experimur non posse concipi in nobis risibile sine homine, habere tres angelos, &c. sine triangulo, & tamen ignorari possunt harum affectionum causæ, & quamuis ex eo quod videmus non concipitur prædicatu aliquod sine tali subiecto talis affectionis, non tamen præcisè & distinctè nouimus huiusmodi causam. Confirmatur. Nam nõ quoties cognoscitur necessaria aliquorum connexio, etiam & quęnam sit alterius causa, verbi gratia scimus risibile esse connexum cum flebili, non tamen quod alterius causæ sit. Quod si Arist. 1. po. com. 55 dicat syllogismum à signo parere scientiam quæ est per se, sed non prout est per se, id nobis non afficit, quia prodest potius; comparatiuè enim loquitur Aris. quia certum est hanc: Homo est risibilis, magis cognosci esse per se, cum illius proximam causam nouimus, quã cum per solum hominem, qui causam tantum in confuso continet, & significat.

Notandum Tertio. Potest tamen aliquando in Demonstratione Quia cognosci causa passionis vt causa est, non tamen illa quæ de subiecto est demonstranda per illãmet Demonstrationem; habet enim passio plures causas, verbi gratia, si de homine demonstrandum sit rationale per risibile, in minori prædicabitur risibile de homine, cuius minoris necessitatem cognoscere quis potuit ex causa aliqua materiali extrinseca, vt videt homo propter necessaria ad risum, vel contrà, ex eo quod rideat homo, illam ipsam causam cognoscere possumus, causa autem probanda erat rationalitas.

Notandum Quarto. Potest etiam in Demonstratione Quia aliquando cognita esse causa probanda, antequã actu Demonstratio absoluatur, nam quod passio insit subiecto, quæ esse solet Demonstrationis propositio minor, potest multis modis esse præcognitum, ignoratâ, ignoratâ adhuc causa passionis vel omni, vel ea certè quæ demonstranda est, tum verò consideratis conditionibus necessarijs ad causam antequam Demonstratio tota perficiatur, quærere possumus causam ipsam, qua inuenta, fit maior propositio, in qua prædicatur causa de passione, sicq; in conclusione posita minore propositione, in qua prędicatur passio de subiecto, infertur causa vt causa, tunc autẽ non petitur principium in maiore, quia in ea non prædicatur causa de subiecto, de quo in cõclusione infertur, sed de passione, quam tamen in minore sub sumo prædicari de subiecto, nec potest cognosci causa passionis conuenire subiecto, nisi cognoscatur conuenire passioni, non est tamen id absolutè necessarium. Ita potest causa passionis cognosci ante totam Demonstrationem per resolutionem, qui

est modus quidam rerum inueniendarum, de quo *2. po. com.* 58. in qua resolutione multi discursus permisceri, definitiones & alia huiusmodi finita. Ergo resolutione cognoscitur causam existere, causam esse formaliter causam, passionem inesse necessariò subiecto, propter illam causam inesse subiecto eandem passionem, cum insit eidem subiecto passio. Tamen hęc omnia non discernuntur distinctè, sed cognitione confusa sciuntur, vnde postea cognoscuntur syllogismum Demonstrationis Quia, & propter quid, quorum ille distinctè probat causam inesse subiectò, hic verò cur insit eidem subiecto passio, cum constiterit subiecto inesse passionem.

Notandum Quinto. Etsi ante Demonstrationem Quia cognoscendo causam passionis subiecto inesse, consequenter etiam cognitum fit & propter quid inesse ipsa passio subiecti, tamen hoc est per accidens Demonstrationi quæ præcedit Demonstrationem propter quid, cuius non est probare propter quid passio insit subiecto, sed illud potius supponere, quam exprimere, si alterum dicendum sit de illius ratione, & sufficit, vt dictum est; cognosci per Demonstrationem Quia causam, vt quid necessario connexum cum subiecto propter passionem quæ est medium, vel vt quid connexum cum passione, quæ de subiecto prædicatur in maiore propositione. Cum enim in Demonstratione causa passionis non sumatur vt medium, nã hoc tantum fit in Demonstratione propter quid, non exprimit Demonstrationem quia causam passionis vt est causa eius, sed potius cum passio sumitur pro medio, significabitur passionem esse causam cur subiecto insit causa cum id quam hoc modo causa accipiatur, tandem concluditur eam esse, & passio dicitur huius Demonstrationis esse medium & causa, non secundum se, sed secundum nos, sicut & Demonstrationis propositiones, quia priores sunt & notiores quam conclusio secundum nos, & tota demum Demonstratio appellatur Demonstratio secundum nos. Denique quãuis ex eo quod in maiore propositione dicendũ quia prædicatur passio de causa, & in minore passio de subiecto, inferatur etiã & de subiecto prædicari causam, id tamen est propter necessariã collationem præmissarũ, quod solum indicat vim optimæ illationis, nõ autẽ est petitio principij, quia non supponitur in pręmissis quod in conclusione inferendum est.

Dicendum ergo est dari Demonstrationem Quia. primo, Quia scientiæ ferè huiusmodi solum Demonstrationibus vtuntur, præsertim Physica, & omnes subalternatę. Cõfirmatur. Quia sunt medię tes, quæ vix nisi à posteriori cognosci possunt, quoniam nobis esse viam cognoscendi innatam, docet Arist. 1. *ph. t.* 2. *& com.* 3. *&* 4. Secundo, Non generat hic syllogismus opinionem, aut errorẽ, sed cognitionem veram, certam, necessariam, & vniuersalem, alijsque prædictam conditionibus, ob quas dici scientia possit. Tertio, Est hic syllogismus ex propositionibus per se, & necessarijs, at ex necessarijs ait Arist. 1. *po. com* 45. non est nisi demonstrantem syllogisare. Cõfirmatur. Quia propositiones immediatæ, ex quibus maximè constat Demonstratio propter quid, nõ possent cognosci, cum ignotę sunt, nisi per Demonstrationẽ Quia. Nisi autem de illis præmissis habeatur certa cognitio, non potest Demonstratio propter quid scientiam gignere. 1. *po. com.* 51. *&* 45. dicit duplicem esse scientiam, qua cognoscimus rẽ esse, & quæ propter quid, illam autem Dẽmonstrationem Quia. Dicit etiam certiorem esse scientiam quæ scit quia & propter quid, nam quæ tantũ scit quia. Ergo instrumentum quo illius quæ scitur habetur cognitio scientificum est præsertim cum 2. *po initio* dicat Arist. esse quæsita, quot sunt scita, vel scibilia, vnũ autem ex illis est quod sit. Denique de Arist. id nullo modo dubitare licet, omnes quoq; illius Interpretes id docent. Them. *in proem. ph.* vbi ait hanc Demon-

rationem si non potissimam, saltem nobis sufficientissimam esse ad causarum absconditarum inuentionem. Porrò solet hæc Demonstratio appellari multis modis, quorum vis & significatio exsequentibus constabunt. Primo, Dicitur via nobis innata. 1. *ph. t.* 2. nempè quia ex effectu nobis notiore procedit, quod etiam dicit Arist. 1. *po. com.* 95. *&* *lib.* 2. 25. secundo, Dicitur Demonstratio quia, quoniam illius finis est cognitio huius quæsiti, & dicitur etiam Demonstratio essendi propter idem. Ita Them. 1. *po. cap.* 24. 27 29. Dicitur quoque Demonstratio vt sit, quod sit, & an sit, & demonstratio existentiæ, & demonstratio inuentionis. Tertio, Dicitur Demonstratio ex non causa, ab effectu, à posteriori signi coniecturalis, quoniam procedit ex talibus medijs; quamuis enim aliquando dicatur Demonstratio quia quæ est per causam remotam, tamen quoniam hæc etiam tantum ostendit rem esse, etiamsi causa sit prior, retinet nomen Demonstrationis Quia. Quarto, Appellatur Demonstratio à notiore. Sic Them. 1. *po. cap.* 29. hoc est à notiore nobis. Auer. *com.* 95. *&* *in Ep. Log. cap. de Demonstrat.* vocat Demonstrationem euidentiæ. Sed quia ex quibus hæc Demonstratio procedit, non sunt simpliciter notiora, ideò aliquando etiam dicitur Demonstratio ad non demonstrandum simpliciter. Ad primum argumentum. Patet ex not. primo. Nam Demonstratio Quia non est ita perfecta atq; Demonstratio propter quid, tamen conditiones positæ ab Aristotele conueniunt Demonstrationi quoque Quia secundum quandam analogiam, non autem propriè loquendo Demonstratione ad impossibile, vel particulari, aut negatiuæ. Ad Secundum, Primo. Sequeretur etiam tollendam esse Demonstrationem propter quid; nam cum vis probare effectum per causam, scire debes connexionem causæ cum extremis, quod ie p o posito dices; idem ego dicam. Secundo, Quomodo oporteat vel debeat cognosci hæc connexio, & causa ipsa ante illatam conclusionem in Demonstratione Quia, diximus *not.* 2. 3. 4. *&* 5. Item *in not.* 1. diximus quomodo conferatur ab Arist. Demonstratio cum inductione. 1. verò *pr.* dicitur peti principium, cum probantur priora per posteriora respectu naturæ, quæ aliud & oppositum ordinem postulat, vel cum prius & posterius sumuntur in eodem genere. Verum in Demõstratione quia probat, prius in vno genere, hoc est causa per posterius in alio genere, hoc est per effectum, qui accipitur in priori secundum nos, & non secundum naturam. Deniq; 1. *pot.* 23. negat Arist. dari medium in Demonstratione in eodem Demonstrationis genere. Quamuis ergo detur regressus à Demonstratione Quia ad Demonstrationem propter quid, tamen quia sunt Demonstrationes diuersæ rationis, & Demonstratio Quia non est Demonstratio simpliciter & perfecta eiusdem rationis cũ sequenti, ideò non dari circulum docet Arist.

QVÆSTIO QVARTA.

Quotuplex sit Demonstratio Quia.

ARist. 1. *po. t.* 30. duplicem facere videtur Demonstrationem Quia: Vnam à posteriori ex affectu ad causam, alteram à priori per causam remotam, sed dubium est quid per hæc duo intelligatur.

Prima Propositio. Demonstratio à posteriori quæ dicitur ab effectu, est cum probamus causam esse, vel etiam aliquid aliud per passionem, effectum, signum, aliuduè necessariò connexum cum illa re. Vt autem hæc Demonstratio sit perfecta, debent hæc esse quid conuertibile cum subiecto ex Aristotele *ibid.* Auer. *com* 25 Verbi gratia, Est Eclypsis, ergo est interpositio terræ. Exemplum autem posterioris quod non conuertitur cum præcedente vt: Non calefacit Ergo non est ignis, non enim valet contra. Calefacit. Ergo est ignis.

Nec etiam ad calefactionem sequitur ignis; potest enim suspendi hic actus, virtute saltem diuina.

Ratio autem cur debeat Demonstratio ex effectu constare reciproco, est quia huiusmodi esse debet Demonstratio Quia, vt ex ea ad Demonstrationē propter quid transitus & regressus fieri possit, quod non fiet, si effectus iste non sit reciprocus, non est opus repetere, debere huius Demonstrationis præmissas esse per se, id enim in vniuersum suprà ostendimus de omni demonstratione, Inde autem sequitur meritò ab Auer. reprehendi Them. qui tertiam quandā dicebat esse Demonstrationem Quia, videlicet cum ex aliquo effectu, aliquē item alium effectum probamus, verbi gratia si ex risibilitate flebilitatem: nam etsi concedi possit inter multas passiones, quæ ex eodem subiecto fluunt, vnam esse posse tanquam medium respectu alterius, tamen tunc Demonstratio illa pertinebit ad speciem Demonstrationis propter quid, quia est à priori, & à causa vera. Nihilominus cū ex eodem item subiecto aliqua procedunt, sed sine vllo ordine, non potest tūc ex vna effectus alius probari vera & perfecta Demonstratione, sed syllogismo tantum qui ratione materiæ necessariò concludit. Et ratio est, quia debet Demonstratio Quia esse talis, vt possit ab ea ad Demonstrationem propter quid regressus fieri, hoc autem est, cum probata iam existentia causæ, ex ea progredimur ad effectum probandum. Inter ista autem duo non est ordo causæ & effectus. Eodem modo non est Demōstratio dist. ncta cum ab effectu aliquo remoto probatur causam esse; si enim remotus dicitur, quia latius patens quā causa, non erit necessaria argumentatio, si autem remotus est quia non proximè fluit à causa, cum eadem tamen conuertitur, eadem ratio erit atque eius Demonstrationis, qua ex proximo effectu probatur causam esse videlicet, erit Demonstratio Quia.

Secunda Propositio. Cum probatur rem esse per causam remotam, cum causa remota significet conuertibilem quidem illam, sed non proximam & immediatam, erit Demonstratio propter quid, vt cum secunda, tertia, vel aliqua alia passio probatur per subiecti definitionem. Quamuis non ita perfectè per eam sciatur propter quid rei illius, verbi gratia est viuens: Ergo exstruit, nam hic effectus immediatè est à nutritione, nutritio autem à viuente. Cum verò causa remota dicitur, quia communis est & ratio suæ causalitatis, non est cum effectu conuertibilis, tunc dicitur Demonstratio Quia. Et sic Arist. loquitur 1. *post.* com 59. Verum hæc Demonstratio sola est negatiua in secunda figura, & vt plurimum in secundo illius modo: cum enim hæc causa sit remota & communis, amplior effectu ipso, non ponitur effectus illa posita, sed ea ablata aufertur, ideoque solum probari potest de effectu quod non sit in re propter talē causam. Vt igitur Demonstratio fiat, ita erit syllogismus construendus: Medium quod est causa remota in maiore propositione cum maiore extrem. ponatur, hęc est cum effectu de cuius ratione est. Quare erit affirmatiua propositio, & vt sit vniuersalis prædicabitur causa de effectu vniuersaliter, quoniam latius patet. Et cum medium in maiore prædicatus, sine dubio est secūda figura. Rursum cum dictum sit proptereà conclusionem esse debere negatiuam, necessariò minor quoque erit negatiua, cum maior sit affirmatiua, vt in sola etiam secunda figura minor propositio sit negatiua; nec enim loquor de indirectis primæ figuræ, & vt summatim dicam, cum non possit ex causa remota, hoc est communi & latius patente colligi effectus affirmatiuè, sed negatiuè, ideò argumentatio etiam debet ex negatione causæ ad negationem effectus, & cū causa, quæ est medium, prædicari debeat, & non subijci; latius enim patet quam effectus, & affirmatiuè etiam prędicari, quia non esset illius causa, & cum conclusio debeat esse vniuersalis negatiua,

tiua, etiam minor erit talis, in qua negabitur causa de subiecto. Fiet ergo hęc Demonstratio negatiuè in secunda figura in Camestres. Id patet in exẽplo, quod Arist ponit: nam demonstrat parietem non respirare, quia non est animal. Medium ergo est animal, maius extremum est respirare, animus paries, cum minore iungi debet medium, in minore propositione, non potest verò id esse nisi negatiuè, dicẽdo: Nullus paries est animal, cum maiore verò extremo in maiore propositione medium quoque coniungetur, quod erit affirmando, quia est causa illius: Omne respirans est animal, hic ergo syllogismus est in Camestres: omne respirãs est animal, Nullus paries est animal. Ergo nullus paries respirat, vbi animal est causa remota, quia latius patet; nec enim omne animal respirat, proxima autem causa esset, id quod pulmonem habet, vel aliquid pulmoni respondens, omne enim respirans pulmonem habet, & contrà. Quamuis autem hæc Demonstratio sit à causa, & à priori, non tamen dicitur propter quid, quia solum probat rem esse, & non propter quid, immò potius probat rem non esse, nec huiusmodi est a qua ad Demonstrationem propter quid regressus fiat. Hinc sequitur primo Rectè ab Auer. defendi Alexan. contrà Alphar. Thom, &c. qui dicit tantum in secunda figura esse talem Demonstrationem, illi autem etiam in prima. & affirmatiuè: id enim apertissimè docet Arist nec tamẽ mihi placet, quod respondens Phil. Auer. dicit, & approbat Zab. lib. de speciebus Demonstrat. c. 5. dari causas remotas, quæ cum effectu reciprocentur, sed quia pauca sunt, id noluisse considerare Aristotelẽ, quia quæ rarò audiunt, non habetur in scientijs ratio. Et quia quamuis detur aliqua causa reciproca remota, tamen semper verum erit dicere ab ea licere argumentari ad effectũ negatiuè, quod Arist. præcepit, omittens dicere quod ex positione causæ, quæ aliquando cum remota sit, etiam reciproca esse potest, posse negatiuè effectum concludi, licere argumentari ad negationem effectus. Non inquam id mihi placet, quoniam non loquitur Arist. de causa remota quomodocunque, sed quæ latius pateat, vt apparet ex exemplo posito, & quia si reciproca sit, reuocanda est tunc Demonstratio ad Demonstrationem propter quid. Et profectò si verum est posse aliquam causam remotam esse mediũ vt ex ea affirmatiuè etiam in prima figura effectus colligatur, non debuit id facere Arist. quia ad falsitatem regulæ & alicuius communis satis est si vel in vno deprehendatur esse falsa. Secundo. Sequitur Demonstrationem à causa remota esse imperfectiorem Demonstratione ab effectu, illa enim est negatiua, & in secunda figura non patit adeò perfectam cognitionem, nam causam esse ab effectu optimè probamus: est enim Demonstratio ab effectu sufficientissima effectum autem non rectè cognoscere possumus nisi per causam aut omninò proximam, aut certè conuertibilem. Huius certè Demonstrationis, quæ est per causam remotam, propositiones non sunt vniuersales, hoc est de prædicato vniuersali primo & secundũ quod ipsum. Nec etiam per se, nam in negatiua propositione non potest vnum esse de alterius definitione, aut aliquando alteri per se propriè conuenire, etsi forte accipiatur maior propositio huius Demõstrationis, in qua causa remota prædicatur de effectu, & est de eiusdem ratione, sed hoc non sufficit. Tertio sequitur vix hanc Demonstrationem demonstrationis appellationem mereri, vt quidam non planè abs re dixerint eam tantum esse æquiuocè Demonstrationem, & certè nos suprà videmur eam exclusisse sub nomine Demonstrationis negatiuæ: scire enim quid res nõ sit, non videtur esse dignandum nomine scientiæ, vnde vt plurimum fit tantum monitio à Philosophis Demonstrationis propter quid à causa, & Demonstrationis Quia, quæ est ab effectu, ideoque Auer. ipse. *com.* 51. & 54. docet omni-

omni Demonstratione conuenire has conditiones, de omni per se, & quatenus ipsum, quod tamen non est adeò restringendum ad omnem Demonstrationem, sed ad eas quæ in his duobus generibus perfectissimæ sunt. Imò Arist. de illa dicendum à causa remota ait potius ea vti vulgares, & fieri per excessum, vnde credendus est de ea potius egisse vt deprehendere possumus Demonstrationis perfectæ naturam & cõditiones ex defectu quem in hoc syllogismo cognosceremus.

Tertia Propositio. Auer. *com.* 96. videtur quasdam alias species Demonstrationis Quia recensere, nempè iam in qua fit progressus à non causa, non est à causato signo, vel effectu conuertibili. Et ea quæ non est huiusmodi, sed cuius effectus minus latè patet. Ita Phil. *com.* 60 & 61. quibus addunt Demonstrationem a causa remota. Prætetea Auer *q.* 13. memorat Demonstrationem simplicem vt vocat, quæ nimirum inferat existentiã, & est de secundo adiacente, vt si inferretur: Est ignis. Item aliam quam dicit compositam, quæ infert existentiam vnius in alio, & est de tertio adiacente, vt si inferas, spongia est animal. Et *Ep log c. de Demonst.* distinguit Demõstrationem in vnam, quam vocat, euidẽtiam, & in alium, quam dicit esse non euidentiam, quam subdiuidit in eas de quibus *com.* 69. & *com.* 95. videtur reducere ad Demonstrationem Quia Demonstrationẽ ad impossibile, & *com.* 34. Demonstrationem à causa efficiente. Them. *cap.* 28 & 29. ponit primam Demonstrationem a causa remota, secundam ab effectu qui propriè effectus est, tertiam à signo, etiam in propria significatione, quartam ab effectu vel signo ad signum & effectum. Hæc tamẽ duo: Signum & effectum pro eodem, hoc est, pro causa saltem in entibus naturalibus & necessarijs accipit Auer. Alij absolutè accipiunt nomen effectus pro signo causato, & omni re posteriore habente connexionem cum priore, vt Alb. Aegid. &c. Aegid. ponit tres Demonstrationes. Primam, non causa, sed ab effectu, seu signo, sed proximo. Secundam, Cum est à causa, sed remoto. Tertiam, Cum ab effectu, sed remoto. Cæterum hæ omnes, aliæque species sunt accidẽtales, aut recedunt a vera Demonstrationis ratione. Debent huiusmodi veræ Demonstrationes etiam esse tales, vt inter illas possit esse mutuus regressus, & vt habeatur necessaria ac positiua cognitio, quales sunt primo Demonstrationes propter quid, & ex Demonstrationibus Quia illa quæ est cum effectu conuertibilis, & ex parte sit, & ex parte causæ, hoc est vt & ipsa ab alia causa fieri nequeat, quam ab ista, & vt illum causæ necessariò efficiat: nam defectu primi color non est effectus ex quo inferri possit ignem esse; potest enim fieri ab alia etiam causa defectu secundi: Ex fumo etiam non potest inferri vera demonstratione ignem esse, quia non omnis fumus ignem efficit. Cõcludendum igitur est solam Demonstrationem Quia propriè esse illam, in qua ex effectu conuertibili probatur causam esse. Reliquas etiam eo tantum nomine dici Demonstrationes, quatenus certa possunt parere cognitionem.



QVARTA

QVARTA PARS TRACTATVS.

De proprietatibus Demonstrationis.

DEmonstrationis proprietates multæ colligi possunt, nempè ex omnes ex quibus accidentales Demonstrationes fieri diximus, vt quæsitum, negatum, affirmat ostensiua, vel ad impossibile, quod non transcendat de genere in genus, quod ex tali medio, quod Demonstratio perfectissima fiat in prima figura, & primo modo, & aliæ multæ, quæ non egent explicatione. Vna autem est celeberrima, nempè Regressus Demonstrationis, de quo dicemus.

QVÆSTIO

An sit, & quid sit Regressus demonstratiuus.

NOtandum primo. Aliud esse circulum, aliud Regressum Circulus est, quādo ex illata conclusione propositionis probatur per conclusionem vt fiat ex conclusione propositio, & propositione conclusio. Sed pluribus adhuc modis dicitur circulus primo, in syllogismis ratione formæ. 2.pr cap.5. videlicet vi cōclusionis, hoc est cū ex cōclusione illata, & altera præmissarum conuersa, altera ex præmissis infertur. Secundo, Docet Arist. c. 11. idem fieri in syllogismo ad impossibile, quamuis non tam propriè circulus dicendus sit, quia non reditur à conclusione ad præmissas, nec ad illas probandas, sed regredimur à contradictione conclusionis alterius præmiss. Denique cap 20. à conuertente ad conuersum. Quarto, dicitur circulus consequentia à contrario ad contrarium, de quo 2.top. c.2. Quinto, cum causa & causatum se consequuntur. Lege Bald. hic in cap.3.1 po Sexto, Dicitur circulus in Demonstratione, qui esset cum id demōstraretur quo vsu sumus pro medio, siue vt inquit Them. c 7. Demonstratio circularis esset, in qua id quo demonstrandis alijs vtimur, per illa ipsa retro astruimus, hac nempè ratione, quemadmodum ex Aristotele c.6. colligitur, vt circulus sit vi causæ, verbi gratia, si ex A, demonstremus B, & reuertentes demonstremus A, eodem modo sumptum ex B, vt vtraque Demonstratio sit propter quid, verbi gratia si quis à priori cupit demonstrare risibile per rationale, & iterum rationale, per risibile etiam à priori, & per causam. Et hoc Aristoteles ait fieri non posse, quia sequeretur idem esse prius & notius secundum idem, & eodem modo, & posterius atque ignotius, causam & effectum, & idem ex se ipso demonstrari, tādem enim probaremus A esse, quia est A, vt patet ex explicatione textus. Regressus autem est, cum probatur primum causa per effectum, tum autem effectus per causam, si modo effectus sit primum notior, vt inter se hæc duo conuertantur.

Notandum Secundo. Quoniam quæstio est de regressu demonstratiuo, placet Arist sententia. c.3.1 po. negantis dari circulum demonstratiuum, cuius rationes paulò ante leuiter attigimus. Nec tamen negauerim posse dari circulū inter duas causas diuersi generis, ita vt vna probetur per aliam, & vicissim prior per posteriorem. Vt enim ait Arist. 2 ph t.30. causæ sunt sibi inuicem causæ, hic tamē non est perfectè dicendus circulus; nam in priore Demonstratione qua vna causa probatur per aliam, quæ probatur, se habet vt effectus quidam, cū autem rursum probata causa sumitur vt medium alterius probandæ, habet se probāda vt effectus, causa quæ assumitur, vt vera illius causa, verbi gratia probari potest materialis causa per formalem, & postea formalis per materialem. Idem videre est in omnibus Relatiuis, quæ etsi non propriè, dici tamen possunt mutuo sibijpsis esse causæ.

Dices. Quædam videntur in eodem planè genere causæ inuicem per seipsas

pro-

probari, vt pluuia per vapores, & viciſſim vapores per pluuiam, nã pluuia vapores generat, & excitatis vaporibus rurſum pluuia generatur, quod etiam indicat Ariſt. 2 *po com.* 66. Reſpon. primo. Non ſunt huiuſmodi Demonſtrationes perfectæ, nec enim ſunt ex cauſa propinqua & adæquata: eſto enim interdum pluuia fiat ex vaporibus, non tamen ſemper verum vapores nõ ſemper excitantur ex humefacta terra per pluuiam. Tum etiam non ſumuntur iſta eodem modo & reſpectu eiuſdem, quia vapores cauſati à pluuia non ſunt eiuſdem pluuiæ cauſæ. Et prætereà cum vapores ex pluuia producuntur, id fit quia ſolis aut aliquo alio calore excitati in ſublime tolluntur, ex vaporibus autem fit pluuia, frigefactis & condenſatis. Et hoc quod diximus de iſto circulo demonſtratiuo, qui eſſe poteſt inter Demonſtrationes propter quid, ſignificare videtur Ariſt. 2. *po. com.* 7. cum docet definitionem vnam per aliã probari poſſe; factis quoque id expreſſit, cum Demonſtrationis finalem definitionem per materialem probauit, & contra hanc per illam. Omiſſo igitur errore illo de circulo demõſtratiuo, quem confutat Ariſt de regreſſu eſt.

Prima Opinio. Aug. Senenſis in art. med. Gal. Non dari regreſſum, quoniã, inquit, totum quod præſtari poſſet per poſteriorem huius Regreſſus demonſtrationem, quæ eſt propter quid, præſtitum iam eſt per Demonſtrationem Quia, videlicet cum cognita eſt cauſa per effectum & paſſionem, ac ſimul etiam huiuſmodi effectus hanc eſſe cauſam. Hæc eſt principalis huius ſententiæ ratio. Accedunt quoque confirmationis loco rationes quibus Ariſt. circulum demonſtrationum euertit.

Secunda Opinio. Franciſci Neritonenſis, cuius opinionem examinat Bald. quæſt. de reg. Is admittit regreſſum, non tamen qui demonſtratiuus rectè dici queat; vult enim Demonſtrationẽ propter quid eſſe probabilem & topicam, quoniam non eſt, inquit, ex notioribus nobis, Et confirmatur. Quia proceſſus ab effectu ad cauſam neceſſarius eſt, nõ tamen contrà, vt docet Ariſt. 2 *po. cap de cauſis.* Inquit enim Ariſt. poſita domo poni ædificationem, non tamen poſito ædificatore poni domum.

Tertia Opinio. Dari regreſſum, verum qui eodem modo non ſit dicendus demonſtratiuus, quoniam Demonſtratio Quia eſt ſyllogiſmus topicus. Quam recentiores quidam apud Bald. dicunt eſſe Græcorum opinionem, ipſe verò tribuit Phil. Eſt autem re vera tantum Auicennæ, vt ſup. diximus.

Quarta Opinio. Eſt communis, dari regreſſum inter duas veras & perfectas Demonſtrationes, quamuis ſit perfectior Demonſtratio propter quid. De qua re lege Interpretes *c.* 3. *po. lib* 2. *com.* 91. *&* 92. Apoll. 1 *po. quæſt.* 18. Alb. 1. *po. tr.* 2 Caiet. *in c.* 13. 1 *po.* Aegid. P. M. Ven. *in* 1 *&* 2. *po.* Them. 1. *po. cap.* 7. 29 *lib.* 2. *cap.* 18. vbi vocat Demonſtrationem obambulatoriam. Auer. 1 *po. com.* 23. 24 26. 97. *&* 98. *& lib.* 2. *com.* 91. *&* 92 *0. ph. com.* 12. *&* 15. *lib.* 8. *com.* 50. *&* 53. 1. *Animæ com.* 11. *in Ep. Log cap vlt.* Domin. de Fland. 1. *po. q.* 13 *& lib* 2. *quæſt.* 12. Sed ex recentioribus benè differit Bald. *quæſtio de hac re*, & Zab. *lib. eiuſdem argumenti.*

Prima propoſitio. Datur aliquando regreſſus demonſtratiuus. Docet Ariſt. *cap.* 3 1 *po.* vbi ſignificat dari poſſe circulum in diuerſo genere Demonſtrationis, non autem in eodem, quod volebant veteres, qui tamen propriè eſt circulus. Et *com.* 96. 7. *&* 8. dicit dari regulam, ſed in terminis conuertibilibus. Et *com.* 91. 92. ait talem non eſſe circulum perfectum, quia vnus ex ſyllogiſmis nõ eſt Demonſtratio ſimpliciter, hæc eſt perfectiſſima, & propter quid. Imò idẽ Ariſt. ſæpè vtitur regreſſu, *vt* 1. *po. t.* 15. *&* 19. dicens præmiſſas eſſe per ſe, quia neceſſariæ ſunt, & contra. Et *t.* 7. *ac* 21. dicit concluſionem eſſe neceſſariam, quia præmiſſæ ſunt neceſſariæ, & contra. 8. *ph. t.* 49. probant ex motu æterno dari æternum motorem. Et *t.* 53. propter motorem æternum dari motum æternum.

2.*Cal.t.14.&24.* ex differentijs positionum ostendit moueri cælum ab ortu ad occasum;& contra. Et *t.48.& 59.* stellas esse immobiles, quia sunt rotundæ, & contra. Ratio autem patet ex dictis de Demonstratione Quia & propter quid, si enim datur vna ex effectu ad causam, altera etiam probare poterit ex causa effectum. Confirmatur. Quia, vt diximus, Demonstratio Quia non facit ex se cognoscere propter quid, nec causam vt causa est, sed solam eius existentiam. Confirmatur etiam. Quia alias tota physica periret, ac magna etiam pars Metaphysicæ; nec enim potest in physica Demonstratio propter quid fieri, nisi ex regressu à Demonstratione Quia, vnde 1.*phys. initio*: Innata, inquit, Arist. nobis est via ex notioribus nobis ad causas quæ natura notiores sunt procedere, ex quibus deinde fiunt Demõstrationes propter quid. In Metaphysica autem non habetur cognitio Dei, vel intelligentiarum propter quid, nisi præcesserit Demonstratio Quia, qua à posteriori probamus illos esse, & 1. *Animæ t.11.* Ex accidentibus proprijs, ait Aristoteles, cognosci ipsum quid, quid autem esse principium Demonstrationis accidentium. Est igitur hic regressus inter causam propriã & passionem, siue effectum, & terminos conuertibiles, & secundum rectum ordinẽ debet procedere Demonstratio Quia: nam Demonstratio propter quid supponit existentiam causæ, vt ex ea probetur cur subiecto insit passio. Quamuis autem ex his quę *quæst. vltima præced.* partis dicta sunt, facile solui possent rationes omnes quæ contra Reg. afferunt, tamen aliqua adhuc dicemus.

Secunda Propositio. Cum per Demonstrationem Quia cognoscatur tantum causam existere, & consequenter ipsa vt causa non cognoscatur distinctè, sed ante Regressum à Demonstratione Quia ad propositionem quid, vt Caietan. Bald. & Zab. obseruant, intercedit aliud quoddam, quod appellant examen, vel negotionem, aut considerationem mentalem, qua causa quæ imperfectè & in confuso prius cognita fuerat, distinctius ac perfectius considerata natura illius & conditionibus, & comparando cum effectu, tandem cognoscitur vt causa. Vndè postea tertio veluti loco per Demonstrationem propter quid ingredimur ad ostendendũ propter quid insit effectus subiecto. Alioquin cum non possit res maiorem notitiam parere ea quam habet, non posset per causam cognitam quoad existentiam alia haberi effectus notitia, quam quod is existeret, nihil enim dat quod non habet. Bald. verò refellit quosdam dicendi modos circa rationem, qua habeatur cognitio causæ post Demonstrationem Quia, ante Demonstrationem propter quid, & concludit haberi per definitionem. Ego autem dico hoc multis modis fieri posse. Primo, Posita cognitione existentiæ causæ, aliquando ob euidentiam talis causæ, statim ex sola terminorum cognitione cognoscimus causam talis effectus, vt si exploratum sit accendi ignem in nube, statim quo compertum sit esse tonitru causam, sicut multa sunt quæ cum primum in conspectum nostrum veniũt, statim oculis cernuntur. Et hoc potissimum locum habere supra diximus in immediatis quæ ex terminorum apprehensione lumine naturali cognosci solent, & ex natura sua postulant vt ita cognoscantur. Factis ergo huiusmodi Demonstrationibus per Demonstrationem ex effectu veluti præsentibus, intellectus eas quasi intuetur altiore illo habitu, qui potentiæ nomen retinens, intellectus dicitur. Secundo. Id fit illis modis quibus sup. diximus causam, quæ ante non erat cognita vt causa est per multos discursus aut resolutiones notam fieri ante Demonstrationem propter quid; tunc enim facta Demonstratione Quia, potest fieri statim regressus ad propter quid, & quamuis in resolutione illa & causam etiam, & propter quid effectus sit cognitum, non tamen censetur vtraque illa Demonstratio inutilis, quoniam per illas hæc eadem planius & distinctius, ac meliore forma cognoscuntur. Confirmatur exemplis Aristotelis, quia 8. *phys.* postquam Demonstratione Quia agnouit existentiam motoris

 æterno

æterni per motum æternum, antequam ingrediatur ad probandum motum æternum, t.53. exponit essentiam motoris æterni, vt sit impartibilis, impassibilis, immobilis, quamuis iterum versus finem libri has conditiones disentiat. De quo exemplo quod prior Bald. attulit multa Zab. cap.6. Præterea 1.*phys.* materiam primam probauit ex transmutatione & generatione esse, postea à t.57. *vsque ad* 70. materiæ conditiones exposuit, & longè adhuc post, si vera est Zab. expositio *in cap. suo* 5. Ex materia probat *in lib. de generatione* tanquam ex causa perpetuam rerum generationem. Quod etiam notat Bald. Item 3.*de anima*. Ex operationibus repetit Aristoteles intellectum agentem & possibilem, deinde explicata vtriusque natura, regreditur & dat propter quid. Item *lib.4 de cælo*. Inuenta existentia grauis & leuis ex motu rursum & deorsum, non statim regreditur, & ex existentia motus circularis etiam non regreditur *ibid in t.2 sed postea t.17.*

Dices. Cum per illud examen cognoscitur causa vt causa, cognoscitur etiam causa vt est effectus causa. Non ergo est necesse regredi ad Demonstrationem propter quid, vt id demonstremus. Resp. Cum cognoscitur causa virtualiter, virtute etiam cognoscitur effectus, Demonstratio autem facit vt expresse cognoscatur, quod ante non sciebatur distinctè. Nec hoc mirum est, siquidem medium virtute est totus syllogismus, quare non videtur negandum non cognosci causam formaliter in Demonstratione Quia, cum præsertim sit post dictam resolutionem, quamuis id Zab. concedi potest, quod *cap* 7. dicit, imperceptibili interdum hęc omnia tempore fieri, sed quod eodem tempore concedit, id verò ægrè illi condonari potest.

Tertia Propositio. Vt compendio naturam & conditiones Regressus cognoscamus, Regressus est processus rationis artificiosus, in quo primum effectum demonstramus causam, deinde per causam ostēdimus effectum, non in eodem genere Demonstrationis, nec circa idem quęstionis genus. Prior enim est Demonstratio Quia, & probat existentiam causæ, posterior propter quid, probatque propter quid insit subiecto passio, circulus autem ab eodem ad idem penitus procedit, sicut circularis linea. Quare regressus imitatur potius figuram triangularem, quia est ab esse effectus ad esse causæ, ad propter quid effectus. Secundo. Incipere debemus à Demonstratione propter quid, qui enim scit propter quid, etiam scit existentiam, & causa non fit nota ante Demonstrationem Quia, quamuis non negent etiam per Demonstrationem propter quid existentiā quodam perfectiore modo effectus cognosci, quam ante. Tertio. Debet esse in terminis conuertibilibus, ex Arist. 1.*post. com.*97. & Auerroes *ibid. & comm.*8. *& in Ep. in fin.* 2 *post. comm.*66. Ex Them. *cap.*27 *lib.*1. *& lib.* 2. *cap.*30. Ratio est. Quia si effectus amplior est, impeditur primus progressus; non enim valet: Est lux, ergo ignis, si causa, impeditur secundus, etsi enim valeat: Respirat, ergo habet animam, non tamen contra, quia præterea requiritur pulmo. Quarto. Debet fieri in prima figura. Colligitur ex Aristotele, & quia perfecta scientia requirit talem figuram. 1.*post.t.*31. Quinto. Debet fieri vtrimque ex notioribus; alias enim non esset perfecta Demonstratio. Sexto. Ita fieri debet ex Demonstratione Quia, quæ præcedit, conclusio contineat prædicationem causæ de subiecto, & in Demonstratione propter quid fiat minor propositio. Iam verò minor Demonstrationis Quia, in qua prędicatur passio de subiecto, fiat in Demonstratione propter quid conclusio. Denique maior Demonstrationis Quia, in qua prædicatur causa passionis de passione, conuersa simpliciter fiat maior in Demōstratione propter quid, hoc est, vt prędicatur passio de causa passionis; potest enim fieri conuersio simpliciter in propositione vniuersali affirmatiua, cum termini sunt conuertibiles. Nec tamen vis posterioris Demonstrationis pendebit ex ista conuersione, quæ tantum indicat connexionem necessariam, & conuertibilitatem; sed ex causa quæ assumitur in ipsa tanquam

tanquam medium. Sit hoc exemplum vt probemus hominem esse rationalem, & postea propter quid sit risibilis: Omne risibile est rationale, omnis homo est risibilis, ergo omnis homo est rationalis. Erit dicendum propter quid quod sequitur Omne rationale est risibile, omnis homo est rationalis, ergo omnis homo est risibilis. Vltimo vsus huius regressus in multis scientijs esse potest, in Physica frequentissimus est, in Mathematica rarius, aut penè nullus; vel enim in causis non propriè vtuntur, aut illæ sunt effectus vel notiores, vel æquè notæ, etiam quoad nos. Ad rationes aduersariorum patet solutio.

&c.





TRACTATVS DE SCIENTIA.

QVoniam latè hæc res patet, hæc potissimum explicanda sunt. Primò. An sit. Secundò, Cùm duplex sit, Habitualis & Actualis. de Actuali primò est agendum. Tertiò de Habituali. Quartò comparabimus habitus scientiæ atque etiam actum eiusdem cum alijs tum actibus tum habitibus Intellectus, præsertim cum omnium imperfectissimis, qui sunt Opinio & Fides.

PRIMA PARS.

De Scientia in communi.

IN hac prima disputatione agemus de existentia scientiæ, vt sumitur in communi pro certa quadam cognitione, & de scientia quæ in nobis patari potest, nihil enim de supernaturali, Angelorum, vel nobis infusa, quod Auer. *in lib. de som. & vig.* impiè negauit, asserens nullas diuinitùs scientias infundi. De qua re D. Thom. 1. *part. quæst.* 84. Simul etiam videbimus quis sit modus comparandæ scientiæ, & quæ illius sit natura, quæ cõclusiones. Hæc enim omnia & alia quæ de Scientia dicenda proposuimus, ad Logicum fine dubio spectant, cuius etiam est tradere modum & instrumentum sciendi; eiusdem enim est explicare finem, cuius & medium. Et hoc fatetur Auerr. 2. *phys. com.* 16. dicens, pertinere ad Logicum ponere differentias inter scientiam in communi: nempè primi principij de Demonstratione *Quia* & *propter quid*, & de scientijs quæ inde efficiuntur. Ponere enim discrimen inter scientias propriè est solius periti, vt autem sciẽtia est eos queddam, sic spectat ad Metaph. hac enim ratione de ea agit Aristoteles 4. & 6. *Metaph.* ac peculiari etiam iure illius est, statuere scientijs obiecta sua, quatenus versatur circa ens maximè cõmune, & maximè communibus vtitur principijs, quod docet Auerr. 4. *Cal. com.* 4. & 4. *Met. com.* 1. Scientia est, vittus quædam intellectus, ratione ali qua spectans ad hominis felicitatẽ, de ea disputat Moralis Philosophus, vt videre est apud Aristotelem 6. *Ethic*, vt denique est effectus quidam animæ nostræ, agitur de illa ab ea parte Physicæ quæ est de Anima. Nos autem vt agamus de scientia prout ad Logicum spectat, primò supponere debemus illam esse.

QVÆSTIO SECVNDA.

An sit rerum scientia?

HActenus in tota Logica quam diximus esse sciendi modum, & dum agerrmus de sciendi instrumentis, supposuimus dari scientiam, tamen quia hac de re dubitari meritò potest; ideò hîc nobis visum est hanc quæstionem disputare, vbi de natura scientiæ alijsque eius conclusionibus necessariò agendum est. Ex Socratis disciplina qui primus Philosophiam naturalem, quod parum & vtilitatis & modicæ certitudinis habere videretur, ad Ethicam transtulit, dixitque quæ suprà nos, nihil ad nos, in plures eius discipuli sectas abière Inde enim veluti proseminatæ sunt scholæ Platonis, Aristotelis, & Xenoc. Alia verò ex parte Antist. patientiam & duritiam Soc. æmulatus cynicum philosophandi genus arripuit, Aristip. Cyrenaicam familiam instituit; orti sunt quoq; inde Eretri, Megarhenici, Pyrrhonici; alijque complures, vt non sine causa Cic. *lib.* 1. *de fin.* Socratem appellet Philosophiæ atq; philosophorum omnium parentem. Ex his ipsi Academici, Pyrrhon. Protagoras, Thales Mil. Socrate etiam antiquior, & Ionicæ philosophiæ Autor, Hom. Emic. Emped. apud M. Fic. *in Epist. Tetr.* Heracl. & Cratyl. apud Aristotelem 4. *Met. text.* 22. Zeno, Gorgias & Xenophanes apud Aristotelem

stotelem de his tribus philosophis. Anaxagoras & alij putabant, omninò non esse scientiam de rebus, sed suspendendum & tenendum esse in omnibus assensum, quod fortasse adducti sunt, vt dicerent propter vulgatam illam Socratis sententiam: Hoc vnum scio me nihil scire; vnde Socr. ironia & dissimulatione scientiæ vtebatur, nihil asserendo in totius veritatis inquisitionem incumbens, nihilque ex se sed ex aliorum confessione concludebat. Vel certè quod reuera de rebus omnibus dubitaret, sicuti Platonem illum secutum fuisse professi sunt Speusippus Xenoc. Polem. Crat. Aristoteles etiam 2. *Eth. cap. vlt.* testatur solitum Socratem interrogare tantum, & non respõdere. Confitebatur.n. inquit Aristot. se non scire, quod idem habet Plut. *lib. de q. Plat. in init.* Porrò ex his ipsis qui hæc profitebãtur, nihil planè scire, quidã fuere qui ne quidẽ inquiri vellent, quod nihil inueniri aut cõprehendi posse putarẽt, talis fuit Clitom. Carneades, &c. Qui autẽ etiã nũc res perquirebãt, dicti sunt Scept. non negãtes res posse cõprehendi suaptè natura, sed à nobis, vt contrà, qui item aliquam comprehensam putarent, Dogmat. appell. ita vt tres philosophandi rationes esse dicerentur, Academ. Scept. Dogmat. lege Sextum Empir. in lib. contra Mathem. id est, contra scientias omnes & disciplinas; vbi cùm Herodoti Philadelp. sectator Pyrrhonicæ fuisset, scientias omnes insectatur. Dicitur autem idem fuisse qui Sextus Cheronçus, Plutarchi Cheronçi sororis filius; qui floruerunt sub M. Antonino Imperatore, tum in lib. Hypotiposeon Pyrrhonicarum. Ipse autem videtur in eadem sententia ponere Academ. mediã eiusq; Autorem Arcesi. *lib.* 1. *hypot. c.* 1. *&* 11. Idem inquirit de Acad. *in* 3. 4. *&* 5. lege etiam Diogenem *lib. 9. in Pyrrh.* D. Aug. *lib.* 83. *quæst. q.* 9. Henric. de Gand. *in sum. q. art. Concl. differentia* 3. Mirand. *lib. de Cert. doct. gent.* Gal. *de op. gent. doct.* Plut. de communibus notionibus contra Stoicos, quibus idem tribuit, cum tamẽ Sextus inter Dogmaticos referat. Et Plut. ait eosdẽ negasse sensum. Euseb. Cæsar. 14. *præpar. Euang. cap.* 7. D. Aug. 3. *contra Acad. cap.* 7. *&* 8. *de Ciuitat. Dei. cap.* 12. D. Ieron. *contra Iouinian.* Lactantius *lib.* 3. *cap.* 6. Plut. 1. *quæst. Plat. ante med.* Procl. in Eucl. *cap.* 6. *&* 15. Albert. Mag. 1. *post. tract.* 1. *cap.* 5. Variæ autem causæ hos Authores impulerunt, vt scientiam de medio tollerent; ex cit. tamen Aur. colligitur & Cic. in quæst. Academ. Anax. & Xenoc. putabant omne cum omni permistum esse, ideoque nihil de vlla re noti æstimari posse. Pyrrho, Hom. Xenoc. Zeno, Democ. & alij, quia Intellectus pendet à sensu, qui fallax & incertus. Quare Am. præfatione in prædic. dixit solitũ Pyrrh. vti exemplo fluuij in quem fieri nequis, vt quis bis introeat, quoniam ante elapsus est, quam secundò irrupetis significans res omnes fluxas esse. Academici, quia scientia haberi debet ex signis, quæ nullam falsi continent rationem, huiusmodi nulla esse possit. Vnde Cic. 1. *quæst. Acad.* Neque inter nos inquit, & eos, qui se scire arbitrantur quicquam interest, nisi quod illi non dubitant, quando ea vera sunt quæ defendunt, nos probabilia multa habemus, quæ sequi facilè, affirmare vix possumus. Et in fine Catulus sic rem concludit: Ergo ad primam reuoluor scientiam, &c. Protag. quia nihil natura sua verum vel falsum esse, sed huiusmodi cuique videretur. Et Atticus, quia videbat omnia esse in continuo motu & fluxu, vnde vtebatur etiam exemplo fluuij, dicens ne semel quidem licere in eũ ingredi, quia antequam totum demersum sit corpus, aqua defluxit plurima. *Nos autem rationes eas esse dicimus*, quæ tum omninò negantibus scientiam esse, tum aliquo tamen modo Veritatem indagantibus, vt tamen scientiã assequi nos posse negent. Nos præcipuas autem tantum proferemus, cum valdè multas habeat Sext. Emp. & Franc. Mirand. locis citat. Principalem autem locum obtinẽt Sceptici ita dicti, ἀπὸ τοῦ σκέπτεσθαι, id est, indagare. Dicti etiam sunt ζητητικοί, id est inquisitores, ἀπορητικοί, id est dubitãtes &c. neque quod de rebus omnibus & quærerent

quærerent & tamen semper ambigerent. Vnde orta illa vox, de qua Cicero in Acad. ἐποχή, id est, retentionis assensus. Deniq; dicti sunt Pyrrh. quoniã Pyrrho, vt Sext. inquit solidius, & apertius sceptism pertractaret, quam qui illum ætate præcurrerunt.

Prima ergo Ratio est. Tam varia ijsdem de rebus hominum iudicia, tum quæ ad mores spectant, tum quæ in sola veritatis cognitione consistunt, indicare manifestè videntur, nihil liquidè veritatis percipi posse. Quam rationẽ significat Arist. 4. *Met. text.* 22. & rectè persequitur M. Fic. Hinc illud Ouid. *Tot hominum mores, quot sunt in orbe figura.* Et illud. *Trahit sua quemque voluptas.* Item. Nam non vna trahit cunctos, eademque voluptas. Vnde lepidè Luc. in dial. Hermor. siue de sectis, ex varietate Opin. probat, nulli esse assentiendum. Sunt aliæ innumeræ sentẽtiæ, de rebus grauioris momenti inter se dissidentes. Nam quod ad summum bonum attinet, D. Aug. *de Ciuit. Dei, 4. cap* 1. Ex M. Varr. *in lib. de Philosophia*, 128. *vel* 288. de summo bono Philosophorũ sentẽtias refert, vt rectè idem *epi.* 125. *c.* 5. scribat horum ingenia & otia hac in quæstione contrita esse. Et Cic. in Luc. de errore tot Philosophorum inquit, de bonis contrarijsque rebus tantoperè discrepasse vt plus vno verum esse non possit, iacere necessè sit tot disciplinas & lege Euse. 14. *de prepar. Euang.* Theod. rerum *lib* 2. de curandis græcam. vbi habet illud Temonis. Mortales miseri, probrosi ventris ad instar, Quænam vos lites nugis pugnantibus vrgeor, O vtres animi sine aquis implentur ioanes. De Deo plurimæ extiterunt sententiæ, de quibus Cic. de natura Deor. D. Aug. 5. & 6. *de Ciuit. Dei*, Them. vt habet Socrat. 4. *hist. Eccles. cap.* 27. Oratione ad parentem Imperatorem plusquam trecentas opiniones recensuit, vt verissima sit illa Aristotelis 4. *Met. text.* 21. Si enim inquit qui maximè verum vident, hi autem sunt qui maximè illud quærunt & amant, tales opiniones autem & talem de veritate ferat. &c. Cicer. 2. *de diuin.* Nihil tam ridiculum & absurdum esse ait, quod non aliquem Philosophorum Authorem & defensorem habuerit. Contra Stoicos, grauissimum Philosophorum genus Plat. op. scripsit de ipsorum contradictionibus, & aliud quo ostẽditur Stoicos absurdiora quam Poëtas loqutos esse. Et. *lib.* 1. *de plac. Philosophorum*, varias sententias discrepantes narrat. Denique ipsosmet Peripat. quos meritò Cicero maximi facit, ait ibidem, ita degenerasse, vt ipsi ex se nati videantur. *Confirmatur*, Ex varietate, fluxu & immutabilitate rerum omnium. Vnde Hom. & alij dixerunt Oceanum esse omniũ patrem, matrem autẽ Thetin. Sunt autẽ hi Dij aquæ præsidentes quę in continuo fluxu consistit. Sic etiã Thales Milesi. primus ex 7. *sap.* credidit rerũ omnium primũ principiũ esse aquam. *Confirmatur etiã* Authorit. omnibus assentient. Aut est enim aliquibus tantum, aut maximæ multitudini. Profectò non omnibus. Si aliquibus, quibusnam tandem potius. Dicis enim Platonis discipulus, esse credendum Platoni, Epicuro Epicureus. Si maximæ multitudini, quî nobis constare potest, maximã multitudinẽ in re aliqua concordare, cùm certum sit, plurimas esse nobis ignotas nationes, quæ moribus, scientijsque ab his quæ nobis nota sunt, fortè diffideant.

Secunda Ratio. Sensus sæpe falluntur, vt incertum sit, certinè aliquid aliquando comprehendamus, vt patet in coloribus colli columbæ, Iridis, ligni putrefacti, & in baculo aquis immerso qui fractus esse videtur. Vnde Xenophanes apud Sextum Empiricum lib. 7. pag. 322. *Nullus*, inquit *apertè vir scit, sed neque vir sciet vnquam, de Dijs & cunctis à me quæ dicta fuère, &c.* Vtramque hanc rationem indicat Arist. 4. *Met.* *t.* 20. Quin etiam decipimur in rebus, quæ vidẽtur manifestissimæ, vt quod nix sit alba. Contrarium enim probare conabatur Anaxagoras, quia nihil aliud est nix quam aqua concreta. Aqua autem est nigra; ergo nigra est etiam nix. Simile est de cotou Caprino, quod

cum nigrum sit, ramenta illius alba sunt: Argentum è contra cum album sit, ramenta illius nigra apparent. Vt nō immerito Metrodorus Chius dixisse feratur, nihil nos scire, nec etiam sensib. attendere. Cōfirmatur hæc ratio: Quia his, quæ apparent talia, opponi possunt apparentia contraria; sic Turris in se quadrata, eminus intuenti videtur rotunda. Adhæc varijs animalibus imò etiam hominibus variæ eiusdem rei phantasiæ obijciuntur: Ictericis pallida videntur, quæ nobis alba sunt: qui oculos diu in solem intenderit, literæ ei videntur aureæ: si verò fricuerit, ob longæ & angustæ. Speculum concauum corpora nobis minora exhibet, curuum oblongata alia quædam vultus nostros & cæterarum rerum facies demonstrant inuersas. Atque hæc de visu. Idem dici potest de auditu propter multiplicem in varijs animalibus organorum dispositionem, iuxta quam idē sonus ab alijs atq; alijs nunc sub graui, nūc sub tenui tenore recipitur. De odoratu, vt cū frigefacti & pituita laborantes, vel abundātia sanguinis circa caput obruti graueolentia existimamus ea quæ alijs suauia reputantur. De gustu, prout lingua aspera, sicca, aut humida fuerit, ex quo capite febricitantibus familiare est, vt dicant amarum dulce, & dulce amarum: Huc pertinet quæ passim naturalium rerum scriptores obseruant, verbi causa, vnguentum, quod homini gratū est scarabæis & apibus esse nociuum & intolerabile: Oleo vespas & apes interfici: Ceruos venenosorum animantium esu nutriri: Vrsos malè affectos recreari formicis: Viperam attingentem fauū, vertigine opprimi. Ab ariete Elephantem, à gallo gallinaceo Leonem fugari, Tigridem nō sustinere sonum Tympani. Alia plura referunt naturales Historici, Aristotele, Plin. Seneca. Ex quibus effici videtur, cum nos subiciamur eidem varietati, quę alijs incerta est, idoneos non esse iudices rerum iudicandarum, vt argumentatur Empir. lib. 1. c. 4. proinde etiam non posse sciri, an res aliqua pluribus sit prædita qualitatibus: vel enim non omnes percipimus, vel quæ percipiuntur, veræ qualitates non sunt. Denique quis non experitur, mille se modis affici, prout variæ quoque affectiones ab ætate, phrenesi, somno, fame, amore, iracundia, alijsq; humani corporis constitutionibus generantur? Hanc rationem tangit Arist. 4. *Met. t.* 24. Confirmatur. Nam phantasias nostras sæpè falli, docet Arist. *t.* 166. 1. *Metaph. t.* 24. sic etiam scientia dicitur sciri experientia, vt Arist. 2. *post. cap. vlt.* 1. *Rhet. &* *Met. cap.* 1. At experimentum, vt ait Hippocrates, fallax est. Denique omnis nostra scientia pendet ex phantasmatibus. Secundo de anima: *intelligentem os portet phantasmata speculari*, ergo scientia si quæ est, non tam erit vera adæquatio operationis intellectus nostri ad rem, quam vniuscuiusque circa rem priuata opinio. Confirmatur ex solertia animantium tam admirabili, vt ratione quoque prædita esse videantur. Qua de re vide Plutarchum, opusculo de solertia animalium, & alios, qui de argumento hoc accuratè scripserunt. Confirmatur iterum, ex varijs hominum complexionibus, & variarum nationum tum corporis, tum animæ propensionibus Vt pauca exempli causa referam. Attica quædam anus sine damno cicutam sorbebat, alius succi papaueris magnam copiam. Demophon qui instructor erat mensæ Alexandri Magni, ad solem vel in balneo stans, algere consueuerat: in vmbra verò incalescere. Plinius lib. 7. c. 2. docet quorundam hominum corporibus exitiale serpentum virus ita infestum esse, vt odore illius statim consopiantur, quo loco nec hoc tacendū est, quod Cæsarem historici affirmant, in tenebris non difficilius pleraque videre potuisse, quam alij ad lucem meridianam. Confirmatur tertio: Videmus res omnes communiter æstimari, vel pro assuetudine, vel pro copia: Vnde aliquando non minoris pretij habebatur moneta ærea, quam nostra ætate argentea.

Tertio

Tertia Ratio. Si quid credas te certò scire: vel illud scis per demonstrationē, vel non: si per demonstrationem, ergo hanc ipsam nosti, & quidem per aliam demonstrationem: & sic ibitur in infinitum: si non per demonstrationem: ergo iniuria tibi vis fidem haberi.

Quarta Ratio. Scientia est vniuersaliū. Vniuersalium vero cognitio acquiri nō potest sine inductione per omnia singularia: At per omnia singularia nulla potest esse perfecta inductio. Consequenter neque perfecta cognitio vniuersa- ergo neque scientia.

In alio extremo versantur illi, qui dicebant, omnium rerum esse scientiam, eamque cum sensu confundebant: de quibus Plato in Theo. & Arist. 2. *de anima t.*150. vbi opinionem hanc Empedocli tribuit. Ratio istorum erat: quia per motum omnia inuicem permiscentur ac transmutantur, nec quicquam sinceré est, sed omnia in omnibus. de nulla igitur re quicquam certo ac distinctè cognoscitur, sed tamen hisce alijsque non obstantibus, sit nostra

Prima Propositio: Nullam dari certam rerum cognitionem & intelligentiam, quod *scientia* nomine intelligimus, absurdum est, & omnino falsum. Ad quod probandum adduci potest hæc

Prima Ratio. Deus & natura nihil faciunt frustra, vt docet Arist. *lib* 1. *de cælo.* 22. *& seq nec non* 30. 1. *de Anima. t.*60. At verò omnes homines natura scire desiderant, præsertim speculatiua, quæ præstantiora sunt, & intellectū nostrum magis perficiunt. Debet ergo acquiri posse scientia. Certe. n. quando Natura propensionem ad aliquid dat, dat etiā media ad illud consequendum. V.G. animalibus propensionem dedit ad ambulandum: dedit proinde etiam pedes. Igni sicut indidit propensionem ad locum sursum, ita quoque tribuit leuitatem. ergo.

Secunda Ratio. Videmus in omni rerum genere quasdam esse propositiones quas etsi ore neges, ingenuè tamen & ex animo inficiari nequeas, quales sunt omnes quas tract. de principijs diximus esse principia, dignitates, immediatas propositiones, si illæ tamen externis principijs cognoscantur, verbi gratia, quis negare audeat, seruandam esse in Deum pietatem; quod sibi quisque non vult fieri, alteri cauendum esse vt faciat; quodlibet esse vel non esse, &c. Si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent erunt æqualia, quod tamen pertinax negat Carneades, vt scribit Gal. loc. citat. At ex huiusmodi principijs multa inferri possūt. Certa igitur erunt. Ex eo enim quod verum & certum est, non nisi verum item & certum effici potest; nec ex quolibet quodlibet; alioqui argumentabimur cū Gal. Cygni sunt albi, corui sunt nigri, ergo Academici & Scept. quod de Erasistrato Medico Logicam auferente dicebat Gal. sunt stulti. *Confirmatur.* Quia eò etiam scientia processit, vt certò quæ futura, prædicantur, vt sunt Eclipses, concursus siderum, &c. Quanquam qui ex siderum obseruatione ferunt de rebus futuris ac liberis iudicium, & ideò dicūtur Mathematici Iudiciarij, quique versantur in Horoscopis & obseruatione natalium dierum, & ideò Genethliaci appellandi sunt, tāquam perniciosissimæ Reipublicæ Christianæ pestes, à Christiano etiam nomine exterminandi sunt. *Confirmatur.* Quoniam inquit Gal. rationes quibus probatur, certi aliquid nesciri posse, nullus adhuc dissoluere voluit; quod indicio est, meras esse nugas & fallacias atque indignas in quibus enodandis cuiusquam desudet labor.

Tertia Ratio. Constat certam esse rerum omnium naturam, ratas etiam ac proprias affectiones: possunt ergo scientia aliqua comprehēdi. *Confirmatur.* Valdè enim absurdum videtur ab initio mūdi neminem scientiam veram assecurum esse, & frustra in ea comparanda elaborasse; quod si ita est, reddentur homines desides & inertes, vtpote qui desperant quicquam certò discere posse, & profectò cùm sit eiusmodi veritas, vt concedamus quod Aduersarij dicunt, esse totidem de re opiniones, omnes tamen so-

scopo aberrasse non est dicendum. Denique, in multis nemo tergiversatur.

Quarta Ratio. Sensus circa obiecta propria non falluntur, vt docet Aristoteles 2. *de anima, text.* 63, 152. 161. 4. *Met. text.* 24. & deinde scientiæ omnes sunt vniuersalium, quædam etiam seuocantur & abstrahuntur à sensibus. Nec quia multa sunt quæ ægrè à nobis certò cognosci possunt, ideò desistendum ab eorum inquisitione; vt contra Simonidem agit Aristot. 1. *Met. cap.* 2. *lib.* 10. *cap* 7, & Alb. *in* 2. *Met. ex* Ptolomæo refert: Si quid est quod partim à nobis sciri, partim nesciri potest, stultissimum fore eum qui desperatione eius partis quæ sciri non potest, illam quoque reijciat quam assequi potest; sic enim omnes scientias negligerent, cùm nulla propemodum sit, quam omni ex parte assequi possimus.

Ad argumenta Aduersariorum, satius fortasse esset Galeni sequi consilium, qui indigna putat vlla responsione. Respondebimus tamen ad primum. Multa etiam sunt de quibus nulla fuit opinio, vel successu temporis apud Sapientes nulla fuit dissensio. *Ad confirmationes*. Arist. 1. *Top. cap.* 4. Qui inquit dubitant Deos venerari, & parentes amari oportere, pœna digni sunt: qui vtrum nix sit alba, vel ignis calidus, sensu indigent. Causa verò cur aliqua ab aliquibus interdum non recipiantur, vt colligere est ex Arist. 1. *Cæl. text.* 22. est vel propter diminutionem naturæ, id est propter amentiã, vel propter paucitatẽ exercitationis, vel propter pessimam consuetudinem. Idem ferè colligi potest ex 2. *Phys. text.* 6. 71. & 74. 2. *Met. text.* 15. Quare non est simpliciter verum illud Senecæ; si diues es, lauda fortunam, si pulcher es, lauda formam, si sapiens, lauda te ipsum. Quãuis enim plurimum insit momenti in natura, non est id tamen per se sufficiens; nam vt inquit Victor. natura facit habilem, ars facilem, vsus verò peritũ. Hinc est illud quoque Hesiod. de triplici hominũ classe, vt etiam refert Arist. 1. *Eth. cap.* 5. & D. Bas. in Oratione πρὸς τοὺς νέους, quorum prima est, eorum qui ob bonam cõplexionem discere Marte proprio possunt. Secunda, qui ob facilitatem morũ & ingenij quoque habilitatem ab alijs discere possunt. Tertia, qui ob ineptitudinem ne ab alijs quidem. Vnde Aristot. de natura loquens, 2. *de anima, text.* 64. & 66. molles carne, apti mente. De exercitatione, sæpè monet veteres Philosophos quod exercitati in Logica minimè essent multa peccasse, vt 1. *Phys. text.* 6. 71. 3. *Cæl.* 61. 1. *de generat. text.* 7. De consuetudine, autẽ 2. *Met text.* 14. vbi de illis, qui fabularijs & puerilibus rebus assueti esse solent. *Probatur* etiam esse alia causa, ob communem caliginem mortalium hominum, qui cœlestis doctrinæ lumen non receperunt. Etiam maxima causa est animi prauitas, consectantis potius gloriæ vmbram ex sophistica contentione quam Veritatis lumen, quod credibile est plerosque ex Veteribus factitasse. Denique, Quoniam aliqui fuerunt scientiarũ repertores. Est autem aliquid primũ inuenire difficile; inuentis addere facile, vt rectè docet Arist 2 *Elench c. vlt.* 2. *Met.* 6. 2.

Ad secundum Argumentum. Non fallũtur sensus, si quæ requiruntur, omnia adsunt, quod autẽ id ita fit; colligitur discursu ex multorũ experiẽtia & collatione inter se. Sed de hoc agemus *in lib. de anima*. Adde quod ipsemet sensus, vel se corrigit, vel illum Intellectus, vt cũ iudicat Solẽ multo esse terra maiorẽ, quoniam ratio docet, cætera astra nõ pati deliquiũ propter lunã, quod vmbra terræ tanta non sit, vt ea quodammodo obtegere possit. Sic etiam de remo, vel baculo in aqua, cũ primum enim extrahitur, integer apparet, quare quod fractus videtur, id ad radiorum solarium referendum esse ratio suadet. Porrò ad oẽs istas confirmationes sigillatim respondere non vacat. Hoc certè meritò respondere possemus, quod Epictetum, dixisse ferũt. Si inquiebat ille, Academici alicuius seruus essẽ, & posceret quis panẽ, gladiũ porrigerem; quod si is obiurgans diceret nõ esse panem, adderem illũ non falli scientia sua, quoniã id verum esse putat, quod sensu iudicat, credibile est autem hallucinari sensum.

Ad

Ad tertium Argumentum. Rectè respondet Arist. Non omniũ rerum haberi semper Demonstrationẽ, sed prout vel res ipsa fert, vel si sint res adeò certæ, non egent Demonstratione.

Ad vltimum argumentum. Falsum est, non esse certum vniuersale, etiamsi ex Inductione singularium fiat, quod enim in plerisq; eodẽ se modo habere videmus, rectè colligimus & in vniuersum ita esse, præsertim si aliæ regulæ adhibeantur.

Secunda Propositio. Non omnia à nobis sciri possunt; loquor de rebus naturalibus. Est hæc propositio contra secundã opinionem dicentiũ, Ideò omnia aggnosci, quia omnia sub sensus cadere possũt, nec à sensitiua differt Intellectus nostri cognitio. Quorũ fundamenta adeò sunt infirma, & adeò etiã ex responsis cõtra argumenta primæ opinionis debilitata, vt aliam solutionem non postulent. Alij tamen fuerunt, qui res omnes certa scientia comprehendi posse putarent, modo scientifico & qui ad Intellectũ pertinet; de quibus melius est vt seorsim aliquid dicamus, si prius quomodo in nobis scientia fit, viderimus.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quomodo scientia fit in nobis?

ID est. An sit ingenita nobis scientia à natura; an acquisita; aut quo tandem alio modo in nobis fit.

Prima Opinio Platonis. Quod animis nostris fuerint diuinitùs concreatæ scientiæ, quas tamen in descensu ad corpora obliuione perdidissent, aut potius earum vsum intermisissent, paulatim autẽ sensuum beneficio redire in memoriã earundem rerum; quod alijs verbis dicitur generari in nobis scientiã non de nouo, sed per reminiscentiam. *Ratio potissima erat.* Tũm quia antequã in lucem homo ederetur, & humanum corpus efformaretur, conditi erant animi nostri, eos autẽ rerũ cognitione esse vacuos, nulla ratione patebat, iidem autem cùm in corpore illaberbantur, instar aquæ Lethęæ immergebantur materiæ cõcretione, & obliuioni dabant, quod ante nouerãt, tum quia experientia compertum est, pueros aliquos interrogatos de rebus Mathem. apertè solere respondere, signum ergo est, id eorũ animos ante tenuisse, quod in corporibus aptè respõdent. Tum deniq; quia brutis animalibus indidit natura cognitionem sensitiuã, ergo homini ratione vtenti æquũ fuit, vt ingeneraret etiã cognitionem Intellectus. Hanc suam opinionem ponit sæpè Plato, *in Men.* 7. *&* 10. *Reip, in Phad.* Eandẽ sequi videtur Phil. 2 *pr. c.* 26. Sed contra illã disputat Arist. *in Met.* & præsertim *lib.* 1. *t.* 43. *&* 3. *anima t.* 5. 14. 8. 6. ait, Intellectum esse in pura potẽtia ad omnia intelligibilia, ac velut tabulã quandã rasam. Et *lib. de mem. & reminis. &* 2. *Top. loc.* 15. ostendit latum discrimen esse inter scientiam & reminiscentiam. *Est tamen notandum.* Videri aliquãdo Arist. inclinare in hanc sententiã. Nam 1. *Cal. Id,* inquit, *quod nunquam esse desinit nec etiã cœpit: Anima autẽ nostra nũquam esse desinet: nunquam ergo esse cœpit.* Est igitur ante efformata corpora nostra anima in rerum natura. Itẽ 2. *de generat. animal. c.* dicit mentẽ esse quid diuinũ, & deforis adueniens. Item Intellectum esse antiquissimum omniũ: quæ si semel concedantur, consequens est, cũ ignorationẽ quisq; in se experiatur, discendo etiã aliquid promoueat, nec dici debeat fuisse animum nostrũ in ignoratione rerum ante corporis formationẽ, in eandem Platonis sententiã delabi Arist. Verũ aliud est dicere in quibusdã dictis Aristotelis nõ esse interdũ cohærentiã, quod forrasse non grauatè quis cocesserit in his præsertim quæ ad animũ nostrũ pertinent. Aliud autem velle Arist. apertè esse hui⁹ sentẽtiæ, quod certè concedi nõ potest, cũ eam toties disertis verbis refutet. Contra hanc opinionem lege D. Tho. 1. *p. q.* 84 *art.* 3. *q.* 10. *de verit. art* 6. 2. *cõtra gent c.* 83. D. Boët. 3 *de consolat. metro* 11. & D. Aug. *de quant. ani. & in solilaq.* visus est fauere huic opinioni. Verum *l.* 1. *retract. c.* 4. *& c.* 8. id retractat. Idem *l.* 12. *de Trin. c. vlt.* Et Tertull. *tomo* 2. *in tr. de ani. c.* 1. *quidẽ obliuionis, &c.* Nec est difficile refellere rationibus hanc sententiam.

Prima Ratio. Quia hæresis est dicere animas

de Existentia respondet D. Aug. 1. *retract. cap. 8.* Cur enim pueri aptè ad nonnulla respondeant, est vel quia conclusiones, de quibus interrogantur, necessario & euidenter deducuntur ex primis principijs per se notis, non secus atq; ab oculis meridiana lux percipitur, vel ob solertiam aliquam singularem, quæ, vt inquit Arist. *1. post. cap. vlt* est inuentio medij, cuius signum est, quod si ab eodem quis percunctetur vel conclusiones alias abstrusiores, vel ab alio quopiam easdem faciliores, sed qui tardiore sit ingenio, non facilè respondebit. Ad illud autem de brutis respondeo, hominem, illiusque animam inter res alias quæ intellectu sunt prædite, infimum locum tenere. Quare non statim, sed per discursum scientiam acquirit, præsertim cum natura dederit sufficientia instrumenta; nec est planè & omni tẽpore necessaria. Potest autem ad recitatam sententiam reuocari opinio Auerr. Them. *in lib. de anima*, & Simpl. *ibid. & in predic. cap. de qual.* Dicunt enim Them. & Auerr. esse vnum quendam intellectum separatum à quolibet homine, & communem omnibus, qui vniatur quibuslibet hominibus ad intelligendum ob variam phantasmatum dispositionem, pertinentium ad res varias. Simpl. autem dicit scientiam fieri à separato illo intellectu, quæ sit potentia deducens mentem & intellectum animæ ad speciem & intellectualem intellectionem, quibus occasionem dedit Arist. loquens de intellectu agente & possibili, quod tamen ex eo colligi non debet, & est falsissima sententia.

Secunda Opinio. Non multum discrepans à dictis Authoribus, est Auic. vt refert Auer 12. *Met comm. 18. & lib. 17. com. 31.* & D. Thom. 1 *p q 84. art 4.* quamuis ex Auic. *p. 5. de anima, in cap. 3.* oppositum colligi videatur, nempè fieri de nouo scientiam, nos autem solarum dispositionum esse causam, intelligentiam autem quandam, quam rerum quoque aliarum efficientem causam esse volebat, in nobis efficere sciẽtiam elicitis prius ex obiectis speciebus intelligibilibus. Ratio est ipsius, quoniam intellectus noster est in potentia ad intelligendum, & est subiectum scientiæ, non ergo ipsemet in se scientiam efficit, alias idem esset in actu & in potentia, agens & patiens, nec etiam fit scientia ab obiectis ipsis, quoniam singulares sunt & materiales, ergo ab intelligentia, quam inquit Arist. vocat intellectum agentem. Sed Thom. it. agere de intellectu agẽte, certè huius intelligentiæ operationem nemo in se experitur, & vt contra Platonem argumentabatur, non egeret quisquam sensuum ope ad intelligendum. Denique non magis ipsi intelligere diceremur, quam fistula per quam ijs loquitur. Ad rationem igitur Auicennæ respondeo, non esse absurdum in actionibus immanentibus idem esse subiectum actionis & efficientem causam, idem esse in actu & potentia, sine in actu formali, & potentia virtuali. Noster ergo intellectus adiutus obiecti præsentia elicit suam intellectionem, & argumenta quæ facta sunt contra Auicen. eodem modo valent contra Auerr. Them. & Simpl. Nec denique necessè est agens esse simile effectui producendo, si sit æquiuocum, præterquam intellectus informatus principijs & speciebus obiectorum est quodãmodo illi similis, priusquam autem vlterius progrediamur, notandum est Iamb. *apud Philop. in 3. Animæ, t. 14.* testari Aristotelem fuisse cum Platone in eadem sententia, ideoque cum in illo dixit esse similem intellectum nostrum tabulæ, posuisse græcè non chartam, vel papyrum, sed τὸ γραμματίον; nec enim dicitur γραμματίον, nisi γράμματα, hoc est literas habuerit. Quod si addat Arist. similem esse animam nostram τῷ γραμματίῳ, sed ἀγράφῳ, hoc est, *non scripto*, significare voluit, non esse scientiam illam alioqui à natura inditam expressam, sed obseruatam quodammodo & obliteratam. Sed leuis est hæc coniectura, est enim & γραμματίον tabula aptata scriptioni. Idem refert de Socrate Plut. *lib. de Socrat. quæst.* ac ideo dixisse Socratem, scientiam nostram esse veluti artem obstetricandi, quod tantum monstraret insitam notitiam, & non extrinsecus in genere.

Tertia Opinio. Quorundam apud Henricum *in sum. art.* 1. *q.* 2. scientiam de nouo acquiri, & fieri etiam ab intellectu, sed nō sine particulari ac speciali diuina illustratione, propter id 2. *Corinth. cap.* 3. *Non sumus sufficientes cogitare aliquid ex nobis quasi ex nobis.* Et D. August. *in Soliloq. &c.* dicit: *Sicut colores sine lumine videri non possunt, ita nec scibilia à nobis percipi sine diuino lumine.* Verum hæc res potius ad Theologos pertinet In materia de gratia, tamen sic breuiter expediemus. Hæc sententia non est necessaria. Ratio est. Quia scientia naturalis est naturalis omnis perfectior ergo non est opus alio genere auxilij diuini, quam quod rebus omnibus naturalibus datur vt suam possint perfectionem accipere, hoc antem à recte sentientibus appellatur, generale tantum auxilium, quod est intra limites auxilij naturalis, nec pertinens ad dona supernaturalia; nec enim est credibile toties Deū, & eam multis Ethnicis, etiam pessimis, communicasse hoc speciale auxilium, præsertim cum non ordinet ad hominem ad statum supernaturalem. Locus autem D. Pauli, vel D. August. vel de generali concursu Dei intelligendus est, vel etiam de ea cognitione quæ ad vitam æternam conducit, quod ideo B. Aug. toties dicit, quoniam agebat contra Pelagium hæreticum, cuius etiam hic error fuisse dicitur, vt etiam auxilium commune necessarium esse negaret. Ex his ergo concluditur in omnibus esse scientiam, saltem in potentia, & secundum inclinationem naturalem, de natura autem & quoad actum, id nobis fieri auxilio sensuum, & alijs modis.

QVÆSTIO TERTIA.

Quomodo acquiratur scientia?

NOn ingrediar Physicam disputationem de natura potentiæ intellectiuæ, & aliarum operationum necessariarum ad illius actum, ea solū persequar, quæ ab omnibus intelligi possint, & modum quo scientia fiat vtrumque explicabo, & de his quæ ad scientiam valdè conducunt.

Quarta propositio. Scientia in communi, vt inquit D. Aug. *Epist.* 112. fit ex visis & creditis. Per visa intelligo quæ sensibus omnibus percipiuntur. Itaque primo necessarium est vt ministerio sensuum vtamur & experimento, de qua re Arist. 1 *pr. c.* 31. *lib.* 2. *cap.* 23. 1 *po. t.* 33. *lib.* 2. *cap. vlt.* 1. *Met. cap.* 1. & *ibid* Nyph. *disp.* 7. Iand. & Domin. de Eland. Fons. *quæst.* 4. *sect.* 3. Præcedit ergo sensus, dum productio specierum intelligibilium, mediantibus phantasmatibus, quod de apud D. Thomam *q.* 10. *de ver. art.* 6. negant, dicentes fieri scientiam ab intrinseco, non pendere autem à cognitione sensitiua, quia ad præsentiam rerum sensilium, vt inquiunt, suas producit in seipso intellectus species intelligibiles, per quas vtitur subiecto. Lege eundem *Quodlib.* 5. *q.* 3. Tanta verò est via experientiæ, vt hanc quidam non attendentes, sed commentitias potius rationes suas, turpiter & in rebus clarissimis sint hallucinati. Vndè quidam, vt Zeno, qui motum negabat, ideò Diog. Cynicus non minus lapidè quam verè, vt refert Simpl. 6. *Eth. cap.* 53. & *lib.* 8. *com.* 25. cum in publica disputatione rationes eius audisset, sola deambulatione surgens respondere contentus fuit. Lege Arist. 8. *ph. t.* 8. 23. & 26. & quidem 1. 22. dicit quærere rationem & dimittere sensum infirmitatem quandam esse intellectus. Lege Henr. *in sum art.* 1. *quæst.* 6. & 8. Et D. Thom. 1. *p. q.* 117. Confirmatur ex Lucret.

Quid referemus enim, inquit, *quod nobis certius ipsis*
Sensibus esse queat, quo vera & falsa notentur, &c.

Et Aristoteles 2. *ph. t.* 6. ridiculum dicit esse demōstrare naturam esse quoniam est per se manifestum. Et 3. *de generat. animal. & cap.* 10. Credendum, inquit, magis est sensui, quam rationi, & rationi tunc credendum est, quando ea consentit cum sensibus, quod intelligi

exigi potissimum debet in scientijs naturalibus. Parmen. tamen, Melch. Zenoph. Zeno, & alij iudicium veri totum planè ad mentem referebant, nullo modo ad sensus, vt scribit Diog. *in Parmen.* & testatur Arist. 1. *Met.* 1. *ph.* & 13. *Cal.* Vndè illud Parm.

Nec tibi communis sensus persuadeat vnquam
Quicquam, vt fallaces oculi, aut iudicat auris,
Aut lingua ac ratio dirimat discrimina rerum.

Secundo Requiritur doctrina, quoniam propria inuentione non acquirur scietia, quod fieri solet opera Magistri, qui se habet ad discipulum vt ad ægrũ medicus, nam præceptor etiam doctrinam probat, quibus illustratus, intellectus ab eo ignorantiæ tenebras dissipat, & sicut quidam sine medici opera conualescunt, aliqui ne sic quidem, ita & homines aliqui ne per doctinã quidem scientiam accipiunt. Est autem hæc collatio Medici cum Præceptore accõmodata, &c. Iuuat Magister adferendo exempla & similitudines manifestas, ex quibus conclusiones discipulus facilè deducat. Quare Arist. sapienti & eruditiori maiorem honorem vult. *q. Eth. c. 2.* quam parentibus, quod & Alex. Macedo erga Aristotelem obseruauit, dicere solitus, vt testatur Caiet. & Plut. à Philippo se viuere, ab Aristotele benè viuere accepisse. Huc etiam reuocari potest, quod sapientes à maximis semper viris maximi facti sunt, de qua re plenæ sunt historiæ, quas habet Textor in sua disciplina. Huc quoque pert ne auxilium quod angeli suppeditant, quod non tantum scripturæ SS. testantur *Dan.* 10. *& in Tobia*, sed etiam gentiles, appellantes genios suos, qualem Socrati familiarem fuisse proditum est, & de quo librum scripsit Plut. *de genio Socratis*, & illius mentio sæpè fit apud Plutarchum. Et certè si id homini conceditur, multò & magis erit in angelis tribuendum. Quomodo verò id angeli faciant, disputant Theologi. Nobis non probatur quod per solam quandam vnionem intellectus sui ad nostrum, ita vt sola approximatione accendant quodammodo in nobis perfectius lumen: Etsi enim fit illa approximatio, quæ tamen non est summum, tantummodo sequeretur aliquid perfectius cognosci, non verò aliquid de nouo; nam intellectus angelicus non est ex se representatiuus alicuius obiecti noui, & vt omittam quod angeli sint specula quædam lucida spiritualia, quæ cum opponuntur nobis, fit vt quæ ipsi intelligunt, in nobis etiam appareant. Vel etiam quod per species productas quæ concedi possunt ratione aliquarum rerum. Vel denique quod per nutus quosdam spirituales id efficit angelus, vt externis vocibus formatis, per corpus aëreum quod assumunt, vel disponendo species quæ sunt phantasia & in intellectu, vel denique remouendo impedimenta, perturbationem animi, ægritudinem, &c. vt facilius id, cuius in nobis est, impressa species, intelligatur, vel allatis etiam aliundè obiectis, quæ omnia solent appellari illuminatio angelica.

Secunda Propositio. Ad scientias acquirendas iuuat plurimum. Primo, Naturalis aptitudo, exercitatio, consuetudo. Secundo, Incensum quoddam desiderium; Vt enim dicitur 4. *Met. t.* 21. illi veritatẽ agnouerunt, qui maximè quæsierunt & amarant. Tertio, Vtilis est humilitas & animi moderatio, de qua sæpè in scriptura, vndè: *Sapientiam præstat paruulis*, *Cum simplicibus sermocinatio eius*, &c. *Abscondisti ea prudentibus*, &c. *vt videntes ea non videant.* Et apud Ethnicos tritum est illud: Adolescentes oportere credere, vt habetur 1. *Elench* c 1. & apud eosdem antiquos quidam tam diu in silentio viuere iubebantur, & hoc solum dicere: αὐτὸς ἔφα, *ipse dixit.* Huc pertinet suijpsius notitia, de qua illud: Nosce teipsum, quod Caiet. 19 Thaleti, Plinius *lib.* c 32. Lacedæmon. Ouid. Pythag. & Plut. Apollini ascribũt. Et Plut. *in lib. de diet. & tract.* 5. vos dicitfuisse ingte-

cumfertisse &c. Denique Aristo. *in Eth.* dicit idoneum scientiarum, in primis autem Moralis auditorem esse eum, qui sedatas pacatasque passiones habeat. Et 7. *phys. t.20.* Quia, inquit, quieta est, residetq; anima sciens fit & prudens, quod ostendit duobus exemplis ebrij dum sobrius fit, & dormientis dum euigilat. Ex quibus infert quod pueri nihil possunt discere, quia multa perturbatio circa ipsos fit & motus. Huc spectat ciborum abstinentia, quare Pythagorici maximè vtebantur media, & suis animalium omnium & carnium cibum interdictum volebant. Et Heracl. dicebat, animam siccam esse optimam & sapientissimam. Et sicut vasa vacua vbi pulsata fuerint sonum reddunt, plena autem obmutescunt, & sicut solem per humidum aërem, & vaporum crudorum multitudinem obscuro, & dubio lumine conspicimus, ita quibus venter cibis plenus est, verum clarè non possunt dispicere; quæ exempla habet Plut. *op. de esu carnium.* Lege Porph *de abst. animal.* Procl. *de anima.* Iamb. *de myst. egypt.* Posset quoque hic referri; quod ijdem testantur, qui optimè philosophari voluerunt, secessisse in remotas solitudines, omnia reliquisse, atq; proprios etiam oculos sibi eruisse. Omniū autem quæ diximus caput est Dei amor, quo ipsi amamur ab illo, & eundem vicissim redamamus. Hinc D. Bern. & D. Tho. Aquinas, vterque scientiam omnem suā, quæ maxima fuit, vni ad Deum orationi asseripsit. Imò D. Aug. 8 *de ciuit Dei ca.*11. inter causas scientiæ Platonis, quam maximè suspicit & admiratur, hanc esse vult, quod in ea re speciali Dei prouidētia fuerit gubernatus. Et ipse Plato *in Phed.* ait, Amicis Deorum plura esse cognita, quam ijs qui Deum non sequuntur. M. Fic. 10. *de Th. Plat. ca.* 1 testatur Platonem sibi persuasisse nihil reuera addisci posse, nisi docente Deo. Trismegistus quoque disputationes omnes à votis incipiebat, & in sacrifitia definere volebat. Pythagoras quoque à matutino hymnorum sacrorum cātu Philosophiæ studium incipiebat. Et Soc. *in Alcib.* Da mihi Deus, vt animus meus pulcher efficiatur, quodque ad corpus attinet, animi pulchritudinem non impediat.

Tertia Propositio. Cum certum sit Adæ Deū infudisse rerum omnium naturalem sciētiam, dubium est an quasi per manus vsq; ad nos scientia deuenerit, an recenter à quopiam inuenta fuerit. Ioseph. *lib.* 1. & Eus. 10 *de prepar. Euang.* primum asserunt, secundum tenent alij. Indicat Arist. 1. *Met.* tribuens Physicæ inuentionem Thaleti Milesio, & ex admirari homines philosophari cœpisse dicens. D. August. 2. *de ciuit. Dei cap.* 7. *& lib.* 8 *cap* 2. loquens de Ionico & Italico Philosophorū genere, huius Author fuit Pythagoras illius Thales, qui primus in Græcia cœpit philosophari, inquit Viues, Olymp. 31. anno primo, & Diogenes *in eius vita,* & Cyrillus. 1. *cont. Iul.* & Zinanus apud Eus. 10. *de prep. Euang. cap.* 3. Clem. Alex. *in* 1. *strom.* idem sentiunt. Plura vide de chronologia Philosophorum apud Perer. *lib.* 4. *cap.* 4. Pro hac secunda opinione facit quod non videtur verisimile tam diu durasse Philosophiam, deficientibus litteris, & toto ferè orbe terrarum in illa generali eluuione, & occupatis hominibus in alijs rebus. Accedit quoque quod aliquando pauca habebantur, & erroribus conspersa, & successu temporis doctrina creuit. Idem significat Diogen. *in vita Philosophorum* Plut *de plac. phi.* Et Arist. ferè semper præmittens Philosophorum opinionem, antequam suam sententiam aperiat. Pro prima opinione facit Soto *in Phys.* qui hac ratione vtitur, quoniam Noë, ad quem peruenit scientia, eam toti mundo communicauit, à se fusque propagatam. Mihi equidem videtur primo traditam doctrinam fuisse à maioribus nostris, sed successu postea temporis à sua gemina veritate defecisse, tumq; cœpisse alios veluti exsuscitare scientias. Sed Græci, qui florentissimi fuerunt, ab Ægyptijs & Hebræis occasionem acceperunt, vt testatur Plut. *in lib. de Iside.* Et Arist. etiam. Quo loco quis omnibus præstiterit, & quinam singularum scientiarum Authores dicendi sint, non potest in præsentia definiri. De Aristotele quod nostrum sit iudicium, diximus in

nus memoratur huiusmodi scientiam esse consecutus. Secundo. Etiam ex ijs quorum haberi notitia videtur, aut nihil, aut pauca admodum ad quidditatem spectantia intelliguntur; nam rerum essentia valdè est recondita, vt etiam quidam dixerit vltimas differentias nullas esse: Confirmatur. Quicquid enim cognoscimus, videtur aut solum accidens esse, aut necessariam cum accidente habere cognationem, vt rectè dixit Aristoteles 2. *Met. t.* 1. intellectum nostrum noctuarum oculis esse persimilem, & in hoc, sicut & in plerisque alijs, optimo consilio consultum à Deo est generi humano: Si enim rerum tenuissimarum obscura ac tenebris inuoluta cognitione adeò efferimur, quid tandem facturi fuissemus, si altissimarum rerum cognitio concessa esset? Et sicut nouit Deus auditu aurem, oculo visum exsatiare, vel vlla alia re voluntatem nostram explere, vt tunc satiandos oculos nostros mentis & corporis certò nobis persuaderemus, cum, vt dicitur *Psalm.* 15. apparuerit gloria eius. Sic etiam intellectũ nostrum tantisper voluit in hac caligine versari, vt ibi quoque nostra essent defixa corda, vbi vera sunt gaudia, cum præsertim angelis sublimis illa & excellens rerum cognitio tantæ causa fuerit ruinæ, ideoque voluit Deus, vt sicut dicitur *Eccles. cap.* 1. Qui addit sapientiam, addit & dolorem, quoniam in multa, inquit, sapientia, multa est indignatio. Denique tum ibi, tum *in Eccles. Prouerb. & Sapien.* sæpè inculcat scientiæ nostrę inanitatem, & summam de maiore rerum portione ignorationem, dicens esse maiorem partem eorum quæ ignorantur, quam quæ sciri putantur, vt non sine causa Solon apud Platon. *in dial. amel.* diceret, sapientiam. & philosophari esse multa quotidie discere, donec tarda accederet senecta atque in ipsa etiam senecta. Tertio. Probatur. Ex bonis quæ ad mores pertinent, non possunt omnia simul fieri, vt est communis Theologorum consensus. Ergo nec omnes simul veritates cognosci possunt.

Secunda Propositio. Hinc sequitur non posse haberi in hac vita absolutam rerum cognitionem, etiam earum quæ cognosci videntur. Non dico quæ maximè sit perfecta, sed etiam quæ homini rectè constituto debeatur; nam pendet cognitio nostra à sensibus, hi verò nõ possunt omnino esse perfecti. Confirmatur. Quia ex eo quod intellectus noster pro obiecto habet ens vt ens, sæpè vnum alterius loco apprehendit, & præterea multæ res sunt contingentes, quæ non sunt semper veræ, etiam multæ valde exiles, vt entia rationis, relationes, motus, tempus, &c. quorum distincta cognitio haberi vix potest. Quare difficultas cognitionis nostræ ex duobus præsertim ortum habet; Tum ex ipsa natura rerum, tum ex infirmitate nostri intellectus: si enim res sint perfectissimæ, intellectus noster sicut solis lux oculorum aciem perstringit, & ideò difficultas tunc est referenda ad res ipsas, sed non ad nos. Vnde Aristoteles 2. *Metaph. t.* 1. exemplo noctuarum vtens, dicit sicut earum oculi ad solis lucem, ita animæ nostræ mentem se habere ad ea quæ natura sunt omnium manifestissima, cum paulò tamen ante dixisset difficultatem duobus modis eum accidat, in nobis illius causam esse sitam. Quod si res sint minutæ & exiles, difficilius cognosci possunt etiam ex parte sui, quoniam ens & cognoscibile conuertuntur. Prout ergo sunt entia exilia & diminuta, vel perfectiora & nobiliora, ita magis minusque dici possunt cognoscibilia; quemadmodum maior lux magis est visibilis quam minor. Est etiam causa ex parte nostri, quoniam intellectus noster partim est aptus ad ea cognoscenda quæ longè à sensibus absunt, & sicut melior est animalis illius oculus qui noctu & interdiu cernat, si quod huiusmodi animal est, ita perspicacior est ille intellectus, qui res etiam tenuissimas penetrat, imperfectior, qui id non potest. Confirmatur. Ex 1. *Meteor. sum* 2. *cap.* 4. vbi Aristoteles ait satis se dictutum de Cometis, etiamsi modo possibili & probabili

illius obiectum, si sit certum quomodolibet, & aliquam habeat euidentiam. Sed quoniam ex dictis de conditionibus Demonstrationis peti possunt, quæ de hac re essent dicenda, breuiores erimus. Et de definitione scire vide expositionem *t. 2. cap. 2.*

Prima igitur conditio est. Obiectum scientiæ non potest esse sensibile vt sensibile est, vel vt cadit sub sensus, quoniam hoc est proprium sensuum obiectum, & nos sup. diximus falsam esse illam opinionem, scientiam non differre à sensatione, & probare videtur Arist. *1.po.com.* 181. quoniam sensus est particularium, & eorum quæ sunt hic & nũc scientia vniuersalium, & quæ non sunt hic & nunc, sed semper & vbique. Item quod pertinet ad sensus interioris, imaginationem non esse idem quod scientiam, probat Arist. 2. *Anima. t. 157.* quia scientia est eorum quæ semper sunt vera; at imaginatio potest interdum esse falsa, quamquam scientia propter summam claritatem conuenit cum cognitione sensitiua, quæ hanc etiam habet, imò quæ clarè scimus, hæc nos videre dicimus, propter cuius sensus particularis perspicuitatem solet vsus & ad alios sensus, & intellectum ipsum transferre, vt notat D. Aug. *lib.* 10. *confess. c.* 35. *& Epist.* 102. *cap.* 3. vbi etiam fidem ipsam alioquin obscurissimam diuinam quoque visionẽ appellat, & credere videtur. Secunda Conditio est, vt obiectum non sit ens per accidens. Ita docet Arist. *6. Met. t. 4.* Multipliciter autem dicitur aliquid per accidens, vt 5. *Met. t. 7.* præcipuè. Primo, Cum sunt duo subiecta completa & perfecta, vt duæ aliquæ substantiæ. Secundo, Ex subiecto & accidente fit ens per accidens, quoniam toto genere distinguuntur. Tertio, Ex duobus accidentibus, siue sint generis eiusdem, siue diuersi, vt ex amaro & dulci, &c. Item quoties aliqua sunt entia perfecta in propria sua specie, siue pertineant ad idem prędicamentum, siue etiam ad aliud, efficiciunt ens per accidens, quoniam nunquam fit vnum per se ex duobus, vel pluribus, nisi cum alterum se habet vt potentia, alterum vt actus. Notandum est non posse scientiã esse de huiusmodi entibus per accidens, intelligi aut de scientia vt est scientia conclusionis, aut vt est obiecti alicuius. In vniuersum autem Arist. *1. po. t. 2.* dum definiuit scire esse etiam per causam cognoscere, satis intelligi voluit non esse de ente per accidens scientiam, quoniã non in numero multitudinis, sed in singulari dixit. Est autem aliud esse ens per accidens rei, aliud verò esse ens per accidens prædicationis. Illud est modis iã explicatis, illud autem cum aliquid de aliquo prædicatur, quod planè illi accidit. Vnde euenire potest vt aliquid sit per accidens rei, non autem prædicationis: Per accidens enim rei id esse intelligitur, cum res aliquæ distinctæ, nec per se ordinabiles ad aliquid vnum conficiendum, apprehenduntur more vnius, vt Homo est risibilis, faciunt ens per accidens rei, quia vnum est accideens, alterum substatia, nec rectè concipi possunt tanquam vna res. Si autem dicas: Homo est risibilis, non est ens per accidens prædicationis, sed per se, quia per se prædicatur risibile de homine, & ens per accidiecens prædicationis, non est cum cõcipitur vnum quid ex duobus distinctis veluti resultans, sed cum vnum alteri inesse dicitur, etsi accidentarium sit planè, erit illa prædicatio per accidens, vt si dicam: Homo est albus. Est etiam modus quidam per accidens, qui appellatur causæ, nempè cum effectus alicuius aliqua est causa mera extrinseca, de qua re diximus de modo per se.

Notandum Secundo. Cum scientia dici posit esse, vel conclusionis, vel subiecti de ente per accidens, si sit prædicationis, non potest esse scientia tanquã de subiecto, imò etiam nec si sit per se, quoniã subiectum semper est quid incomplexum, conclusionis verò scientia nõ potest esse, si per accidens intelligas, cum prædicatum non per se conueniat subiecto; si enim per se conueniat, poterit etiamsi materialiter, sit quoddam accidẽs,

esse scientia, vt patet ex Demonstratione propter quid, in qua passio de subiecto probatur, & in Conclusione continetur passionis prædicatio de subiecto, & etiam ex dictis de modo per se, idem autẽ est iudicium de ente per Accidens causæ. Imò verò nõ de omni ente per se causæ esse potest scientia, si videlicet accipiatur causa per se ratione actualis existentię per se, scientia n. nõ est de singularib. & abstrahit ab actuali existẽtia.

Notandum tertio De ente per accidens rei non est scientia tanquam de conclusione, quia ens per accidẽs accipitur per modum vnius, & sine vlla cõplexione, quamuis à parte rei sint multæ res. Nec potest esse scientia vt de subiecto. quod docet Arist. *6 Met text. 4. vsq; ad 8 &c. ibid.* omnes Interpretes. Quãuis Apoll. *1. post. q. 28.* Iand *6. Met. q. 6.* Iauell. *q 9.* putant esse posse scientiam de ente per accidens, non in particulari, sed in communi, idq; solum voluisse Arist. qui tamen absolutè loquitur, & eadem ratio locũ habet vtrobiq; Ideò enim de ente per accidens non est scientia, quia non est quid vnum, non habet per se causas, passiones, &c. Idem cum dictis Authoribus sentit Aegid. *1. post int. 25.* contra quos rectè *Zonsin. 6 Met q. 13.* qui etiam habet distinctiones istas, Entis per accidens, rei, prędicationis, causalitatis, subiecti, & conclusionis, quæ vltima est D. Tho. *2. 2. q. 1. art. 2. &c. q. 4. prol. art. 1.*

Notandum quarto. Ens per accidens, quod absolutè loquendo significat ens per accidens rei, spectari adhuc potest tripliciter. Primo. Vt multa dicit æquè primo, & absque vllo ordine ad aliud, qualis est thesauri inuentio: nam si illa conferatur cũ fossione. Secũdo Cũ dicit multa, sed cũ quodã ordine, vt domus, Respublica, exercitus, &c Tertio. Cum vnum quidem primariò & per se significat, sed tamen alterum etiam connotatiuè includit vt album quod primariò dicit formam albedinis, commutato tamen subiecto, nec consideratis his duobus per se & seorsim. Ex his quod secũdo & tertio modo est per accidẽs, prout scientiæ obiectum esse, nec simpliciter sunt dicenda entia per accidens, qua ratione de albo esse potest scientia, de linea visuali, de numero sonoro, & scientiæ omnes subalternatæ semper ad subiectum subalternantis adiungunt cõditionem accidentariam, quas tamen esse scientias nemo dubitat. Sic etiã de ente per accidẽs secũdo modo, si nõ omninò perfecta, certè quæ ex veris & certis cõstat, scientia esse potest. vt de domo, Republ De quo lege Fons. *4. Met. c. 4. q. 1. sect. 3. sub. fin.* Tamen erunt hæ scientiæ minus perfectæ, vel hoc solo nomine, quod vel erunt de quibusdam passionibus non conuenientibus subiecto materiali primò & per se, vel certè conueniunt dictæ passiones subiecto, posita quadã conditione. Hinc ergo sequitur primò, videri interdum esse scientiam actus per accidens ratione passionum quæ illi conueniant, quæ reuera tamen nec illi subiecto totaliter conueniunt, nec est illius totalis subiecti scientia. Primo Cum de aliqua re demonstratur passio, quæ conuenit tantũ partibus rei, quãuis etiam cõueniat vni parti, etiã vt est coniuncta, v. g. si de pharmaco ex cassia & reubarbara cõposito ostẽdatur hæc passio, refrigerare & purgare cholera, cũ soli reubarbaræ conueniat per se purgare cholerã, cassiæ autem refrigerare, ita vt si scientificè & distinctè hæc attributa ostẽdenda sint, non de illo secundum se toto, sigillatim ac per se de reubarbara & cassia id erit probandum. Simile est in tractione ponderis, quæ à multis sit; ibi enim sunt multæ actiones, quamuis tamen ad vnum effectum ordinentur, sicut etiã reubarbara & cassia ad vnum morbum. Secundo. Cum res est talis, vt ex natura sua conueniat illi aliqua passio ob extrinsecã conditionem superadditam, & non vt per se res illa sumitur; tunc enim passio non erit de illa re demonstranda; vt veluti ex illa & passione vnum quid resultat, sed de illa re tantũ, cui per se inest passio, quãuis cum habitud ne ad passionem, verbi gratia lumen ex se non refrangitur,

sed si

sed si opponatur corpus solidum, quare de lumine ostendenda erit passio refractionis, posita tamen illa conditione. Idem ferè iudicium est de quibusdam passionibus, quæ ob aliam partem Entis rei alicui conueniunt, & admittit res illa quandam variabilitatem propter res illas extrinsecas, vt si accipiamus hanc passionem hominis, quod sit gubernabilis; conuenit enim hæc passio homini etiam vt est pars quædam multitudinis, verum quia multitudo propter multas rixas, quæ dicitur etiam bellua multorum capitū, magno solet esse gubernatori impedimento, ideò hoc totum, esse difficile gubernabile, videtur esse passio multitudinis, reuera tamen est hominis particularis, cum hoc tamē moderamine & conditione, vt ordinē dicit ad multitudinem, quare de homine, & non de multitudine ostendi deberet, quamuis etiam de multitudine ostendi possit difficultas illa, sunt etiam de corpore terso ostendi potest quod resistat radijs, refractio verò nō de corpore, sed de sole. Secundo Sequitur. Quod de illo Ente per accidens quod ordinem quendam includit, non potest esse perfectissima scientia, sicut nec potest esse absoluta definitio, sed potest vtrumque definiri ratione illius vnius quam dicit, vel ratione finis, ad quem multa aliqua referuntur, vt patet in domo. &c. potest verbi gratia probari domum constare debere ex tecto propter illum communem finem, vt arceantur cæli iniuriæ. Et quia hæc pendet vt plurimum ex hominū arbitrio, sicut & reliqua omnia quæ fiunt artis quare contingit esse in eis magnam quādam varietatem, non erit scientia de rebus huiusmodi absolutè dicenda esse scientia, sed potius certa cognitio ex suppositione, & pertinēs ad artem, prudentiā, &c.

Notandum vltimo. Ens per accidens quomodocunque accipiatur, sciri potest quoad nominis significationē; sic enim de eo agit Arist. 2. *Phys.* vbi de casu & fortuna. Potest etiam præterea sciri negatiuè, hoc est ostendendo nō esse quid vnum scibile, ijsq; caetere omnibus quæ necessaria sunt ad vnū ens per se, quod facit Arist. 6. *Met.* t. 4. &c. Et in hoc conueniunt omnes Authores, & illi qui volebant de Ente per accidēs esse in communi scientiam, si hoc modo intelligant, à nobis non discrepant.

Tertia Conditio. Vt obiectum scientiæ sit ens reale. Ratio. Quia potentiæ realis obiectum per se perfectiuum solum potest esse reel. Primò. Quia omne intelligibile est huiusmodi secundū quod est actus quidam, hoc est prout est ens, vt inquit Aristot. 9. *Met.* t. 20. Secundo. Confirmatur. Potentiarum aliarum est obiectum reale. Ergo. Deniq; definitio tantum est rerum, vt docet Arist. 2. *po.* Verum de hac quoq; conditione diximus in *Proleg. Log.* tamen potest de non ente & de ente rationis certa haberi cognitio, eo ferè modo quem iam diximus de ente per accidens, tū verò semper debeat ista concipi sub ratione entis quia intellectus nostri propriū subiectum est ens vel aliquid quod rationē entis indueit. Hinc refellitur Arim. *in prol. f. q.* 1. *art.* 1. qui concedit scientiam & Demonstrationem esse de non ente & nihilo, & rem significatam per conclusionem & obiectum vocari posse nihil, & non ens. Item Aegid. qui 1. *po. t.* 5. art, sicut est duplex ens: Actuale & prædicamentale, ita & non ens, & scientiam posse esse de non ente actuali, non tamen de non ente prædicamentali, nā hæc distinctio repugnat Arist. qui vbiq; ens in actu diuidit in 10. prædicamēta, nisi fortè per ens actuale intelligat ens quod habet actualem existentiam quod si ita est, vera est Ægid. sententia. Arim. autē non eget alia refutatione. Præterea reijcitur etiā modº dicēdi Buri. qui vult Ens tripliciter accipi. 1. Amplissimè pro omni eo ꝙ aliqua ratione cōcipi & fingi potest a nobis. 2. Pro eo cui nō repugnat esse, quāuis nō sit vel actu, vel potentia. 3 Quod est actu vel potentia, scientiam autē posse esse de ente 1. & 2. modo sed primo illo modo sequeretur etiā de entibus fictitijs posse esse scientiam,

causam, non quod discursu sicut nos vtantur, sed quia etsi illorum cognitio sit simplicissima, tamen nihilominus alicuius hanc esse causam videtur per suam illam cognitionem suam quam nos per nostram.

Prima Conditio. Opus est vt scientifica cognitio sit vera, certa, & euidens. Hæc quoque ex dictis patent. Debet esse vera, hoc est conformia rei scitæ, seu debet res scita vt est in intellectu esse conformis sibipsi, vt est extra illum. Et denique debet adæquari rei ipsi intellectus, quod seruatur in omnibus alijs potentijs, quæ tum dicuntur esse veræ; atque probæ potentiæ, cum suis coaptantur obiectis, vt præterea Arist. 5. *Met t.*20. dixerit scientiæ ad scibile esse relationem, sicut mensurati ad mensuram, est videlicet obiectum ipsum, vt veluti norma & mensura, ad quam dirigi & conformari debet scientia. Præterea dicebat Plato esse scientiam nostram velut quandam imaginem, Et Arist. 3. *Animæ t.*14. sicut tabulam quandam rasam. Quemadmodum igitur tũ recti sunt characteres, & pulchra imago, cum tum illi suo conformantur prototypo, tum ista refert rem illam, ad cuius est effecta similitudinem; sic enim tum dicetur vera scientia, cum sic res intelligitur, vti habet, & quemadmodum dicitur Dei scientia rerum omniũ esse causa, vt docet Auer. 2. *Met. t.*55. *&* *lib. destruct. dest.* 10. *d* 3 *&* D. Tho 1 *po. q.* 16. *&* 15. ac Theol. communiter, ita vice versa res ipsæ nostræ dicuntur esse causa scientiæ. Quare sicut res naturam suam tunc perfectè sortiuntur, cum fint diuinæ scientiæ quam simillimæ, sic contrà vera erit & perfecta scientia nostra, vbi rebus ipsis maximè fuerit conformis. Debet secundo esse scientifica cognitio certa & firma, vt qui eam tenere dicitur, existimet secus rem habere non posse, & vt inquit Arist. *t* 5. 1. *post.* sit impermutabilis, aut impersuasibilis, quiq; de propria scientia dimoueri non possit. Porrò, cum certitudo duplex esse possit: Extrinseca & intrinseca, scientiæ necessaria est extrinseca; est enim intrinseca certitudo quæ ex intimis rei principijs manat. Extrinseca, quæ extrinsecæ nititur authoritati, qualis est humanæ vel diuinæ fidei. Scientia autem est cognitio rei per causam per quam res est, vel per effectum qui habeat cum re intrinseca connexionem. Igitur necessariò opus est certum esse certitudinem intrinseca, extrinseca enim quantum est ex se, potest falsitati subesse, nisi fulciatur authoritate & lumine ordinis supernaturalis, qualis est fides Christiana, vt docet D. Tho. *secunda secundæ, quest.* 1. *art.* 4. Id autem de certitudine intrinseca scientiæ docet Arist. 1. *po tum* 5. *tum* 42. 1. & peti potest hæc certitudo ex obiecto ipso habente dictas conditiones veritatis, necessitatis, &c. sed potissimum ex medio, quoniam tota cognitio illi vni est ascribenda; nam quod ad obiectum attinet, solet dici materia propter suam maximam instabilitatem esse causa incertitudinis, & propter suam potentialitatem. Vndè 9. *Met t.*20. id dicitur esse cognoscibile, quod se habet vt actus. De qua re vide Apoll. 1. *post t.*45. Et præterea solet Arist. certitudinem maiorem scientiarum desumere partim ex subiecti maiore simplicitate & abstractione. Sed quod ex medio petatur potissima certitudo scientiæ, colligitur ex Aristotele 1. *po. t.* 7. *&* 16. *&* 5. *Eth. cap* 3. & ratio id probat, tamen cum certitudo dicat firmitatem assensus, & absolutè attendenda est penes id quod maximè est causa cognitionis nostræ, ac proptereà Demonstratio propter quid, quæ causas sola propriè cõtinet, sola etiam propriè & perfectissiè scire facit. Debet tertio Cognitio esse euidens, nempè vt intellectum possit conuincere, & quãuis apertum sit distinctam esse euidentiam à certitudine extrinseca, vt patet in fide diuina, quæ vt certissima, ita est obscurissima, tamen ab intrinseca vel non distinguitur, vel certè separari non potest, nec vicissim certitudo ab euidentia. Et quoniam hęc euidentia, sicut

potest; nam scientia actualis vel non est distincta à Demonstratione, vel certè tanquam est ab ea seiuncta. Definit Arist. 1. po. t. 2. scire esse rem per causam cognoscere, qua definitione distinguitur actualis scientia a quacunque alia actuali cognitione, quæ aut euidens, aut incerta sit, & ab ea etiam quæ euidens sit & certa, nō tamen per causam & discursum habitualem; ideò enim dicitur in definitione scire esse rem per causam cognoscere. Addit Arist. propter quam res est, vt intelligamus definiri ibi potissimum Demonstrationem propter quid, quæ tamen definitio vt conueniat etiam Demonstrationi Quia, nomine causæ intelligemus eam quæ nobis est causa cognoscendi; nam non solum ea quæ propriè est causa rei, eademq; prior, est causa cur cognoscamus rem eandem, sed etiam quæcunque alia posterior, habens tamen connexionem cum aliqua alia re, apta est vt in illius cognitionem nos inducat, ideoque meritò dici potest effectus vel passio causæ realis rei quę cognoscitur. Denique ponitur in definitione, quę non potest aliter se habere, non tantum propter syllogismos probabiles, verumetiam propter syllogismos certos, quos habent artes, & prudentiam, quorum habituum obiecta possunt se aliter habere. Quia tamen Demonstratio ipsa & scire quod per Demonstrationem effici dicitur, videntur aliqua ratione distingui, nec error circà hoc contingat. Secundum, Sciendum est, ista duo non distingui realiter. Ita docet Eust. in fin. prol. 1. po dicens scientiam esse syllogismum per mediū & causam, & idem repetit com 100. vbi ipsammet scientiam non veretur appellare syllogismum. Citari quoque solet pro hac sententia Auer. 2. post. com. 100. dicit perinde se habere sicut album & albedinem, abstractum & cōcretum, quæ non distinguuntur realiter. Them. 1. po. cap 4. inquit; Scientia de qua loquor, demonstratio esse à nobis intelligitur. Verum quod ad Them. attinet, is apertè videtur intelligere per scientiam eam cognitionem quæ est præceptis Demonstrationis, quæ etiam propterea appellatur Demonstratio, quod fortè non adeò propriè dicitur, vt nimirum accipias traditio ipsa præceptorū denominationem rei illius cuius præcepta traduntur. Phil. 2. po com. 10 & in 1. pr. in 1 particulam 1. cap & ibid. Alex dicunt scientiam habitualem non habere alium actum præter eum qui est Demonstratio, Ergo cum scientiæ habitualis actus sit habitualis, erit idem actus scientiæ & Demonstratio ipsa. Quin etiam Arist. 1. po. com 10. ait, scire esse Demonstrationem habere, quod idem habet 2. po. com. 10. & 13. Si autem Demonstratio esset quid distinctum ab actuali scientia & scire, non esset legitima huiusmodi prædicatio. Confirmatur ex his quæ diximus init. disp. de Demonstratione, quomodo ab Aristotele nomen Demonstrationis vsurpetur; ipse enim 2. po. com. 100. dicit scientiam & Demonstrationem esse idē, quod quanquam Them. de traditione præceptorum velit intelligi, multi tamen alij de actuali scientia intelligunt. Sed probatur etiam ratione. Primo, Quia actus definiendi, iudicandi, inferendi nihil planè sunt distinctum ab ipsamet definitione, iudicio, seu propositione, & ipsamet tertia operatione. Ergo nec demonstratio ab ipsomet actu sciendi. Confirmatur Primo, Quoniam cū demonstramus, nullum alium actum facimus, nisi scientiæ actualis. si enim alius quispiam actus est, maximè is quo cognoscitur conclusio, vel res in conclusione contenta distincto quodam actu ab eo quo est cognita, simul cū præmissis, sed hoc dici non potest, tum quia nihil est quod vtrobique melius & perfectius cognoscatur, tum quia conclusio & id quod actu scientifico cognoscitur, ex natura sua huiusmodi est, vt quia est cognitio mediata, necessarium dicat habitudinem ad medium & præmissas, per quas huiusmodi res cognoscitur. Vndè Aristoteles scire, inquit, est rem per causam cognoscere.

cere, hoc est per medium; idem enim est causa quod medium. 2. *po. cap. 5. 6* 56. &c. Confirmatur etiam. Scientia habitualis ordinat potentiam nostram ad actus similes ijs per quos est producta, sed facit nos scientia habitualis promptos & habiles ad Demonstrationes conficiendas, ac propterea ita solet ab Aristotele definiri *6. Eth. cap. 3.* Ab alijs autem dicitur esse habitus demonstratiuus, hoc est qualitas, qua prompti reddimur ad Demonstrationes efficiendas, & idcircò *1. po. com. 8* Demonstratio ipsa dicitur syllogismus faciens scientiam, vt contrà scientia habitualis dicitur esse habitus faciens Demonstrationem.

Secunda Ratio. Si essent actus distincti, posset vnus absque alio, verbi gratia, si quis è memoria laberetur, alter in illa retineretur, sed non potest esse scire absque Demonstratione. 1 *po. com. 49 & lib. 2. com* 1e. *& 13.* Et cōfirmatur. Hic enim actus profectò ad aliquam pertinet operationē, primam, secundā, vel tertiam, prima & secunda sine dubio non est, est ergo tertia. At omnis actus tertiæ operationis certus euidens, ex necessarijs, alijsq; conditionibus quæ de Demonstratione diximus, necessaria est Demonstratio. Ergo scire actuale & Demonstratio sunt idem. Denique id est commune in omni actione quæ verè fit immanens, vt simul & habeat quādam rationem rei effectiuæ, & sit quidem effectus. Erit igitur Demonstratio eadem opera & actus quidam effectiuus, & etiam quidam effectus, quare scire ipsum vt dicitur esse effectus quidam Demonstrationis, non erit diuersum quid ab ipso. Tertio, Sciendum est differre quadam ratione Demonstrationem à scientia actuali. Primo. Quia Demonstratio ex vi suæ significationis non videtur dicere cognitionem vllam determinatam, scire autem actuale hoc ipso quod significat actu scire, videtur importare secum determinatam cognitionem. Et hoc est quod significare voluit Auer. 2. *po. com.* 100. cum diceret habere se scire & Demonstrationem velut albedinem & album, abstractum & contretum; nam albedo dicit formam albedinis secundum se, album verò dicit eandem determinatam, & subiecto alligatam. Hæc tamen distinguendi ratio, quam plerisque probari video, non est adeò necessaria, nam Demonstratio etiam in communi dicit actum quoque scientificum in communi, & planè se ita habere videtur, sicut si conferatur album in communi dicit necessariò subiectum prædictum albedine, quamuis non hoc, vel illud, ita Demonstratio in communi dicat actum scientificum in communi, quamuis non hunc potius, quam illum. Et idcircò cum actus scientificus & scire idem sint, idem quoque superest vt sit Demonstratio & scire, vt non videatur locum habere distinctio illa albedinis & albi, nisi tantū nomine tenus, prout Demonstratio dicit actum in abstracto, scire autem in concreto. Secundum igitur discrimē est, quoniam Demonstratio vt concipitur tanquam instrumētum, includit & præmissas & conclusionem, scientia autem actualis illa eadem, sed diuersa quadam ratione; respectu enim Demonstrationis vt est instrumentum quoddam, & vt obiectiuè concipitur tanquā instrumentum, præmissæ & conclusio sunt illius partes integrātes, quemadmodum in vniuersum de syllogismo diximus disp. de omni. Respectu autem Demonstrationis vt dicit scientiam exercitam, se habent præmissæ & conclusio tanquam causæ. Nec enim placet illorum sententia, qui eadem etiam hoc loco vtuntur, ita differre scire à Demonstratione, quod Demonstratio tanquam instrumentum solas dicat præmissas, scire autem sit cognitio conclusionis causata per præmissas; nā non possum intelligere quid possit demonstratio esse instrumentum pertinens ad tertiam operationem intellectus, nec tamen necessariò includat vnà cum præmissis ipsammet cōclusionem, præmissæ si nudæ accipiātur, non possunt aliò referri, quam ad secundam operationem.

Con-

Confirmatur. Quia ipsamet Demonstratio dicitur esse instrumentum quo scientia efficitur, necessariò continet cõclusionem, Ergo non potest distingui hac ratione à scire actuali. Hinc sequitur primo. Cur videantur diuersæ definitiones esse traditæ ab Arist. Demonstrationis, & scire: nam quadanteuus differunt. Secundo quomodo scire sit effectus Demonstrationis; si enim effectus nomine id intelligatur, quod vulgo dicitur & concipi solet tanquam distinctum re à causa efficiente, non est propriè effectus, quomodo etiam solent appellari passiones effectus subiecti, à quo tamen non distinguitur realiter. Dicitur tamen effectus ad medium dictum de actionibus omnibus immanentibus, & prout Demonstratio obiectiuè accidiiut tanquam instrumentum. Lege quæ diximus de acceptione Demonstrationis. Vltimo sciendum est quod operatio intellectus nostri scientifica, & quæuis alia cognitio, est quædam qualitas, vel de genere dispositionis, vt quidam dicunt, vel rectius ad speciem habitus pertinens: nihil enim aliud est actus scientiæ productus, quam inchoatus quidam habitus. De qua scientia habituali superest vt dicamus, si tamen prius id accipiatur videri Demonstrationis propter quid & Demonstrationis Quia diuersas esse specie scientias, quod tamen negat Soto, qui tamen concedit Demonstrationes illas esse specie diuersas, sed si id concedatur, vt concedi debet, non potest consequenter negari effectus causatum specie distinctarum esse specie distinctas; ipse tamen loquebatur fortasse de scientia totali, verbi gratia, Physica, Metaphysica, &c. quoniam ipse & alij sentiunt non esse aliam specificam scientiarum d stinctionem, nisi totalium: quamuis enim Demonstratio Quia & propter q uid sint, vel esse possint circa idem obiectum materiale, id tamen non refert, quoniam eiusdem materialis obiecti totales scientiæ esse possunt, & circa vnum idemque formaliter sumptum, plures versari possunt Demonstrationes.

TERTIA PARS TRACTATVS.

De Scientia Habituali.

SCientia habitualis tripliciter spectari potest. Primo in communi vt est scientia habitualis. Secundo. Vt est habitus quidam particularis, hoc est vt potest per aliquam Demonstrationem particularis scientiæ habitus generari. Tertio. Vt appellatur scientia totalis, verbi gratia, Physica, Metaphysica, &c. Quare tres quoque hæc pars sectiones continet.

SECTIO PRIMA.

De scientia habituali secundum se.

HIC vna tantum quæstio examinanda, nempè quid sit scientia habitualis, & in quo consistat ratio habitus, vt de scientia prædicatur. Supponi enim initio debet dari in communi loquendo habitum quo prompti reddamur ad exercendas aliquas operationes, quas alioqui poteramus, sed cum nonnulla difficultate. Lege D. Tho. *1. 2. q. 49. art. 4 & quæst. 20. de ver. art. 2. in corp.* Nec sermo est de habitu in alijs eiusdem acceptionibus, de quibus D. Tho. 1. 2 *q. 49 art 1.* Dur. 3. *s. d 23.* D. Aug. *lib. 83. quæst. 1. quæst. 37.* Arist. 5. *Met. t 25.* de quibus etiam nos diximus *cap de Qualitate.* Quod autem detur hic habitus, experientia comprobatur, quoniam videmus alios alijs longè facilius aliquid aut velle, aut intelligere, & vsu atq; exercitatione sibi quemq; hanc facilitatem comparare. Ratio quoque id cogit vt dicamus, quoniam subiectum, in quo huiusmodi qualitatem recipi affirmamus, huiusmodi

est natura sua, vt potentiam dicat indeterminatam ad actus, hoc, vel illo modo faciendos, nec perfectè constitutam, vt eosdem elicere queat. De qua re sæpè Arist. *tribus primis libris Ethic. & lib. cap. 9.*

Obijcies. Quando actus necessariò fiunt, non possunt habitum generare. Vide Aristotelem, si lapidem quis millies deorsum iaciat, non acquiret lapis vllum habitum, quoniam suo pondere necessariò deorsum deprimitur. Sic igitur cum necessarius sit intellectus nostri assensus, vbi veritatis lux illi obijcitur, non erit quod vllus in eodem habitus effici dicatur. *Resp.* Vt de alijs habitibus nihil dicam, in quibus hæc ratio non habeat adeo locum, in genere habitus tunc acquiri dicitur, cum hi actus exercentur, qui non sunt omnino necessarij, nec à potentia ad vnum quid determinati, porro non sunt tales nostri intellectus actus, sed potest nunc vna, nunc alia ratione aliquid intelligere nec est à principio intellectus nostri ad vllam intellectionē determinatus, quin etiā difficultatem in rebus rectè percipiendis non exiguā experitur. Constat autem lapidem & similia à natura habere inditas qualitates, quibus & ad sua loca ferantur, & naturales alias actiones exerceant. Cæterum ex his constat in communi dari habitum, & ad scientiā quod attinet, eadem ratio id concludit, & vix vllus id negat. Dubitatio autem est quid sit hic habitus scientiæ: Cum enim certum quoque sit apud maiorem partem Philosophorū dari species quasdam sensibiles, quæ sunt imagines quædam obiectorum sensibilium extrinsecorum, & sunt in ipsismet sensibus tanquam in subiecto proprio, & præterea quasdam alias species intelligibiles, & magis spirituales, quæ sunt etiam velut quædam simulchra obiectorum spiritualiter à nobis intellectorum.

Prima Opinio est. Scientiæ habitum nihil esse aliud, quā posteriores has species in intellectu nostro aptè dispositas. Ita Cap. *q. 3. prol. conclus. & in solutione argumentorū.* Videtur etiam esse Caietani sententia. 1 2. q. 54. q. 4. vbi D. quoque Tho. id subobscurè indicat, quod est à Cap. obseruatum. Zons. id apertissimè docet 6. *Met. q. 9.* Verum id intelligi vult de speciebus complexorum, non incomplexorum, ita vt sint quædam species representantes nobis ipsosmet actus complexos & rerum incomplexarum quandam compositionem. Rationes hæc sententia nullas ferè habet, nisi hanc tantum, quod cum certum sit dari huiusmodi species, nec videatur aliquid præterea esse necessarium, optimè scientifici habitus naturæ optimè hoc modo explicari. Et Zons. id fatetur, non esse quod rationibus hæc sententia confirmari possit, qui tamen authoritate multorum Authorum sibi victoriam pollicetur. At præter D. Thom. asscribit eam Auerroi. 1. *Met. quæst. 27.* Sed nihil aliud eo loco habet Auerr. nisi vniuersalia non esse aliquid separatum ab intellectu nostro, quod dicit interpretans Aristot. qui contra Platonis Ideas disputabat, potius pro Zonsin. faceret, quod dicit Auerr. *lib. destruct. dest.* 12. in solutione secundi dubij, scientiam Dei multiplicari secundum multiplicationē specierum. Immeritò præterea idem Zons. in eadem sententia ponit Scotum & Arim. ac alios multos; nam præter eos, quos iam citaui, aliosue forrasse paucos Thomistas, reliqui omnes dissentiunt, quin etiam Soto *q. 3 init. Log* & contrarium tenet, & pro se Thomam vult esse. Nec Cap. plane audet dicere D. Thom. 1. 2. *q. 54. art. 4.* dicere scientiam esse habitum quendam & qualitatem, id enim disertè asserit, respondens ad tertium argumentum, & Cap. & Caiet. ita ipsum interpretantur. Porro Caiet. apertè docet scientiam esse qualitatem quandam simplicem, hoc est habilitatem quandā, quæ nostrum intellectum determinat vt assentiatur, & ad ordinem ponendum in speciebus, vtque ijsdem promptè & facilè vti possimus. Denique idem et Caiet. & Zons. fatentur etiam inter D. Thom. discipulos quæstionem esse de mente sui Authoris. Et Cap. qui solum ait indicare D. Thom. in eam sententiam in responsi. ad quintum argumentum, Greg. asserit adiua-

ordinationem specierum pertinere ad scientiam in obliquo, non autem in recto, & per se, & talem ordinationem non sicualem, sed visualem appellat. Vnde sequitur ex dictis Authoribus solum Zons. elatè tenere scientiam esse ipsas species, qui tamen de solis loquitur speciebus rerum complexarum, & expressè etiam negat habilitatem illam quam diximus velut distinctā à speciebus, sed inquit Zons. intellectus habens simplicem notitiam terminorum, hoc est species repræsentantes eorum significata, causat in se notitiam principiorum, & per ipsa causat in se assensum conclusionis, qui actus, quo mediante fit assensus conclusionis, dicitur Demonstratio, & scientia est species ipsa repræsentans res complexas. Non est tamen perfecta scientia, donec species sint ordinatæ, quem tamen ordinem dici inquit scientia in obliquo. Accedit Ant. And. 6. *Met. q.* 3. dicens scientiam esse propriè illam, quæ ad speculationem inclinat tanquam naturalis similitudo ex re ipsa relicta.

Secunda Opinio. Communis aliorum omnium, scientiam habitualem esse quādam qualitatem, quæ significat quandā habilitatem distinctam ab omnibus speciebus quæ in intellectu nostro ponuntur. Et vt de alijs Authoribus non laboremus, D. Tho. id apertè docet, vt colligitur ex Soto & Caietano, & partim etiā ex Cap. & 3. *s. d.* 14. *q.* 1. *art.* 1. *quæstiuncula.* 2. satis nobis apertè loqui videtur. Sicubi verò dicere videtur Caiet. scientiam esse species, intelligendum est inchoatiuè, quatenus requiritur apprehensiua notitia antè iudicatiuam & discursiuam, & opus est esse intellectum nostrum speciebus intelligibilibus informatum, antequam in iudicium, vel discursum prodire possit. Idem docet Ferr. 1. *cont. gent. c.* 56. vbi ait dici à D. Thoma scientiam esse specierum collectionem, siue species ipsas fundamentaliter & originatiuè. Hoc autē loquendi modo vtitur potissimū D. Tho. *q.* 20 *de ver. art.* 2. Deniq; hæc est Hent. opinio *in quodl q.* Dicendū igitur est scientiā habitualē non esse species intelligibiles, neq; rerū incomplexarū neque etiam complexarū. Probatur primo. Quia scientia est qua cognosci etiā possūt res complexæ, sed species saltem rerū incomplexarū non repræsentant complexas. Ergo secundo. Scientia vt causata per Demonstrationem est posterior, species autē semper præcedunt omnem cognitionem. Tertio Requiritur quædam qualitas, quæ se teneat ex parte iudicij & assensus, vt potentia reddatur facilior ad iudicandū & assentiendum. At species solæ ad id nos non inclinant, sed sunt nudæ rerum repræsentatarum imagines, & se tantum habent obiectiuè, & nihilominus requiruntur ad apprehendendum, quam ad iudicandum, quarè nihilo quoque minus esset scientia in apprehensione, atq; in iudicio. Imò verò rationē apprehensionis, vt prompti reddamur ad apprehendum, præter species requirit etiam qualitatem ad id nos inclinantem, & ratio iam facta, & apertè docet Ocam. *quodlib* 3. *q.* 17. Gabr. 3. *s. d.* 23. *q.* 1. *dub.* 1. *conclus.* 2. & indicat D. Tho. 1 2 *art.* 50. *q.* 3. *ad* 3. *Ex cap.* 3 Arist. *de mem. & reminisc.* Et dicendi Magistri, præsertim Marc. Tull. & Quintil. præcepta tradunt quibus arte excoli memoria possit. Et confirmatur; Quia species cum tantum repræsentent, ex se sunt indifferentes, vt illis vtamur circa fidem, opinionem, errorem, atque aliosque habitus circa argumentationem affirmatiuam, vel negatiuam, ostensiuam, vel ad impossibile. Confirmatur etiam. Quia etsi species sint ordinatæ, adhuc tamen opus est intellectum circa illas discurrere, quod vt promptè faciat non habeat à speciebus, desideratur aliqua alia qualitas. Confirmatur. Nam vt inquit Caietanus sequeretur non poni vllam scientiam tanquam vltimam speciem qualitatis, sub specie interiecta habitus, quia scientia non potest esse species aliqua intelligibilis vna, sed necessariò plures requirit. Nunquā ergo erit simplex aliqua qualitas, & simplex aliqua qualitatis species, quemadmodum neq; plures homines ex quibus fit exercitus, possunt ad vnā aliquam certam speciem

 perti-

tem quandam ex parte potentiæ, quę difficultatem aliquam in assentiendo experitur. Secundo. Si placet intelligere per hunc habitum etiam eum qui est principiorum maximè communium, contendam ego non consistere habitum in solis speciebus, sed in lumine illo naturali, quod quia dicere absurdum est, cum habitus sit qualitas quædam acquisita, absurdum etiam erit quod ex eo deducitur, ac propterea dicendum consistere rationem habitus principiorum in ea habilitate. Ex his sequitur non tantum non esse scientiam species rerum incomplexarum, in quo rectè sentit Zons. verum etiam nec complexarum; iisdem rationibus vtrumque refutat. Falsum autem est fundamentum contrariæ opinionis, satis esse has species ordinatas.

SECTIO SECVNDA.

De Scientia habituali particulari.

CVm constet scientiam in communi vt est habitus esse qualitatem quandam simplicem, quæ habilitatem significat. Cum sit quoque certum quemadmodum scientia est ens, talis naturæ, ita & vnum quid esse dicitur, aliundè verò cum vulgò numerentur determinatæ aliquot scientiæ, quæ plures eiusdem rei, vel diuersarũ sub aliquo totali obiecto contentarũ demonstrationes habent, dubium est an sit dicenda vna scientia, quæ ex huiusmodi tantum pluribus Demonstrationibus ad vnum obiectum pertinẽtibus conficitur. An verò quælibet etiam cogitatio in intellectu nostro relicta ob particulares cuiusque rei Demonstrationes, & hanc appellamus nos fictionem de particulari scientia habituali, quoniam ostendemus tot esse scientias particulares, quot sunt Demonstrationes, postea autem cum nihilominus vulgari diuisione tot esse sciẽtiæ dicantur, qua ratione iudicatur, esseque possit, explicabimus.

QVÆSTIO

Quid sit scientia habitualis particularis, & quotuplex?

PRima Opinio. Communiter est Thomistarum locis citatis, præter Zons. & D. Thomas quoque ad illam trahitur 1. 2. q. 54 art. 4. scientiam esse vnam qualitatem simplicem, constantem tamen ex omnibus notitijs, quas omnes Demonstrationes ad vnum obiectum formale scientię, quæ vulgo vna dicatur, pertinentes, pepererunt, verbi gratia, dicunt scientiam vnam esse physicam, quoniam Demonstrationes omnes referuntur tandem ad ens, vel corpus mobile &c. Itaq; vbi primũ acquiritur Demonstratio prima physicæ, acquiritur etiam tota scientia physicæ, subsequentes verò Demonstrationes id tantum faciunt, vt perficiatur atq; extendatur idemmet habitus. Rationes pro hac sententia aliæ non sunt, nisi à vulgo tot vel tot scientię esse dicantur, quas certum sit ex multis Demonstrationibus cõstare; sic enim Aristot. 4. & 6. Met. speculatiuas tribuit in tres partes, & practicas scientias in artes, prudentiam, & alios habitus.

Secunda Opinio. Esse vt scientias quot sunt Demonstrationes. Est Zons. 6. Met q. 9. quamuis is non loquatur de habilitate. Aurn q 3 prol. Gabr. q 8. Ocam, & Nominalium omnium, qui inquiunt esse plures specie scientias, prout plures sunt specie sciendi actus, ideò autem sunt plures Demonstrationes in eademmet totali aliqua scientia. Quidam Neoterici ita limitant hanc sententiam, vt dicant verum esse si de Demonstrationibus vnius einsdem obiecti specie, quas plures esse posse certum est, loquamur, verbi gratia de Demonstrationibus; quæ sunt de cælo. Quæ autem sunt de diuersis subiectis, quibus per se diuersæ conueniant passiones, esse etiam distinctas scientias.

Prima Propositio. Cum in eadem scientia totali de eadem re est Demonstratio Quia & propter quid, sunt etiam specie distinctæ scientiæ. Hoc ante contra Scot. diximus, & ratio est, quoniam ipsæmet Demonstrationes specie differunt, Ergo & affectus illarum, sunt autem scientiæ habituales. Confirmatur. Nam illæ Demonstrationes sunt per diuersa media, habent diuersam euidentiam, inferunt distinctas specie notitias. Nec est incon-

ueniens quod affert Soto *in c.11.t.post.* quoniam simul esse possunt in eodem intellectu eædem Demonstrationes; quis enim nesciat in eodē intellectu plures esse posse scientias etiam totales? Imò ipsemet disputans ad finem *lib* 1. de opinione & sciētia, quod distinguantur specie, non propterea negat in eodem esse posse.

Secunda Propositio. Vna scientia totalis ex pluribus constans Demonstrationibus, non est vna & simplex qualitas. Probatur primo. Ex ea distinctione Demonstrationis Quia & propter quid. Et confirmatur. Quoniam expetimur diuersas esse habilitates ad diuersa diuersarum Demonstrationum obiecta, verbi gratia, qui primam Eucl. Demonstrationem tenet, non continere etiam & decimam. Imò verò fieri potest vt versetur quis in errore alicuius Demonstrationis ad eandem scientiam pertinentis, qui aliam tamen apprimè nouerit, habitus autem scientiæ nihil aliud est præter habilitatem. Confirmatur secundo. Formæ rationis eiusdem, eiusdem quoque rationis effectus producūt, quamuis intensius, vel remissius, pro paucitate vel pluralitate graduum eiusdem formæ, vt docet Arist. 1. *Cal. t* 19. *& lib.* 3, *t.* 72. Ergo cum habitus generatus per primam Demonstrationem sit idem planè specie cum cognitione quæ acquiri potest per alias Demonstrationes, redderetur qui primum Demonstrationem habuerit facilis & promptus saltem in aliquo graduum, vt Demonstrationibus ijs assentiri possit, cuius tamen oppositum quisque experitur. Nec valet dicere quod definit species; id enim verum quidem est, tamen cum velint aduersarij sciētiam nihil aliud esse quam species, si vnica specie est scientia, oportebit omnes quoque adesse species. Simile est in potentia visiua, quæ quia natura sua omnes colores potest percipere, cum primum aliquis nouus obijcitur, statim eum intuetur. Oporteret ergo oppositis terminis alicuius alterius demonstrationis eum qui primam habet, statim assentiri posse. Secundo. Probatur. Cum angelus habitus per nouos actus distinctarum conclusionum, vel aduenit præcedenti aliquid de nouo diuersum essentialiter, vel non. Si non aduenit, non reddemur magis prompti nouis conclusionibus assentiendum. Si aliquid aduenit, non est ergo simplex qualitas; nam nouus ordo & relatio specierum per se non est causatiuus scientiæ. Et vt docet Aristoteles 1. *Cal. t.* 81. relatio rei addita in nullo illam immutat. Confirmatur primo. Scientiæ de eadem re in diuersis hominibus numero distinguuntur, Ergo scientię de rebus diuersis in eodem homine, & diuersis plusquam numero. Confirmatur secundo. Omnis argumentatio & intensio debet fieri à simili, at actus cognoscitiui diuersarū rerū non sunt similes, ergo non possunt augere eundem habitum. Maior est Arist. 8. *phys. t. de generat.* 2. *Anime. &* 2. *Eth. c.* 1. habitus, inquit, ex ijsdem augetur, ex quibus generatur. Confirmatur etiam. Nam ex aduersariorum opinione facilè trahi posset argumentum ad probandum esse vnicum tantum rerum omnium scientificum habitum, quod etsi probabilitate nō careat, plurimum tamen aduersarij concedere reformidant: Si enim vna sciētia est propter extensionem illam ad plures res recens cognitas, cur non etiam extendere licebit hunc habitum ad omnes planè res scibiles?

Obijcies primo. Sequeretur non esse vnam scientiam distinctam ab alia, sed posset Physica vna cum Mathematica & Metaphysica vnam cōstituere scientiam. Respondeo, sicut ipsi ex tot & tot speciebus distinctas esse volunt scientias, etiamsi in vna aliqua totali multas contingat species modis diuersis conuenire inter se, ita & nos paulò post dicemus, quomodo, cum tot sint scientiæ atque Demonstrationes, sint nihilominus & dicantur tot scientiæ totales numero diuersæ.

Obijcies secundo. Cum Soto, *quæst.* 3. *prol.* Vna est virtus quæ versatur circa aliquod obiectum, etsi illius plures sint species, verbi gratia, Temperantia, Prudentia, &c. vna est charitas, qua Deum & proximum amore complectimur, vna fides, qua rebus à Deo reuelatis, quamuis ma-

gimè

ximè diuersis, assentimur, vel si de humana loquamur, eodem modo vna est, propter dicentis authoritatem vnus est habitus cytharizandi, &c. Ergo vnus habitus scientiæ, circà aliquod particulare obiectum. Et confirmatur. Vna est potentia intellectiua, ergo cum sit proportio & similitudo inter perficiens & id quod perfici debet, erit vnus quoque habitus. *Resp.* Certum est vbi reperiuntur diuersi actus rem aliquam sciendi, etiam & diuersas habituales scientias esse oportere, quare virtus quoque moralis vna erit, si vno & vnius rationis conatu voluntatem nostram inclinauerit ad aliquod obiectum, quamuis specie distinctum materialiter loquendo. Præterea fides diuina vna est, quia nititur eidem vni diuinæ reuelationi, & idem est de fide humana propter dicentis authoritatem. De caritate scio apud Theologos dubitationem esse, sitnè idem planè habitus quo Deum diligimus, & quo proximum sicut nos? Si tamen vnus est habitus, vt est verisimile, propterea vnus est, quia amamus proximum & res cæteras creatas propter eandem rationem formalem, hoc est, propter fontem totius bonitatis, Deum. Nihilominus etiam in virtutibus moralibus, si quando se offeret aliquod obiectum, quod difficultatem aliquam propriam & particularem nobis ingeneret, distinguenda quoque erit virtus ista particularis, qua difficultas illa superetur, etiamsi res illæ in vna ratione obiecti alicuius conueniant, verbi gratia, fortitudinis virtus latè patet, nec est idem habitus quo occurrimus rebus maximè formidolosis, vel quo rebus non adeò facilibus vim nobis facimus. Sic etiam Temperantia in communi loquendo versatur circa quasdam affectiones corporis, quia tamen alia est difficultas moderatè viuendi circa victum, altera circa res Venereas, ideo non est eadem virtus. Quod verò attinet ad virtutes infusas, quæ ex genere huiusmodi sunt, & supernaturales sunt quoniam sunt gradus cuiusdam superioris, potest quis ijs adiutus plura præstare, atque opus esset distinctis habitibus acquisitis. Quemadmodum etiam in angelis sunt ingeneratæ species intelligibiles, quas tamen docent ferè omnes Theologi ac D. Thom. 1. *pos.* res valdè distinctas repræsentare, quas plures ex speciebus nostris referre non possent.

Obijcies tertio. Sequeretur si distinctà per distinctas Demonstrationes scientiæ habitus efficerentur, melius aliquando & clarius à nobis cognosci passionem aliquam mediatam & posteriorem, quam immediatam & immediata principia, ex quibus huiusmodi passio pendet, quod repugnare videtur Aristoteli 1. *post. t.* 5. vbi ait Aristoteles principia longè esse debere manifestiora, quam conclusiones, propterea quidam recentiores volunt tum solum esse distinctos scientiæ habitus, cum immediatè de proprijs obiectis passiones ostenduntur, contra quos tamen sit tertia propositio.

Tertia Propositio. Tot sunt habitus scientiæ distincti, quot distinctæ quomodolibet sunt Demonstrationes & passiones quæ de aliquo subiecto probantur. Ratio patet. Quoniam distinctæ causæ quomodocunque tandem specie distinguantur, distinctos eiusdem rationis & vniuocos effectus habent, nam causæ æquiuocæ possunt interdum eundem specie effectum producere, vt sol & hic ignis noster ignem, vt sol & homo generat hominem ex Aristotele. Verum qui hanc sententiam de habituum distinctione sequũtur, consequẽter esse id quod dicimus, dicunt vt Ocam Arim. Nominales &c. Nec tamẽ nego facilius posse eum qui habeat Demonstrationem immediatæ passionis progredi ad cognitionem sequentium, quam per disparatam aliquam alterius rei passionem nouerit, vel qui ad alterius item disparatæ rei passionis cognitionem se conferre velit. Et confirmatur. Quoniam experimur difficultatem in aliquibus eiusdem rei posterioribus passionibus cognoscendi, vnde ijdem Recentiores hoc argumento conuicti pergũt & dicũt si quando hanc difficultatem quis experiatur in concludendis passionibus posterioribus

numero est. De specifica patet ex dictis, ex diuerso habitādi modo, & ex diuersis Demonstrationibus sumi. Vnde sequitur totalem scientiam non posse propriè appellari vnam simplicem qualitatem, vnius q; infimæ speciei. Potest autem in communi loquendo quæcunque scientia dici esse genere vna. Primo. Ob distinctum genere finem, vt practica à speculatiua. Secundo. Propter diuersi planè ordinis medium, vt quæuis scientia ab opinione, &c. Tertio. Propter diuersitatem obiecti genericam, vt quæuis etiam scietia à cognitione sensitiua Quarto. Propter obiectum vnum formale, circa quod vnus est modus procedendi, definiendi & demonstrandi, & hæc ratio distinctionis est maximè propria, secundum quam solet dici scientia totalis vna distingui ab alia. Quod autem habenda sit ratio formalis obiecti, docet Arist. 1. *po t.* 41. vbi scientiam vnam esse ait quæ est vnius generis subiecti. & 3. *Animæ, t.* 38. scientia, inquit secatur quemadmodum & res; etsi enim ibi tantum præcisè intendat Arist loqui de diuisione scientię secundum potentiam & actum, vt sicut sensus in actu refertur ad sensibile in actu, & sensus in potentia ad sensibile in potentia, ita & scientia. quoniam 2. *ph. t.* 38. causæ in potentia sunt effectuum in potentia, & causæ opinantes sunt effectuum in actu, tamen à multis quoque locus ille intelligitur de distinctione habituum scientiæ, & de diuersitate obiectorum formalium, à quibus & esse & distinctionem sumant scientiæ totales, vt quasi dicantur esse diuersæ, ob obiectorum formalium sectionem, Zim. in tab. verb. scientiæ. Confirmatur ex Arist. 3. *Animæ t.* 15 19. & 27. vbi dicit scientiam, actualem scilicet, idē esse quod rem scitam. Cōfirmatur Secundo, Quia scientia, dicit intrinsecum ordinem ad scible, & obiectum, Ergo inde etiam habet quod vna sit & distincta, & hæc est communis opinio, nam quod non sufficiat materialis distinctio, docet Arist. *vt* 2. *ph. t.* 18. vbi dicit easdem esse lineas Physicas & Mathematicas, ponitúrque discrimen ratione solius obiecti formalis inter Physicam & Mathematicam. Et *t.* 21. scientia de corporibus corruptibilibus & æternis dicitur esse eadem, quoniam habent rationem vnā naturæ, vt Auer. 2. *ph com.* 3. 8 *Met. com.* 5. 1. *Cæl com.* 5. Et D. Tho. 4. *Met. lect.* 1. & 2. *quæst* 54. *art.* 2.

Notandum Secundo. Ratio formalis duplex est: Altera dicitur quæ, altera sub qua. Illa est, quæ in scientia per se spectatur, & ratio est, & causa cur passiones insint subiecto, & ad materiale obiectum addit aliquid reale, verbi gratia Physicæ obiectum materiale est corpus, ratio formalis quæ, est quod sit naturale; nam quæcunque spectantur in Physica vt naturalia sunt cognoscuntur, & hæc cōditio supra corpus addit aliquid reale. Ratio formalis sub qua est, cum res considerantur in scientia sub tali aliqua conditione, quæ nec ipsa per se spectatur, non est causa cur passiones insint subiecto nec demum aliquid reale superaddit obiecto materiali. Huiusmodi est in Physica circa sua obiecta versaretur, nisi illa seuocaret à materia singulari, nec de hac conditione in Physica præcepta traduntur, nec propter illa naturali corpori insunt propriæ passiones, nec tandem ipsa addit reale supra corpus. De hac duplici conditione vide Cap. q. 4 *prol. f conclus.* 1. & *resp. ad arg. cont. quintam & sextam conclusionem.* Præterea Caiet. 1. *p quæst* 1. *art.* 3. Palud. apud Cap. dicit rationem formalem quæ tenere se ex parte obiecti rationem sub qua ex parte potentiæ.

Notandum Tertio. Vnitatem scientiæ totalis plerique Thomistæ desumunt ex ratione formali sub qua, hoc est ex abstractione, vel à materia singulari, vel à materia sensibili, vel ab intelligibili, vel denique per indifferentiam. Hæ duæ vltimæ abstractiones cōueniunt Methaphysicę: Prior propter Deū & intelligentias qui ab omni materiæ cō-

Eee cre-

cretione liberi sunt: Posterior, propter prædicata quædam maximè communia, quæ partim ad res materiales, partim spirituales extendi possunt. Abstractio à materia singulari propriè est physicæ, quæ cōsiderat ens naturale & sensibile, prout tamen ab hoc vel illo singulari est abstractum. Abstractio à materia sensibili est propriè Mathematicæ, qui versari dicuntur circa materiam intelligibilem, hoc est circa quantitatem quæ reuera à parte rei inest in materia, sed consideratione intellectus ab eadem abstrahitur. Hanc sententiam docere videtur D Thom. 6. *Met. cap. 1. q. 2. de verit. art.* 4. 1. 2. *q.* 54. *art.* 2. & colligi videtur ex Arist. 6 *Met. t.* 2. *& lib.* 11. *sum.* 3. *e.* 1. 2. *Anima. t.* 17. vbi ex hac triplici abstractione, nam abstractionis per indifferentiam nullibi apertè meminit, quoniam spectabat potissimum obiectum Metaphysicæ, quod est Deus & Intelligentiæ, tres scientias distinctas distinguit: Physicam, Mathematicas, & Metaphysicam. Alij autem Themistæ volunt, cū ex his abstractionibus quædam habeat aliquam latitudinem, plures quoque quam vulgò diuidantur, scientias esse posse, verbi gratia anima, quæ est pars quædam scientiæ Physicæ, habet aliquanto maiorem abstractionem quam mixta inanimata, &c. & ideò plures quoque poterunt esse physicæ, quamuis sit communis omnibus abstractio quædam generalis à materia singulari; sicut quamuis vno nomine Mathematicæ disciplinæ dicantur, certum est tamen distinctam esse Geometriam ab Arithmetica, & Arithmetica obiectum habet simplicius quam Geometria. Ducuntur potissimum tam isti quam præcedentes hac ratione: Quoniam scientia spectari debet in ordine ad intellectum nostrum, ergo prout erunt diuersi intelligendi modi, diuersæ quoque erunt assignandæ sciētiæ Sunt autem tres aut quatuor modi illi intelligendi qui ex abstractionibus petuntur. Hoc autem quod iam diximus de distinctione plurium physicarum innuit D. Thom. *1. po. lect.* 15. *& 1. ph. initio,* Iauell. 6. *Met. q.* 7. *&* 8. *Zonf. ibid.* Caiet. 1. *po. in c.* 22. Porrò alij vt Dur. Ocam, Arim. Gab. 1. *q.* 3. *prol.* & Mirand. 6. *Met. init.* dicunt sumi vnitatem scientiæ à ratione formali Quæ.

Pro quo notandum quartò. Videri nobis scientiam totalem non dici vnam propter abstractionem. Ratio est. Quia abstractio est quid extrinsecū, scientia autem sicut esse sumit, ita & vnitatem sumere debet ex re aliqua intrinseca, quare sumetur vnitas scientiæ totalis ab obiecto aliquo quod habeat talem formalem rationem quæ & consequentes ex tali modo definiendi, demonstrandi, ac tali modo procedendi, quod colligitur ex Arist. 6 *Met t.* 2. Quanquam à posteriori colligi quoq; possit distinctio scientiarum ex abstractione. quod cum Arist. tum D. Tho quæcunq; tandem aliorum fuerit sententia, solū velle videntur. Et huius obiecti formalis in scientia spectatur species propriæ, principia, & passiones, 1. *post. t.* 43. species inquam participantes rationem illam formalem; fieri enim aliquando potest vt scientia quæpiam versetur circa vnū specie obiectum, materialiter loquendo, quod tamen propter varias rationes formales contētas sub illa vna dici poterunt multa obiecta, vel multiplex, vt medicina considerat hominem vt sanabilem, qui sanè vnus specie est, illius tamen obiecti species plures esse dicetur, homo secundum hunc aut illum specie distinctum morbum cōsideratus, vt habet Apoll. 1. *po. q.* 46. Hinc sequitur propriè loquendo scientiam quæ totalis sumitur, potius & simpliciter esse dicendam vnam per aggregationem, quam vnam genere: Nam constat ex multis Demonstrationibus quibus scientiæ eiusdem generis principio interdū probantur, passiones demonstrantur, species quoque esse ostenduntur, quæ omnia propriè loquendo non conueniunt sub vno aliquo genere.

Obijcies, Quælibet Demonstratio gignit propriam scientiam, quælibet scientia est

tia est habitus quidam de genere qualitatis. Ergo omnes partiales scientiæ, quæ sunt in vna totali, dici poterunt efficere vnam scientiam genere, quia de illis omnibus sciẽtiæ ratio vniuocè prædicatur. Respond. cum Peter. 1. *de princ. cap.* 11. scientiam spectari posse ratione habilitatis, & sic fortasse omnes conueniunt vniuocè, aut spectatur scientia ratione obiecti, a quo specificatur, & sic multiplex est scientia, nec cõmodè potest ad vnum genus vniuocum reuocari, alioqui diceremus scientiam quæ est per Demonstrationem Quia, per Demonstrationem propter quid, & à priori, subalternantem & subalternatam, sub vno genere cõtineri vniuocè, quod est falsum.

Notandum quinto. Hæc cùm ita sint, quæri potest an reuera sint distinctæ ex natura rei scientiæ, an verò dici possit vnicam esse sciẽtiam, quæ tamen commoditatis causa in tot sit partes distributa? Et quamuis quæstio potissimum esse soleat de scientijs speculatiuis, eadem tamen institui potest & de practicis; tum præcisè spectatis, tum in ordine ad scientiam in communi. Præterea etiam de virtutibus moralibus, præterea de habitu principiorum. Denique de omnibus habitibus spectantibus ad intellectum, de quibus dum de scientijs speculatiuis, quæ ad nos res propriè spectat, ex instituto agemus, obiter etiam & idem de rebus propositis dicemus. Ant. Bern. Mirand. *de euers. sing. cert. sect.* 6. & 7. affirmat esse vnicam scientiam rerum omnium, cuius subiectum sit ens vtens, & reliqua omnia complectatur tanquam species, passiones, modos, aut quacunque alia ratione ad ens vt ens pertinentia: Iterum cæteræ scientiæ vniuersalis partes quædam, non secus atque Physicæ, verbi gratia pars est quæ agit de Cælo, de Animali, &c. & hanc scientiam vult appellari Philosophiam absque addito. Hoc ipsum indicare videtur apertè Cic. 3. *de Orat.* M. Cras. dicens primum quidem fuisse vnum quasi fontem sapientiæ, cum posteà ceu in multos scientiarum riuulos deriuatum & deductum fuisse, vt quæ simul complicat & coniuncta æquè poterant ab hominibus addisci, ea variè disiuncta ac dispertita commodius & facilius perciperentur. Idẽ indicat Alex. 6. *Met. init.* & Heru. apertam mentionem facit *tract. de secund. intent. cap. pen. pag.* 115. Rationes Mirand. sunt hæ potissimum. Primo, Arist. 4. *Met. t.* 2. qui locus sanè est luculẽtissimus, Omnis autem generis, inquit, & sensus vnus vnius & scientiæ, velut Grammatica vna existens omnes voces speculatur, quare entis quoque quot species sunt, & specierum species speculari vnius scientiæ genere est. Confirmatur. Quoniam visus, quantum ex se est, de quolibet colore esse potest, etiam in particulari, & Grammatica omnes planè dictiones spectare potest. Ergo vt cohæreant allata exempla, necesse est scientiam quoque vnam genere esse entis & omnium specierum illius, vt particulares & tales sunt. Vndè 1. *po. t.* 43 dicitur, scientiam esse vnius generis obiecti, & versari circà illius species, at profectò nisi scientia consideret species particulares, nugatoria locutio est; considerare enim species alicuius generis, solum vt participant prædicatum commune generis, non est tam considerare species, quam solum genus. Imò cum videamus sciẽtias particulares, quæ circà aliquod obiectum determinatum sunt, easdem quoque & circà determinatas species obiecti eiusdem, vt specificam hanc naturam habent, versari. Dicendum est Metaphysicam quoque, cum spectat ens, considerare etiam species illius, vt sunt talia entia determinata; sic n. Physica nõ dicitur considerare corpus naturale, & corporis naturalis species solũ vt rationẽ cõmunem corporis naturalis habent, sed etiã vt sunt talia corpora naturalia. Cõfirmatur Secundo. Nam omnes dicunt Metaphys. agere de speciebus entis, hoc est de prædicatis entis secundum se, at considerat

Metaphysica etiam substantiam & accidens vt talia sunt, quid ergo obstat quo minus scientia quæ considerat eas, & species specierum eius, descendat ad particularem considerationem specificorum entium.

Secunda Ratio est, quæ tantum continetur in illa eadem Arist. sententia iam dicta; nam omnia entia particularia cōtinentur sub ente tanquam sub genere analogo, possunt ergo & sub scientia quæ est vnius generis obiecti saltem analogi, omnes illæ species comprehendi, & explicari. Sed quia ens est vnū genus, ideò continet sub se omnes species, Ergo quia etiam scientia vna genere est, continebit sub se considerationem omnium specierum. Hanc sententiam sic possumus confirmare. Primo, Quoniam præter illam diuisionem scientiæ, quæ est apud Arist. in Phys. Metaphysica, & Mathematica, certum est omniū confessionem posse & alias nonnullas scientias totales etiam & distinctas poni, verbi gratia, scientia quæ est de Deo & intelligentijs, peculiarem quandam abstractionem per se requirit, quæ positiuè est ab omni materia, Metaphysica autem non suo iure de istis rebus disserit, sed commoditatis causa eam sibi tractationem aggregauit. Secundo, Multi sentiunt esse vnicum habitum principiorum omnium, qui dicatur intellectus, vnam omnium de rebus omnibus probabilibus, vnam fidem de omnibus creditis. Est ergo etiam verisimile vnā esse scientiam, quæ sit de reb. omnibus. Tertiò, 1. *de p. animal cap* 1. inquit Arist. dari habitum quendam τὴν παιδείαν, hoc est peritiam, qui sit rerum planè omniū, hanc nos dicimus esse vnam scientiam. Et confirmatur. Quoniam vnius scientiæ est reliquis particularibus propria assignare subiecta, sed hoc non potest facere, nisi eorundem omnium subiectorum habeat cognitionem; qui enim iudicium inter multa laturus est, & discrimen positurus, ea dicitur cognoscere, quæ causa est cur quia sensus communis particularium sensuum discrimina nouit, dicatur etiam ab Arist. 2. *Animæ t.* 146. eorundem particularia obiecta percipere, quod etiam est notius potentijs, quæ sunt superiores, vt in æstimatiua vsque ad intellectiuā. Quarto, Angelis inditæ sunt à natura species quædam intelligibiles, vt ex illis aliquę, vt est probabilis opinio, repræsentant obiecta distincta, imò etiam fortassè aliquis per vnicam speciem rem totam cognoscet. Ergo non est absurdum dicere intellectum nostrum vnicam habere posse scientiam de rebus omnibus, eo modo quo illæ etiam distinctæ scientiæ sunt inter se distinctæ, videlicet per aggregationem. Quinto, Arist. 6 *Met.* 4. *t.* 1. vbi ponit diuisionem illam scientiæ in Metaphysicam, & Mathematicam, & Physicam, ait Physicam & Mathematicam abscindere quādam partem entis, indicat ergo Arist. Physicam & Mathematicam esse partiales scientias, imò etiam vt 10. *Met sum.* 2 *cap* 1. ait esse has scientias Philosoph ę partes, nos autem scientiam hanc vnam appellari volumus Philosophiam. Hinc etiā est quod Metaphysicam quidē passim Arist. vocat primam Philosophiam, vnde colligas Physicam dicendam esse secundam Philosophiam: Sunt ergo vnius totalis Philosophiæ partes. Et confirmatur. Nā 4. *Met. t* 2. ait, Philosophi esse de rebus omnibus posse speculari, quod non potest qui circa ea sola quæ Metaphysicæ debentur, versetur, Imò ibid. ait ita pertinere ad Philosophum omnia speculari, sicut ad Sophistam & Dialecticum; nemo autem nescit Dialecticā vt significat partem Topicam, vel veterem, versari circa omnes res particulares; deinde iudicium est de Sophistica, prout præsertim significat sapientiam ementitā quam olim quidam profitebantur, vt sibi nomen aliquod apud vulgum facerent. Vltimo, certum est multitudinis, quæ in rebus omnibus, etiam spiritualibus, experitur, easdem esse proprietates numerorum, quę ab Arithmetica de numero, qui est in quantitate, ostenduntur, si tamen hic & ille numerus essentiali-

tiali ter differant. Signum ergo est non solius Metaphysicæ, sed scientiæ alicuius magis communis esse considerare omnes species entis. Vnde Arithmetica solum sibi vendicabit numerum vt est in quantitate.

Quarta Propositio. Si loquamur de scientijs propriè dictis, quas solas esse speculatiuas, & in proleg. Logicæ diximus, & dicemus posteà, probabilis est opinio vnicam esse rerum omnium scientiam, quod rationes iam dictæ cum sint bonæ, satis probant. Et confirmatur. Primo, Quia hæc sententia facilius est, & ex multis difficultatibus nos extricat. Item non vrgemur vllius authoritate, qui oppositum, cum vel nemo, aut quã paucissimi conceptis verbis quæstionẽ hanc agitauerint, vel si qui id fortè fecerunt, potius à nobis faciunt. Arist. verò ipse præterquam quod solam velle videtur distinctionem scientiarum maioris commoditatis causa, etiam non obscurè hoc quod volumus indicat, & sicut agelleola melius ampli alicuius, agri partem aliquam mediocrem, inquit Mirand. *sect. 3. lib. 13.* colit, quam totum, vel maximam eius partem, ita etiam facilius scientiæ & traduntur, & addiscuntur, si per partes quasdam distributæ acceptæ fuerint. Quarè hæc erit prima pars, quæ complexa est, ens & decem prædicamenta & substãtiam cum corruptibiliũ tam incorruptibilium, secundum quandam rationem communem, de angelis autem & Deo magis ex professo, vtpote qui ob maximam perfectionem ad eam partem referri possint, quæ est de maximè communibus. Secunda pars erit de ente naturali, cælo, elementis mixtis vsque ad species infimas, cum earũdem passionibus & principijs. Tertia in qua de quantitate specialiter agatur, vt à materia abstrahit, & sic abstracta considerari potest; quæ abstractio quia est conditio quædam, non facit quo minus secundum se dici possit Mathematica versari circa ens, quoniam considerat speciem entis, quę est quantitas. Arist. igitur supposito hoc fine commodè solet hoc modo scientias partiri, vt 3. *Met. t.* 4. 5. *lib.* 4. 6. & 7. 1. *po. t.* 20. & 45. vbi etiam præcipit supposita hac distinctione ne vlla scientia in alterius veluti fines irrumpat, quod dicit, ne transcendat vna de genere in genus, hoc est de proprio suo obiecto in alienum; & est sanè congrua hæc distinctio, quoniam peculiares sunt proprijq́ quidam modi particulares tum definiendi, tum demõstrandi, tum abstractionis, aliaque multa, ratione quorum iure indicta fuit, quamuis si quis vellet adhuc magis subdiuidi posset hæc totalis scientia. Hoc docet Plut. 1. de plac. præherm. dicens Philosophiam esse artem vnicam ac supremam, etiamsi illius postmodum partes quosdam subdit. Pro hac opinione est opinio illa, scientias omnes vni subalternari Metaphysicæ; est enim axioma receptũ, scientias subalternatas non ponere in numerum eum subalternantibus, hæc est non efficere distinctas essentialiter scientias, quam opinionem probat Iulius de obiecto Metaphysicæ. *sect.* 3. 5. 6 & 7. Accedit quod Plato solitus erat dicere scientiam vnam esse vniuersalem Idearum omnium, quam sæpè Dialecticam vocat, ita vt nulla esset per se alia scientia distincta. Lege Alcin *de doct. Plat. c.* 4. 6. Fic. 2. *de Repub.* Est quoque illa sapientiæ definitio Peripateticorum omnium & Stoicorum, & Cic. 5. *Tuscul.* Rerum diuinarum, hum. &c. Quare nos imposterum admissa hac commoda distinctione scientiarum, cætera quæ ad hunc tractatum pertinent, sic explicabimus. Lege D. Tho *præfat. in lib de generat.* & 1. *Met lect.* 2 & *op.* 70. *quæst q.* 5. *art* 1. Ioannes Paul. Donatus, *cont* 1. Zim. *verbo abstractio.*

Secunda Propositio. Quamuis locuti simus tantum de scientia speculatiua, videri tamẽ posset eandem rationem esse scientiarum practicarum inter se, & cũ speculatiuis collatarum: Quod enim ex speculatiuis & practicis vna scĩetia fiat, suadet ratio, quoniã omnium partialiũ habituum obiecta conueniunt sub vna com-

communi ratione entis. Verum obstat quo minus hoc dicamus, quia speculatiui & practici habitus sunt distincti per se fines, speculatiui enim habent solum veritatis cognitionem, practici verò opus aliquod, de qua re quæstione sequenti. Inter practicos etiã habitus sunt valdè diuersi fines; nam quidam dirigit actiones interiores, alius versatur circà commoda vitæ, Non ergo potest ex his vnus constitui habitus. Rectius ergo ita poterunt distingui, vt practici quidem seiuncti sint à speculatiuis, ex practicis autem fiat summa vna scientia, quę sit circa mores omnes, virtutes, ac vitia, tum priuata ac propria cuiusque, tum domestica, tum ciuilia quæ sunt tres moralis Philosophiæ partes: Ethica, Oeconomia, vel domestica, politica, hoc est ciuilis, quibus addere possumus consultatricem scientiam, & Rhetoricam. Alia etiam cõstitui potest per se distincta, quæ occupetur circà res externas, & complectatur artes omnes mechanicas. Hinc sequitur, primo non sufficere ad veram & omnimodam scientiarum distinctionem, primo Diuersitatem in modis procedendi, hoc est definiendo, vel demonstrando, quoniã sicut isti modi sunt fundati in natura rerum ipsarum quæ tractantur, ita etiam vnus esse communis potest, qui extrahatur ex rebus illis omnibus, vt sub ente in communi conueniunt. Et confirmatur Quia si de particularibus modis loquamur, plurimi sunt, si de magis communibus, quo erunt definiẽdi modi per genus & differentiam, vel per materiam & formam, qui tandem ad vnũ reuocari possunt, omnes tamen ad duo summa capita referuntur: Ad Demonstrationem propter quid, & Quia, Secũdo, Non petitur sufficiens distinctio ex abstractione, de qua præter dictos Authores antè, lege Am. in Porp. Quia abstractio est mera conditio extrinseca, & sine qua non, & prætereà illa quæ dicitur esse per indifferentiam, tribuatur illi nostræ scientiæ maximè cõmuni, quæ quia de rebus omnibus est, non est ipsi curæ an materiales sint istæ res, an spirituales. Et prætereà opus esset abstractione distincta propter Deum & intelligentias, quæ dicenda est abstractio ab omni materia, quæ ad eandem Metaphysicam commoditatis causa ab Authoribus est relata. Tertio, Nec petitur etiam inde distinctio, quod triplex quodam modo sit obiectum, quod intellectum nostrum moueat vt sciat, primo prout subest qualitatibus sensibilibus. Secundo, Quod abstrahat à sensibilibus qualitatibus exterioribus, & moueat nostram imaginationem, quod dicũt esse Mathematicarum. Tertio, Quod moueat intellectum nostrum secundum se, quod dicũt esse proprium Metaphysicæ nam ad scientiam in communi satis quoque est, scibile in cõmuni, quod habeat principia & passiones demonstrabiles, reliqua sunt tantum conditiones sine quibus non, non secus atq; abstractio. Vndè si per impossibile obiectũ Physicæ, quod res ex sensibilis, Mathematicæ, quod est res imaginabilis, & Metaphysicæ, quod est ens, immediatè mouerent intellectum nostrum, nihilominus minus distinguerentur istæ scientiæ, vel eo modo quem alij volunt, vel eo tantum quem nos, hoc est cõmoditatis solius causa. Et confirmatur. Quia dicti isti modi non faciunt quo minus res omnes habeant rationem cõmunem scibilis, quia scibilitas est passio quædam entis, Ergo non etiam impedient quo minus vna de tali obiecto scientia esse queat. Confirmatur secundo. Nam non sunt distinctæ scientiæ, quæ agant de re visibili, aut perceptibili secundum alios sensus, vel externos, vel internos, qui interni sunt magis abstracti quam externi. Ergo quãuis multis modis res aliqua sit scibilis, nõ propterea tamen distinctæ esse sunt dicendæ scientiæ. Confirmatur tertio, Quoniam Physica, verbi gratia quę est in angelo, aut in anima separatè, est eiusdem rationis essentialiter cum ea quam nos habemus at in illis nullam dicit Physica dependentiam à sensibus, accidit ergo quod

go quod eam in nobis includat propter dependentiam à sensibus. Confirmatur quarto, Nam spectat ad Physicam considerare res naturales secundum suos gradus vltimatos essentiales, qui non magis dicunt depēdentiam à sensibus, quam conceptus substantiæ, accidentis, vel entis in communi. Nec quisquā facit duas Physicas: Vnam, quæ consideret res vt sunt sensibiles, alteram, quę hos gradus vltimatos spectet, quamuis de quantitate vt est in materia sensibili disputet Physica, de eadem vt cogitatione separatur, Mathematica quoniam plures sunt & commodiores hic id faciendi causæ quam ibi. Confirmatur ex his quæ diximus, quoniam si satis sunt causæ illæ distinguendarum scientiarū, plures debebunt dici esse scientiæ. Quarto, Non distinguuntur scientiæ propter diuersa obiecta formalia, siue propter plures rationes formales diuersas, quæ, quoniam particulares sunt plurimæ, vna autem est maximè communis, scilicet ens prout est scibile, & vt communissimè sumptum est genus analogum ad omnes reliquas species; id enim satis esse ad scientiam suprà diximus & colligitur ex Arist. 2. *ph. t.* 5. *lib* 3 *t.* 4 *&* 9. 2. *Anima in tit.* 7. *&* 30. *& lib.* 3. *t.* 5. Est igitur concludendum, scientiam esse propriè tantum vnam, & vnicum ex natura rei scientificum habitum, quæ autem vulgò circumferuntur, commoditatis solum causa plures censendas esse. Cuius diuisionis causa peti potest ex aliqua rationum dictarū, quibus addi potest quod habet Ant. And, præf. in Log. distinctionem scientiarum esse ex triplici quantitate, vel sensibili, de qua est Physica, vel mensurabili, de qua Mathematica, vel diuisibili, de qua Metaphysica, qui auctor fortè quantitatis acceptionem latius vsurpauit, vt etiam extendatur ad rerum omnium multitudinem. Idem quoque 6. *Met. quæst* 3. dicit, ens scibile vel esse ens in communi atque decem prædicamenta, & de istis esse Metaphysicam, vel substantiam corpoream, vt soli subest quantitati, & de hac esse Mathematicā. Vel denique eandem substantiam vt est qualitatibus sensibilibus affecta, de ijsque esse Physicam. Sit igitur vnica tantum propriè loquendo scientia. Quod confirmare videtur quod vulgò dicitur de liberalium artium ἐγκυκλοπαιδείᾳ, hoc est, *scientiarum circulo*, quod etiam Musicæ, quæ dicuntur præesse scientijs, dictæ sint, simul existētes, vt habet Piut. *de frat. amore.* Affine est illud quod de virtutib. dicitur, esse omnes nexu quodam necessario inter se deuinctas, & de iustitia, vt significet & comprehendit omnes virtutes, cecinit ille:

Iustitia in sese virtutes continet omnes.

Vndè etiam comparari solent scientiæ & virtutes cum catena, cuius si vel annulum vnum abstuleris, tota confestim disrumpitur; sic est de scientijs, vt verè tantum is esse sciens dicatur, qui omnium rerum absolutam sit complexus notitiam.

QVÆSTIO SECVNDA.

De scientia practica & speculatiua.

Diximus nobis tantum ex professo esse sermonem de scientia speculatiua, quæ & sola scientiæ nomen meretur, quia tamen solet scientia dici alia esse speculatiua, alia practica, ideò ne quicquam desideretur, pauca dicam de hac distinctione, vbi & cur ita hæ scientiæ distinguantur, & quæ sit habitudo vtriusq; inter se, & demum quomodo speculatiuæ, quæ ad nos potissimum pertinent, vicissim conferantur.

DVBITATIO PRIMA.

Cur hæ scientiæ ita distinguantur?

Notandum Primo. Quod praxis & speculatio sunt actiones quædam quæ soleat multis modis inter se distingui, de quibus lege Scholast. *in prol. sent.* & Interpretes Arist. *in* 6. *Met.* Clypium Thomist. *in q.* 4 De speculatione tamen nulla est difficultas, vel si quæ fos-

fortasse emergit, ex his quæ de praxi dicentur, facile dissoluetur. Praxis igitur primo significat actionem quæ distinguitur ab effectione, & significat actionem omnem immanentem, & quę posse nullum opus relinquit, quamuis circa externa versari possit, quomodo etiam intellectio ipsa & actus pulsandi dici potest actio practica. Hanc significationem indicat Arist. *primo moral. &* 1. *pol. c.* 3. Secundo. Vt etiam comprehendit effectionem ipsam, estque commune nomen, ratione cuius habitus à speculatiuo distinctus, diuiditur in factiuum & propriè practicum, & continet actiones planè etiam extrinsecas, vt tamen ratione dirigi potest, hoc est per rectas operationes Intellectus, quo pacto dici solet ars recta ratio rerum agendarum. Significat hoc Arist. 1. *Top. cap.* 9. *&* 2. Secundo. Vt significat quid distinctum à speculatione & effectione, dicitque illas acceptiones, quæ ad intellectum secundum rectam rationem non quomodolibet, & sicut ars, vel alius aliquis habitus, sed prudenter regulari possunt. Sic Arist. *in Eth. &* Soc. qui solebat dicere virtutes omnes esse prudentias & scientias, præsertim autem vide Aristotelem 6. *Eth. c.* 4 *&* 5. *&* 6 *Met. init. lib.* 11. *M. sum.* 3. *cap.* 1. Quarto. Vt significat quamcunq; actionem, quæ vt pendet ab intellectus animaduersione & iudicio, vt etiam à voluntatis libertate, vulgo solet moralis actio appellari, & humana, vel etiam voluntaria, & hæc actio vel elicitur ab ipsamet voluntate, vt electio, vel ab intellectu, vel à potentijs inferioribus, irascibili appetitiuo, & concupiscibili, quorum passiones subsunt voluntatis imperio, & libertati vel à potentijs infimis quæ non ita pro voluntatis arbitrio exerceri, vel impediri possunt, qualis est actio nutritiuæ animæ, nisi fortè ratione eorum à quibus huiusmodi actio vt fiat, pendet, prout liberum est voluntati impedire ne tantum cibi sumatur. Porrò solet praxis definiri operatio potentiæ diuersæ ab intellectu, & naturaliter posterior intellectione, apta vt fiat conformis recto intellectui Nominales nomine praxis intelligunt quamcunque actionem etiam intellectus, & omnes eas quæ benè vel malè fieri possunt, aut eos ap. Cap. *quodl.* & Greg. *q.* 5. *prol. art.* 1. Gab. *q.* 10. Ocam. 1. *s. d.* 36. *q.* 6. hoc modo praxin vsurpāt, & videtur posse confirmari authoritate Aristotelis 3. *Anima*, *t.* 9. vbi ait Intellectum fieri practicum extensione, nempè cum alia dirigit. Scot. *q.* 2. *prol.* solas operationes extra intellectum practicas esse vult Zons. 6 *Met. q.* 2. Henr. *quodl.* 1. *q.* 3. Cap. *q.* 2. *prol.* & omnes ferè rum Thomistæ, cum Scotistæ ita praxin accipiunt, quod & dicta definitio apertè significat. Quod si aliquę actiones sint huiusmodi, vt quoad specificationem sint necessariæ, non poterunt hac ratione dici practicæ, vt hoc nomen eas significat, quæ subsunt volūtati, vt amor summi boni, & actio quoad exercitium necessaria, multo minus erit practica nisi loquendo de voluntate complacentiæ & approbationis, quomodo beati necessariò Deum amant. Sed dicitur nomen praxis aliquando amplissimè sumi pro quacunq; actione, aliquando etiam amplè pro actione & effectione, vt hæc duo inter se distinguantur, aliquando pro sola actione morali, cuius nomine intelligi potest quæcunque actio quæ à rationis directione & voluntatis ductu pendeat. Vt autem hic à nobis est distinguenda practica scientia à speculatiua, sumetur praxis pro effectione, omniq; ea actione quæ aut à voluntate elicitur, aut ab eadem imperatur, & rectæ rationi conformis esse debet, vt sit vel studiosa, vel vtilis. Verum de hac re diximus *in proleg. Logicæ.*

Notandum secundo. Speculationem vel speculatiuā scientiam esse quæ sola versatur circa solam veritatis rei cognitionem, ac contemplationem, ita vt non vlterius ad opus ex natura sua & per se hæc notitia referatur, neque etiam ad actionē honestam, vel turpē. Vnde 6. *Eth. capite* 3. *&* *tertio Animæ*, *textu* 46. dicitur,

dicitur mentem siue intellectum sensitiuum illa non intelligere, quæ cadere possunt sub apperitum & actionem nostram; debet autem id attendi quod conuenit cognitioni alicui secundum se, si videlicet ipsa ex natura sua ordinetur ad aliquam actionem, vel effectionem, vel si talem ordinem nullum habeat; fieri enim potest vt quis ordinem naturalem immutans, vel euertens quæ ex natura sua referri possunt & debent ad actionem, ad solam referat & nudam rei cognitionem: Aut contra cognitionem quæ seipsa contenta est, ordinem ad aliquam actionem, vel opus. Quare, verbi gratia, in medicina potest cognitio ipsius ab aliquo appeti cognoscendi tantum causa, quanquam ea pars quæ Theorica appellatur, potius est physica, quam medica. Vnde etiã vulgus Medicos, Physicos appellat. Vide Auic. sup. t. li. 1 doctrine 1. D. Thom *super Boët. de sum. diuis. scientiæ. art. 1. ad 4. & 1. post. quæst. 14. art.* 16. vbi rectè monet triplicem esse posse scientiam speculatiuam: Vnam propriè, quæ est de rebus non operabilibus, duas secundum quid, alteram quæ ex modo sciendi videtur *speculatiua*, quoniam definit & demonstrat res operabiles, & vniuerse easdem tantum contemplatur, non descendendo ad particularia. Quare Cap. *quæst* 2. pro conclusione dicit, posse esse scientiam speculatiuam de re operabili, vt quæ consi derat domum more speculatiuæ, reducendo eam ad sua principia, alteram ex fine eius qui addiscit, qui huiusmodi cognitionem non ad solam contemplationem, sed ad operationem refert. Quare ad scientiam practicam ex natura sua solum requiritur vt sit de rebus operabilibus, vnde potest faber aliquis mutilus esse, qui propriè tamen dicatur fabrilem, artem, quæ practica est, habere. Vt enim notat Arimin. *in quæst. 5. prol. art. 2.* dicitur ars practica, quasi directiua, vnde *ibid.* rectè contra Aur. disputat, qui adeò volebat esse de ratione habitus practici, vt reipsa exerceatur, vt negaret scientiam de castitate quæ est in angelis esse practicam. Verum cum hæc, &c. scientiæ practicæ sint eiusdem omninò rationis in angelis, & in nobis, non minus erunt in angelis practicæ, quam in nobis, quoniam in vtrisque est cognitio rerum earum, quæ per se sunt ordinabiles ad actionem. Hinc sequitur Logicam non esse habitum speculatiuum, quia refertur ad directionem operationum, quamuis nec potest sic propriè habitus practicus, quia consistit in directione operationum intellectus. Est igitur potius habitus instrumentalis, quoniam tam speculatiuo quam practico deseruit, vt diximus *in Proleg. Log.* Lege D. Thom. 1. 2. *quæst. 57. art. 5. & quæst. 14. de ver. art. 4. & 3. s dist. 23 quæst. 2.* Quibus duobus vltimis locis idem obseruandum quod diximus de duplici fine: Intrinsecè, & per se, & extrinseco, atque per accidens, alioqui enim si habeatur solum ratio finis extrinseci & addiscentis, nihil prohibet omnes habitus practicos appellare, quia omnes tandem scientiæ ad Deum referuntur, vt habet Dionys. Areopagitta *de diuin. nomin.* Et contra possunt omnes habitus practici censeri speculatiui, quia sola potest à nobis veritatis cognitio quæri. Hanc totã rem paucis, sed præclarè Plut. *op. de virtute morali, ante med.* expressit, eum inquit: *Cum rerum aliæ per se sint, aliæ verò certa ad nos ratione referantur; illa, vt cælum, terra, &c. istæ, vt bonum, malum, expetendum, fugiendum, iucundum, & molestum; ea doctrina quæ rebus suo modo babentibus intenta est, est contemplatiua, & scientijs comprehenditur, quæ autem certa conditione ad nos affectis consultatrix est, & actionibus destinata: huius virtus prudentia, illius sapientia dicitur.* Hæc Plutarch. Lege etiam Mirand. 10. *de euers. sect. 8. post. med.* vbi exponit locum illum Aristotelis dicentis omnem scientiam esse vel intellectiuam, vel participem intellectus; id enim, inquit, ipse dixit Aristoteles vt complecteretur scientias & facultates tum speculatiuas, tum practicas, vt intellectiuæ dicantur speculatiuæ, quæ se non extendunt extra intellectum, sed in eo quodammodo persistunt, quæ autem versantur circa res

quæ sunt extra intellectum, hoc est, circa operabilia, dicuntur esse operatiuę & practicæ, & participes intellectus, quia, vt inquit Aristoteles 3. *Animæ t.49.* Intellectus extensione fit practicus, quasi diceret intellectum secundum se esse contentum speculatione, extendi tamen, & quasi extra suas limites egredi, cum ipsius cognitio ad res extrinsecas & operabiles refertur. Monet etiam idem Mirand. communiore vocabulo dici facultatem operatiuam scientiam, quoniam hoc scientię nomen solis propriè intellectiuis & speculatiuis dicuntur.

DVBITATIO SECVNDA.

Cur diuidatur scientia in practicam & speculatiuam?

NOn modo scientia quę solam propriè significat speculatiuam, sed Philosophiam quoque, de cuius acceptione diximus in proleg. aliquando diuidi solet in practicam & speculatiuā. vt videre est apud Aristot. 2. *Met. t* 3. & 6 *Met. t.1. & 2. 1. Top. cap 9.* quam etiam communem esse Peripateticorum, aliorumque diuisionem refert Plut. 1. *de plac. cap. 1.* & idem omnes Aristotelis Interpretes init Log. & Physicæ prodiderunt. Huius autem diuisionis plures assignari causæ possunt: Sunt autem hæ præcipuę Prima. Sit illa quæ traditur à Plut. *op. de virt morali*, & à Mirand. *loco citato*, nempè propter res quæ partim sunt extra intellectum, partim autem in intellectu perseuerant ob solam earum cognitionem, qua is per se contentus est, seu propter res quæ non sunt in nostra potestate, sed se suo modo habent, & propter res quæ à nobis fieri possunt, & sunt quodammodo ad nos affectæ, quam causam indicat Arist. 6. *Met t.1 & 2.* Secunda Ratio Plut. 1. *de plac. cap. 1.* Quoniam, inquit, virum perfectum, quod videlicet à Philosophia habet, oportet & cognitione rerum instructum esse, & aptum ad faciendum in actionibus humanis officiū, illud pertinet ad contemplationem, istud autem ad praxin, & qui ea tractat quæ sunt humani officij, dicitur πρακτικὸς &c. Tertia Ratio. Quia scientia est perfectio quædam intellectus, & eiusdem, vt docet Aristoteles 6. *Ethic.* Virtus quædam. Est autem duplex intellectus: Speculatiuus, & practicus 6. *Ethic cap* 3. 3. *Animæ. t.46* & 49. Duplex ergo etiam erit virtus & habitus. Quarta Ratio. Quia Philosophia est animi nostri medicina, illiusque morbos debet curare, quorum vnus pertinet ad intellectum, quæ est ignoratio rerum, alter ad affectum & voluntatem, cuius morbus ex vitijs proficiscitur. Debet ergo Philosophia prouidere habitum quo rerum scientiam consequamur, & alium quo vitam nostram & mores rectè formemus, quod etsi virtutes morales per se præstent, non tamen sine ordinata ad opus, ac multò minus sine prudentia, quæ præcipua est inter virtutes Morales, ita vt omnes virtutes prudentias esse diceret Socrates, vt diximus ante. Porrò prudentia ordinem maximum dicit ad intellectum, & cognitio ipsa virtutis ex natura sua ad eiusdem exercitium refertur, ita vt si non consequatur actio, sit imperfecta: Vt enim docet Aristoteles 2. *Ethic. cap. 2.* non addiscitur virtus vt tantum cognoscatur, sed vt bonum efficiatur. Et Stoici virtutis scientiam esse dicebant rectè viuere, hoc est, scire quæ agenda sint recte virtutis, vt habet Plut. *lib. de Hom.* Quinta Ratio. Quoniam quædam sunt quæ per se sui nos cognitione alliciunt, non expectata inde vlla vtilitate, quod docet Aristoteles 1. *Met. cap. 1.* exemplo sensus visus. Quædam contra sunt quæ à nobis quæruntur ad degendam tuendamq; vitam, tum priuatam, tum ciuilem; hoc habemus à scientia practica, illud autem à speculatiua. Sexta Ratio potissima. potissimum Philosophia vitam hominis dirigendam suscepit. & eundem quam maximè potest beatum reddere, at ex Aristotele 10 *Ethic.* Omnis beatitudo duplex est: Altera consistit in virtutis actione, altera in rerum altissimarum & diuinarum contemplatione, quæ sicut præstat actioni cuicunque etiam studiosæ, si de beatitudine

dine præsertim, quæ nunquam à nobis separari potest, loquamur, hac etiam de causa præstat Philosophiæ speculatiuæ pars, quam practica. Vnde sententia est D. Thomæ 1. 2. q. 2. felicitatem hominis postremam in Dei visione versari, cum Scot. contra sentiat in amore & caritate Dei. Dum tamen hic supersumus, beatitudo potius consistit in rectè factis, quia ea nos tandem ferunt ad beatudinem sempiternam. Vnde: *Beati mundo corde, &c.* Lege Perer. *lib. 1. cap. 3.* & Fonf. 2. *Met. cap. 3. quæst. 2. sect. 3.*

DVBITATIO TERTIA.

De comparatione practicæ cum speculatiua.

ID est, an vterque iste habitus essentialiter diuidat scientiam, an sint tantum conditiones accidentariæ?

Prima Opinio. Est Nyph. 6. *Met. diff.* 2. si scientia consideretur in se, & vt est species quædam qualitatis, accidentariam esse istam diuisionem, si verè includit ordinem quendam ad scibile, esse essentialem. Huc reuocatur Domin. de Fland. 6 *Met. quæst. 2 art. 3.* qui dicit esse accidentalem, quoniam speculatiuum & practicum sunt quædam conditiones extrinsecæ, si verò considerentur isti ijdem habitus secundum quandam habitudinem ad illa eadem, esse diuisionem specificam, fortè dicere voluit specificam accidentalem: Idem habet Zonl. 6. *Met. quæst. 5. conclus. 3.* si spectentur isti habitus in ordine ad speculatiuam & practicam tanquam ad fines, qui ab addiscente variari possunt, esse accidentariam diuisionem.

Secunda Opinio. Iand. 6. *Met. quæst.* 2. non distingui scientias essentialiter per speculatiuum & practicum vt formaliter accipiuntur, sed per fundamenta ad quæ consequuntur istæ rationes formales.

Prima Propositio. Practicum & speculatiuum latius patent quam scientias nam dicitur etiam practica vel speculatiua opinio fides, speculatiua tantum sapientia, & intellectus practicus habitus est ars & prudentia, imò verò sicut intellectus ipse in communi diuiditur in practicum & speculatiuum, sic etiam omnis illius siue actualis, siue habitualis cognitio, nisi quod diuisio illa intellectus non est in res distinctas, sed eiusdem potentiæ intellectiuæ, secundum varios istos modos, quæ enim in inferioribus esse solent segregata & distincta, in superioribus congregantur & vniuntur, vt patet in multis actibus, qui ex eadem tamen potentia vel habitu etiam proficiscuntur, in multis potentijs, quæ vni animæ conueniunt. Denique Deo in quo omnia quæ in istis inferioribus sunt distincta, summa quadam vnione copulantur, quare Aristoteles 6. *Ethic. cap. 1.* & 6. *Metaph. t. 1.* ex hac intellectus veluti partitione in speculatiuum & practicum, colligit diuisionem habituum eiusdem in practicos & speculatiuos. Erit igitur hæc diuisio in practicum & speculatiuum habitum demonstratio cognitionis in communi, omnis enim cognitio aut perfecta in sola veritatis contemplatione, aut eadem natura sua ad opus reuocatur.

Secunda Propositio. Omnis ergo scientia talis est, vt practica sit, vel speculatiua, & istæ sunt differentiæ eiusdem, non tamen conuertibiles. Quod non sint conuertibiles, iam ostendimus, nisi fortè scientiæ nomine intelligamus quamcunque cognitionem, quæ etiam ad opinionem & prudentiam extendatur. Quod autem sint istæ differentiæ cuiuslibet scientiæ, ex eo patet, quia habitus scientiæ intrinsecè distinguuntur penes hæc duo, quare Aristoteles 2. *Metaph. t. 3.* quamuis dicat Philosophiam propriè dici scientiam veritatis contemplatricem, quod arguit tum Philosophiam, tum scientiam propriè vsurpari pro scientia sola speculatiua, tamen eodem loco secat scientiã omnem in has duas partes, quod etiam facit 6. *Met. t. 1.* Quamuis enim

practicus aliquis habitus cognoscat rem per causam, & aliquas quoq; debeat Demonstrationes, tamen non dicitur scientia, quia ipsius finis est opus & actio, & cognitio non est solius causa veritatis. Et vt ex græco textu elicicitur, ad aliquid & nunc, hoc est, prout ad actionem aliquā illa cognitio dirigitur, & vt certi alicuius temporis aliarumque circumstantiarum ratio habetur. Et vt omittam alia loca Aristotelis, de quibus diximus *in prol. Log.* hoc totum explicat Cast. *6. Eth. c.* 1. dicens, scientifica quidem mens finem habet inuenire veritatem, vltra quam nihil apponit, practica inuenit & ipsa verum, sed non vsque ad hoc stat, sed opus est ipsi operatori, per quam attingit appetibile, de quo ratiocinatur.

Obijcies. Practicum & speculatiuum dicunt quandam relationem ad aliud, scientia autem est quædam qualitas absoluta, ergo non potest inde scientia suam differentiam specificam sumere. Hæc est ratio Iand. sed resp. scientiam esse quidem qualitatem absolutam, tamen quod in plerisque alijs eiusdem generis reperitur, includere essentialem quendam, sed transcendentalem ordinem ad aliud. Illud certè constat scientiam ad scibile natura sua referri, porrò obiectum scibile aut est practicum, aut speculatiuum, similiter ergo scientia vel speculatiua, vel practica erit. Ita respondet Perer. *lib.* 1. *cap.* 3. Malunt tamen quidam hæc duo non differentias essentiales, sed intrinsecos quosdam modos appellari, quoniam scientia de practica & speculatiua non vna ratione dicitur, sed analogicè. Cum autem aliqua contrahunt genus aliquod analogum, potius dicenda sunt modi quidam etiam intrinseci, quam differentiæ essentiales, quod nomen magis refertur ad contractionem generis vniuoci. Demum quicquid sit de loquendi modo, nobis satis est si de re ipsa constet, nec est insolens hæc locutio, vt differentia accipiatur etiam respectu specierum generis alicuius analogi. Cæterum est id etiam animaduertendum, loqui nos tantum de habitibus naturalibus, quorum sunt naturalia principia, qui enim habitus supernaturalibus principijs innititur, is quæ illius summa perfectio est, eminenter & secundum quandam excellentiam rationem vtramque & practici & speculatiui continet, qualis est fides nostra, vel etiam Theologica, de qua D. Thom. 1. *par. quæst.* 1. *articul.* 4. sic loquitur; Licet in scientijs physicis alia sit speculatiua, alia autem practica, sacra tamen doctrina comprehendit sub se vtramque, sicut Deus eadem scientia cognoscit & se & ea quæ facit. Ratio autem est, quoniam eadem planè est ratio cur in credendo tum in res speculabiles, tum in practicas feramur, diuina nempè Dei veritas, & reuelatio. Et forte idem dici posset de fide humana, quia vtrijsque rebus propter dicentis authoritatem assentimur.

Tertia Propositio. Hinc sequitur non dici vniuocè scientiam de speculatiua & practica, quoniam speculatiua est perfectior, imò si propriè loquamur, sola hoc nomine digna. Et confirmatur. Quoniam obiectum scientiæ debet esse immutabile, at practica versatur circa res mutabiles, & quo magis talis est, & practicæ rationem magis habet, eo etiam magis descendit ad particularia, & ad ea quæ sunt ad aliquid & nunc & cum obiecta practicæ scientiæ sint variabilia. Imo etiam sermones ipsi maximè vniuersales de moribus docet sæpè Aristoteles 1. *Ethic. cap* 3. *lib.* 2. & 6. *sæpè.* Ex his etiam primo sequitur speculatiuam esse priorem practica; tum quia intellectus speculatiuus prior est & nobilior practico, imo practicus est quasi extra se exgrediens, tum quia prius est id quod simpliciter & absolutè verum dicitur, quam quod secundum quid, huiusmodi verò est practicum, absolutè autem verum speculatiuum, vnde speculatiua scientia speculatrix veritatis dicitur. Tum quia est prior res secundum se, quam secundum habitudinem ad nos. Cæterum practica scientia spectat res vt habent habitudinem

ad

ad nos, speculatiua autem secundum se, & naturam suam. Tum etiam quia ex scientijs speculatiuis sine dubio vna Metaphysica omnes practicas antecellit, practicæ autem sunt veluti subalternatæ, & aliqua ratione dependentes à speculatiuis. Secundo. Sequitur. Debuisse etiam si naturam spectemus, prius repertas esse speculatiuas scientias, quam practicas, quod indicat Aristoteles 1. *Met. cap.* 1. ideo non esse factum, quia homo est animal sociabile & politicum, quare prima cura in quam incumbit, est vt seipsum fernet, & honestam cum alijs hominibus vitam traducere possit. Ita Aristoteles. Cum autem inquit, plures artes inuenirentur, quarum aliæ ad necessariò, aliæ autem ad degendum essent, &c. Quo fit vt huiusmodi iam omnibus constitutis, illæ sapientiarum, quæ neque ad degendum voluptariè, neque ad necessaria conducunt, inuentæ sint, & in illis locis primo, vbi vacabant; quare circa Ægyptum Mathematicæ artes constitutæ sunt; illic enim genus sacerdotum vacare permissum est. Hæc Aristoteles vbi significat scientias speculatiuas quoniam otio egeat, posterius esse repertas. Quod autem ait de sacerdotibus Ægyptijs, ita ferunt historiæ: Omnia vt contemplationi vacare possent, ex publico illis suppeditata fuisse, quod & colligitur ex *Genes.* 47. & D. Augustin. *cap.* 38. *de ciuit. Dei.* Quare rectè Aphrod. in illum locum mouet, quod sicut hæ artes ab otiosis inuentæ sunt, ita etiam earum vsum maximè otio egere, cuiusmodi inquit Plut. *opusc. de tranquillit. animi*, esse dicendi exercitationem, quo spectat id Aristotelis fieri animam nostram quiescendo sapientem, & hæc fortè causa est cur harum disciplinarum traditio, de speculatiuis potissimum loquendo, χολὴ dicta sit, quod significat otium, & qui illis imbuuntur σχολαστικοὶ, hoc est, *scholastici.* Hinc est quod semper Plato, vt refert Plut. *in op. de sanit tuenda*, cum è schola discederet suos discipulos ita admonebat: *Videte pueri vt otio ad rem aliquam honestam vtamini*, significare volens, scientias eas quas auditoribus tradebat. Huius tamen nominis vt etiam transfertur ad omnes disciplinas, aliam causam significat Ausonius dum ait.

Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur vt omnia Musis.

Denique celebre est illud Scipionis maioris dictum: *Numquam se minus ociosum esse quam cum esset ociosus*, &c. Monet rectè etiam ibid. Aphrod. Etiamsi maximam contemplantes scientiæ ex sese animi voluptatem pariant, meritò nihilominus seiunctas ab Arist. ibid. à voluptuarijs esse, quia non est earum finis quæ ex ipsis percipitur animi iucunditas, sed potius quædam veluti assecla & comes, quæ autem voluptuariæ dicuntur, ad id inuentæ sunt. Cæterum inter practicas scientias si eum speculatiuis comparentur, posterius adhunc inuenta fuisse moralis videtur, quoniã Socrates primus illius inuentor esse fertur, seq; ex naturalis scientiæ studijs ad mores transtulisse, antè quem tota Græcia celeberrimi Philosophi fuerunt, qui de naturalibus rebus, alijsq; ad alias philophiæ partes spectantibus præcepta tradiderunt, qualis fuit, Orpheus, Linus, Thales, Milesius, Anaxagoras, Empedocles, Democritus, Pythagoras, &c. vt testatur Cic. 1. *Acad. &* 5. *Tusc. & in Bruto.* & Arist. priuatim de Socrate id testatur 1. *de p. animal. cap.* 1. 1. *Met. t.* 6. Et Laert. *in vitis Philosophorum*, & D. Aug. 8. *de ciuit. Dei, c* 3. Tertio. Sequitur esse priores speculatiuas doctrinæ ordine, quod de Mathematica saltem docet Arist 1. & 6 *Eth.* cum ait Mathematicum aut etiam physicum euadere posse puerum moralem autem non ita. Addit tamen, post Logicam, quæ est omnium instrumentum, primo addisci debere naturalem philosophiam, vt Simpl. *praef. in praed. & in ph.* & Them *praef. etiam in ph.* si tamen illa præfatio Simplicio potius ascribenda non est. Huius autem Am. causam reddere videtur *praefatiore in praedicamenta.* & loqui sint qui ita senserunt, de vsu ipso, & recta institutione in moribus, de quibus meritò Plut, initium faciens

ciens opusc. suorum, id scripsit, cui titulum fecit: *De libris rectè educandis*. Quarto. Sequitur certiores esse speculatiuas scientias practicis quoniam practicarum obiectum est mutabile per se non versantur circa rei cognitionem, vt illius causas inuestigent, sic etiam scientiæ practicæ ex natura sua versantur circa res particulares, quarum non est propriè scientia. Quinto. Sequitur esse scientias speculatiuas nobiliores, quod docet Arist. 6. *Met. t.* 7 & *lib* 1. c. 2. Quoniam inquit, qui primi artem inuenerunt, hi habiti sunt sapientiores, non modo quod rem vtilem humanæ naturæ attulissent, sed multò etiã magis quia intelligentia cognitioneq; rerum cæteris præstarent. At scientia specularina rerũ intelligibilium longè superat practicas. Id etiam confirmat Arist. Quoniam inuentis iam artibus tum ad necessarios vitæ vsus, tum ad iucundè viuendũ, hi adhuc sapientes iudicati sunt, qui eas scientias inuenissent, quæ ad solam cognitionem pertinebant; nam speculatiuæ sunt gratia sui, perficiũt hominem per se, faciunt vt homo finem suum perfectissimum assequatur, proximèque quoad fieri potest ad Deum & intelligentias accedat; quoniam sicut istorum, ita hominis felicitas, teste Arist. 10. *Eth.* in veritatis contemplatione versatur. Deniq; quoniam ex omnibus speculatiuis nemo summæ nobilitatis palmam alteri deferat quam Metaphysicæ, hanc autem certũ est esse multò perfectiorem qualiber ex practicis, Ex practicis verò nulla est quæ cum aliqua ex speculatiuis conferri possit, vt ad illius nobilitatem pertingat, nisi forte ratione obiecti materialis, hac enim ratione Mathematicæ disciplinæ infimum locum obtinent, quia sunt de quantitate separata à materia. Quia refutantur Iand. 1. *Met* q. 17. & Zon. q. 6. *lib.* 6. qui dicunt speculatiuam aliquam scientiam imperfectiorem esse quam aliqua ex practicis, vt Logicam quam omnes practicas. Addunt etiam longè perfectius esse tenere rationem qua quis Deum amet, quam scire quid sit rosa; isti enim partim manifestè decipiuntur etiam Logicam faciunt speculatiuam, partim etiam nihil aliud sua ratione efficiunt, quanquam nos concedimus ratione materialis obiecti multas speculatiuas inferiores esse quam practicas: consistit enim nobilitas scientiæ in modo ipso cognoscendi, in certitudine & veritate, quamuis inter speculatiuas Arist. nonnunquam dicat eas esse perfectissimas, quæ cognitionem tradunt rei nobilioris, etiamsi non adeò sit exacta. Hic adde, quoniam de habitu practico non agimus ex professo, diuidi hũc habitum in practicum, qui sibi peculiare hoc nomen vendicat, & dicitur habitus πρακτικὸς, id est actiuus, & in factiuũ, qui dicitur ποιητικὸς. Item factiuus diuiditur in artes Mechanicas; habitus autẽ actiuus primo in Ethicam, quæ est scientia de moribus, sed quia infima pars est eorum quæ de moribus dicuntur, & quia peculiares singulorum informat, ideo hoc nomen commune ad cæteras retinuit. Et dicitur prima *Monastica*, quoniam est vnius solius hominis. Deinde altera pars est *Oeconomica*, siue familiaris & domestica, quia consistit in recta domus administratione. Tertia est *Politica & ciuilis*, quæ tradit præcepta de rectè gerenda Republica. Ex his primus locus debetur Ethicæ, in qua primarum fundamenta ponuntur. Secundo si naturæ ordo seruaretur, collocanda secundo esset Oeconomica, quia prius est priuatam domum rectè gubernare, quam Rempubl. quia tamen ad politicam spectat domos, & familias distribuere, illisque præcepta dare, ideo Aristoteles subiunxit Ethicæ politicam, vt 10. *Eth.* vbi fatetur se hunc ordinem sequi velle. Nobilitate autem absque dubio omnes superat Politica; Est enim veluti scientia Architectonica & Regina supra cæteras, vt Aristoteles 1. *Ethic.* illi tanquam ancillæ non modo Ethicam & Oeconomicam, sed quadam etiam ratione scientias omnes subijciat. Ad quam valdè spectant tum Iuris ciuilis scientia, tum etiam pro maio-

ri

re parte Canonici iuris intelligentia. Solent tamen vulgariter loquendo cum scientijs practicis numerari etiam speculatiui habitus, qui huc disticho comprehenduntur:

Lingua. Tropus, Ratio, Numerus, Tonus, Angulus. Astra.
Rus, Nemus, Arma, Faber, Vulnera, Lana, Rates.

Ex quibus dictionibus qui priore versu continentur comprehendunt scientias liberales, quod animum nostrum excolant, cui in homine debetur principatus, & simul ingenuo homine dignæ sunt. Vnde Solon dicebat, vt refert Plutarch. *in Conuiu.* Musas maxima affectum iri indignatione, si putaremus cytharam, aut fistulam non morum institutionem & affectuum moderationem quærere, sed solam extraneam voluptatem. Imò quidam alij apud Plut. *op de Mus. init.* aiebat, esse corpus felicitatis, &c. Sunt autem istæ: *Grammatica, Rhetorica, Dialectica, Arithmetica, Musica Geometria, Astrologia.* Posteriores vero septem appellant, seruiles, quod occupentur circa corpus, quod est animi nostri mancipium. Et dicuntur etiam *Mechanicæ* quasi à machinis, quia versari solent circa res operosas & laboriosas, quibus magis opprimi corpus quam releuari animi solent. Sunt autem istæ. *Agricultura, Venatoria, Militaris, Fabrilis, Chyrurgica, Textoria, Nautica,* ad quas omnes scientias cætera tanquam ad summa capitum reuocari possunt. Lege Arist. 2. *phys. text.* 24. 25 & 79. Plat. 10. *Repub* Peter. *lib.* 1. *cap. vlt.* & Fonf. 2 *Met. cap.* 3. *quæst* 3 *sect. vlt.* Hic fortè desideraretur vt expendamus quinam fuerint præcipui harum disciplinarum Authores, verum vt parum vtilitatis res hæc habet, ita & admodum perplexa & incerta, & prolixior est quam vt in tantis temporis angustijs expediri possit; dicam tamen aliquid vbi dabitur occasio.

(***)

DVBITATIO QVARTA.

De comparatione scientiarum speculatiuarum & an vniuocè de illis dicatur scientia?

PRimo agemus de prædicatione scientiæ vt de tribus speculatiuis dicitur, an sit vnica, nec nè?

Prima Opinio. 6. *Met. quæst* 4. Dici vniuocè. Ratio, quoniam scientia in communi est quædã qualitas, locum habens in prædicato, non est autem aliqua infima species, & in prædicato locum non habet, nisi res vnica. Est igitur genus intellectum vniuocum.

Secunda Opinio. Dicit scientiam vniuocè de Metaphysica & Physica, analogicè de Mathematicis, quia non habent Mathematicæ obiectum aliquod verum & reale, cum ab ente & bono dicantur abstrahere, ac proinde etiam non habens veras causas, aut veras demonstrationes, ex quibus tamen omnibus maximè pendet scientia.

Tertia Opinio. Dici scientiam vniuocè, si spectetur ratio scientiæ; quia omnes sunt per causas, & conueniunt in hoc quod sint scientiæ; si autem spectetur in scientia quod sit speculatiua, volunt analogicè prædicari. Videtur hæc esse mens Alex. *init. prior.* propter etymon verbi θεωρεῖν, quod propriè significat Deũ speculari, quare potissimũ dicetur scientia speculatiua de Metaphysica. Asscribitur etiam Auerroi *præf. in phys.*

Quarta Opinio. Dici scientiã vniuocè de physica & Mathematica, analogicè autẽ de ijsdem collatis cũ Metaphysica, quoniam Metaphysica cæterarũ est Regina, istæ autem duæ eidem subalternari videntur. Vt rem definiamus.

Notandum est, posse nos loqui de scientia speculatiua vel in se & secundũ se ratione obiecti, principiorũ, Demonstrationũ, aliorumq; tandem omniũ in quibus ratio scientiæ consistit, vel quomodo se scientia habere dicitur, vel ratione nostri, & quo ad nos, vel prout iam à nobis scientiæ sunt acquisitæ.

Prima Propositio. Scientia primo modo specta-

dicit: *Quomodo potestis credere, qui gloriam propriam quaeritis*? Vide Sanctos Patres praesertim D. Iust. Martyrem *in Apol. pro Christianis* Theodoretum *in fabulis Graecorum*, Clement. Alexan. Orig *contra Cels.* Lactant. *de vera pietate*, D. August. *de ciuitate Dei, & doctrina Christiana*, D. Hieron. *in Epist. contra Iouin.*

Tertia Propositio. Inuentionis ordine prima videtur fuisse Physica, quoniam primi ac veteres Philosophi Physici fuerunt, vt Thales Miles. &c. vt testatur Arist. 1. *Met. c.* 1. *& sum.* 2. *c.* 1. *&* 2. Postea fuerunt Mathematicae quae potissimum à Pythagorica, & illius Sectatoribus ortum habuerunt. Vltimo fuit Metaphysica, quae inuentu erat difficillima, quia est de praedicatis maximè communibus, quae ex minus vniuersalibus cognitione quadam pendent. Est de Deo & intelligentijs, quae procul absunt à nostra intelligentia, nec in eorum peruenitur notitiam, nisi per haec inferiora. Sic ad Rom. 1. *Inuisibilia Dei per ea quae facta sunt*, &c. Et ratio est, quę indicatur ab Aristotele 1. *Met. t.* 1. quia scientia & Philosophia ex admiratione ortum habuit, admiratio ex ignoratione: admiramur enim cum affectuum qui in sensus nostros incurrunt, hi autem sunt praesertim naturales & materiales, causam ignoramus, Metaphysicam autē primus videtur Plato ex professo tractasse. Vnde illius omnes discipuli maximè volebant terminos Metaphysicos, & Dionys. Areopag. Plot. Philo Iud. & alij Arist. tamen vt colligitur *ex prooem. Met.* in meliorem quandā methodum Metaphysicam redegit.

Quarta Propositio Si spectemus ordinem naturae, prima est Metaphysica, non modo propter princip. obiectum quod est Deus & intelligentiae, sed propter totale, hoc est propter ens vt ens, maximeq; communia illius praedicata. Sed vtra sit, Physicanè, an Mathematica, prior est cōtrouersia: Quidam enim vt videtur esse alb. & D. Tho. & Am. *in Porph.* Zim. *prop.* 112. contendunt Mathematicas esse priores propter maiorem & simpliciorem abstractionem proprij obiecti, quod est quantitas separata à materia sensibili. Alij tamen communiter tenent priorem esse Physicam, inter quos praesertim lege Mirand. cum *locis citatis*, cum *lib.* 4. *apol. sect.* 1. 4. & haec nobis opinio videtur esse probabilior. Ratio. Quoniā Physica agit de corpore naturali, quod est causa quantitatis, saltem ratione materiae, est autem causa naturae ordine prior causato. Et ex Arist. 7. *Met. t.* 8. prior natura, tempore, & cognitione est substantia, quam accidēs. Et cōfirmatur: vt enim testatur Arist. 2 *ph. t.* 18. cōsiderat Physica quātitatem, sicut & Mathematica, Physica verò cōsiderat eam secundum se, & naturam suam, prout est accidens naturale substantiae corporeae, Mathematicus de eadem agit vt est separata consideratione quadam ab eadem substantia corporea, sed prius est quantitas secundum se, quam illo modo abstracta: Ergo, &c. Nec ratio Aduersariorum conuincit; nam nō semper quae abstractiora sunt, sunt etiam priora, nisi debeatur rei illi ex natura sua talis abstractio, quomodo Deo & intelligētijs debetur abstractio ab omni materia, praedicatis maximè cōmunibus abstractio secundum indifferentiam. Et praetereà quae abstractiora sunt, sunt etiā priora, si in eodem genere sint; quaedam enim accidentia abstractiora sunt, nec tamen priora, substantiae & quantitati ex natura sua non debetur illa abstractio, sed potius ordinem essentialem dicit ad suum proprium subiectum, quod est materia sensibilis.

Obijcies. Physica agit de rebus mobilibus & sensibilibus, sed neque sensus, neque motus fieri potest, nisi antecedat quantitas. Est ergo prior quantitas quàm obiectum Metaphysicae. Respondeo. Non pertinet ad Physicam agere de rebus secundum motum, sensum, mobilitatem, vel sensibilitatem, sed de intrinsecis naturalium rerum principijs, ex quibus ista tanquam passiones fluunt, & naturae ordine quan-

ritas præcedit modum, vel sensum in actu, vt sic tamen est propria passio corporis naturalis, quarè debet etiam ab eadem scientia, quæ est de corpore naturali, hoc modo spectari, posterius autem est quod consideretur ab aliqua scientia, prout mente à tali substantia corporea separatur.

Quinta Propositio. Ordine cognitionis, & quoad nos quanquam propositione secunda etiam aliquid diximus, sine dubio Metaphysica omnium est postrema, propter obiectum suum partim abstractum omninò à materia, partim propter suam communitatem maximè vniuersalem, videlicet propter Deum & intelligentias, & prædicata maximè communia. Sed de Physica & Mathematica iterum est dubium, quod antequam dissoluam, nota non efficere ei quod iam de Metaphysica diximus, quod versetur circa prædicta maximè communia; nec enim consequens est etiam versari circa nobis maximè cognita, quoniam id tantum locum habet in ijs maximè communibus, quæ maximam cum sensibus nostris habent coniunctionem, qualia esse diximus principia quædam maximè communissima & nota. Sunt autem qui putent priorem cognitionis ordinem esse Physicam, quia est de rebus maximè sensatis, & quæ à nobis nullo negotio percipi possunt; Mathematicæ verò sunt de quãtitate abstracta, continent quam plurima difficilia. Ad hanc doctrinam Proclus in 1. *Eucl.* Am. *praf. in Porph.* quam etiam ait fuisse Plat. sententiam, accedere dicũtur Alb. & D. Tho. Contraria opinio magis est communis, priores esse Mathematicas, quod vel ex eo ostenditur, quia nihil facilius à pueris addisci potest, quam quod Mathematicis desumitur, quod docet Arist. 6 *Eth. cap.* 8. & c. Et Plato 7. *de Repub.* Nec obstant argumenta, quia contra in Physica plurima sunt abstrusa, ita vt Cic. id identidem Physiologiam, & naturæ obscuritatem vocet, & illa ipsa principia, ex quibus pendent res naturales, cognitu sunt difficillima, quod indicat immensa quædam multitudo opinionum de principijs. Et ex ipsismet principijs id intelligitur, quæ sunt materia, forma, & priuatio. Rerum autem Mathematicarum non modo effectus sunt perspicui, verum etiam causæ non multò difficiliores. Lege Fons. 1. *Met. q* 5. *sect.* 5. & Peter. *li.* 1. *c.* 17. Cõfirmatur authoritate Simplicij, qui *praf in phys.* ait, Mathematicam disponere ad res naturales & diuinas, hoc est ad Physicam & Metaphysicam. Lege etiam D. Tho. 6. *Eth. lect.* 7. & Plat. *op. de contrar. Stoic.*

Sexta Propositio. Ratione certitudinis primus locus debetur Mathematicis, quod patet ex dictis, & ex his quæ docet Arist. sæpè dicens non posse euadere pueros physicos, vel morales Philosophos, multò autem id magis dicere poterat de Metaphysica, quia egent istæ scientiæ experimẽto, & acrimonia magni iudicij, quo vtroque laborant pueri. Mathematicos autem esse posse tum propter rerum ipsarum magnam claritatem, tum propter abstrahendi modũ, qui maximè iuuatur phantasia & imaginatione, quæ in pueris redundat. Lege Zim *contrad.* 3. 2. *Met.* Picol. *lib. de cert. Math. c.* 11. & 13. Philip. Momium. *q. de hac re c.* 11. 3. *po apud Lincon.* Quid autem sit certitudo, diximus antè: Est enim cognoscere rẽ non posse rem aliter habere ob connexionẽ cum suis principijs, quæ quia intrinseca est, non potest seiungi ab euidẽtia & claritate, vti potest certitudo extrinseca, sicut est videre in fide. De qua re lege Fons. 4. *Met. q.* 14. Est autem obseruandum, quod certitudo desumi potest tum ex parte obiecti, quod magis intrinsecè aut recedit, aut accedit ad sensus, & materiam quę propter sui potentialitatẽ dicitur esse causa erroris, vel ex parte medij propter accidentem cõnexionem quæ ex tali medio apparet. Si cõsideretur primũ potest Meta. dici omnium certissima, quia est de obiecto maximè remoto à sensibus & materia. Deindè erũt Mathematicę, quia secundum locum tenent abstractionis.

ctionis. Vltimò Physica quia spectat res materiæ sensibili immersas; si autem secundū spectemus, secus planè est dicendum, nā Metaphysica est incertissima, quia est de rebus quo minimè nobis licet pertingere, Physica minus adhuc est certa quam Mathematicæ, quia vt plurimum est à posteriori, & ab effectis. Certissimæ igitur sunt Mathematicæ, quæ maximè inter omnes perfecto demonstrandi modo vtuntur, nisi quod causas nō habēt ita perfectas & reales.

Septima Propositio. Si agatur de nobilitate scientiarum, vix potest absolutè ferri sententia; nam vna aliam scientiā vincit in certitudine & modo demonstrandi, alia contrà vice versa superatur ab alia ratione obiecti nobilioris, ex quo vtroque attendi solet scientiæ perfectio & nobilitas. Quia tamen placuit Aristoteli præcisè eam scientiam nobiliorem censere, quæ est nobilioris obiecti vt tradit 2. *Cel. text.* 60. 1. *de part. anim. cap. vlt.* 1. *Anima text.* 1 6. *Met. text.* 2. *lib.* 11. *sum.* 3. *capite primo.* Ideò dicenda erit Metaphysica planè cæteras superare, postea Physica, infimæ erunt Mathematicæ. Lege etiam Zons. *loco citato.* Porrò nobis solum est sermo de scientijs naturalibus, & in præsentia addo de scientijs quæ de facto à nobis acquiruntur, & prout à nobis acquirūtur, non autem vel de omninò supernaturalibus, vel de naturalibus quidem, sed à Deo infusis; nam certum est posse Deum simul & semel omnes scientias in alicuius animum infundere, quod factum credimus cum Adamo, Salomone, &c. Theologia etiam quæ vulgò traditur & addiscitur ratione propriorum principiorum supernaturalis est, ita vt plerisque videatur nihil aliud esse quam fidei habitum, sed vt ipsi i cunt, extensum, prout videlicet discursu nostro ex principijs reuelatis & creditis quædam alia inferimus, quæ virtute in iisdem continebantur: Alij enim putant esse scientiam, propter illum discursum quo vtimur, sicut, inquiunt, scientiæ subalternatæ non admittunt scientiæ nomen, etiamsi circa quædam tantum versentur ex principijs subalternatis deducta, quæ in subalternata tantum creduntur. Sed de hoc est Theologorum agere. Vide *proleg. Sentent.* & D. Thom. 1. *part. quæstione* 1.

QVÆSTIO TERTIA.

De subalternatione scientiarum.

HVcusque egimus de scientia habituali vt est vna aut simpliciter, id est simplex qualitas, aut per aggregationem multarum specificarum in ordine ad vnum obiectum sub vna formali ratione, &c. Sic etiam de comparatione scientiarum plurium, vt plures, vt vulgò plures esse admittuntur inter se. Restat vt de vna scientia disseramus, quatenus confertur cum alia veluti sub illa posita, quam subalternationem dicitur, quod absoluemus dubitationibus.

DVBITATIO PRIMA.

Quid sit subalternatio.

ARistoteles 1. *post.* differit hanc materiam à *tem.* 57. *vsque ad* 102. vbi etiam lege Interpretes, & *ad. init.* 1. *Met.* 6. Scholast. *prol. Sent.* & 1. *p.* D. Thom. *q.* 1. Vide Perer. *lib* 1 *à cap.* 13. & Fons. 4. *Met. cap.* 1. *q.* 2. *s.* 2. subalternatio dicitur ratione principiorum, vel ratione finis, & definiri potest hoc modo: Est dispositio scientiarum separatarum, quarum vna pendet ab alia extrinsecè, quoniā aliquando vna ad aliam extrinsecè ordinatur tāquam ad finem extrinsecum, idque vel ex parte scientis, quomodo Metaphysicæ omnes aliæ dici possunt subalternari, quoniā finis hominis est magna ex parte in contēplatione Dei & intelligentiarū. Vel ex parte scientię, vt nautica dicitur subalternari militari. Potest autē hic adhuc subalternationis modus dupliciter fieri: Vel .n. superior scientia exercet quodammodo imperium in inferiorem, vt statuat quomodo

opus conficere debeat, vt suo fini inseruiat. Sic diximus artem frænefractoriã subalternari equestri, equestrem militari militarem politicæ, vt habet Arist. 1. *Eth. c.* 1. & 2. ac ideò superiorem illam artem vocat Archytectonicam. Vbi superior scientia solum agit de fine more speculatiuo, inferior autem de eodẽ practico. Hac ratione Physica agẽs de optima intellectus nostri operatione, de ipsomet fine naturali hominis agere censetur, Ethica autem de eodem fine agit, cum agit quẽadmodum rectè hoc est benè beateq; vita transigi possit. Est præterea quidam alius subalternationis modus, cum habitus aliquis ex natura sua tanquam instrumentum & sciendi modus ad omnes sciẽtias refertur, qualis est Logica nostra quæ hoc nomine dici potest toti Philosophiæ subalternari. Et hæ sunt subalternationis rationes extrinsecæ, & ideò in definitione diximus subalternationem esse dispositionem scientiarum, sed intrinsecam. Diximus etiam fieri hanc dispositionẽ ratione principiorum, quod multifariã adhuc esse potest: nam principia aut sunt multis ac benè omnibus scientijs communia secundum vsum, quo pacto Dialecticæ principia & probabilia ad omnes scientias transferuntur, aut sunt principia illa Metaphysica maximè cõmunia, aut quædam alia propria multarum scientiarum, ijsdemque communia. Aut alia sunt peculiaria scientijs particularibus, aut denique sunt principia propria quidem scientiæ vnius, sed tamen quæ alteri inferiori, & quæ propriè subalternata dicitur, vsui esse possint. Et hic proprius subalternationis modus, si principia spectemus, reliqui autem modi sunt minus communes. Diximus etiam subalternationem fieri ratione obiecti, quod non vno etiam modo fit; scientiæ enim, vt colligitur ex Arist. 1 *po. com.* 69. differre possunt ratione obiectorum, vel secundum rem & considerationem, vel formalitatem, vt Arithmetica & Geometria. Vel sola consideratione, vt Physica & Mathematica, quæ de eadem vtraque sunt quantitate. Vel de eadem re, ita tamen vt obiectum vnius sub alterius scientiæ obiecto contineatur, addaturq; posteriori scientiæ finis quidam extrinsecus, sicut de eodem homine est Physica & medicina, verum ista vt sanari potest, illa autem tanquam de specie proprij obiecti, hoc est corpore naturali. Vel vt addat scientia posterior conditionem quandã accidentariam. Sic de eodem linea est Geometria & Optica, verum hæc lineã considerat vt est visualis. Deniq; potest esse subalternatio ratione obiecti, cum vna pars scientiæ est de subiectiua parte totius obiecti, quemadmodum Physicæ subalternari diceretur pars ea quæ est de elementis, quoniam sunt species corporis naturalis. Cæterũ si adhuc omnibus modis addi possunt & isti extrinseci, vt videlicet subalternatio fiat aut secundum partem, aut secundum totũ: Exemplũ huius est, vt Musica respectu Arithmeticæ, quæ ratione totalis sui obiecti subalternatur Arithmeticæ. Exemplum illius, vt Chirurgica Geometriæ, propter vulnera orbicularia. Præterea aut subalternatio est secundum se & naturam suam, aut secundũ nos tantum, hoc est, aut scientia subalternata vtitur subalternante à priori, aut solum est à posteriori: vt v. g. gratia Musica subalternatur Arithmeticæ, quia propriè & perfectè demonstrantur harmonici numeri per principia Arithmeticæ. Cõtrà verò Physicæ dicitur alterari Metaphysicæ, quæ Deũ & intelligentias esse, quod est obiectum Metaphysicæ, probat Physica à posteriori per motum orbium cælestiũ, qui talibus motorib. egent. Tot igitur modis cum subalternatio fieri dicatur, videndum est quæ sint necessariæ conditiones perfectæ subalternationis. Prima est vt sit idem vtriusq; sciẽtiæ obiectum essentialiter, sola verò addatur à scientia subalternata subalternantis obiecto accidẽtaria conditio. Ita Arist. 1 *po. com.* 58. 59. & 69. & *com.* 101. ait debere habere idem obiectum, sed solum accidentaliter distinctum. Secunda est,

vt sumat scientia subalternata sua principia a subalternante. Hæc docet Arist. 1.*po.com* 58 59 60.61.& 71. vbi docet posse transcendere subalternatam ad subalternantis genus subiectum, & principia, cum id tamē caueat fieri, cum sunt scientiæ per se distinctæ & totales. Hinc est quod vulgo dicitur scientiam subalternatam non ponere in numerum cū subalternante, & scientiam subalternatam non differre essentialiter cum subalternante. Diximus tamē in definitione subalternationem esse scientiarum separatarum, quia ad hoc satis est si seiungatur scientiæ propter conditionē accidentariam additam, ratione cuius non possunt esse eædem planè scientiæ. Sic etiam ex dictis sequitur primo quod passiones, quas de subiecto suo probat, & subalternantem demōstratione propter quid subalternatam verò quia, vt docet Arist. 1 *po.com* 99 *q*. 100.101.& 102. Quod ita debet intelligi, non quod scientia subalternata non vtatur Demonstratione propter quid, sed quia principia, quibus passiones suas probat, ex subalternante mutuatur, ideoque dici solet subalternatā probare propter quid. Tum quia & quæ sunt principia subalternatæ, sæpè probat in subalternante, cuius sunt conclusiones quædam, & principia illa eadem ex natura sua applicari possunt passionibus obiecti scientiæ subalternatæ; Tum quia subalternans probat sua per principia omninò immediata, subalternata autem plerūque per media principia à subalternante probatur, & ita vsurpat Arist. scientiā propter quid & quia. 1 *po com* 65 97.100. 101.& 102. etsi Auer *com* 60 & 100. ait dictum Arist. esse intelligendum eum subalternata scientia est practica, verū id ex Aristotele elici non potest: is enim absolutè loquitur de quacunque subalternationis, imò etiam expressè exempla ponit in scientijs speculatiuis. Secūdo, Sequitur quod scientia subalternata habet idem planè obiectum essentialiter, ideoq; potest transcendere ad aliam scientiam, hoc est subalternantē, nam obiecti eiusdem essentialiter & passiones, & principia, quare hæc summatim requiruntur ad veram subalternationem, vt subiectum vnius sit sub alterius subiecto, vt subalternatæ conditionem accidentariam addat ad subiectum subalternātis, & vt principia subalternatæ recipiantur à subalternante. Dior. tamen *q* 7. *prol.* aliter explicat subalternationem, nam putat illam fieri per habitudinem causæ & effectus, præsertim efficientis & finalis, cuiusmodi esset Medicina respectu Physicæ, quoniā sanitas est effectus corporis naturalis, & frænefactoria respectu equestris, quoniā ad ipsius finem refertur. Et ibid. num. 10. ait non sibi probari secundam illam conditionem, vt subiectum subalternatæ solam addat conditionem accidentariam. Caiet. etiam 1 *p* *q* 1. *art.* 2. ait de ratione scientiæ subalternatæ solum esse vt conclusiones eius probentur à scientia subalternanta, cæteras conditiones non esse necessarias. Item, formale, inquit, subalternatæ per se tantum consistit in euidentia, quam in se habet, & euidentiam accipit à subalternate, quod autem addatur conditio accidentaria, vel quod principia subalternātæ sint distincta ab ipsamet scientia, id, inquit, reperitur in scientia subalternata, vt hæc, vel illa est, non autem est de ratione subalternantis nisi in se, & absolutè. Quarè si per impossibile, inquit, Geometria non esset discursiua, nihilo adhuc minus optica diceretur esse illi subalternata. Idem habet Cap *quæst.* 1. *prol.* vterque vt probat Theologicam nostram esse subalternatam diuinæ ac beatorum Theologiæ, quare hæc est sola differentia, quæ nos per speculum, illi reuelata facere intuentur, eum sint eadem & obiectum ipsum & principia, vt etiam probare conantur Authores, D. Tho. *in* 1 *p* *quæst.* 1. *art.* 2. & *sup.* Beēt. de Trin. *quæst* 2. *art.* 2. *ad* 7. Alij etiam vt

Iulius Syrenus *lib. de subiecto primæ Philosophiæ sect. 3 cap. 15.* negat illam conditionem esse necessariam, sed vt diximus, omnes conditiones à nobis positæ necessariæ sunt, quatum præcipua illa est, vt subalternatæ scientiæ obiectum, conditionem solum accidentariam addat, ex qua aliæ consequuntur, vt videlicet probentur passiones obiecti subalternati per principia subalternantis. Per hanc autem conditionem falsum est intelligi, vt additio fiat ratione qualitatis alicuius sensibilis, sic enim præter Mathematicas vix vllæ aliæ scientiæ subalternatæ darētur, quod tamen dicit Zab. *lib. de 3. præcog. cap 12.* Ex quo sequitur tertio, malè loqui Durandum, qui vult subalternationem fieri ratione causæ & effectus; solent enim ista esse essentialiter distincta, vel si effectus sit eiusdem rationis cum causa, nulla erit vera subalternatio, sicut nec quisquam dixerit tractationem de mixtis esse subalternatam tractationi de elementis, quamuis mixta sint quidam effectus elementorum, nec tractatio ignis geniti subalternabitur tractationi de igne generante. Imò cū Deus sit rerum omnium causa efficiens, sequeretur scientias omnes vni subalternari Metaphysicæ, quod nec ipse concedit, & nos infrà dicemus esse falsum. Quarto sequitur malè etiam loqui Zim. *th. 77.* cum ait scientias subalternari posse ratione obiecti, & non principiorum, & contrà ratione principiorū, & non ratione obiecti, hæc enim tantam inter se habent connexionem, vt seiungi tractatione non possint. Quia tamen id quod potissimum spectatur in subalternatione scientiarum, est vt subalternata principijs vtatur subalternantis, idcircò vulgò solet istius conditionis crebra ac ferè sola fieri mētio, quomodo sæpè loquitur Auct. præsertim 1. *po.* & D. Tho. *ibid.* Est autem notandum in subalternatione scientiarum attendi debere naturam scientiarum secundum se, hoc est subalternatæ scientiæ obiectum postulet ex natura sua vt perfectè cognosci possit, probari per principia subalternantis, quia videlicet adeò ieiunè sua pertractat, vt opus non habeat ad huiusmodi cognitionem exacta probatione per principia subalternantis, quoniam ieiuna illa cognitio satis est suo instituto, verbi gratia, Nautica Astrologia profectò ex natura sua subalternatur Astrologiæ, & si perfecta astrorum illorum cognitio, quæ à Naucleo habetur, sit habenda, debebunt principia subalternantis scientiæ assumi; imò reipsa nihil aliud est quam Astrologia. Similiter Logica quæ considerat intellectus nostri operationes, quia cognoscere naturam operationum quantum satis est ad illam directionem, satis per se potest, non est quod assumat principia à scientia Physica, quibus naturam istarū operationum intelligat, quamuis si exactè sint cognoscendæ, id sit faciendum; ideoque dicere possumus istas scientias esse subalternatas secundum se & naturam suam, non tamen quoad tractationis modum. Quinto, sequitur falsum esse Caietani opinionem, qui nec sibi etiam constant, nam 1. *po. com.* 200. has easdem conditiones admittit, & præterea vt in scientia subalternante cognoscatur propter quid, in subalternata autem Quia, & vult addi in scientia subalternata conditionem per se essentialem ad obiectum scientiæ subalternantis, quod maximè repugnat cum necessaria illa & potissima conditione, vt addatur obiecto scientiæ superioris conditio extrinseca, quod ipsemet eodem loco omittit, rationem reddens cum Alberto, quoniam passiones quæ fluunt intrinsecè ex eodem subiecto, ab eadem scientia demonstrari debent. Ita autem vult conditionem addi ab obiecto subalternante scientię, vt non passio fluens ex subiecto, quod idem est essentialiter tum in subalternata, tum in subalternante. Sexto sequitur, Obiectum subalternatæ non esse

esse ens per accidens, sed potius dicendum est connotatiuum, quia includit formaliter idem obiectum quod subalternans, cum tamen hoc connotato, quod a conditione accidentaria importatur, & ideò non debet conditio illa appellari ratio formalis obiecti, verbi gratia cum dicimus Musicam esse de numero vt est sonorus, illud (vt) nō reduplicat rationem formalem, sed conditionem tantum connotatam; nam subalternans & subalternata non differunt essentialiter, sed obiectum habent idem formaliter, & vna ad alteram transcendit. Vndè Aristoteles 13. *Met. summa.*1 *cap* 5. Eadem, inquit, ratio est de Harmonica & perspectiua; neutra namque prout visus vel prout vox speculatur, verum prout lineæ & numeri, hoc est Musica & perspectiua per se & formaliter non spectant vocem, aut visuale, sed aut numerum, aut lineam, quæ sunt propria obiecta subalternantium scientiarum, nempè Arithmeticæ & Geometriæ. Cum ergo 2 *ph.* Aristoteles *t.* 20. ait perspectiuam versari circà lineam non vt Mathematica est, sed vt Physica, quod est dicere, vt visualis & sensibilis est illud (*quatenus*) pingui Minerua est accipiendum, ne sibi Aristoteles contradicat; volebat enim ibi Aristoteles discrimen ponere inter Physicam & Mathematicam, vt vtræque sunt de quantitate. Est autem hoc, quod Physica consideret quantitatem in materia sensibili, Mathematicæ eandem vt abstrahitur. At perspectiua magis vergit ad Physicam, propter illam accidentariam conditionem. Argumento est quod *eodem loco*, initio perspectiuam vocat Mathematicam, quæ non est scientia subalternata propriè, nisi de obiecto subalternantis, sed cum tali conditione. De ente enim per accidens, vt videlicet vtrumque per se spectat, & obiectum & conditio accidentaria, diximus supra non posse esse scientiam, quod tamen quidam existimarunt, vt Astudillo 1. *ph. quæst* 2. *art* 3. *ad* 1. Hinc etiam sequitur errasse etiam Zim. *th* 77. cum ait, sciētias quasdam ratione tantum principiorum subalternari, & tamen essentialiter differre, quod idem absolutè docuit *Concil. diff* 3. *dicto* 3. Nec enim fieri potest, vt quorum sunt eadem principia, idem essentiale obiectum, sola differentia accidentales, quæ omnia isti fatentur, eorum esse differentiam essentialem, & hinc est quod supra diximus, dici solere non ponere subalternatas in numerum cum subalternantibus. Et Aristoteles quoties scientias diuisit, nunquam subalternatarum mētionem fecit.

Septimo sequitur ex obiectis cum vnum se habet tanquam species ad alterum tanquam genus, non posse scientias quæ hæc obiecta considerant, subalternationis rationem retinere. Ratio est Quoniam istorum diuersa est essentia, & si eandem abstractionem, eundemque procedendi modum habeant, ad eandem omninò totalem scientiam pertinent. Contrarium sentit Alb. de Saxonia. Id autem quod volumus, docet Auet. 1. *po. com.* 69. dicens, subalternatæ scientiæ obiectum se habere sicut numerum in sono, sicut lineam in visione, sicut etiam albedinem, vt huic aut illi subiecto applicatur, quæ omnia arguunt conditionem accidentariam. Et ratio est, inquit, quoniam generis & speciei affectiones & passiones diuersæ sunt, quare & per diuersa principia probari debent, quæ tamen diuersa esse negat Arist. in subalternante & subalternata. Octauo sequitur quodammodo & impropriè obiectum scientiæ subalternatæ cum contineat & obiectum subalternantis per se, & conditionem quandam accidentariam, efficere vt duabus quoque sciētia subalternata scientijs subalternetur, verbi gratia, Musica propter numerum subalternatur Arithmeticæ, propter sonum Physicæ, Optica Geometriæ propter visibilitatē, quod notat etiam Scot. *prolog.*

prolog. f. q. 3. dicens quod scientia subalternata de aliquo vno per accidens præsupponit duas tractantes de partibus totius illius, in se & separatim, vbi fortassè attendit quod iam diximus obiectum subalternatæ non ratione conditionis & entis connotari, sed ratione vtriusq; entis secundum se & naturam suam: sic enim vtramque scientiam per se requiri. Verum scientia propriè subalternata solum per se spectat idem obiectum formale subalternantis connotata illa conditione, & idcircò vni tantum scientiæ subalternatæ. Vltimo sequitur subalternantem scientiam esse perfectiorem, cùm ab illa pendeat subalternata, cùm sit certior & prior secundum naturam, ideoq; si naturæ ordo seruandus esset, semper à subalternante incipiendum esset, priorque addisci deberet. Sic etiam scientia subalternans semper habet Demonstrationes perfectas, & respectu subalternatæ veluti habitus principiorum cum quauis alia scientia collatus, si tamen potest esse subalternata aliqua scientia practica, dicetur omnibus modis obiectum subalternatæ ignobilius propter illum ordinem ad actionem. Cùm autem subalternatio est inter speculatiuas, plerumque solet subalternatæ subiectum esse perfectius, vt patet in Astrologia, si comparetur cum Geometria. In Musica cum Arihtmetica.

DVBITATIO SECVNDA.

An subalternata sit vera scientia?

DE subalternante non est dubium, Verum de subalternata causæ dubitandi sunt istæ. Quia ipsa vt talis est non reddit causam, est quidem ex demonstrabilibus, sed demonstratis in sententia superiori, vnde solũ videtur fidem adhibere Obiecto & passionibus. In contrario tamen est Aristoteles & communis sententia. Esse scientiã subalternatam scientiam, vt est cum subalternante coniuncta. Soli Themistæ præfer.... Cap. q. t. prolog. & Caiet. t. p. volunt subalternatam esse scientiam, vt habet continuationem cum subalternante, quod ita explicatur subalternata quatenus est ex se solum credit principijs subalternantis, illisque satis est quod principia clarè cognoscantur non respectu eiusdem alicuius Intellectus, sed respectu cuiuscunque alterius. Ex quo inferunt, Theologiam nostram esse verè scientiam, & subalternatam Theologiæ beatorũ. Quia credit Theologia nostra principia, quæ cognoscuntur clarè à beatis, & his suppositis infert aliquas Conclusiones. Id non aliter probant quam Inductione. Videmus enim, inquiunt, Astrologiam totam niti experientia & obscuriore Veterum Astrologiæ, quibus est fides habenda, & tamen Astrologia dicitur scientia. Contrarium asserunt, cum alij omnes, tum præcipuè Arim. q 1 prol Aur. ap Cap. Non esse subalternatam scientiam, nisi sua principia, quibus nititur, nouerit.

Prima propositio. Nullus habitus scientiæ nomen propriè Logicæ retinere potest, nisi cognoscat clarè & certò principia, quibus suæ Conclusiones nituntur. Nam vt inquit Aristoteles 1. *po. com.* 15. & 16 oportet Conclusionis principia notiora esse Conclusione ipsa, vel diuerso cognitionis modo, vel certè intra idem genus, perfectiore. At non modo principia Conclusionum scientiæ subalternatæ non perfectius cognoscũtur propriè dicta scientia, vel clarè, sed creduntur tantum, secundum Aduersarios, ergo non potest subalternata dici propriè scientia. Et *Com.* 17. Oportet, inquit, scientem impermutabilem esse à sua credulitate, at qui solum credit, quantum est ex natura fidei, facile dimoueri potest: Et *Com.* 10. negat eum habere scientiam, qui propositionibus vtitur, quæ per medium adhuc probari possunt, nisi easdem per illud mediũ nouerit. Oportet ergo Conclusionem subalternatæ vt sciri dicatur, cognosci per propria principia. Et confirmatur. Nam illa continuatio quam fingit Capreolus non

non efficit, vt ipse etiam admittit, vt principia sciantur. Ergo non potest efficere vt quis scientiā propriè habere dicatur. Nec aliud profectò esse potest, quam quod idem obiectum, eædemque propositiones à subalternante probatæ credantur à subalternata, hoc verò quis dixerit propriè esse scire, alioquin quævis opinio de re qualibet, quam habet idiota aliquis, modo sit vera, dicetur subalternari scientiæ de eadem conclusione quam habet peritus non minus atque Theologus, nostra subalternatur Theologiæ Beatorum. Debet autem scientia, cum sit propria intellectus nostri perfectio eum in quo est perficere. Confirmatur. Alioquin sequeretur remanente eadem Demonstratione, obiecto scibili, & sciente, tolli de medio scientiam; nam accipio opticam, hæc habet Demonstrationem de linea visuali, obiectū illius est linea visualis, aliquis etiam sit perspectiuus, per se hæc scientia non est scientia, nisi per continuationem ad Geometriā tollatur Geometria, profectò cum remaneat perspectiuus, remaneat obiectum, remaneat Demonstratio tolletur tamen scientia perspectiua, quia ablata est Geometria in ordine ad quam, & propter cuius continuationem dicebatur perspectiua scientia.

Secunda Propositio. Scientia subalternata, si consideretur. vt non est coniuncta cum subalternante, siue vt ignoratur subalternans, non est scientia. Ratio patet ex dictis, quia conclusiones istæ non sunt scientificæ, nisi propter principia subalternantis, Ergo si principia ignorentur, & conclusiones, Ergo si scientia ipsa subalternans non habeatur, non poterit subalternata dici propriè scientia. Vnde etiam sequitur primo dicendam esse potius fidem, vel opinionem. Opinio erit, si illas conclusiones deducat scientia subalternata ex principijs probabilibus, fides autem si ex principijs subalternantis creditis, & hoc concedit Zons. 4. *Met. q. 9.* Et confirmatur. Quia subalternans se habet ad subalternatam tanquam habitus principiorum ad habitum conclusionis, vt docet Cap. & Aur. concedit ad tertium argumentum Arim. &c. Secundo, Sequitur, quod dum acquiritur subalternans scientia, ille præcedens habitus qui dicebatur esse scientia subalternata, reuera autem non erat scientia non remanet si verum est non posse opinionem vel fidem vnà cum scientia consistere. Nec etiam idem habitus materialiter loquendo efficitur scientia, sed nouus aliquis acquiritur, quia noua acquiritur cognitio scientifica conclusionis. Quarè satius erit, verbi gratia dicere Musicam antequam Arithmetica sit à quopiam comparata, non esse propriè scientiam, sed tum duntaxat, cum Arithmetica acquiritur, quoniam tum primo cognoscuntur principia, ex quibus intrinsecè speculatiuæ conclusiones dependent. Hoc docet Scot. 3. *f. d. 24. q.* vnica ad primum. De perspectiua respectu Geometriæ, & de quauis consequenter subalternata, si eum sua subalternante conferatur. Dicitur tamen habitus ille præcedens scientiæ subalternatæ propter maximam similitudinem quam habet cum scientia subalternata, nempe propter idem obiectum, & propter easdem ferè conclusiones. Tertio, Sequitur Theologiam nostram, vt id etiam obiter dicamus, non esse propriè dicendam scientiam, sed absolutè esse fidem, nam conclusiones Theologicæ totæ nituntur principijs fidei à nobis solum creditis, non potest ergo melioris esse conditionis harū conclusionū cognitio, quam principiorū, quamuis in hoc superet principiorum notitia conclusionum cognitionem, quod sint immediatè à Deo reuelatæ. Et confirmatur. Quia de essentia scientiæ, aut certè eius propria affectio est, quod sit euidens, quo præsertim distinguitur scientia ab opinione & fide, ac propterea non est etiam quod dicatur Theologia subalternata vlli scientiæ; tum quia omnino est scientia tum quia obiectum ipsius est planè idem cum obiecto scientiæ beatorum, cui à nonnullis

subalternari dicitur, & quod hæc principia à beatis vel alijs clarè cognoscantur, omnino est accidentarium nostræ Theologiæ: nam de ratione scientiæ, quæ respectu nostri dicitur talis, & in ordine ad intellectum nostrum, quod vel iam ab aliquibus clarè sit comparata, vel huiusmodi sit, vt comparari naturaliter ab aliquo possit. Quod si Caietan. 2. 2. *quæst.* 1. *art.* 5. cum ait subalternatam, si non sciat principia subalternantis, esse quidem scientiam, sed non in statu scientiæ, si verò idem intellectus in quo est subalternata, acquirat claram principiorum cognitionem, fieri tunc propriè & in statu scientiæ, aliud contendit quam quod dictum est, non est audiendus quanquam hoc nobis iam concedit, quod antè negare videbatur, continuationem scientiæ subalternatæ ad subalternantem esse debere, aut posse, respectu eiusdem intellectus. Infert autem deinde Caietanus Theologiam nostram esse quidem scientiam, sed non in statu scientiæ, si autem id solum velit, cognitionem quam nos habemus ex principijs Theologiæ, materialiter sumptam esse posse scientiam, vbi principiorum clara cognitio acquiratur, non multum dissentit à nobis; hoc enim est dicere has easdem res quæ modo à nobis cognoscuntur obscurè & per fidem, posse clarè & scientificè cognosci nec enim discursus, quo vtimur in eliciendis ex principijs fidei conclusionibus, est causa cur assentimur, sed conditio quædam, qua veluti applicamur & extendimur ad ea assentienda, quæ virtute in principijs comprehendebantur, quemadmodum si quis ex his quæ ab alio audiuit tantum, nonnulla alia inferat, non dicetur eorum habere scientiam, sed fidem tantum. Confirmatur authoritate D. Thomæ, qui 1. *p. quæst.* 1. *artic.* 1. vocat doctrinam Theologicam doctrinam secundum reuelationem, hocque nomine distinguit illam à scientijs physicis, hoc est ab omnibus scientijs industria humana comparatis. Et *articul.* 2. *in fine corp.* dicit sacram doctrinam credere principia reuelata à Deo repetit *artic.* 3. dicens ideò esse vnam, quia considerat sua omnia, secundum quod sunt diuinitus reuelata, vel reuelabilia, & *in corp.* & ad secundum, & *art.* 5. dicit habere certitudinem ex lumine infuso, & *art.* 6. *in corp.* dicit quod de eo agit quod soli Deo notum est, & alijs per reuelationem communicatum. Et ad primum & secundum argumentum ait procedere ab effectu gratiæ. Et *art.* 8. esse scientiam argumentiuam, quoniam ex vno articulo fidei argumentatur ad alium, & ad secundum, &c. Imò Caietanus *ib.* ait rationes naturales & necessarias, ac claras, si quando in Theologia adhibeantur, habere locum argumenti extrinseci. Signum ergo est Theologiam per se propriè tantum esse fidem, quamuis scientiam imitetur ratione discursus quo vtitur. Et ita si quando D. Tho. vel alij Theologiam scientiam vocant, hac ratione erunt intelligendi. Vnde D. Tho. *q.* 14. *de ver. art.* 9. *ad* 3. ait fidelem posse dici habere scientiam de his quæ creduntur ex articulis fidei, hoc est quæ ex ipsis deducuntur. Et *q.* 2. 3. *f. d.* 33. *quæstiuncula* 4. *in corp.* ait quod scientia non potest reduci ad principia naturaliter cognita, nisi propria scientia dicatur, vbi significat eam quæ reducitur ad principia supernaturaliter nota, nō esse propriè scientiam. Hac tamen scientiæ nomen sæpè in ampla significatione & propter fidei certitudinem, ac propter summam spem de videndis rebus quas credimus, dici solet scientia. Vnde apud Mathem. *Scio quod resurget in nouissima die.* Imò aliquando dicitur visio, D. Augustin. *Ep.* 112. Hæc pauca de Theologia. Concludendum igitur est subalternatam non esse veram scientiam, nec habere veram rei per causam cognitionem, donec acquiratur subalternans, & illæ ipsæ conclusiones quæ materialiter ante eædem erant, rursum cognoscuntur per applicationem ad principia subalternantis, & deducuntur ex ijsdem, ideoque si id non fiat, simpliciter dicetur subalternata opinio vel fides, vt docet D. Thom. *quæst.* 4.

de

de verit. art. 9. ad 3. Si tamen ille habitus qui dicitur scientia subalternata earundem conclusionum, quæ ex principijs subalternantis pendent, habeat cognitionem euidentem & certam à posteriori, poterit appellari scientia propriè quidem, sed minus perfectè qua ratione non habet nomen neque conditionem scientiæ subalternatæ, sicut & Demonstratio Quia minus perfectè dicitur esse Demonstratio. Atque ex his patet ad rationes dubitandi pro vtraque parte, & quod sit iudicium de contraria illa opinione: est enim vt in speciem sonant verba illius, omninò falsa, reuera autem parum à nobis discrepare potest.

DVBITATIO TERTIA.

Quæ scientiæ sint subalternatæ.

Restat vt videamus conditiones subalternatæ scientiæ, & in quibus reperiantur, vt autem certa ab incertis secernantur, illud constare debet scientiam, si qua talis daretur quæ ageret de specie sub genere contenta, demonstraretque generis de illa passiones, habituram esse rationem subalternatæ scientiæ, quia quamuis differentia cum genere totum constituat, tamen differentia accidere generi dicitur, ac proinde passio generis ipsius quæ demonstratur de specie, demonstratur de se ipsa, addita tali differentia, quasi obiectum illius scientiæ adderet conditionem accidentariam supra obiectum illius scientiæ. Sed si qua esset scientia de specie secundum se, illiusque affectibus, non esset scientia de genere sublata, quoniam speciei affectiones distinctæ sunt ab affectionibus generis, sed potius ad vnam totalem & ex aggregatis pertineret, propter vnum præcedentem modum, vnam rationem formalem, &c. Dubium igitur est quænam ex scientijs partialibus, hoc est quæ vulgò diuiduntur, habeant tum subalternantiū, tum subalternatarum rationem?

Prima Opinio est Zab. lib. de trib. præcog. cap. 12 subalternationem solum reperiri in scientijs Mathematicis, & decipi eos non modo qui alias scientias Metaphysicæ subalternas dicunt, verum etiam qui aliquam aliam ex alijs scientijs alteri non Mathematicæ, vel quæ ipsa etiam non sit Mathematica, vt in particulari, qui dicunt Physicæ subalternari Medecinam. Rationem hanc tantum habet, quoniam debet scientia subalternata superioris obiecto conditionem accidentariam addere, illa verò conditio debet esse qualitas aliqua sensibilis. Porrò huiusmodi nulla addi videtur, nisi ab obiecto vnius Mathem. ad obiectū alterius, nā Musica verbi gratia supra numerū Arithmeticæ addit sonū, Perspectiua supra obiectum Geometriæ esse visibile.

Secundo Opinio. Quorundā recentiorū, solas speculatiuas speculatiuis subalternari, practicas practicis eo modo quo possunt. Explico, nam subalternatio potissimum in eo consistit, vt inferior scientia conclusiones suas probet per principia superioris. Cū enim sciētia sit de cuius ratione est rem per causam cognoscere, ipsa autē in se non habeat principia propria, necesse est propter affinitatē vtriusq; scientiæ obiecti, peti principia conclusionū probandarū à superiore. Item sola speculatiua scientia versatur circa cognitionem rei per causam, quærit q; scire rē per causam, per quā res sit, & veritatis nudā cognitionē. Ergo iste ordo subalternationis locum habere tantū potest in speculatiuis scientijs, sed in practicis subalternatio erit quantū patitur illarū conditio, prout vna ad alterius finem refertur & superior dictat inferiorē, quemadmodū opus suū faciat vt sibi inseruire possit, sic enim frænifactoria dicitur subalternari equestri, quatenus equitis est præscribere modum fræna conficiendi, quia enim fræno equū cohibere vult, iubet confici frænū ex materia solida & ferrea, quia autē equū agere & circūagere vult, etiā præcipit frænū esse versatile & flexibile &c vbi cernitur quonāmodo eiusdē ratio obiecti tū in subalternāte, tū in subalternata nā equestris est circa equū & omnia quæ conducunt, frænefactio autem circa frænum, sed vt conficiendū. Confirmatur opinio hæc, Quoniam subalternans & subalternata differunt tantum accidentaliter, habent

idem obiectum formale, non dicuntur ponere in numerum, easdem affectiones communes habent, eodem etiam nomine aliquando appellantur, at practicum & speculatiuum differunt essentialiter, Non ergo potest practica scientia speculatiuæ subalternari. Confirmatur secundo. Quia practica vt practica est, solum in eo posita est, vt de re agenda tali vel tali ratione per experientiam, & ex effectis præcepta tradat, verbi gratia, Medicina hoc solum agit vt canones præscribat, quibus præsens ægro afferri medicina queat, nosse autem naturam herbarum, constitutionis humanæ, animalium, & aliarum rerum per proprias causas, naturalis phylosophi est, medicus verò rudem harum rerum tantum cognitionem ex Philosophia mutuatur, vt melius suum munus exequatur. Vnde Auerroes 1. *collig. cap.* 1. & Auicenna. *Ten.* 1. *doct.* 1. *cap.* 2. *&* 4. *& doct.* 3. *cap.* 2. docet cognitionem herbarum mixtim, & aliorum, &c. naturalis esse Philosophiæ, de quibus Gal. *lib. de complex.* Quo nomine comprehenditur ab Auerroe 2. *Collig. cap.* 1. quoniam medicinæ admiscuit Philosophiam naturalem. Eodem modo Physici est cognoscere sanitatem secundum extrinsecam ipsius naturam, & vt est quidam naturæ effectus, apta quædam qualitatum connexio. Quare Auer. & Auic. id sup. testantur pertinere ad Philosophum naturalem, & Gall. *lib. de constit. artis medicæ, cap.* 11. *& lib.* Quod opt. Med. idem sit & Philosophus. Sequitur ergo medicina qua ex parte dicitur esse speculatiua, non subalternari physicæ, sed esse potius physicam ipsam, & fortasse ita diuiditur, quia vel quædam pars est in libris qui sunt de Medicina, qui toti occupantur in consideratione naturæ rerum, cum tamen eam tractationem referant ad faciendam medicinam. Vel speculatiua medicina est, quæ est de sanitate & ægritudine magis in vniuersum, & vt confertur cum ea parte, quæ de ipsomet exercitio agit, de qua diuisione lege Auicen. *l.* 1. *doct.* 1. *cap.* 1. Concil. *diff.* 3. Zim. *th.* 77. & Zab. *lib.* 2. *de Metho. à cap* 11.

Tertia Opinio. Satis communis, subalternari posse practicum habitum speculatiuo, vt Medicinam Physicæ, Moralem Philosophiam Physicæ. Probatur sententia hoc tantum nomine, quia id expresse docere videtur, & practicæ scientiæ egêt ope speculatiuarum.

Quarta Opinio. Metaphysicæ saltem subalternari Physicam & Mathematicas. Ita Iul. Syr. *lib. de subiecto philosophiæ s.* 3. *art. cap.* 15. Ratio est, quoniam nihil Metaphysicæ deesse videtur eorum quæ ad subalternantem necessaria sunt, nec istis scientijs ex ijs quæ ad subalternatam requiruntur; nam Metaphysica probat istarum scientiarum principia, obiectum harum addit accidentariam conditionem ad obiectum Metaphysicæ, ens videlicet quantum naturale, quia enti accidit, quod sit naturale vel quantũ. Et confirmatur. Quia 11. *Metaph. s.* 2. *cap.* 2. dicuntur Physicæ & Mathematicæ esse Philosophiæ ac sapientiæ partes, hoc est Metaphysicæ, signum est ergo eas cum Metaphysica non ponere in numerum, & tamẽ ponuntur tanquam distinctæ scientię, Ergo vt subalternatæ. Id docet Themist. 1. *post. cap.* 20. vbi ait ambitu primæ Philosophiæ cingi omnes doctrinas, & omnes eam complecti. Alexand. & Simplic. 1 *phys. t.* 8. idem docere videntur. Procl. 1. *Eucl c.* 4. Plat. 7. *de Repub.* & D. Thom. *op. de nat gen.*

Prima Propositio. Non in solis Mathematicis cernitur subalternatio; tum quia ante Zabarellam id inauditum est, tum quia conditio ista accidentalis non debet necessario esse qualitas sensibilis, & quamuis ita esset, vnde scit Zab. non posse addi ad obiectum scientiæ alienius superioris huiusmodi conditionem, etiamsi hæ scientiæ non sint Mathematicæ. Imo Aristoteles 1. *post. t.* 30. subalternantem ponit inter Physicam & perspectiuam hac ex parte, quatenus naturalis Philosophia agit de Iride. Qui tamen Aristoteles plerumque, ac ferè semper, tum & de Demonstratione & scientia disserit, exem-

pla ponit in Mathematicis scientijs, vtpote in quibus res hæc tota manifestè eluceat.

Secunda Propositio. Si de vera subalternatione loquamur, probabile est eam solum cerni in scientijs speculatiuis, hoc enim rectè probant rationes pro secunda sententia, quas ideò & magis confirmauimus, & fusius prosecuti sumus. Et quod attinet ad Medicinam, quod ea non subalternetur Physicæ, docet Peter. *lib.* 2 *cap.* 4. Et confirmat ex eo, quod distincti sint habitus Medicinæ, quo quis cognoscit res subiectas, & quo quis bene mederi potest; imò sæpè videmus disiungi hos habitus, atque esse quamplurimos qui appositè mederi possint, cum tamen rerum naturalium scientiam nullam, aut perexignam habeant, quos Medicos Empiricos rectè dixeris, hoc est, qui experimento sibi artem compararunt; sed Medicina quæ præcepta tradit, illa pars quæ est de rebus paulò vniuersalioribus, dici potest contemplatiua scientia, quia tamen solum est de curatione & medicamentis, non est dicenda Physicæ subalternari, sed quæ spectat naturas rerum, non tam subalternatur, quam est pars naturalis Philosophiæ, propterea Auicen. dicit in multis credendum esse Philosopho naturali. Et communi consensu Medici omnes eam partem quæ est de huiusmodi rebus, Physiologiam vocant, id est, sermonem de natura, quasi non propriè medicinalem, sed mutuatam à Physica. Plutarch. *lib de Hom.* longè post medium Contemplatiuam & Practicam medicinæ partes ponit, & practicæ vnam appellat Theoreticam, quæ est circa victum; & Chyrurgicam, quæ manuum opera vtitur; & Therapeuticam, quæ medicamenta adhibet, quarum partium vt summum tres vltimæ pertinent ad Medicinam; nam Physiologica ipsummet nomen naturalis Philosophiæ retinet, Pathologica est de passionibus animi, quas spectat Physicus. Confirmatur. Nam Aristotel. etiam librum scripsit de sanitate & morbo, cuius tantum ad nos fragmentum venit, & refertur is liber inter opera naturalia. Vide Auerr. *lib. de arte Medica. cap.* 1. Plutarch. *lib.* 1. *de primo frigido ante med.* Imò verò Sex. Emp. *lib.* 1. *contra Mathem. cap.* 6. Plutarch. *de liberis educ. ante med.* Plato *lib. de Repub.* Quæ omnia eo dicuntur à nobis, vt intelligatur Medicinam natura sua totam in opere esse, rerum causas quātum est ex se non curare; Iam verò quod ad disciplinam de moribus attinet, hanc quoque physicæ non subalternari eadem ratione demonstratur; ista enim id tantum curat, vt animis nostris malè affectis medeatur, modumque tradat quo honestè beateque viuere possimus, scire autem naturam intrinsecam intellectus, vel voluntatis; imò etiam passionum ipsarum, non pertinet ad illam, sed ad naturalem potius Philosophiam, quod ex Aristotelis dictis passim *in lib. Ethic.* ostendi posset, nisi id sæpius dixissemus. Certè 1. *Ethic. cap.* 3. id nos maximè commonefacit, exactam in tractatione de moribus cognitionem ne expectemus, significans nō spectare Philosophum Moralem proprijs finibus coërcere causis intrinsecas passionum, vel potentiarum animæ nostræ, sed quæ vsu tantum ciuili & humano incidere solent, vt ipsi nobiscum & cum alijs bene viuamus. Et 6. *Ethic. ca.* 8. negat idoneos esse pueros propter inexperientiam, & quia perturbationibus sunt obnoxij. Versatur ergo Moralis Philosophia circa rectionem passionum: Hæc duo exempla Medicinæ & Moralis Philosophiæ pluribus persequi libuit, quoniam & maior erat de illis difficultas, & simile de his ex alijs iudicium peti poterat. Quod si aliquando apud Authores legere occurrat has scientias subalternari Physicæ, intelligendum est de subalternatione amplè loquendo, scilicet quatenus illa ipsa res quæ practicè ab istis tractatur, speculatiuè & exactè consideratur à naturali Philosophia, & quatenus magnum practicæ adiumentum ex cognitione earum rerum vt à speculatiua considerantur, habent, quod nihil aliud arguit,

nisi tantum scientias non tantum speculatiuas, sed etiam practicas valde esse inter se connexas, quo inferri illud potest quod diximus de notat. nominis Musarum, quæ sic appellatæ sunt, quod simul essent. Quare Aristoteles *fragmento de sanitate & morbo*, & *lib. de sens. & sensib.* ait, ibi Medicum incipere, vbi Physicus desinit, id est, habet quidem Medicina cognationem magnam cum Physica, sed cum tantum spectet actionem ipsam & opus, suppositis omnibus quæ in Physico dicuntur, inde initium facit, vbi ille desijt. Et tandem sic est concludendum, practicam & speculatiuam scientiam propriè non subalternari, non tantum quod hæ scientiæ differant essentialiter, licet id verum sit, sed quod non spectent propriè practicę scientię rerum causas, nec ex natura sua sit huiusmodi subiectum quatenus illa ita tractatur, vt pendeat à cognitione exacta. Et sic intelligatur oportet quod supra diximus de Logica, vt est circa operationes intellectus, etsi nec illa propriè sit practica: nam ibi tantum loquebamur de subalternatione in communi vt dicit dependētiam cognitionis exactæ circa idem materiale obiectum, vt operationum animæ à Physica.

Tertia Propositio. Scientiarum subalternatio hoc modo se habet absque controuersia. Primo. In Mathematicis id clarius apparet: nam Geometriæ subalternatur perspectiua ratione lineæ, eidem Astrologia propter cœlestium corporum motum atque ordinem. Denique Steriometria, quæ est de corporibus solidis, & si quæ aliæ sunt de quibus Simplicius 2 *physic. t. 18.* Arithmeticæ autem subalternatur Musica, propter numerum sonorum. Et hæ omnes solent dici media inter Physicam & Mathematicam, quia huic communicant cum obiecto Mathematicarum, huic autem cum obiecto Physicæ, vt indicat Aristoteles 2. *phys. cap.* 20. Vide Iand. *quæstione 2, in 1. Cel. Z*[illegible] *contrad.* 4. 4. *Met.* & Scalig. *exerc.* 322 vbi tamen mauult appellari compositas, quam medias, vt mediæ dicantur omnes Mathematicæ etiam, ac præsertim subalternantes, quoniam sunt in medio naturalis Philosophiæ & supernaturalis, hoc est, Metaphysicæ Metaphysica enim est circa res planè abstractas, Physica circa res naturales, Mathematicæ circa res consideratione abstractas, sed quæ tenera locum habeant in materia. Vnde Aristoteles 6. *Metaph. t. 2.* ait versari Metaphysicam circa ea quæ sunt separata ac seiuncta, Mathematicas circa separata, sed vt in materia. Verum Musica, Optica, & Astrologia habent & numeros, & lineas, & corpora, sed in tali subiecto & materia, & sub hac ratione ista considerantur, quare magis inclinant ad Physicam. Omitto hic subalternationem partialem, qualis est Physica ad Opticam & perspectiuam, propter ea quæ de Iride differuntur à Physica, & qualis etiam est eiusdem ad Geometriam, quatenus *in lib. de cal.* Aristoteles motus simplices explicat, & *probat per simplices lineas*: nam subalternatio partialis non est absolutè dicenda subalternatio, & hoc tantum significat scientias nonnunquam digredi ad aliarum scientiarum obiecta propria, principia, & passiones, & denique Iul. Syr. *sect. 3. cap. 18.* ex eo probat non subalternari Physicam Mathematicis, quoniam non est æquum scientiam quæ est de substantia, illi subalternari quæ est de accidente, quoniam sicut substantia, ita etiam scientia illa est natura prior, est autem Physica de corpore naturali, Mathematicæ de accidente quantitatis. Secundo. Quod ad Physicam attinet, quamuis aliæ fortasse scientiæ illi subalternentur, non tamen id propriè de Mathematicis dici potest, etiamsi prior sit Physica quam Mathematicæ, quoniam etiamsi res planè eadem materialiter loquendo à Physica & Mathematica pertractetur, tamen longè dispar modus est quo vtraque id facit: Physica considerat quantitatem vt est passio materiæ, Mathematicæ autem vt planè abstrahuntur ab eadem materia,

materia, qua ratione non egent Mathematicæ principijs Physicæ. Non debuit ergo Scalig. *exerc. 6 num. 3. post med.* absolutè affirmare esse Mathematicas subalternatas Physicæ, quanquam id benè ab eodem dicitur, non esse dicendam Metaphysicam Physicæ subalternatam, etiamsi videatur Metaphysica ex Physica accipere probationem Intelligentiarum & Dei. Imo contendit cum Auicenno contra Auerroem hoc non accipere Metaphysicam à physica, de qua re alio loco dicemus. Tertio. Metaphysicæ non subalternantur aliæ scientiæ, præsertim Physica & Mathematicæ. Probatur primo ex opinione dicentium has scientias per se esse distinctas, sic enim non habebunt mutuum ordinem, qui supponat solam accidentariam distinctionem. Secundo. Id multò magis verum est, si verum quoque illud est de vnica scientia res omnes comprehendente, nam tunc Metaphysica, Mathematicæ, & Physica erunt partes vnius scientiæ; non solet autem scientiæ vnius pars alteri parti subalternari. Tertio. Quia subiectum Metaphysicæ se habet tanquam genus ad obiecta Mathematicarum & physicæ, quia essentialiter contrahitur ens per ens, quod est naturale, & quod est quantum. Ergo non potest esse inter ista subalternatio, quæ fit additione solius accidentariæ conditionis. Confirmatur. Quia principia Metaphysicæ sunt valdè communia, Mathematicæ & Physica habent propria sua principia, quæ vlterius probationis non indigeant, nisi probatione ad impossibile. At subalternatæ scientiæ propria principia debent esse in subalternante. Ergo non possunt Physica & Mathematicæ subalternari Metaphysicæ. Dici tamen potest Metaphysica subalternans scientiæ Physicæ & Mathematicæ, hac ratione, quatenus suppeditat illis principia valdè communia, quibus seipsæ contra aduersarios tueri possint, quod sæpè docet Aristoteles 1. *post. cap* 11. Zonf. 6. *Metaph quæst.* 9 Soto 1. *phys. quæst.* 1. Iauell 1. *Met. quæst.* 2. Ex his infertur, vt etiam notat Zonf. respondet ad tertiam diuisionem in subalternatam & subalternantem scientiam non esse adæquatam, ita vt necesse sit omnem scientiam sub altero horum membrorum comprehendi, nisi fortè ad modum iam dictum, & in ampla significatione. Potest etiam ex dictis facilè occurri rationibus contrarijs, alijsque recitatis sententijs: Id enim tantum efficiunt Metaphysicam in ampla significatione esse subalternantem scientiam respectu cæterorum, vel certè solum concludunt de partiali subalternatione. In quo etiam sensu concedit Fonf. *loco citato*, Dialecticam subalternari Metaphysicæ, nimirum quatenus ipsa docet quinque vniuersalia, decem prædicamenta, aliaque huiusmodi, quorum probatio spectat ad Metaphysicam, sed etiam de propria subalternatione, sed partiali non id facilè concesserim, quia Dialectica habet potius rationem habitus practici. Diximus autem practici ad speculatiuum habitum non esse propriam subalternationem, & certè cum sit Dialectica modus sciendi omnibus scientijs inseruiens, non potest vlli scientiæ subalternata esse, quia est illarum instrumentum, à quibus tantum abest vt principia desumat vt etiam illis rationem veram formandorum principiorum, & probandarum conclusionum tradat. Nec refert quod operationes, circa quas versatur, à Philosopho naturali exactè probari & sciri possint, quoniam non eget Dialectica illa cognitione, vt sua de operationibus præcepta tradat. Et hoc dictum sit iuxta opinionem nostram de obiecto Dialecticæ; nam si dicatur obiectum esse ens rationis, adhuc eodem modo dicemus ratio esse propterea Metaphysicæ subalternatam, tum ob dictas causas, tum etiam quia perfecta illa entis cognitione non eget. Non est igitur vera sententia Mirand. *qui in comm. instit. sua. f.* 4. & 5. & *lib.* 4. Apoll. *f.* 4. contendit Dialecticam propriè subalternari Metaphysicæ, cuius rationes *in f.* 4. *comm.* sui nihil probant aliud, quam id quod consideratur in aliqua facultate minus perfectè

in

in alia superiore istis modis vel exactè & scientificè tractari posse. Multò autem minus dici potest Dialecticæ subalternari alias scientias; quatenus enim est instrumentum, potius diceremus illam cæteris subalternari, cum se habeant illæ ad Dialecticam tanquam Architectonicè. Atque hæc de scientia per se dicta sint: nam qua methodo vnaquæque scientia progredi debeat, tum ex ante dictis colligi potest, tum etiam ex ijs quæ de Methodo in compendio diximus. Similiter de ratione inueniendæ scientiæ, & quantam in sciendo difficultatem cum non minore scientiæ desiderio experiamur, initio huius disputationis est dictum. Deniq; an præter iam repertas & constitutas scientias aliqua alia recens inueniri possit, id equidem non dubito, quod ex circuli quadratura liquet. Sed præstat in iam inuentas diligenter incumbere, quam temerè noui aliquid velle comminisci, præsertim cum ars longa vita sit breuis. Et vt Theophr. dicit, iniusta videatur nobiscum natura nouerca extitisse, quod ratione vtenti tam parum temporis concesserit, brutis animantibus longam sit vitam elargita, videlicet naturam & natura lumen non prætervectus, nihilque cogitans de immortali animo, ac sempiterna illa felicitate, qua qui fruantur, omnium accuratã cognitionem obtinebunt.

QVARTA PARS TRACTATVS.

De comparatione scientiæ cum alijs habitibus.

VLtimum hic restat quod de scientia expectari potest, vt conferatur à nobis cũ alijs intellectus nostri habitibus, quod dum faciemus, simul etiã illius eiusdem actus cum aliorum habituum actibus comparabimus, præsertim cum huius nobis occasionem præbeat Arist. qui *part. vlt. vel 1. po.* egit de collatione scientiæ cum ignorantia, opinione & solertia, sed præterea scientia conferri debebit cum ijs qui ab Aristotele numerantur *6. Ethic cap.3.* Intellectu, sapientia, & arte; prudentia enim quæ ibid. ponitur habet maximam habitudinem ad voluntatem, & absolutè ad mores pertinet, de qua diuisione nos posteriores quinque habitus, qui *6. Ethicorum* ponunrur vna cum scientia. Lege D. Tho. *1.2. q. 57.* & *ib.* Caiet. Scot. *2. s. d. 36.* But. *6. Eth. q. 10. &c.* Quod spectat ad ignorantiam & solertiam in expositione textus, quæ necessaria sunt dicentur, hoc solum annotari potest, ignorantiam esse duplicem: Simplicem, & prauæ dispositionis, cum simplici non est quod comparetur, scientia, quia solam dicit scientiæ negationem, cum ignorantia autem prauæ dispositionis perinde confertur, atque verum cum altero suo contrario, & virtus cum vitio, quia idem est ignorantia prauæ dispositionis, atque error scientiæ contrarius, qui propterea sic appellatur quia prauè intellectum nostrum disponit circa obiectum propriæ scientiæ. De intellectu etiam satis diximus disputatione de prænotione sed notandum non modo ex parte scientiæ & habitus conclusionum, sed ex parte etiam rerum studiosè agendarum, atq; studiosè & rectæ voluntatis requiri habitum quendam, qui proportione se ad illam habeat, qui vulgo appellatur synderesis, & est dictamen rationis, atque interior iste conscientiæ nostræ scrupulus, quo reniti ac reluctari ratio solet nobis ad malè agendum paratis, de quo dicitur conscientiam esse mille testes, videlicet ad veritatem actionis honestæ nobis ipsis comprobandam. Sed præter lumen illud naturale inditum, quod propriè vocari nequit habitus, sicut nec habi-

tus

rus maximè communium principiorum debent quidem alij assignari in ordine ad speciales & distinctas virtutes. De his ergo omnibus cum hæc sufficiant, super est vt cum alijs habitibus scientiam nostram comparemus.

QVÆSTIO PRIMA.

De comparatione scientiæ cum alijs habitibus, videlicet Arte & Sapientia.

QVomodo ab Arte differat scientia, patet: Etsi enim illa circa verū versari possit, tamen dici solet habitus practicæ practici & ex natura sua versantur circa singularia, suntq; ipsorum obiecta mutationi obnoxia, vtuntur tanquam medio occurrentibus circumstantijs, & applicantur semper vniuersalia ad particularia, & prout sunt peculiares difficultates circa res quæ contingunt, peculiares quoq; habitus artis & prudentiæ, ponūtur vt indicat D.Th.2.2.*q.47.art.5.*Etsi autem conditiones illæ adeo variæ sint atque multiplices, tamen vt ibid. notat D. Thom. & Caietan. non petitur artis veritas ex ista conditionum variabilitate per se & nudè sumpta, sed cum quadam habitudine ad appetitum, & rectam rationem. De sapientia maior soletesse difficultas, quomodo scientia à sapientia distinguatur: Est enim opinio Nominalium, Ocam *in quæst.* 1. 2 & 8. *prol. f.* & Greg. *quæst.* 3. *art.* 1. & Gab. *quæst.* 8. sapientiam nihil aliud esse quam assensum conclusionis vt dependet à principijs, scientiam autem formaliter & per se esse assensum conclusionis, existimo tamen non distingui essentialiter sapientiam à scientia; sic enim vulgo videmus appellari ab Arist. scientias ipsas partes sapientiæ, & Metaphysicam scientiam omnium præcipuam. Et 6. *Ethic c.* 7. sapientiam vocat Arist. scientiarum omnium exactissimam. Cum ergo Arist. 6. *Eth.* distinctum videtur habitum facere sapientiā, intelligere debemus esse locutum more vulgi, & quantum satis erat ad moralem tractationem, in qua, vt ipse docet 1. *Eth, cap.* 3. non est exigenda exactio Mathematica. Dicetur igitur sapientia ipsamet scientia, vt versatur circa supremas causas tum vniuersalitatis, tum propriæ causalitatis, hoc est circa prædicata maximè communia, quæ de omnibus dicuntur, & circa Deum & intelligentias potissimum rerum causas. Vnde Arist. 6. *Eth. cap.* 7. apertè docet sapientiam nihil aliud esse, quam exactissimam de huiusmodi causis & principijs scientiam, quæ primas causas spectat. Ita Aristotelem interpretari videtur D. Tho. 1. 2. *q.* 57. *art.* 1. *ad* 2. Quarè sapientia nihil aliud erit quam Metaphysica, quæ quia continet causas primas, & ex ea desumi possunt ab alijs scientijs principia, vt suas contra aduersarios conclusiones tueatur, idcirco Arist. 6. *Eth. c.* 7. hoc solum discrimen inter sapientiam & scientiam ponere videtur, vt sapientia versetur ita circa primas causas & principia, vt de illis spectet verum, reliquæ verò scientiæ assumant principia, hoc est sapientia seu Metaphysica per se & ex professo spectat principia ipsa, illa explicando, & qua ratione potest probando, scientia autem supponit principia in Metaphysica, quibus vbi opus fuerit, vti possit. Vulgo igitur scientiæ nomine quando cum sapientia comparatur intelligendus est habitus conclusionis, vt ex principijs deducitur, prout tamen est circa res magis particulares. Et confirmatur, Sicut enim conclusiones Metaphysicæ, vel sapientiæ, quemcunq; tandem habitum significent, essentialiter pendent à principijs, & sic per aduersarium Sapientia dicit assensum conclusionis vt deducta ex principijs, ita quæcunque cognitio scientifica necessariò & intrinsecè ordinem dicit ad propria & peculiaria sua principia immediata, & quæ directè probari non possunt, sunt tamen aliæ sententiæ quomodo cum sapientia & intellectū & assensum conclusionis necessariò includat, dicatur tamen vnus esse habitus, quæ etiā consequenter communes erunt cum scientia ipsa, de quibus antequam dicamus, nota Arist. 6. *Eth, cap.* 7. etiam hoc

sapientiæ peculiare esse dicere, vt simul sit & scientia, & intellectus. Quod sine dubio ideo fecit, quia intellectum, quod sæpè alias vsurpare solet, accipit pro maximè communi principiorum notione, & non est propriè dicendus esse habitus, sed tantum inditum à natura lumen intellectus; alioqui enim si de proprio intellectus habitu sermo sit, tam est quælibet scientia simul scientia & intellectus, quam scientiarum suprema sapientia ipsa. Refert igitur Bur. 6. *Eth.* & Antot. *com. in lib. Eth.* ex Bur. & Tho. de Magistris, has esse de sapientia vt simul includit scientiam & intellectum.

Opiniones. Prima est. Sapientiam non esse simplicem aliquem habitum, sed veluti conflatum ex eo qui dicitur scientia, & ex eo qui dicitur intellectus per quandam veluti aggregationem, quemadmodum nos supra diximus quamlibet scientiam totalem esse vnam aggregationem, sed non probatur nobis hæc sententia, quia non loquitur de habitu vt est simplex qualitas, sed de duobus simul.

Secunda. Esse vnum habitum qui simul sit & scientia & intellectus, non formaliter & per quandam eminentiam, generatus ex actibus quibusdam, qui simul feruntur & in conclusionem ipsam & principia ipsa. Est autem opinio Gab. *q. 8. prol.* sed hoc est valdè difficile credere, vnico actu posse hos assentiri & conclusioni & principijs, de qua re alio loco dicemus.

Tertia. Per habitum intellectus nos assentiri principijs Demonstrationis propter quid, per scientiam autem conclusioni, per sapientiā autem veluti huic connexo & copulato, conclusionem sequi ex principijs. Et tandem quod dicitur sapientia esse intellectus & scientia materialiter tantum & suppositiuè, hoc est, quia vtrumq; hic habitus præcedit, & sequitur quidā nouus assensus. Sed nec hæc opinio placet, quia similiter non loquitur planè de simplici qualitate, & non potest aliud esse assensus ille nouus, quā assensus conclusionis vt deductæ ex principijs.

Quarta. Metaphysicam ipsam esse sapientiam, & se habere vt scientiam quatenus versatur circa res intelligibiles, in quarum tamen cognitionem non nisi ex sensibilibus peruenire potest, quia hic cognoscendi modus imitatur naturam scientiarum omnium. Esse autem hanc Metaphysicam habitum intellectus quatenus est de rebus intelligibilibus, indicat hoc Eust. dicens appellari sapientiam intellectum, quia est de rebus intelligibilibus, & per lumen intellectus nostri accedentis ad res illas intelligibiles. Qui Author etiam notat sapientiam, si accipiatur sine habitu principiorum, dici quodammodum decapitatam scientiam, quia sapientia non modo est de summis rerum capitibus, sed etiam essentialiter & intrinsecè pendet à cognitione principiorum, quorum habitus est intellectus. Sed hoc quod vltimo loco dicit, optimè quadrat in omnem scientiam vt sit decapitata dicenda, si absq; principiorum habitu sumatur. *Existimo igitur sapientiam & scientiam*, quæ essentialiter pro eodem sumo, consistere in assensu vel habilitate inclinante nos ad assensum conclusionis per se, cum habitudine tamen & ordine ad habitum intellectus. Simile experimur in multis alijs rebus: nam secunda intellectus nostri operatio formaliter & præcisè occupatur circa iudicium & assensum, cum hoc tamen necessariò intrinsecoque ordine ad apprehensiuam & primam operationis apprehensionem. Idem etiam iudicium est de tertia operatione, Explicat enim concipere assensum conclusionis vt est conclusio, & non etiam concipere illam eandem vt dependentem à suis principijs, quarè non potest etiā intelligi sine relatione ad habitum principiorum, quamuis materialiter loquendo fieri possit vt res in conclusione contenta si occurrat intellectui nostro, assensum per se faciat, nō habita principiorū ratione; quæ fortè exciderunt, cum tamen vt est formaliter conclusio, non possit concipi, nisi vt deducta ex principijs, quæ si memoria non retineantur, saltem quod nos aliquando eorū cognitionem habuisse meminimus,

absque

absque difficultate assentimur. Alias dixi etiam sapientiam versari circa intellectũ, quatenus veluti per quandam reflexionē possumus probare illa ipsa principia maximè communia hoc syllogismo: Quod est manifestum & clarum intellectui nostro, id est clarum & euidens per se. Huiusmodi sunt ista principia summa & prima; nam, inquiunt, intellectus nostri lumen propter maximam cognationem cum lumine diuino, imitatur etiam naturam & conditionem primæ causæ; sed non est admodum necessaria hæc ratio.

QVÆSTIO. SECVNDA.
De comparatione scientiæ cum opinione & fide.

ANtequam scientiam cum istis habitibus comparemus, exponendum est quid sit tum opinio, tum fides.

DVBITATIO PRIMA.
Quid sint opinio & fides?

NOtandum est, accipi solere opinionē in Lineon. 1. *po c. vlt. & ib.* P. Ven. communiter propriè, & magis propriè. Communiter opinio accipitur pro qualibet cognitione, vnde 2. *post. c. de induct.* inquit Arist. Quicquid credimus, Inductione vel Syllogismo id nos assequi. Et 1. *po. t. 5.* ait eum qui scientiam habeat, oportere credere rem aliter habere non posse, principijs quam conclusioni magis credere, à credulitate sua esse impermutabilem, ibi autem loquitur de scientia maximè certa. Et 3. *Met. text. 3.* opiniones communes vocat principia illa maximè communia: De quolibet verũ & est affirmare, vel negare quib. tamen quilibet facilè assentitur. Secundo. Propriè inquiũt dicitur opinio, cũ est assensus alterius partis contradictionis, cum formidine tamen ne oppositum euenire possit. Et ita poterit aliquando illud idem quod assentimur esse scitum, non tamen erit opinio scientiæ, verbi gratia cum quis assentitur rei necessariæ materialiter & obiectiuè est scientia, quia potest ille qui opinatur vti medio necessario quod aptũ est natura sua. Tertio. Magis propriè dicitur opinio, quando non modo adiuncta est formido illa & timor, sed est præterea assensus circa rem contingentem. Vel etiam quarto dicitur opinio de qualibet cognitione obscura, & minus euidente, sed quæ simul comprehendat fidem. Hoc modo videtur Them. 2. *Animæ. text. 7.* opinionem accepisse, cum eam dixit esse sub existimatione tanquam speciem sub genere. Et Plato *in Gorgia* dixit esse duas persuasionis species: Fidem doctrinalem, & creditiuam; Illa, inquit, est in scientijs demonstratiuis, ista autem generat fidem & credulitatem sine scientia. Quinto. Accipitur etiam opinio pro cognitione habente formidinem partis contrariæ, ita tamen vt sola assensus, non authoritate dicentis nitatur, sitque tota cognitio obscura, & idem quod fides. Sed maximè propriè opinio significat eundem assensum minus euidentem, non tamen planè obscurum, cuius medium sit probabile, aut huiusmodi nobis esse videatur; siue res ita se habeat, siue secus, de cuius assensus ratione intrinsecè sit formido illa, solet esse dubitatio, tamen id constare debet saltem esse conditionem quandã plane annexã, & debet hic assensus positiuus esse, ideoq; non potest dici sola esse suspicio, vt significat dubietatem quandam, atque ancipitem sententiam in neutrã partem dependentis. Vnde Arist. 1 *po. com. 94. & 1. Mag mor. c. 33.* inquit existimationem esse qua in omnibus ferimur ancipites; sitne ita res, an secus, quod non significat non fieri determinatum iudicium & assensum, sed ita vt nihilominus nonnulla remaneat dubietas in intellectu nostro. Quare non placet quod Plut. dicit *lib. de animæ. procreat.* & Thym. Plat. dicit opinionem esse in sensibilibus, & esse permansionem eius quod sentitur, circa id quod in motu est, ideoque meritò Scal. *Ex 37. num. 31.* refellit Viuem dicentem, opinionem esse assensum iudicij ad conclusionem, nam hic assensus potest esse quoque scientificus. Quos omnes reijcit Arist. *c. vlt. 1 po.* apertè docens, quod & ratio suadet, opinionem etiã versari circa res speculatiuas, & ꝙ opinio non sit tantũ circa sensibilia,

probat Aristoteles. 2. *Animæ. t.* 157. Et quod opinio versetur etiam circa speculabilia, docet Aristoteles 5. *Ethic. cap.* 2. vbi ait versari opinionem circa omnia, tum circa æterna, & quæ à nobis fieri non possunt, tum circa ea quæ sunt posita in nostra potestate. Dicendum igitur primo, opinionem esse habitum intellectus inevidentem & incertum, propter medium quod vel ex natura non sufficiat ad gignendam in intellectu nostro certitudinē, quæ duo in habitibus humanis semper sunt vel coniuncta, vel seiuncta, aut si potest ex natura sua medium, quo quis vtitur, certam & claram cognitionem facere, non tamen facit, quia ab eo qui vtitur non perinde apprehendatur, atque se habet. Quare formido & timor in assensu opinatiuo est vel conditio necessaria, vel ratio formalis, satius tamen fortassis est dicere esse tantum conditionem, quia formalis ratio habitus & medij ex intrinsecis peti debet. Porrò medium aliquando reipsa idem esse potest quod medium scientiæ, quod tamen is qui opinatur non apprehendit tanquam certum. Vnde fieri potest vt quis existimet aliquid planè ita se habere, nec vlla ratione dubitet, sed vtatur tamen medio, quod ex se solum est probabile, & tunc si res se secus habeat, non erit opinio, sed error, quamuis medium sit sua natura opinatiuum. Contra autem potest quis existimare rem aliquam ita se habere, vt tamen non habeat omnino firmum assensum, idque per medium, quod natura sua sit necessarium, & circa rem etiam necessariam, & hic dicitur habere tantum opinionem si res ita se habeat, verum, quod si non ita se habeat, falsum. Quare rectè Hyppoc. *in Ep.* quam secundo scripsit ad Philopomenem, ait sibi in somnijs obiectam esse puellam quandam venustam & ornatam, quæ se veritatem esse diceret, aliam autem nudatiorem, concitatiorem, & sordidiorem, quæ se diceret esse opinionem. Rectè etiam Plut. in op. de facie in orbe Lunæ, vt suam de ea te opinionem, quam veram esse credebat, explicaret, dixit: Verum enimuerò si quod nobis videtur, impauidè est dicendum, omissis ijs opinionibus quarum habitus, &c. qui enim opinatur instar serui & mancipij, nō liberè & ingenuè rei propositæ assentitur, sed titubat & tremit. Est igitur semper necessariò annexa formido opinioni, per quam saltem à posteriori, & tanquam cōclusione distinguitur opinio a scientia, alijsque habitibus omnibus, quibus clarè rei & certò assentimur. Et ab errore, qui est assensus certus, sed falsus. Hoc est contra quosdam apud Gregorium *q.* 2. *prolog. art.* 4. quibuscum sentire videtur Dur. *q.* 1. *prolog.* & Soto 1. *post. cap. vlt.* qui dicunt non esse necessario coniunctam opinionē cum formidine, quoniam Aristoteles. 1. *post. cap. vlt. fic. com.* 200 & 201. ait opinionem etiam esse de necessarijs, Ergo non est necesse existimari à nobis res non esse necessarias. Imò etiam, vt inquit P. Ven. qui proximè ad eam sententiam accedit, sicut scientia est per syllogismum demonstratiuum, & necessarium simpliciter, ita etiam opinio strictè sumpta est per syllogismum Dialecticum, & contingentiam simpliciter & absque timore. Auerroes absolutè & præcisè existimauit vnicum esse intellectum in omnibus hominibus, & Aristoteles mundum esse æternum. Et confirmatur. Quia quo plures aggerantur rationes probabiles eo minus experimur in nobis formidinis residere. At si necessario cum opinione & ratione probabili adiuncta est formido, cresceret potius, quam minueretur. Imò fieri poterit vt tot fint rationes probabiles, vt omnis ex animis nostris dubietas tollatur. Hoc docet Aristoteles 7. *Ethic. cap.* 3. ex ijs qui opinantur aliquos non ambigere, sed certò se scire existimare, & nihilo minorem ijs quæ opinantur, quam quæ alij sciunt, fidem adhiberi. Id inquit Heraclius ostendit. Verum quod formido semper sit cum opinione, est communis opinio, præsertim D. Thom. *in* 1. 2. *quæst.* 67. *artic.* 3. 2. 2 *quæst.* 1. *art.* 5. *ad* 4. & *quæst.* 2. *art.* 1. *quæst.* 14. *de ver. art.* 1. & 9. *ad* 6. 3. *s. d.* 23. *quæst.* 2. *art.* 2. *quæstiunc.* 1. Capr. 3. *s d.* 23. *quæst.* 1. *art.* 3. *ad* 1. Aur. *contra primam conclusionem* & *ad* 1. & 6. Duran. *contra primam opinionem* Scot.

Scot 3 *f.d.* 24. *quæst. vnica ad* 3. Auic. 6. *natural. quæst. p.* 5 *cap.* 1 Et hæc formido quantum est ex natura rei, & ad id quod opinioni debetur, & satis est, requiritur solum vt sit ex parte subiecti, hoc est, hominis assentientis, quamuis aliquando esse possit ex parte obiecti. Et confirmatur. Quia de ratione scientiæ est existimare rem aliter habere non posse. Ergo si quis putet rem aliter habere non posse, cum tamen à parte rei non ita se habeat, vel non sit huiusmodi medium, vt id ex illo efficiatur, non erit dicenda opinio, sed error, quia existimatio illa directè opponitur scientiæ, huiusmodi verò non est opinio, sed error. Vnde Aristoteles 1. *post. t.* 44. seu *comment.* 200. ait eum qui existimat rem aliter habere non posse, cum possit tamen non habere scientiam, nec existimare se habere opinionem. Cur autem alterum horum sufficiat, causa est, quia ad malum, & imperfectum quicumque defectus sufficit, bonum autem est ex integra causa, se habet verò opinio, si cum scientia conferatur, tanquam ad imperfectum. Si tamen habens quis medium probabile, iudicet explicitè rem cui assentitur per tale medium, ex vi talis medij aliter habere posse, iste non opinatur, sed scientiam habebit, huius nimirum rei, quod si possit res aliter habere propter tale medium. Est igitur opinio, cum absolutè assentior rei quam aliter posse habere puto Nec est opus me deprehendere debilitatem istius medij, sed satis quod absolutè ferar in rem, sic tamen vt hæsitem. Vnde D. Thom. 1. 2. *quæst.* 67. *art.* 3. *in corp.* dicit ex parte medij differre opinionem & scientiam, cum videlicet opinionis medium probabile est, aliud autem necessarium, differre quoque ex parte subiecti, quoniam de ratione opinionis, inquit, est quod accipiatur vnum cum formidine alterius, quare non dixit, inquit, opinio firmam adhæsionem, de ratione autem scientiæ est vt habeat firmam inhæsionem, cum euidentia & claritate Nec hoc negat Aristoteles 1. *post.* quin potius docet opinionem esse posse de rebus necessarijs, vt etiam diximus ex 3. *Ethic. cap.* 2. Quare cum *ibid.* ait opinionem esse circa contingentia, loquitur de contingentibus nō modo secundum se & naturam suam, verum etiam quoad nos, hoc est, quę à nobis apprehenduntur tanquam contingentia. Sic etiam cum dicit opinionem esse circa necessaria, loquitur non de necessarijs secundum se, ita vt medium ipsum sit necessarium, & à nobis cognoscatur scientificè sed de necessarijs vel materialiter, vel quæ à nobis putentur esse necessaria, quod tamen vbi fiet, non erit opinio, sed error, si quis existimet rem aliter non posse se habere, & necessariam esse, cum tamen possit. Ideò Alber. cum Aristotele ait opinionem esse propositionis non necessariæ, illud *necessariæ* accipi vult aduerbialiter, hoc est, opinionem esse propositionis quam non sit necesse à nobis existimari esse necessariam. D. verò Thom. dicit opinionem esse de his quę accipiuntur vt contingentia se aliter habere; siue sint talia, siue non, vbi rectè notat Caietanus, cum res cognoscitur vt contingens, non debere contingentiam illam esse conditionem à nobis cognitam, alioquin opinio de necessarijs esset falsa apprehensio, hoc est, cum assentimur rei in se necessariæ, quam tamen apprehendamus aliter se habere posse, hoc enim est falsum, sed satis est si contingentia illa sit modus quidam euidentię imperfectus, hoc est, vt assentiamur rei quā clarè omnino non videmus, sicut cum quis diluculo, vel sub vesperam aliquid eminus cernit, nec enim ita videt, vt clarè sibi rem videre persuadeat. Ita quoque intelligi debet Aristoteles, vbicunque ait opinionem esse circa contingentia, tum *loc. citat.* tum 9 *Metaph. t.* 20. Denique assensus verus cum formidine est certæ alicuius speciei, & non alterius quam opinio: Ergo pertinet ad opinionem. Nec hoc mirum videri debet, quia quidam habitus sunt qui pendent tum ex voluntate nostra, tum ex nostro intelligendi & concipiendi modo, sicut etiam fides,

quare hinc fit vt satis sit à nobis apprehendi rem cum formidine, etiamsi nullum vel in re, vel in medio subsit fundamentum. Hinc sequitur primo opinionem non esse dicendam solam dubitationem, etiamsi Aristoteles t. *Mag. cap.* 33. id indicare videatur, sed necessariò debet esse positiuus assensus quo in rem feramur cum quadam formidine. Secundo. Sequitur solutio dubij propositi & eorum omnium quæ fieri possunt; nam cum quis aliquid probabiliter existimat esse verum quod est in se necessarium, & medium quo vtitur etiam huiusmodi est, habet opinionem solum, quia habet formidinem, hoc est, quia non ita firmiter assentitur, nec tanta cum claritate, vt rem existimet aliter habere non posse, sed perindè virtualiter loquendo ac si expresse putaret rem aliter habere posse. Quare hic assensus est debilis, & est verus, si res sit vera. Erit autem non opinio, sed error, si existimet rem nihilominus aliter habere non posse, si medium sit in se probabile. Vel si eum apprehendat mediū vt tantum probabile, rem putet aliter se habere non posse, si aūt putet aliquid eodē modo assensus quod aliter se habere non possit, & medium sit probabile, error erit, si autem & res aliter habere potest, & medium sit probabile, & existimet rem ita se habere, sed cum formidine, hoc est, rem esse veram, erit etiam opinio, sed magis quodammodo perfecta, quia duplici ex capite erit hæc opinio: tum ex re quæ aliter se habere potest, tum ex medio quod tantum est probabile. Si autem assentiatur quis sine formidine, quomodocunque se res habeat, vel medium, nunquam erit opinio, vt docet Aristoteles. Ad primam confirmationem. Non sequitur, de ratione opinionis est formido, Ergo augetur formido, quo magis augentur rationes probabiles, vel opinationes ipsæ; nam vt notat Tartar. t. *post. cap. vlt.* eodem modo suspicio consistit in quadam hæsitantia, quę tamen dubitatio aucta suspicione non augetur, sed minuitur potius, Sic etiam temperantia consistit in quadam difficultate circa proprium obiectum, & cum augetur continentia, quæ est inchoata quædam virtus, & de cuius ratione est includere quandam difficultatem ex parte ipsius qualitatis & habitus, & ex parte subiecti, non ideò augetur difficultas. Sic etiam cum adduntur plura & plura lumina obscura, non ideò augetur obscuritas. Ita ergo cum adduntur plures rationes probabiles, non propterea augetur formido, & hoc est commune omnibus quæ dicunt aliquid positiuum cum priuatiuo, nec tamen vlterius sequitur posse tot rationes probabiles fieri, vt eximatur planè omnis formido, quia rationes probabiles & opiniones semper sunt infra gradum scientiæ, ita vt nunquam pertingere possint vel ad minimum gradum scientiæ: quæ enim ita dicunt magis & minus, vt intensio ista & remissio, quæ non ita propriè dicitur, sit de ipsorum intrinseca ratione, non potest id quod minus est per vllam additionem peruenire ad id quod maius est, vt D. Thomas obseruat; sicut, inquit, bos & equus, qui nunquam possunt peruenire ad perfectionem hominis, quamuis dicantur esse imperfecta animalia, quod exemplum est accommodum, quod sicut de ratione bouis & equi non est negatio illa perfectionis, sed talis natura positiua, ad quam sequatur illa imperfectio, ita etiam non est de ratione opinionis illa imperfectio actus, sed quiddam ad quod id sequitur, & per quod à nobis explicatur. Vltimo. Cum Aristoteles ait opinantes nihilominus adhibere fidem absque dubitatione, atque eos qui sciunt, opinionis nomen latius vsurpauit, prout significat quamlibet cognitionem, quod patet exemplo Heracliti, quo vtitur, cuius opiniones erant falsæ. Nec placet quod quidam dicunt opinionem nunquam esse posse falsam, quæ enim falsa, est error, hoc enim quod dicitur, erroneum est; nam & id docet Aristoteles & Epic. teste Plut. 4. *de plac. Philosophorum cap.* 9. Possum enim cum quadam formidine existi-

existimare aliquid ita se habere, quod nõ habeat, nisi forte dicamus semper opinionem esse veram, seu videri veram, quatenus qui opinatur, credit se verum opinari, sed hoc etiam reperitur in errore. Confirmatur ex definitione opinionis, quæ est Plut. apud Speusip. *lib. de definition. Plat.* Opinio est perceptio cum fide per ratiocinationem, & rationis discursus incidens in verum & falsum per ratiocinationem. Idem *6. Ethic. cap.3.* docet Aristoteles.

DE FIDE.

IAm verò quod ad fidem attinet, fides aliquando sumitur pro quauis cognitione, etiam certa & euidente, quo etiam fortasse modo Cicer. vocat fidem aliquãdo firmam opinionem, quod tamen reprehendit Scal. *loco citato*. Propriè igitur fides, vt alias acceptiones omittam, significat assensum propter alterius authoritatem, ideoque natura sua obscurus est. Cæterum quomodo distinguatur ab opinione, dubium esse potest.

Notandum est primo, fidem duobus niti principijs. Alterum est, quod is qui dicit, vel scribit, verax sit, alterum quod id cui fidem adhibemus, ab alio dicatur, vel scribatur. Potest autem vnum ex istis aliquando nobis constare. Alterum autem dubium esse potest, verbi gratia cum fides sit tum diuina, tum humana, de Deo nemo dubitat maximè esse veracem, tamen ambigi potest num id Deus reuelauerit, contra autem constat hunc, vel illum hominem id vel dicere, vel scribere, de illius tamen veracitate potest quis dubitare. Fides igitur diuina quoniam tota nititur veracitati Dei, reuelatio autem est solum conditio sine qua non, ideò est habitus quidam diuinus & infusus, & longè etiam certior quam omnes humanæ scientiæ, sed hoc quadam ratione inferior, quod obscurus sit, quia tamen certitudo hæc tanta est, vt certo nobis rem reuelatam persuadere possimus, perinde ac si coram oculis nostris cerneremus, ideoque appellatur etiam visio. Fides autem humana sæpè incerta est & dubia, non propter dicentis vel scribentis dubitationem; constat enim aliquem vel scripto, vel dicto nobis aliquid manifestare, sed propter hominis veracitatem, aliquando autem certa est fides, certitudine tamen morali solum, vel reuelata, si mihi per reuelationem constaret hunc esse veracem: nam quod Hierosolyma sit, fide tantum habemus, & tamen adeò id certum est, vt temeritatis arguatur, qui id audeat negare, quia non est verisimile, imò verò certum est tam multos temerè, casu, & absque vlla deliberatione conuenisse, vt hoc palam profiterentur, & si duorum vel trium testimonium in Moralibus & iudicijs tantam fidem facit, profectò certitudinem quanta esse potest infinitorum penè hoc dicentium. Vnde Aristoteles *sect. 18. probl. 3.* Fides, inquit, perfacilis est, quam testimonium fecerit, *& lib. de lineat. per somn.* scribit quod omnes homines, vel plures existimãt fidem præstari tanquam ab experientia. Et *7. Eth. c. 13.* vehementer approbat versus illos Hesiod. *Non prorsus fama illa perit, quam multa per orbem turba hominum celebrat; verum Dea dicitur esse.* Qui Hes. in fine Operum inquit: *Fama quidem non tota perit, vel decipit vlla* Rursum Arist *6. Ethic c. 2.* Quod omnibus, inquit, videtur, id esse affirmamus. Et Cic. *Tusc. 1* Consensus omnium gentium vox est naturæ. Vnde fortè illud: *Vox populi, vox Dei.* Hoc posito, dicendum est fidem esse distinctum habitum ab opinione siue aliquam fides in se dubietatem contineat, siue nullam. Ratio. Quoniam natura fidei est vt includat rei cui fides habetur obscuritatem, opinio autem aliquam requirit, obscuram tamen de re euidentiam, quia nititur rationi probabili, quæ cum re quandam habet connexionem, nobisque eam manifestam vtcunque facit. Imò disputant Theologi an de ratione fidei sit etiam ineuidentia & obscuritas in testificante. Et quidam concludunt sufficere si res quæ proponitur creden-

credenda, solum obscurè cognoscatur, nam Angeli vt primum sunt à Deo conditi, fide in Deum seipsos retulerunt, quem tamen authorem esse rerum earũ quæ credendæ proponebantur, ijs constabat Caietan. & Durand. hoc sequuntur. Vnde etiam dæmones non credunt & contremiscunt, non aliam ob causam, nisi quia signorum, quæ credibilitatem faciunt, euidentiam etiam inuiti coguntur vt credant quæ sunt diuinitus reuelata. Manebit igitur semper hoc discrimen inter opinionem & fidem, quod si de re ipsa agatur, fides nullam habet euidentiam, opinio aliquam. Quare D. Thom. 1. 2. *quæst. 67. articul. 3.* Fides, inquit, excedit opinionem, quod firmam habeat inhæsionem, intellige quia si humana est, aliquando certa esse potest, si diuina, semper est certa, deficit verò à scientia in eo, quod non habet visionem, vt credens non videat quid credat. Lege eundem *art. 5. & 2. 2. q. 4. art. 4. q. 18 art. 2. 3. f. d. 3. art. 1. quæstiunc. 1. & 3 q. de ver. q 27. art 5 & de virt. q. 5. art. 4.* Nihilominus non videtur Arist. hoc discrimen vnquam curasse, vnde etiam Soto *in .. po c vlt.* & quidam recentiores negant fidem cùm dubietatem aliquam includit, distingui ab opinione, sed tantum cum est certa, Soto tamen aliquando loqui videtur, id autem fortasse fecit Arist. quoniam fides & opinio, si cum scientia conferantur, eodem penè modo deficere à scientia videntur: nam vtraq; potest esse vera & falsa, altera certitudine caret, vtraque euidentiam non habet, quæ ad scientiam requiritur, sed absolutè loquendo non potest id concedi, quoniã ratio opinionis dicit euidentiam quandam fidei, aut omninò obscuritatem. Ita videtur D. Thom. 2. 2. *q. 4. art. 5. ad 2.* Vnde etiam Aristoteles 1. *Ethic. cap. 5.* ait fidem esse vehementem opinionem, & 2. *Animæ t. 157.* opinionem sequitur fides. Et 1. *Top. cap. 1. & 8.* inter propositiones probabiles, siue opinabiles, ponit eas quæ sapientibus videntur, quibus profectò cum assentimur, fides est. Est tamen obseruandum, videri fidem niti interdum opinione, nam credimus quia alter dixit, illi autem credimus, quia veracem esse putamus, hoc ipsum arbitramur, quia ratio aliqua id suadet, ergo tandem ideo huic rei credimus, quia opinamur. Verum etsi id ita se habet, tamen quia semper remanet circa rem, cui fidem habemus, obscuritas, & ineuidentia, idcirco potest quidem opinatio illa de veracitate Authoris esse quiddam nos applicans ad credendum, non tamen est ipsamet fides, quia fides est assentiri rei quam non vides, & sicut testificantis authoritas est planè rei illi, cui credimus, extrinseca; ita etiam ratio qua dicimur vt authori credamus, est extra rem. Potest tamen ipsemet Author se habere tanquam res quædam opinabilis, siue obiectum opinionis, sicut & quælibet res. Si tamen opinionis nomine intelligi placeat assensum quemcunque dubium, concedi poterit opinionem & fidem dubium idem esse, sed retinendo rationem formalem fidei vt sit obscura, & ipsa distinguitur ab opinione, estque etiam probabile non distingui fidem certam à dubia, quia semper in vtraque eadem est ratio formalis, dicentis authoritas cum obscuritate, quamuis ratio cur credam Authori, aliquando maior vel minor sit, siue cur mihi persuadeam illum esse veracem quod est posse esse opinionem circa veracitatem Autoris, aliquando autem certam cognitionem.

Notandum secundo Cum intellectus nunquam necessariò assentiatur quoad specificationem actus, nisi determinetur & cogatur ab obiecto, vt diximus 1. *disp. de prænot. sect. 6.* idem proportionaliter etiam intelligere debemus, quod idem est dictum de opinione non posse nos determinari ad intelligendum, nisi accedat voluntatis imperium; non enim potest intellectus noster à seipso assentiri, si nulla appareat veri ratio, vt docet Scot. *3. f. d. 23. quæst. 2.* Soto 1. *post. quæst. vlt. cont.* Ocam. 2. d. 25. & Abma. *in tract. 2. Mor. cap. 4.* & Caietanus 1. 2. *quæst. 65. articul. 4.* Quæ causa

causa est cur non improbabiliter quidam sentiant, vt credamus rebus à Deo reuelatis, præter habitum nostri intellectus, opus esse quodam alio ex parte voluntatis quo recte afficiatur ad res credendas. Et D. Tho. 2. 2. q. 4. art. 2. docet fidem saltem esse in voluntate nostra per quandam redundantiā: nam vtramq; inquit, potentiam necesse est esse perfectā ad credendum. Et D. Aug. *tract. 26. in Ioan.* Cætera, inquit, potest homo non volens, credere non potest nisi volens. Et 2. *ad Cor. cap. 10.* In captiuitatem, inquit, redigentes intellectum in obsequium Christi. Diximus etiam *loc. cit.* in opinione esse habitum quendam principiorum, vt ex iis deducantur conclusiones probabiles. Idem dicere proportione seruata in fide, quatenus ex quibusdam à nobis creditis deduci alia possunt, quamuis non tantā appareat necessitas, quia simpliciter in res credendas ferri solemus.

DVBITATIO SECVNDA.

An Opinio & Fides simul cum scientia esse possint?

NOn est quæstio an in diuersis hominibus esse possint, id enim docet Aristotel. 1. *po. c. t.* 200. & 201. *seu text.* 44. & experientia patet. Nec dubium est an in eodem successiuè esse possint isti habitus, vel actuales assensus; id enim etiam experimur. Item constat posse nos rem vnam opinari, vel credere, aliā autem certò scire, & consequenter posse in nostro intellectu vnius rei esse fidem, alterius autem scientiam. Quæritur igitur an possint in eodem homine simul, & de eadem re esse opinio, siue fides, & sciētia, tum quoad actualem assensum, tum quoad habitus? Et nota, quod si opinionis nomine intelligatur, quod idem dico de fide medius quo in se fides vel opinio vtitur, certū esse si à nobis alterius ineuidentia, alterius incertitudo deprehendatur posse vna cum scientia de eadem plane re esse habitus fidei & opinionis. Imò etiam si non repugnat plures esse actus in eodem, posset quis habere cognitionem rei per medium fidei & opinionis, & scientiæ, non quidem vt actualiter quis assentiretur rei propter omnia ista media; de hoc enim quæstio est, sed quia posset quis apprehendere mediū opinionis, & fidei, cognoscendo quod ex vi ipsorum posset talis elici assensus, simul actualiter assentiri posset scientifico assensu, vel posset in eodem intellectu nostro remanere fides & opinio habitualiter vnà cū scientia habituali, ita vt prompti reddamur non ad assentiendum per fidem, vel opinionem, si scientia remaneat, sed vt possimus excogitare media probabilia, quibus res aliqua probari possit, etiamsi non per illa assentiamur, quia medium scientiæ habemus. Et hunc siue habitum, siue actum opinionis & fidei dicere possumus opinionem & fidem solum materialiter, habitum autem ipsum appellare possumus discursiuum, quod apti reddamur ad excogitāda media, & cognitio quam habemus de istis medijs, est scientifica.

Prima Opinio Alensis 3. *p. q.* 79. *memb.* 3. D. Bonau. 3. *s. d.* 24. *art.* 3. *q.* 3. Gab. *art.* 4. Altisiodorensis 3. *p. sum. tit.* 3. *q.* 4. Dur. *q.* 1. *prol.* posse simul de eadem re esse scientiam & opinionem, quāuis isti præsertim loquantur de fide. Probatur hæc sententia primo. Quia assensus duo veri, duoque habitus ad verum nos inclinantes, simul esse possunt in eodem, sed opinio & fides veræ esse possunt, Ergo possunt esse simul cum sciētia. Confirmatur. Nam lumen obscurum vnà cum magis claro esse potest; sic autem se habent isti actus. Sic etiam videmus Aristotelem & alios solere simul cum rationibus necessarijs addere rationes probabiles. Secunda Ratio: Potest in eodem homine esse fides in Deum & scientia, vt patet in Philosopho, qui certò scit Deum esse, idem tamen postea fide imbutus credit Deum esse, &c. Tertia. Cum aliquis assuetus est rationibus probabilibus, si medium aliquod

necessarium accedat, non statim habitus ille tam multis actibus contractus euerteretur, vnde experimur, si fortè statim pereat illa Demõstratio, longè maiorem facilitatem ad assentiendum rei propter medium probabile, quam qui nullum opinionis habitum est assecutus. Signum ergo est vnà cum illa scientia remansisse in eodem homine habitum scientiæ. Arim. *quæst.* 1. *prol. art.* 3. *&* 4. *concl.* 1. asserit posse in eodem homine esse opinionem & scientiam, quoniam isti habitus cùm radices aliquas in subiecto egerint, non possunt statim vnico actu separari.

Secunda Opinio Capr. Soti, & Caiet. *locis citatis*, & Scot. 3 *s. d.* 24. *quæst. vnica ad* 3. *princip.* qui habent non posse vnà cum medio probabili medium necessarium persistere, sed adueniente necessario medio corrumpi id quod probabile est, ac propterea non posse hæc duo media conuenire, vt effectus suos producant. Ex quo deinde alij inferunt non etiam posse in eodem aliquo habitum necessarium & probabilem perdurare.

Prima Propositio. Postquam est habita ab aliquo Demonstratio de aliqua re, non potest, si aduertat Demonstrationis suæ claritatem, per medium probabile rei asseueratæ assentiri. Ratio: Quia si id faciat, non opinionem, sed errorem habebit; quia existimare rem quæ aliter habere non potest, aliter habere posse, non est opinio, sed error. Et loquor tã de medio quod in se est probabile, quam quod videtur alicui esse tantum probabile. Et si quis putet per medium quod tantum in se probabile est, rem aliter habere non posse, etiamsi verum afferat materialiter loquendo, errat tamen dum existimat ex vi talis medij sequi rem aliter habere non posse. Quare Aristoteles 1. *po. text.* 44. *seu Com.* 291. Ille, inquit, qui putat rem aliter habere non posse, non existimat se habere opinionem, nam ad rationem opinionis satis est incertitudo, & quædam ineuidentia ex parte subiecti.

Secunda Propositio. Intellectus si plures simul operationes exercere potest, non tamen simul poterit opinionis fiue fidei & scientiæ actum simul & semel facere, sed hac tantum ratione, vt propter medij, quo vtitur, necessitatem & euidentiam assentiatur, & simul quia animaduertit aliud esse medium probabile, iudicet posse rem illam eandem confirmari & constabiliri medio illo probabili, & cui non suppetat ratio illa necessaria, possit assentiri propter probabilem rationem. Sed hoc non est habere positiuum assensum propter medium probabile, sed solum habere facilitatem quandam, qua excogitare possimus plura media. Ratio autem est, quia oportet eum qui scite dicitur, esse à sua sententia impermutabilem, & putare esse non posse aliter se habere, hoc autem præstare non potest is qui habet medium probabile, vel qui id præstat, non potest assentire rem aliter habere posse, quod tamen includit ex se medium probabile.

Tertia Propositio. Remanente scientiæ habitu potest quis opinionis actum elicere. Ratio. Quia habitus scientiæ est qualitas ex se quidem actiua, non tamen necessariò semper agit, imò habitibus vtimur cùm volumus. Quin etiam fieri potest vt quia non attendat ad rationes necessarias, propter quas habilis est factus, propter habitum scientiæ, tunc ergo nihil prohibebit intellectum nostrum, si aliunde rationes probabiles suppetant rei assentiri. Et patet experientia. Multi enim scientiæ habitu præditi sæpè ducuntur ratione probabili ad aliquid assentiendum.

Quarta Propositio. Hinc sequitur primo posse simul remanere in eodem aliquo opinionis & fidei, & scientiæ habitum, hac tamen ratione, vt per habitus illos imperfectos, quos vt diximus Capite de Qualitate, potius appellandos

hadæ sunt dispositiones, quam habitus, cùm non sint ex natura sua difficilè mobiles habitus, possunt relinqui in eodem subiecto, & inclinare illud quantum est ex natura sua ad assensum illis proprium, qui est tantum probabilis. Itaque cùm scientia, cæterique ferè omnes habitus habeant quandam latitudinem, fieri potest, vt quia opinio in subiecto aliquo erat quinque vel sex graduum, accedat aliquis scientiæ actus, per quem appellatur quidem essentialiter scientia, quia tamen est vnius tantum gradus, vel duorum, non continuò expellit omnes gradus opinionis qui sunt relicti. Exemplum peti potest ex qualitatibus & agentibus naturalibus; nam sic etiam quatuor frigoris gradus non statim expelluntur à calore vt duo, vel tria, nec vitium quod diu multumque in aliquo inhæsit, per paucos aliquos actus virtutis exturbari potest. Tunc autem isti habitus opinionis & fidei inclinabunt ad actus sibi proportionatos, incertos, & inuidentes, cum hac conditione, vt nisi aliunde adueniat actus certior, possit quis assentiri propter medium probabile: si autem occurrat ratio necessaria, non poterit prodire in habitum actus iste imperfectus. Sequitur secundo. Istos habitus opinionis, vel fidei, & scientiæ, non posse ita in eodem subiecto persistere, vt ad vnicum actum, qui ex probabili & necessario medio resultat, inclinare animum nostrum potest. Hoc est contra quosdam Thomistas, de quibus paulò post.

Quinta Propositio. Non possunt actus opinionis, vel fidei & scientiæ esse simul in eodem de eadem re, quia habent planè oppositas rationes; nam scientiæ actus certitudinem & euidentiam necessariò requirit, actus autem fidei & opinionis etiam necessariò exigunt certitudinem & incertitudinem, opinio inuidentiam non omnimodam, incertitudinem autem etiam quæ cum aliqua certitudine cohærere possit, fides omnimodam ineuidentiam ex parte rei. Quare isti duo actus non magis poterunt simul exerceri, quam actus quilibet alij inter se contrarij, virtutis verbi gratia & vitij. Sicut enim nemo potest simul & semel studiosè & prauè actum aliquē exercere, ita etiam assentiri necessariò & euidenter, simul cum assensu obscuro & euidenti non potest, nam vt concedunt Aduersarij, fieri non potest aliquem habere simul actum visionis beatificæ, & actum fidei, imò etiam vt est communis opinio, non potest in eodem qui Deo fruatur, esse & fides & visio illa beatifica, sed cum aliquis scientiam habet, ita dicitur totus ferri, & secundum totum conatum suum, in aliquod obiectum, propter aliquam euidentiam & certitudinem, atque qui Deum videt. Ergo non magis potest simul cum actu scientifico opinionis vel fidei actum exercere, quam beatus ille vnà cum visione actum fidei. Confirmatur secundo. Vt enim inquit Diuus Paulus. Quod speret quis quod videt, vel quod videt speret, quasi diceret, non posse concipi alicuius rei speciem, quam quis iam possideat, & videat. Ergo similiter vbi quis animo comprehendit rem aliquam certam, non potest cum aliqua dubitatione & hæsitatione rei eidem assentiri. Nec tamen negandum est illud quod relinquitur ex actu opinionis, cum per se accipitur, estque inchoata quædam opinio, remanere posse simul cum eo quod etiam relinquitur ex actu scientiæ, non tamen poterunt hæ duæ qualitates secundum actu istorum completè perseuerare in eodem, sicut nec qualitates inter se pugnantes possunt esse in eodem completè & perfectè.

Sexta Propositio. Non potest scientia & opinio inclinare ad vnum eundemque actum, qui veluti resultet ex medio probabili & necessario. Est cōtra Caiet. Ratio clara est. Nam id quod relinqui-

tur ab opinione, actu est qualitas quædam nos inclinans ad assensum probabilem, sed repugnat posse eundem actũ esse simul probabilem & necessarium. Ergo repugnat etiam opinionem & scientiam ad eundem actum inclinare. Dicit Caiet. opinionem cum scientia inclinare actum opinionis materialiter, non autem cum illa conditione, vt perducet formido illa, vnde inquit remanet qualitas illa inclinans ab actum, non in ratione opinionis, sed in ratione assensus, sed hoc dici non potest, quia nunquam agens aliquod potest producere aliquid secundum aliquem gradũ præcisum, verbi gratia, cum calor calefacit, non producit calorem vt est qualitas tantum, sed calorem tantum vt formaliter est calor. Ergo eodem modo non potest qualitas relicta ab actu opinionis ad aliud inclinari, quàm ad actũ opinionis vt opinio est. Confirmatur. Quia, vt inquit Arist. 2. *Eth c.* 1. & 3 idem planè actus efficiuntur ab habitu, eiusdemque rationis cum ijs per quos habitus est generatus & productus, sed fatente etiam Caietano, opinionis habitus productus est per actum opinionis vt opinio est. Ergo qualitas relicta inclinat ad actum eiusdem rationis, vel opinionis, vt opinio est. Confirmatur etiam. Quia quilibet assensus est determinatæ alicuius speciei, ergo assensus ille ad quem inclinat opinio, cum non sit species scientiæ, nec erroris, nec vllius alterius actus, necessario erit de ratione opinionis. Caiet. tamen propter locum D. Tho. 3. *p q* 9. *art* 1. 2. adductus videtur in hanc sententiam, vbi ait D. Tho. Cum quis rem aliquam cognouit per causam, posse etiam cognoscere per rationem probabilem, & rationem Dialecticam, quæ præcesserat illam necessariam, & per causam, remanere post cognitionem per causam, sed D. Tho. nihil aliud vult, nisi actum opinionis esse posse in eodem post actum scientiæ, quia qui, inquit, causam cognoscit, facilè potest etiam postea & probabilia cognoscere, & sicut dispositio quædam est in naturalibus generationibus, quæ non solum antecedit formæ substantialis introductionem, sed etiam sequitur formam ipsam factam à generante, ita etiam opinio siue ratio Dialectica est via quædã ad scientiam, sed vbi est habita cognitio rei per causam, potest tamen manere ista cognitio per mediũ probabile. Ex quo loco habemus primo Analogiam probabilem medij vt antecedit & consequitur demonstrationẽ, simul in calore vt etiam præcedit & sequitur formam ignis, est igitur sicut ille idem ante & post, ita eadem etiam opinio, si tamen formaliter vt opinio manet, & ante scientiam & post, quod tamen Caiet. negat. Sed deinde D. Tho. mens hæc tantum est, non remanere opinionem vt est formaliter opinio, hoc est ratione formidinis, sed quoniam inquit qui causam cognoscit, longè potest facilius probabilia inuestigare, & propter illa assentiri vbi opus fuerit. Est ergo dicendum opinionẽ nunquam posse esse simul cum scientia, nisi materialiter solum, vt dicit medium natura sua contingens tantum & probabile, ideoque cũ connotet ex natura sua formidinem, nunquam poterit actus ex natura sua certus simul effici cum actu coniunctam habente formidinem & timorem. Imò etiam si opinionis nomine nihil aliud intelligatur quam media ipsa probabilia, non modo in statu incompleto & imperfecto, verum etiam in maximè perfecto & intensissimo gradu vel cum scientia opinionis habitus remanere potest: Nam experitur quisque vbi est scientia acquisita & comparata, nihilominus tenere æquè perfectam mediorum probabilium cognitionem, atque si nulla scientia fuisset acquisita, quoniam videt quis ex vi talium mediorum haberi posse talem cognitionẽ, vt D. Tho. 1. 2 *q* 67. *art*. 3. negat in vnum idemque modum coire posse probabile & demonstratiuum, quod tamen dicebat Caietanus, asserit verò posse in eodem

dem aliquo subiecto simul esse medium probabile & demonstratiuum, non tamen ex parte subiecti esse posse simul assensum probabilem & demonstratiuum; & hoc est quod sæpè diximus, opinionem natura sua dicere timorem & formidinem connotatiuè ex parte subiecti, & ideò nihil deest medio probabili, si secundum consid. vt opinio dici possit, nisi vt per se accipiatur, nullo aliunde aduenienteclaro medio: id enim vbi primum fiet, cognitio illa medij probabilis desinet esse opinio, eritque vel discursiuus ille habitus, id est quo disponitur animus noster ad promptè inuenienda media, quare quicunque actus scientiæ verus & perfectus potest natura sua tollere de medio omnem opinionem, quantumuis altè in subiecto radicatam, quia actus scientiæ affert nostro intellectui perspicuitatem, & certitudinem, ac ideò eadem opera remouet ab eodem dubietatem, & obscuritatem. Quemadmodum quicunque luminis gradus à subiecto, in quod recipitur, fugat tenebras, & quemadmodũ in lumine datur latitudo quædam, & intensio, ita etiam in scientia maior & minor dari potest, tum certitudo, tum euidentia. Ratio autem est, quia id quod priuatiuum est, nullã habet positiuam efficacitatem qua resistat, quare quæcunque forma priuationi opposita tollit priuationem. Ita igitur, quia opinio ratione illius conditionis quam connotat, nempè formidinis, incertitudinis, & ineuidentiæ priuationem quandã dicit, ideò quicũq; accedat scientiæ actus, has omnes priuationes tollat, etiamsi magis & minus pro maiore vel minore conatu, vel prout magis minusq; se repetiti fuerint actus scientiæ, possit quis scientiam sibi perfectiorem comparare. Nec repugnat quod modo dicimus, ei quod supra à nobis determinatum est, posse & remanere opinionem cum scientia secundum statum imperfectum & incompletum, nõ autem secundum perfectum; nam id intelligi debet secundum quod accipitur à nobis opinio ratione sui materialis, quod etsi perfectissime remanere possit cum scientia, tamen quia qui serendo, & exercendis actibus scientiæ assuescit, facilè opinionẽ actus probabilis omittit, & quia quantum est ex se, potest mediũ opinionis inclinare nos ad assensum formidolosum. Ideircò quia pedetentim ista media nec adeò nos inclinant, nec memoriæ adeò sunt infixa, inclinant tamen vtrumque, & in memoria remanent, propterea diximus posse simul cum scientia opinionem remanere. Reuera tamen si spectetur formalitas opinionis, tollitur per aduentum scientiæ, vt diximus. Lege D. Tho. *1 p. q. 58. art. 7. ad 3. & 62. art. 74 ad 1.* Dici etiam potest remanere opinionem, vt quibusdam alijs loqui placet, secundum habitum, qui tamẽ in actum suũ prodire nõ possit, quoniam reperit obstaculum ex parte subiecti, quod est præditum nobiliori habitu; sed certè cum natura habitus sic faceret nos idoneos ad agẽdum, & posse semper in actum prodire, vbi non est formaliter contrarij habitus impedimentum, profectò satius est dicere non remanere habitum opinionis nisi solum materialiter; nec enim prodire potest in habitum, quia ex parte obiecti oppositas habet conditiones, quo fit vt etiam nec habitualiter remanere opinio sit dicenda. Hic nota, esse quorundam opinionem Arist. 1. *po.* t. 44. solum negare posse in eodem aliquo opinionem esse & scientiam per idem medium, sed certè absolutè & planè loquitur, & quod isti comminiscuntur, planè friuolum est: Quis enim dubitat, cum pugnent inter se maximè, opinionis & scientiæ media non posse coire in vnũ medium, si proprias rationes seruent, vt dicatur quis scire & opinari propter vnum medium. Et quantumuis ita demus, tamen non posset illud medium duplicem hunc effectum habere, vt faciat nos opinantes & scientes, quia vnum est cum formidine & ineuidentia, alterum cum summa certitudine & perspicuitate. Præterea etiam repugnat

per diuersa media simul aliquem assentiri opinando & sciendo.

Vltima Propositio. De fide idem ferè iudicium est quod de opinione, si cũ scientia comparetur, nam cum comperit fidei cum opinione quod euidens sit, & plerumque, si loquamur de humana, incerta. Imò etiam sunt qui dicant planè eundem esse habitum fidei & opinionis. Quarè primo non potest actus fidei simul cum actu scientiæ exerceri, quia actus fidei obscurus est, scientiæ clarissimus. Secundo potest exerceri alter ex istis actibus, altero in subiecto habitu remanente: potest enim quis scientiæ actum efficere etiamsi contraxerit antè habitum fidei, & contra potest fidei actum exercere etiamsi scientiæ habitu præditus. Tertio possunt scientia & fides in eodẽ aliquo subiecto simul persistere ad modum dictum, hoc est dicẽtis vel scribentis authoritas potest in alicuius intellectu habitum aliquem relinquere, si quando desit medium necessarium & euidens, vt possit assentiri cuique rei. Non tamen formaliter dicetur hic fidei habitus remanere, quia fides sicut formidinem connotat, ita etiam necessario includit obscuritatem; si autem sermo sit de fide diuina, non est longè minor differentia, nam actum diuinæ fidei assentiri quis credendo nõ potest, nisi desit medium vel medij considerario, quo id quod à Deo reuelatur, certum ac euidens appareat, vt Philosophus qui perspectum habet Deum esse, & vnum esse, nunquam assentietur propter Dei reuelantis authoritatem, nisi vel memoria exciderit, vel actu non attenderit Demonstrationem Quia qua id habetur, nec tamen propterea iste vel infidelis dicendus est, vel maximum fidei meritum perdere; nam fidei diuinæ habitus est qualitas quædam infusa à Deo, qua reddimur faciles vt tum ijs quæ hactenus à Deo sunt reuelata, tum quæ imposterum, si Deus volet, reuelabuntur assentiamur. Et idcircò etiamsi non possit hic fidei habitus exercere actum suum circa ea quæ alioquin à nobis sciuntur, prodest tamen plurimum ad alia multò plura, ad quorum ne tantillam quidem cognitionem peruenire possumus. Quarè etiam circa ea quæ cognoscuntur à nobis, credendo tamẽ proponuntur, quamuis D. Tho. ea mauult præambula quædam fidei, quam res fidei, non perdit fidelis meritum; est enim ita comparatus & dispositus, vt etiamsi non suppeteret ratio naturalis, sit tamen animo parato ad assensum rebus illis præbendum propter Dei maximè veracis authoritatem, quem certo etiam cognoscamus nulla ratione mẽdacitati posse esse obnoxium, imò maiorẽ inesse certitudinem in rebus quatenus à Deo reuelantur, quam ex ratione ipsa naturali peti possit, quod significasse videntur illi Samaritæ, qui vbi Christum adueñtantem coram sunt intuiti, dixerunt iam non propter mulieris loquelam, sed quia Saluatorẽ ipsum viderant, fidem ijs quæ dicebant adhibuisse: Docet id D. Tho. *secunda secundæ, q 4 art. 2.* Hinc sequitur differentia inter fidem humanam & diuinam; nam diuina infunditur à Deo, ac propterea ex se disponit nos ad credendum, & exerceri potest ipsius actus, etiamsi simul in aliquo sit scientiæ habitus, quamuis non cum aduertentia scientiæ, fides autem humana acquiritur per proprios actus nostros, ac proindè solet in nobis produci per formidinem aliquam, in alijs par est ratio. Lege D. Tho. *secunda secundæ quæst. 4. 3. f. 23. quæst. 2. art 2. quæstiunc. 1.* Rationes quæ pro contraria sententia adductæ sunt, partim pro nobis faciunt, vt probant scientiam posse simul cum opinione & fide esse in eodem subiecto partim etiam contra nos, si de habitu opinionis & fidei sub formalitate illatum loquatur. Vndè ad primũ Resp. non esse repugnantiam inter istos habitus ratione veritatis & falsitatis; possunt enim omnes esse veri, & qui ex jis proficiscuntur assensus. Pugnant ergo inter se propter incertitudinem

dinem & inevidentiam inest in opinione & fide, & propter claritatem atque certitudinem, quam scientia ex natura sua sibi vendicat. Ad confirmationem. Quid faciant rationes probabiles simul cum rationibus demonstratiuis in eadē scientia varij sunt dicēdi modi, primus est Zim. *ib. 75.* Rationes probabiles quæ demonstratiuis subiunguntur, etiamsi alioqui per se non habeant nisi producere assensum cum formidine, obscuritate, & incertitudine, tamē propter demonstratiuas rationes quæ subiecto præcesserunt tanquam quædam dispositiones, posse assensum absque vlla formidine, hoc est certum & scientificum generare in eodem subiecto; id enim, inquit, experimur in natura pro varia subiecti dispositione, solere rem eandē varios quoq; etiam specie effectus producere, verbi gratia calor, hic enim vna cum ouo potest concurrere ad pulli productionem. Similiter vnus idemque solis splendor lutum indurat, ceram dissoluit, &c. Confirmat id authoritas Auer. 1 *Cal. t. 85. & com. 22.* Sed quicquid sit de Auer. non potest id quod dicitur verè dici, nam medium opinatiuum ex natura sua est diuersæ planè rationis speciei, habet oppositas planè conditiones ijs quæ necessariæ sunt medio & assensui scientifico: Non potest igitur efficere assensum scientificum & certū. Nec est par ratio in exemplis propositis, nam sunt quædam qualitates quarum actiuitas latè patet, & sunt aut rationes secundum propriam rationem rerum multarum, vel certè virtute quadam atque eminenter habent efficacitatem aliarum distinctarum virtutum. Verum autem illud est quod ibid ex eodem Auer. notat Zim. solere nos vti huiusmodi rationibus, si quidem ante demonstratiuas rationes afferātur. ad excitandam pro vtraque parte difficultatē. Vel etiam si quando fortassis non suppetunt rationes necessariæ, vt docet Auer. 1. *Animæ com. 65.* Nec tamen probantur rationes demonstratiuas magis perspicuas euadere ob rationes probabiles nisi hac fortè ratione, quatenus contraria iuxta se posita magis elucescunt; si enim rationes probabiles cum necessarijs accipiantur & comparentur, facilè erit deprehendere ob vel necessariarum claritatem & certitudinem probabiliū inclaritatem & incertitudinē, vel contrà ob hæc ipsa proprias rationes, quæ reperiuntur in argumentationibus necessarijs. Secundus, Dicendi modus qui ex Caiet. esse videtur, probabiles rationes auget scientificum assensum, non in ratione scientifici assensus, sed in ratione præcisa assensus. Sed hoc figmento est simile: Vt enim suprà diximus, non potest à parte rei vllus esse assensus, qui non sit vel scientificus, vel opinatiuus, vel erroneus, vel alicuius alterius habitus determinati. Non potest ergo concipi, augeri, vel intendi assensum, nisi huius aut alterius speciei determinatæ. Tertius modus, Per rationes probabiles non augeri vel intendi priorem assensum demōstrationis, quia is præcessit, & consistebat in tanta vel tanta certitudine & euidentia, quia actus recurrere non potest. Et in hoc certè conuenire necessariò debent omnes dicendi modi, quia actum qui præcessit, vt impossibile est redire, ita etiam non potest ille idem intendi, nā id quod intenditur, oportet in vnicam entitatē ex gradibus pluribus constitutum coalescere. Dicunt tamen Authores isti postea assensum probabilem vel Topicum simul cum assensu scientifico, hoc est qualitatem relictā ex assensu probabili, posse concurrere ad producendum nouum assensum, qui sit absq; formidine, & dici possit scientificus assensus. Videtur accedere. Capr. & quidam recentiores id exponunt: Est enim, inquiunt illi, qualitas relicta ab assensu probabili eiusdem speciei materialiter loquendo, cum qualitate relicta ab assensu scientifico; solum enim cōnotat conditionē quandā accidentariā, necessariam tamē, hoc est formidinē ex parte subiecti nihil igitur prohibebit, inquiūt, ex medio quod relinquitur ab assensu probabili,

& medio

& me lio sciẽtifico, vnum produci assensum qui certus sit & clarus. Quamuis medium istud opinionis sit longè debilius, & magis infirmum quam medium relictum ab assensu scientifico. Vtitur Cap isto exemplo, nem puer aliquis vnà cum sene gestare potest aliquod pondus, quod ipse per se non posset, senex per se posset, non tamen cum tanta facilitate, quanta additur ex alterius, quamuis pueri, perlatione. Sic cùm medium illud necessarium & probabile sunt veluti causæ quædam partiales, & necessarium & scientificum posset quidem esse causa assensus, probabile illud & inopinabile per se non posset, vtrumque simul poterit, & necessarium maiore facilitate propter accessum opinabilis. Recentiores quoniam aduertunt esse agentia ista senis & pueri eiusdem speciei, & inferri etiam ad effectum specie eundem, recurrunt iterum ad exemplum à nobis allatum de fornacis calore, quo oua ita foueri possunt, vt pullus excludatur. Sed neq; vera est hæc sententia, imò necessariò in eadem incommoda incidit. quæ propria erunt priorum duorum modorum Nam non potest id quod est speciei distinctæ, cõcurrere ad effectum specie distinctum, & oppositas rationes habentem. Et id est quod contra primum modum obijciebamus, iam verò illa qualitas quæ relinquitur ab assensu probabili, quæro sitne opinio formaliter, an non? Si non, nulla est nobis disputatio. Si est, cùm aut formaliter, aut saltem necessariò requirat formidinem, inevidentiam, incertitudinem ex parte subiecti, qui poterit ad assensum planè oppositis conditionibus præditum cõcurrere, & hoc est quod contra secundum modum argumentabamur. Itaque manet quidem in subiecto, quod per medium probabile aliquando rei alicui præbuit assensum qualitas quædam, qua cognoscitur medium probabile, sed non remanet in ratione opinionis. Erit igitur tantum vel habitus quidam discursiuus ad media excogitanda, vel solum facilitas illa, quam quis experitur scientiæ habitu corrupto, tenebit se ex parte memoriæ adhuc retinentis media probabilia. Solet id hoc exemplo illustrari: Est Tibicen qui facilitatem contraxit citharã pulsandi. Si det obliuioni hunc habitum, poterit tamẽ quædam promptitudo in organis remanere, qua experiatur maiorem facilitatem in agitandis membris quam prius experiretur, dum illum perditum pulsandi habitum sibi non compararet. Quartus modus est Sco. 3. *f d. 24. vnica resp. ad principal argument.* & Tartar. 1 *po. q. vlt.* non posse assensum probabilem, aut medium ex assensu relictum nulla ratione concurrere ad assensum eiusdem, qui efficiatur per medium necessarium. Ratio. Quoniam ista media sunt distinctæ speciei & rationis, & est Philosophorum Axioma. Non posse à proportione minoris inæqualitatis fieri actionem, id est, non posse agens aliquod debilius agere in aliquod aliud agens, quod fortiores vires habeat. Sic etiam receptum est apud eosdẽ Philosophos, quando subiectum est præditum aliqua forma, si plures gradus habeat non posse aliud agens eiusdem rationis in illud ipsum subiectum gradum eiusdem formæ introducere, verbi gratia, in ignem qui est calidus vt octo, aer, si verum est pauciores sua natura gradus caloris habere nõ poterit, etiamsi calidus sit, producere in igne vllum gradum caloris. Et confirmatur. Quia probabilis sententia est non posse remissionem habitus actum intendere habitum intensiorem. Igitur cum opinionis medium lõgè sit imperfectius & remissius, etiamsi sit eiusdem speciei, tamen per se nõ poterit augere longè intensiorẽ assensum necessarium, sed præterea est illa diuersitas rationis, & specifica vtriusq; quasi vt quãuis si eiusdem rationis essent, posset opinio scientiã intendere, tamen nõ possũt simul concurrere ad assensum nouum & scientificũ producẽdum Cõfirmatur etiã. Quia si potest opinio vlla ratione intendere scientiã, posset etiam & gra-

& gradum aliquem perfectum producere, quia gradus omnes sunt eiusdem rationis, sicut quia vnus gradus caloris additus sex gradibus, illos intendit, potest vnus gradus vnum gradum producere. Et hic dicendi modus maximè nobis placet. 2. Quia multi sunt qui ob ingenij tarditatem rationum necessariarum vim penetrare non possunt. 3. Quia solet vulgus assuetum esse probabilibus rationibus. Vnde Arist. 2 *Met. t.* 14. & 15. Nos plerumque moueri fabularijs & puerilibus rebus. Vnde Auer. *lib. Dest. disp.* 3. *solut.* 13. Cõmuniter, inquit, magis placere solet probabilia, quã certa. 4. Quia scire valdè difficile est, hinc Arist. 1 *po. t.* 23 inquit, demonstrationem cognoscere valdè esse difficile verane sit, an falsa, quoniam rerum causas cognoscere non est cuiusuis obuium. 5. Quia, vt inquit B Thom. *3. p. q. 9. art. 3. ad* 2 qui Demonstrationes est cuius est, potest longè facilius conijectare de probabilibus. & ea possidere, quod inquit Caiet. 1. *po. q. vlt.* est valde obseruãdum; libertatem enim, inquit, à laqueo venantium. Merito itaque Arim. ait, vti nos solere rationibus probabilibus in tractatione scienti fica, nam vt Auer. ait, solet res ipsa magis nobis probari, si exemplo, aut Poetæ etiam authoritate illustretur, & indoctis quidem fides facile fieri potest per huiusmodi rationes probabiles, doctioribus autem accessio quædam fit confirmationis & certioris assensus, non quod assensus ille per se augeri possit per medium probabile, sed quia ob certis rationibus probabilibus videt, qui demonstrationis naturam cognoscit, huiusmodi rationibus nihil necessariò concludi, ideoque magis sese confirmat in assensu ob rationes illas necessarias. Ad secundam confirmationem, patet quid sit dicendum; sunt enim hæc huiusmodi, Perfectum & imperfectum, vt in subiecta materia specie differant.

Ad secundum argumentum. Statim atque accedit ratio necessaria, abscedit opinio, si accipiatur pro qualitate inclinante intellectum nostrum ad assensum formidolosum. Quod autem remanere videtur, non est opinio formaliter, sed vel habitus quidam discursiuus simul cum præcedenti acquisitus, quo apti reddimur ad excogitanda media, vel certe remanet memoria eorum mediorum, ob quæ assentiebamur potius, sed cum formidine.

Ad tertium argumentum. Esse magnũ discrimen inter fidem humanam & diuinam, nam diuina non acquiritur à nobis, sed à Deo infunditur, & idcircò nec etiam pendet à nobis absolute vt conseruetur, sed ex pacto diuino tamdiu in nobis manet, donec non accedat infidelitas. & sicut etiamsi cum calore pugnet frigus, tamen non potest frigus lumen de medio tollere, cuius tamen effectus quidam est calor, ita etiam non potest scientia tollere fidem, quamuis sit quædam repugnantia inter scientiam & fidem: cum etiam fides in nobis remanet vt possimus assentiri, quæ sciri nequeãt. Quare non est superuacanea, non potest tamen simul cum assensu fidei assensus scientiæ fieri de eadem re. Nec probabilis est opinio dicens, fidem concurrere posse ad augendum assensum scientiæ, propter summam certitudinem quam habet: Nam etiamsi fides certissima sit, tamen certitudo illa non est in re ipsa separata ab obscuritate &ineuidentia, quare non possumus hinc accipere certitudinem, inde autem euidentiam, sed secundum totam suam entitatem fides est principium assensus nostri.

Finis Tractatus de Scientia.

TRACTATVS DE DEFINITIONE.

Etiamsi Arist. de definitione solum egerit vt est medium demonstrationis, quia tamen ex Aristotele eo loco illa elici possunt, quæ faciunt ad intelligentiam definitionis secundum se, & vt instrumentum sciendi per se distinctum esse dicitur, idcirco nos etiam eodem modo, quoniam res perutilis est, de definitione disputabimus. Lege Interpretes tum in 6. Top. tum 2. po. & 7. Met. *& Mirandi.* 10. de euers. sing. cert. sect. 3. & *Ioan. Franc.* de nau. scientiarum 1. 2. & 5. *Auer.* Epit. Log. & *Albert.* 6. Top. *Bo.* libr. de definitione. *Porrò de definitione quinque videbimus. Primo, De illius existentia. Secundo, Quid sit. Tertio, Quomodo se habeat ad definitum. Quarto, Quomodo inuestigari possit. Quinto, Quomodo se habeat ad Demonstrationem.*

SECTIO PRIMA.

De Existentia.

In hac sectione explicabimus quæstionem an detur definitio, an sit sciendi instrumentum, & ad quam operationem intellectus pertineat. Denique an sit præ cæteris nobilius instrumentum.

QVAESTIO PRIMA.

An sit definitio, & ad quam operationem intellectus pertineat.

ARist. 6. *Top. ca.* 1. *loco* 19. Quid, inquit, sit terminus, & quomodo definiri oporteat, assignare, alterius est negotij, quod Alex. interpretatur pertinere ad primam Philosophiam, hoc est ad Metaphysicam, quod si absolute accipiatur, non est omnino verum, sed rectius Auer. 6. *Met. com.* 41. ait, definitionem pertinere tum ad Logicum Analyticum, tum ad Topicum, tum ad Metaphysicum; pertinet igitur de definitione agere ad Metaphysicum prout definitio ipsam rei quidditatem dicit, sicut vt est ens, & vnum ens. Ad Logicum spectat, tum vt est problema Topicum, ex quo loci argumentandi erui possunt, tum etiam quatenus est peculiare sciendi instrumentum, quod sicut per demonstrationem inuestigamus rei proprietates, ita etiam rei essentiam cognoscamus. Vnde Arist. 1 *Periher. c.* 4. Quomodo, inquit, animal bipes vnũ efficiat, alterius est ostẽdere, videlicet quomodo essẽtia rei vnius ex pluribus essentialibus partibus constet, Metaphysicæ est definire. Pertinet præterea de definitione agere ad Physicũ, cũ de anima disserit, cuius prima operatio est simplicium apprehẽsio, in qua residet definitio. Denique si sermo sit de peculiarib. definiẽdi modis, quod sibi quæq; se ẽtiã hos vendicat, tradere non est vnius scientiæ, sed aut particulariũ ipsarũ, aut certe vt Arist. 1. *de pa. animal c.* 1. est διστακτικῶς, vel si verum est vnicam esse rerum omnium scientiam, ad eandem pertinebit id facere.

Notandum Secundo. Definitio multipliciter vocatur ab Arist. Primo Terminus, quod Latinis est definitio, quia definite est, proprios cuique rei terminos circumscribere. Dicitur etiam essentia rei, natura rei, quidditas, substantia, quod quid est, & quod quid erat nominis, vsurpando definitionem materialiter ratione subiecti circa quod versatur. Dicitur etiam ratio, vel vt ratio idem significat quod essentia rei, vel vt significet mentem nostram, cuius prima operatio est simplicium apprehensio, quæ est definitio.

Notan-

Notandum tertio. Visum est aliquibus non dati definitionem, vt colligitur ex *2. po. t.* 30. vbi docet Arist. ideo videri definitionem non esse, quia rerum differentia ignoratur; nec enim scire possumus quomodo hæc res ab alia differat, nisi prius eiusdem ac cæterarum rerum differentias ante nouerimus, hoc autem immensum opus est, vnde Arist. *2. Anima c. de sensib.* ait, sensũ communem, vt discrimen ponit inter sensibilia, oportere sensuum singulorum obiecta proprie percipere. Vt ergo discrimen nouerimus rei vnius à cæteris, cæterarum quoque necesse est discrimina nosse. Hoc videtur Speusippi argumentum, vt Them. & Ph l. testantur, quo reuocanturquicunque aut essentiales differentias omninò sustulerunt, aut ignotari dixerunt; id enim si verum est, definitionem quoque interire oportet, cuius præcipua pars est differentia, de quibus *ca. de differentia.* eadem videtur fuisse opinio Antistericorum & indoctorum, vt Arist. vocat, *8. Met. t 6.* qui hac ratione ducebantur, quod videtetur definitio nimis longa esse, essentia autem esse quid vnum simplex. Sceptici in eadem hæresi fuerunt, vt testatur Sext. Empir *lib. 4 hypot Pyrrhon.ca 16.* Quoniam daretur processus in infinitum; si enim hanc rem definias, quærenti per qu d definias, dices per genus & differentiam. Rursum illud genus & differentia profectò essentiæ quædam sunt, definita ergo dicuntur, & sic in infinitum ibimus. Confirmatur. Nam debet tantum sciendi instrumentum dari quod corrigat aliquem errorem intellectus nostri, sed non potest esse in prima operatione, in qua dicitur esse definitio, vllus error, aut vlla falsitas, vt docet Arist. *1. Pertherm. c. 1. 3. Anima. t. 35. & 39.* Ergo, &c

Notandum quarto. Supponi debet quod diximus *in prol.* de tribus operationibus intellectus, & modo eas distinguendi, & quomodo in singulis error inesse potest, vt quod ad primam attinet, non quidem error falsitatis, qui tantum esse potest in secunda & tertia operatione, tamen apprehensionis esse potest, dum aut vnum alterius vice apprehendimus, aut ea omnia quæ ad rem faciunt, inuerso tamen ordine, de qua re D. Thom. *1. p. 85. q. art. 6.* Caiet. *procem. in prædic.* Et colligi potest *ex 9. Met. t. 22*

Prima propositio. Datur definitio. Probatur authoritate Arist. *locis cit* imò etiam veteres Philosophi illam agnouerunt, vt Plat. in *Theat. & Alc. ca 3.* Arist. *1. Met. t. 4. & 6. & libr. 13. cap. 4.* fuisse in vsu apud Socraticos & Pythagoricos definitionem, quamuis leuiter illam attigerint; dicebant enim id esse rei essentiam de quo proposita aliqua definitio diceretur, ex quo Arist. *1. Met. t. 4.* inquit: Sequitur vnum idemque in multas res diuidi, verbi gratia, si de dualitate dicatur definitio paris ac duplicis, sequetur de paris ac duplicis essentia esse dualitatem, cum tamen esse parem numerum latius pateat quam dualitas ipsa. Etiam *1. de part. animal. ca 1.* docet, inter antiquos Democritum adhibuisse aliquando definitionem ad disputationes suas, sed non censuisse Democritum necessariam esse definitionem in rebus naturalibus, quod ex rebus ipsis posset in ima erui definitio, ac proinde tempore Socratis desijsse disputationem de natura, *8. Met. t. 6.* refert Architam etiam vsum fuisse definitionibus, quod patet vel *ex lib de prædicamentis*, à quo mutuatus est Arist. suas definitiones in prædicamentis Sed probatur ratione illa ipsa qua coactus est Democritus, vt definitione vteretur, videlicet quia definitio ex rerum ipsarum natura orta est, vnde vt cognoscamus rerũ essentias, quod maximi refert, opus est vt demonstratione vtamur, alioquin vnà cum definitione, si eam tollamus, intereat etiam omnis scientia oportet; nam demonstrationis per quam passio propria de sub ecto ostẽditur, maxime accommodatũ mediũ est definitio sub ecti, vt docet Arist. *1. Anima t. 11, 2. po. 1. po. t. 5. 4. ph. in definitione loci.* Ad fundamẽtu ergo cõtrariæ opinio

nis dicendum cum Arist. 2. po. t. 20, vt cognoscamus rerum proprias differentias, nihil attinere, vt singulæ cæterarũ rerum differentiæ cognoscantur, à quibus res differt, sed satis est si genus aliquod primariò diuidamus in maximè duas communes differentias, & ex his alteram rei propositæ tribuamus, & vt rectè notat Æ id ibi. Qui rem aliquam definit, assignando propriam differentiam, quod nmodo res etiam cæteras cognoscet, non posit uè quidem, sed negatiuè. hoc est quia scit nihil esse talis speciei, quod talem non habeat differentiam, & ex reliquis speciebus nullam esse, quæ hanc habeat: vel vt inquit P. Ven. possumus duobus modis rem aliquam ab alia differre cognoscere, vel particulariter & minutiatim. Et hoc vt fiat, debemus cõprehensas tenere rerum omnium differentias, sicut dicit Arist. 2. Animæ, vt ponitur discrimen inter potentias sensitiuas, debere percipi à potentia superiore obiecta propria inferiorum. Vel id congnoscere possumus in confuso. & ad hoc satis est si rei illius particularis cognoscamus differentiam propriam; eadem enim opera & hanc rem ab alijs differre cognoscemus. Ad 1. confirmationem. Quomodo in prima operatione sit error, quanquam si fateamur definitionem esse, erit in prima operatione. Ad 2. confirmationem, Resp. Arist. ibidem Definitionem esse quid vnũ simplex ratione rei significatæ, quia altera eius pars se habet vt quid materiale & potentiale, altera vt quid actuale & formale, ex actu autem & potentia fit quid vnum, siue, inquit, sit materia sensibilis, siue intelligibilis. Ex quo etiam id interim inferre licet, non esse secundum mentem Arist. intelligentias actus purissimos, ipsarum enim quidditas exponi debet per genus & differentiam. Ad tertiam confirmationem. Non datur hic processus; tum quia tandem aliquando deuenienḍum est ad gradus simplicissimos, quos vt describere possimus, definire tamen non possumus.

Secunda Propos. Definitio est in prima operatione intellectus, vel realiter loquendo est ipsamet operatio prima, vel est cognitio quidditatis sine vlla affirmatione, vel negatione. Ita Arist. t. Perihier. c. 4 t. po. com 16. & 17. Auer. com. 4. t. po. Ratio est, Quia essentia est quid simplex, Ergo debet esse obiectum operationis maximè simplicis. Et confirmatur; nam qui aliquid de aliquo prædicat, potius videtur rem vel componere, vel diuidere, quam eo modo qui quidditati debetur, apprehendere. Vnde Arist. 7. Met. t. 11. dicit definitionem non includere subiectum, nimirum quia ex natura sua definitio nihil enunciat de subiecto, quia solam continet quidditatis explicationem. Confirmatur secundo Nam antequam prædicemus de subiecto essentiale aliquid, oportet terminos apprehendisse. Ergo antecedit cognitio quidditatis ipsammet definitionem vt enunciatur. Confirmatur tertio Quia si definitio non est in prima, Ergo est propositio quædam, vel discursus, Ergo potest demonstrari, quia omnis propositio potest tenere locum conclusionis in demõstratione, quod repugnat Aristoteli 2. po. Nihilominus si concipiamus definitionem vt dicit prædicatum quod de subiecto dicitur, & vt potest tanquam caussa assumi ad aliquid demonstrandum, sine dubio aut est in secunda, vel tertia. Et ex his facilè est occurrendum difficultatibus quæ contra hanc propositionem fieri possent. nam cum Arist. 1. po. t. 5 & 22. & 2. po. t. 10. dicit definitionem esse principium, vel definitionem esse demonstrationis aut principiũ vel conclusionem, vel totam demonstrationem, solo situ differentem; intelligendum est de definitione vt transfertur ad demonstrationem, & assumitur tanquam illius medium. Vnde Arist. 2. po. t 11. dicit definitionem non prædicare aliquid de aliquo, nisi addatur verbum, quod inquit Ægid est verbum Est, non ad cognoscendã quidditatẽ, sed vt eam magis explicemus, Et Arist. de arte poet. c. 20. ait hominis.

minis definitionem esse rectè orationem absque vllo verbo, hoc est absque vlla affirmatione. Mirand. etiam *in instit. Log. 1. part. sect. 3. & lib. 5. Apologia* d cit: cum Arist. *in t. 5 1. po.* partitur demonstrationis principia in demonstrationem, suppositionem, dignitatem, definitionē, huiusmodi diuisionem esse accipiendam tum secundum ea quæ actu sunt principia demonstrationis, tum secundum ea quæ esse possunt. Huiusmodi autem, inquit, est definitio, quæ etiam tum tantum est principium cum definit esse definitio.

QVAESTIO SECVNDA.

An definitio sit instrumentum sciendi.

SVpponenda sunt quæ diximus *in Prol. g.* de instrumentis Logicæ. dicuntur enim esse ista: Definitio spectans ad primam operationem, Propositio ad secundam, Argumentatio ad tertiam, Methodus & diuisio, vt inseruiunt reliquis quibus addebant aliqui Resolutionem & Inductionem, vt Eust. *2. po. init.* Ex his instrumentis quædam sunt per se principia cognoscendi, quædam solum iuuant ad cognitionem. Principia cognoscendi sunt definitio, propositio, argumentatio. Seruiunt ad cognitionem Methodus & diuisio, siue etiam resolutio, quæ ad Methodum reuocatur. Et quod Enunciatio sit instrumentum cognoscendi, etsi id satis patet, quia tamen id aliqui negant, potest sic breuiter probari: nam secunda operatio cognoscitiua est, & in cognoscēdo errare potest, ergo eget aliquo instrumento, quo & cognoscat, & bene cognoscat.

Obijci unt: omnem propositionem aut esse per se manifestam, aut obscuram. Si manifesta est, non eget instrumento; Si obscura, tunc argumentatione debet concludi, quæ te spectabit ad tertiam operationem. Resp. Idem potest argumentum fieri contra definitionem; nam aliquando definitio clara est, & sic non erit instrumentum necessarium ad definitionem; vel est aliquando obscura, & vt fiet à nobis cognoscatur, adhibendus est discursus. Sicut ergo ea ratione non efficitur, vt non pertineat ad primam operationem definitio, sic etiam non concluditur non pertinere ad secundam propositionem, seu Enunciationem. Sunt tamen qui negent definitionem esse instrumentum sciendi. Dixi sciendi, quia cognitio certa ac euidens duo tantū habet instrumēta: Demstrōtationē & Definitionē, vt testatur Arist. *1. Met. l. 48. & 7 Met. t. 48 & po. t. 5.* vbi, si alius est sciēdi modus, dicetur posterius. quibus verbis The. Auer. intelligunt definitionē, quin etiam Auer. *2. po. in t.* & com. suo 48. ait. Postquam enumerauit hæc quatuor: Definitionem, diuisionem, & resolutionem, sola duo priora esse sciendi instrumenta, nam argumentatio est instrumētum nimis commune, complectens etiam syllogismos probabiles. Enumeratio non facit propriè nos cognoscere nisi ob necessariam eorum connexionem, quæ in prima operatione sunt comprehensa: potest .n. secūda operatio per propositionē iudicare, certè probabiliter, &c. Ex his ergo qui negant definitionem esse instrumentum, est Zabar. 3. *de Meth. c. 13. 14. 15. &c.* Nititur potissimum hoc fundamento: nam instrumentum cognitionis nostræ est illud, quod ex notiore aliquo facit nos venire in ignotioris notitiam, hoc autem non fit nisi per discursum. Ergo in sola tertia operatione habere locū potest instrumentum. Et confirmatur. Quia videmus Aristotelem totum versari in præceptis quæ pertinent ad tertiam operationem. Præterea *1. Anima t. 4 & 5.* Difficillimum, inquit, est definire. Vnde inquit videndum est an sit aliquādo vna methodus, demonstratio, vel diuisio, si inquit Zab: definitio est sciendi instrumentum ad Arist. non tacuisset. Signum ergo est non esse dicendum instrumentū. Nihilominus quod verum sit, esse definitionem sciendi instrumentum, non modo docet Arist. *locis citatis*

 1. *Met.*

1. *Met t 48 lib.* 7. 43. 1. *po.* t. 5. *&* 7. *Met.* 14. sed etiam 2. *po.* fere toto, totus est in explicāda natura definitionis, & modo eam inueniendi, etsi eam referat ad demonstrationem. Et com. 9. quærit an idem sciri possit per definitionem & demonstrationem. Com. 10. & 3. concludit per definitionem cognosci essentiam rei. Et *com.* 44 *&* 83. Sicut, inquit, per demonstrationem discursu quodā cognoscitur passio aliqua rei, ita et āsimplici quodam intuitu essentia rei. *att. Top. c* 4. dicit definitionem esse explicationem essentiæ rei. Et *lib 6 c. 4 loco* 4. dicit per definitionē cognosci quidditatem rei. Et *loco* 17. *&* 18 per definitionē cognosci quidditatem rei. *& loco* 17 *&* 18 definitionem esse debere ex prioribus & notioribus, imo etiam ex causis, quoniam, inquit, assignatur definitio vt cognoscatur quid est quod dicitur. Idem apertè docet ex Interpret. Them. 1. *po. c.* 4. *lib* 2. *c* 13 Alex. apud Phil. 2. *po. init. & idem* Alex. 6 *Top. init.* Am. *præf. in Porph* Auer. *Epit Log init. & in prolog. mag.* 1. *po & 2. po. ferè toto.* Auic. Log c. sua. c. 2. Albert. *to.* 1. *Log. c.* 5. *&* 6. Lincon. 2 *po init* Mirand *locis cit* Respōdet Zab. ad locum ex 6. *Top. loco* 17. aliter loqui Aristotelem vt Dialecticum, aliter vt demōstratiuus est: Vt dialecticus enim est, accipit definitionem tanquam orationem quandam, & quoad voces, vt in propositione aliqua prædicatur, & æqualis est definito, sed videtur quadam ratione distincta. Secundo dicit, cum præcipit Arist. vt ex prioribus & notioribus constet definitio, sensum esse, vt per notiores quasdam voces ignotioris vocis, quâ exprimitur definitio, habeatur cognitio, nō autem respondet quod quidam illi imponunt, Aristotelem in Top. loqui vt Dialecticum, hoc est probabiliter tantum, & cuius in illis libris non sit habenda tanta authoritas. Arist autem inquit, vt demonstratiuus accipit definitionē vt est quid reale, quomodo nō solet de definito prædicari, sed exprimit tantum quid res sit. Quare quidditas & essentia rei nunquam solet probari per causas & principia, vt merito dici possit adhiberi instrumentum ad quidditatem cognoscendam. sed neutra solutio satisfacit; Arist. enim in *lib. Top. ac.* 1. *Met t.* 48. quem locum modo interpretatur Zab. apertè loquitur de definitione reali, dicens debere constare definitionem ex causis. Et quamuis daremus Zab. quod contendit, tamen quis nescit nomina per quæ solet definitio explicari, longe nobis esse obscuriora, quam illa quibus definitum exprimitur? generum enim & differentiarum nomina sunt solis Philosophis familiaria, rerum namque nomina sunt etiam vulgo nota &c. Præterea Aristotelem in Top, adeo exacte definitionis præcepta tradentem, de solis vocibus loqui voluisse, satis per se absurdum est. Adde quod demonstratiuus etiam ipse saltem cum definitione vtitur tanquam medio, definitionem prædicat de definito. Adhæc nonnulla est distinctio definitionis ipsius à definito, à parte etiam rei. Ergo potest definitio tradi ad explicandum definitum ipsum. Denique si verum est quod ait Zaba. sequitur omnem orationē quâ manifestius aliquid explicamus, debere vocari definitionem illius rei, quod per se absurdum est, & est contra Ar stot. 6. *Top c.* 1. *loc.* 18. *&* 7. *Met t.* 13. vbi, inquit Arist. Si oratio omnis quâ nomen ipsum definiti exprimitur, definitio est dicenda, multæ erunt vnius rei definitiones. Est igitur definitio instrumentum sciendi, quo rei ipsius quidditatem in prima operatione simplici intuitu & apprehensione cognoscimus, vt sicut potentia sensitiua absque errore in obiectum sibi propositum non fallitur, ita etiam prima intellectus operatio circa quidditatem non decipiatur, vt ex Arist. 9. *Met. t. vlt.* colligitur, *&* 3. *Anima. t.* 21 *&* 26. vbi ex eo probat dari primam intellectus nostri operationem, quia datur obiectum aliquod simplex & in cōplexum, quæ sane ratio optima est, nam debet obiectum habere quandam analogiam & proportionem ad actus & potentiam ipsam. Sicus

cut igitur obiectum ipsum simplex est & incomplexum, ita etiam debet cognosci à simplici operatione. Et contrà cum aliter non possit cognosci, si propriè cognoscatur, consequens est vt in prima operatione sit quoddam instrumentum, quo apta reddatur ad huiusmodi instrumentum cognoscendum. Est autem obseruandum, operationes nostras, quoniam non sunt omni ex parte perfectæ, sæpe errare posse circa propria obiecta, præsertim cum sunt à sensibus remotiora; vt ergo operatio circa proprium obiectum non erret, debet altera alteram mutuo iuuare, ac obiectum vni proprium alteri proponere. Sicut etiam potentia, verbi gratia, visiua, si adsit proprium obiectum, non fallitur illa quidem, verum cum aliquando non satis sit propinquum & applicatum, vel cum potentia illa malè affecta sit, debet aut collyriis, aut applicatione obiecti, aut perspicillis, aut alio modo disponi obiectum, vt percipi possit à sua potentia. Hoc autem non arguit obiectum sic dispositum per se tantum pertinere ad illam operationem, quæ ipsum disponit. nam cum verbi gratia, definitionem quis indagat à posteriori per Demonstrationem Quia, per diuisiuum, vel resolutiuum, aliisque modis, tum non cognoscit quidditatem vt quidditas est, affirmat enim vnum de altero, sed veluti instruit potentiam ipsam, vt circa proprium obiectum, quod alioquin non erat perfectè propositum, vbi rectè proponitur, feratur. Et in hoc falsus est Zab. existimans solum instrumentum definitionis esse illam viam, quæ per secundam vel tertiam operationem sternitur primæ. Quare ad fundamentum ipsius negamus instrumentum sciendi solum pertinere ad tertiam operationem. Ad primam confirmationem. Cur id Arist. fecerit, sæpe diximus. nam Arist. tertiam operationem explicandam sibi potissimum proposuit. Ad secundam confirmationem. Aristotelem supposito quod definitio esset sciendi instrumentum, & alia ex parte quod aliquando egeret aliqua inuentione, & quia 2. *po.* duplicem illam inueniendæ definitionis methodum, Demonstrationem & diuisionem, propterea monet vt recta animæ definitio tradi possit, videndum esse num sit aliqua communis methodus definiendi, Demonstratio vel Diuisio. Quod si Arist. sæpe solum videtur, dum de instrumentis sciendi loquitur, syllogismi & Inductionis mentionem facere, vt *1. Top. ca.* 18. t. *Rhet.* & 2. 2. *pr. ca.* 29. 6. *Top. ca.* 3. 1. *po. ca.* 1. intelligendus est, Vel de rationibus quibus solent Dialectici & Rhetores sæpius vti, vt colligitur ex 1. *Rhet. cap.* 2. & 1. *po. ca.* 1. vbi vocat rationes Rhetoricas: Vel certè quoniam 1. *po. ca.* 1. & 6. *Top. cap.* 3. generalem illam propositionem: Omnis doctrina, &c. quę de discursiua præsertim intelligitur, confirmare exemplis volebat, ideò duo hæc potissimum protulit: Syllogismum & Inductionem, quæ duæ discursiuæ cognitiones sunt nobis maximè obuiæ. Vel denique quoniam Syllogismus & Inductio sunt duo cognoscendi modi maximè generales, idcircò illorum duorum mentionem maximè facit. Vnde 2. *pr. cap.* 29 inquit Arist. per Syllogismum & Inductionem nos omnia credere: nam si sola hæc cognoscendi instrumenta essent, quisnam Demonstrationis locus esset. In ò quomodo Demonstrationem instrumentum vocat Arist. *Anima t.* 4. & 5. Interpret. etiam Zab. cum tamen diuisio vel ad primam operationem, vel certè ad secundam tantum pertineat?

Obiicies. Instrumentum debet esse quid distinctum ab eo cuius est instrumentum. Sed si definitio ipsamet sit instrumentum, id non erit, nam ipsa cognitio quidditatis est definitio, ipsamet est effectus instrumēti alicuius, si quod est. Ergo. Respondeo primò. Idem obiici potest contra alia instrumenta, quæro enim demonstrationis quodnam sit instrumentum, vel cognitionis ipsius demonstratiuæ? si enim respondeas esse ali-

quod

quod aliud instrumentu m,hoc erit difficile,si autē ipsammet assignaueris demonstrationem, idem ego de definitione dicam. Sed & hoc erimus superiores, quod modum ipsum reddemus quo id fieri possit. Ratio est, quoniam definitio & quodlibet aliud instrumentū dupliciter consideratur: Vel obiectiuè, hoc est ratione modi perfecte operandi tali vel tali modo. Vel secundo realiter, hoc est ratione actualis cognitionis, quę habetur de re aliqua. Si spectetur definitio & alia instrumenta primo modo, sic habet rationem instrumenti; si autē consideretur secundo modo, habet rationem effectus, quemadmodum idem diximus de Demonstratione; nam non est demonstratio instrumentum ratione solarum præmissarum, sed ratione earumdem & conclusionis simul, quia hac ratione solum esse potest accomodarum instrumentum tertiæ operationis. Sicut ergo demonstratio dicens præmissas & conclusionem simul est instrumentum & effectus, ratione ipsius cognitionis, & modi applicati ad cognitionem, ita etiam dicetur de definitione. Nec est dicendū definitionem habere rationem instrumenti ratione solorum præceptorum, quia in nulla scientia præcepta aliquid efficiendi sunt instrumenta illius. Nec etiam dici potest definitio esse instrumentum sciendi vt est ens rationis, quon ā vt iam diximus ens rationis non tuuat per se ad dirigendas operationes, & definitionis præcepta continent res & realia prædicata. Est igitur tantum definitio instrumentum ratione ipsiusmet operationis, vt est directa & informata.

QVAESTIO TERTIA.

An definitio sit nobilius instrumentum Demonstratione

Monet hic locus vt definitionem cum Demōstratione, quoniam ante probauimus esse instrumentum, in ratione instrumenti comparemus. Est autem quæstio an dignitate Demonstrationem Definitio, vel contra superet?

Prima Opinio. Simpl, & Am. *prædicamenta*. Phil *inst pr &po*. Auer. *inst a po* esse nobiliorem demonstrationem definitione? Quia Arist. vt testatur *t.pr.c.5* retulit omnia sua ad Demonstrationem. Secundo. Quia demōstratio ipsammet definitionem in se continet: est enim medium ipsius, idque etiam vt includit explicationem quidditatis rei v.g. Omne animal rationale est risibile, Omnis homo est animal rationale. Ergo omnis homo est risibilis. Cōfirmatur Primo: Quia quod vlterius ordinatur, solet ad aliquid se nobilius ordinari, sed definitio refertur ad Demonstrationem. Confirmatur Secundo. Quoniam tertia operatio vel est ipsa in se perfectior quam prima, supponit enim primam & secundam, vel certè respectu hominis tenet primum locum, dicitur enim homo rationalis propter operationem discursiuam, quæ est tertia operatio, & per illam distinguitur tum à cæteris rebus ratione carentibus, tum à Deo & angelis.

Secunda Opinio. Auer. *t.po.com.11.lib.2.38 Epis. Logica. de Rhetor demonstrat.* Bald *quæst de hac re*. Parif. *in prolog*. Auer. M rand *lib. 8. Apolog. §. 7.* definitionem esse nobilius instrumentum quam Demonstrationem, quia & certior est, & nobilioris obiecti, & causa certitudinis quæ est in Demonstratione.

Tertia Opinio, Media est inter præcedentes, vult enim absolute quidem ac simpliciter nobiliorem esse definitionem, respectu tamen nostri præstare Demonstrationem definitione.

Notandum primo. Duo hæc sciendi instrumenta, hoc est cognitionis certæ & euidentis ita comparari possunt; nam conueniunt, Primo; Quia vtrumque instrumentum certum est & euidens. Secundo, Quia vtrumque ex præexistente aliqua fit cognitione, siue sit dirigens, siue agens. Tertio, Vt fiat ex prioribus notioribus, & causis Vtramque hanc conuenientiam tradit Ar. *l.6. Top.c.1. loco 17.* & 18

18. Quarto, Quoniam Demonstratio & definitio solo situ & positione differre dicuntur. Differunt autem hæc duo, Primo, Quia definitio est certior,& causa certitudinis Demonstrationis. Secundo Est de nobiliore obiecto; Est enim cognitio quidditatis, Demonstratio autem accidentis tantum qualis sit res, vel propter quid sit. Vel tandem est cognitio existentiæ rei. Tertio, Quoniam sicut rei vnius plures esse possunt demonstrationes, absoluta autem & perfecta rei vnius vna est definitio. Quarto, Quia definitio nullã continet veritatem, vel falsitatem, demonstratio autem est discursus cum iudicio.

Notandum Secundo. Aliud est quærere an definitio in Demonstratione cognoscatur, an vero per demonstrationem. fieri enim potest vt in Demonstratione quidditatem ipsam ac definitionem cognoscamus, tamen præcisè non cognoscitur definitio per Demonstrationem, quia rei vnius vnum est proprium instrumentum. Igitur circa propriam rei quidditatem versatur definitio, & sic in prima operatione, Demonstratio autem non potest esse instrumentum per se ordinatum ad cognitionem essentiæ ipsius. Tamen quia præcellit, aut præcedere debuit cognitio quidditatis, & assumitur tanquam mediũ in demonstratione, ideo in demonstratione cognoscitur, non autem per demonstrationem.

Notandum tertio. Instrumenti nobilitas inde sumenda est, vnde & scientiæ ipsius, hoc est, præsertim à nobilitate obiecti, circa quod versatur; sic enim vnam altera esse nobiliorem scientiam propter excellentiam obiecti, docet Arist. *Anima* 1.t.6. *Me.* 1. 12.1.*top.c.*4.& *lib.*8 *c.* 1. Ratio est, quoniam instrumentum sciendi natura sua refertur ad rei cognitionem, Ergo qualis est rei quæ est cognoscenda, præstantia, talis etiam esse debet instrumenti ad rem illam cognoscendam. Præterea sumi debet præstantia ex operatione cuius propria est; quia nobilior operatio nobiliore modo operari potest, operatur autem per instrumentum, Ergo nobilius per nobilius instrumentum.

Notandum 4. Aliud est rem aliquam perfectè cognitam habere, aliud autem rei illius partem aliquam vel attributum perfectè etiam in genere suo cognoscere. Primum vt fiat, opus est vt rei non tantũ passiones & attributa, verum etiam essentiam & quidditatem nouerimus, sed si seorsim ista accipiantur, proprietates à nobis cognosci facit demonstratio, essentiã definitio, quare ista duo instrumẽta conferri debent inter se ratione propriorum effectuum. & si quando forte demonstratio vtramque cognitionem complecti videatur, id per accidens est ad Demonstrationem.

Notandum 5. Quia hæc duo instrumenta partim ad primam, partim ad tertiam pertinent; prima operatio tertiam operationem antecellit, quia tertia operatio natura sua indiget prima, & quamuis interdum ratione obiecti sui non adeo manifesti egeat prima ope tertiæ, hoc tamen non arguit nobiliorem esse tertiam. Sic nec quod intellectus noster in intelligendo, dum hoc corpore cõtinetur, à sensibus pendeat, consequitur nobiliorẽ esse cognitionẽ sensus, quã intellectus. Nec quia demõstratio aliquãdo inseruit definitioni, vt ipsã inuenire & cõstituere possimus, non efficitur vt nobilior sit Demonstratio Adde quod prima operatione maxime similes reddimur Deo ipsi, & intelligentijs, qui simplici quodam intuitu omnia cernunt. Them. 1. *Anima. t.* 6. hanc quæstionem totidem ferè verbis proponit, an prima operatio sit nobilior quam tertia, & postquam rationem dubitandi esse dixit, quoniam nullius artis esse videtur cognoscere simplicia ipsa, vt ligna, sementem, lapides, &c. sed hæc ipsa connectere, ita etiam non videtur tanti esse operis cognoscere simplices terminos, & simplicem quidditatem, sed terminos inter se componere, & ex compositione simplici compositam efficere. Sed inquit Them. contrarium. Nam inquit, cum in

complexo modo veritas, modo falsitas versetur, intelligere non nisi verè cognita possumus. Præterea intelligere est rationem amplecti, & attingere rem, cognoscere est tanquam circuire, lustrare rem & circumspicere, nec accedere, eoque imbecillitas quædam intentionis monstratur, &c. ubi duas continet rationes. Prima est. Quia in tertia operatione, atque etiam in secunda verum & falsum esse potest, in prima autem nunquã est falsitas. Secunda. Quia per primam operationem rem veluti penetramus, per tertiam autem circuimus rem ipsam, vt ideo fortè discursiua operatio dicta sit.

Prima propositio Demonstratio dici potest nobilior operatio quam definitio, siue nobilius instrumentum, videlicet quatenus demonstratio magis est accommodata ad captum nostrum, & quatenus Demonstratione saltem quia inuestigare solemus rerum quidditates, sed hoc ipsum per accidens est; nec enim hic attenditur quod per se propriè conuenit & debetur istis instrumentis.

Secunda Propositio. Absolutè Definitio præstantius est instrumentum quam Demonstratio, Ratio. Quia definitio est instrumentum nobilioris obiecti, est certior, hæ autem omnes sunt potissimæ causæ nobilitatis Confirmatur. Quia etiamsi demus definitionem referri ad Demonstrationem, id tamen non conuenit definitioni propter aliquam imperfectionem quam in se habeat, sed potius propter maximam perfectionem, vt eam alteri communicet, quomodo id quod optimum est ad imperfectius referri solet. Quo etiam modo dicimus Imperatorem vel ducem referri ad exercitum. Confirmatur. Arist. enim 1. *po. t.* 5. ait quia principia sunt ex quibus conclusio elicitur, idcirco debere nobiliore quodam cognitionis modo à nobis percipi, quia propter quod vnumquodque tale, illud magis, sed definitio se habet tanquam principium demonstrationis. Ergo præstantior est quam Demonstratio ipsa. Vnde Arist. 1. *Anima. t.* 11. 4. *ph. t.* 31. 1. *Eth c* 7. ait plurimum referre vt rectè susceptam materiam definiamus, quoniam vt inquit 6. *Met. t.* 2. qui rem non definit, nihil facit. Et 1. *Eth c.* 7. Plurimum, inquit, refert definire, quia definitio est tanquam principium cæterorum omnium, qui autem principium habet, habet plus quam dimidium totius. Confirmatur etiam. Quia sicut cum habitus principii inferuit habitui conclusionis, non sequitur habitum principii ignobiliorem esse, sed contra potius, vt docet Arist. 1. *po. t.* 5. & 2. *po. t. vlt.* Ita etiam quamuis definitio referatur ad cognoscẽdas proprietates tanquam per medium, non erit consequens præstare demonstrationem definitione. Et denique, quia definitio ipsa non refertur ad demonstrationem ex natura sua, sed solum respicit nudam quidditatem & essentiam rei. Confirmatur etiam. Quia accidens est propter substantiam vt docet *Arist. 12. Met* 2 Ergo cognitio accidentis potius natura sua refertur ad cognitionẽ quã contra cognitio quidditatis ad cognitionem passionis, quod etiam docet Arist. 1. *Anima.* t. 11. Id autem quod ad aliud refertur, ex natura sua est ignobilius, vt docet Arist. 2. *ph. t* 31. & 5. *Met t* 3.

Tertia Propositio Etiam quoad nos dicenda est definitio nobilius instrumentum quam Demonstratio, Ratio Quia definitio ex natura sua in nobis nobiliorem cognitionem parit. Ergo etiam respectu nostri nobilior est definitio. Vnde Arist 7. *Met. t* 4. & *lib.* 1. 3. dicit longe esse nobiliorem cognitionem, & existimare nos perfectius tunc esse aliquid, cum verbi gratia scimus quid sit homo, quam cum cognoscimus quantus, vel qualis. Atque vt rectè Patr. f. quisque in se experitur hoc desiderium, vt malit quidditatem rei cognoscere, quam passiones, nec acquiescat donec sibi id assecutus videatur, nam quod tertia operatio nobis sit particulariter familiaris, id parum refert: illa enim tanquam instrumento dirigente vti possumus ad habendam cognitionem quid-

quidditatis. Nec verum est absolute loquendo id quod conuenit homini vt homo est, semper esse nobilius & præstantius, alioqui nobilius esset in homine esse risibile, quam habere primam operationem. Et præterea id ad quod plura requiruntur, non est semper nobilius eo ad quod pauciora necessaria sunt, imò contrarium potius euenit, nam angeli simpliciores sunt, Deus simplicissimus. Ergo non quia ad tertiam operationem prima & secunda necessaria fuit, erit idcirco nobilior. Ex his igitur propositis operationibus liquet solam secundam esse veram, quare ad primum primæ opinionis sæpe diximus cur id Arist. fecerit, ad secundum, quomodo definitio reuocetur ad Demonstrationem, ante diximus. Nec semper id quod in altero continetur, eodem dici debet esse imperfectius, sed si per se contineatur in alio tanquam pars, & quid perfectibile, atque ita exponendus est Arist. dum *1. Cal. t. 34. 37. & 35*, docet partem toto esse ignobiliorem, contentum continente. Ad primam confirmationem. Id quod aliò refertur ex natura sua & tanquã quid perfectibile, est ignobilius, vera hæc est propositio. Ad secundam confirmationem. Dicimus etiam respectu hominis esse perfectiorem operationem primam quam tertiam, & quod contineatur quodãmodo prima in tertia, non facit vt ignobilior sit, quamuis non propriè contineatur, sed supponitur. Vnde sequitur hæc duo instrumẽta, Definitio & demonstratio si conferãtur in ratione communi sciendi analogicè conuenire, quæ analogia partim est attributionis, partim proportionis. Proportionis est, quia sicut se habet demõstratio ad passiones demonstrãdas, ita & definitio vt rei quidditatẽ nobis notã faciat. Est etiã attributionis, quia demõstratio vim maximã desumit à definitione, & instrumenti rationem per se istam non habet, nisi per definitionem, vt merito vulgo hæc instrumenta comparentur in homine qui dicitur microcosmus, aut in eiusdem mente, quam Plato vocat mundum intelligibilem, cum duobus luminaribus, Sole & Luna, quæ tamen inter se discrepant, quod sol proprio naturali ac perfectissimo lumine collucet, luna autẽ lumen ab eodem suũ mutuetur. Sic sanè Demonstratio vim suã demonstrãdi magna ex parte accipit à definitione. Itaque hoc ipso etiam nomine definitio quoad nos est nobilius instrumentũ, quia Demonstrationẽ, quę nobis maxime familiare instrumentum esse dicitur, facere non possumus nisi definitionem vt medium adhibeamus.

SECTIO PRIMA.

Quid sit definitio, siue de varijs eiusdem modis.

Explicabimus rationẽ definitionis, quod præstabitur si illius species oẽs exposuerimus, & dixerimus in quo quælibet cõsistat.

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit definitio.

Mirum videri non debet si definitionis definitionem requiramus, hoc enim commune est omnibus instrumentis Dialecticis, vt ipsa se mutuo, & non tantum extrinsecus res iuuent. Porrò multas definitionis definitiones & descriptiones asserũt Authores. Ph. l. 2. po. com. 33 quatuor dicit esse. Primã est, vt definitio sit explicatiõ nominis rei, quæ ei ã appellatur nominalis definitio. Secunda, vt sit expositio ipsius quid est indemõstrabilis. Tertia, Vt sit conclusio demõstrationis. Quarta, Vt sit demõstratio situ ac positu differens à definitione Quas e. ã . ffirmat Them. 2. po c 12. Arist. earũ etiã meminit, 2 po & ib com. 12 dicit esse cogitationem quandã subst. nt æ, & com. 14 st explicationẽ ipsius quod quid est, quod de repetit 7. Met. t. 19 & 1 Top. c 4 Præterea 4. Met 18 & 7. Met t. 43 dic t definitionem esse orationem, in qua ponitur differentia per quam res ab alijs omnibus differt, & Plato definiebat orationẽ ex genere & differẽtia cõstantẽ. Cic. in top. Definitio est, quæ quid sit id quod definitur explicat quid sit

 Hæ

Hæ sunt celebriores definitionis explicationes, ex quibus priusquam vnam absolutissimam efficiamus, oportet explicare quotnam modis definire contingat, sunt autem sti. Primo Diuisio definitionis in affirmatiuam & negatiuam, atque vt de affirmatiua vel positiua nihil dicamus, negatiua potissimum vti solemus cum res est imperfectissima, vel cum est simplicissima. Vnde Deum Opt. Max. vt D. Dionys. *tr. de diu* non aliter possumus intelligere nisi per negationes, materiam etiam primam, vt 12. Confess & Psellus i. ph. ... exponunt per negationes, secuti Aristotelem 7. *Met. t* 18. Et ratio est. Quia rei maxima perfectio facit vt non supperat aliquid positiuum, quod respondere possit summæ perfectioni, & contrà maxima quædam rei vilitas in causa est cur quicquid posit iuũ sumamus, superet dignitatem illam rerũ. Vera tamen via definiendi si de Deo præsertim loquamur, melior sit, D. Areop. negatiuã putat, Greg. Nazianz. orat. 2. Theol. videtur sentire esse affirmatiuam, qui ita concordari possunt, vt si de perfectionibus finitis atque non absolutis loquamur, satius sit negando definire; sic enim dicendum est Deum non esse hominem, leonem &c. Si autem de simpliciter simplicibus, vt inquit Anselm. in Monolog ca. 14. melius est habere, quam non habere, melius sit definire affirmando; sic enim dicitur Deũ esse iustum Quamuis quia has ipsas perfectiones humano tantum more solemus concipere, fortasse adhuc trãscendendum sit, vt has ipsas perfectiones de Deo negemus illo more intellectas. Ratio autem cur quæ simplicissima sunt, definiri quoq; hac ratione debeant, dicitur à D. Th, *q.* 10 *art* 1. *ad* 1 quoniam assueti sumus rebus compositis intelligendis, & quia ex illis gradum facimus ad res simpliciores, & æternas &c. definiri debent per negationes. Secunda Diuisio. ex Arist, 2. *Top. ca.* 4. & 2. *po. com.* 14. est in definitionem explicantem quid sit res, & in eam quę quid nominis, siue in realem & nominalem. Inter quas definitiones hæc sunt discrimina. Primo: Quia omnis definitio rei est etiam nominis, non tamen contra, vt Arist. docet 2. *po. t.* 36. vbi dubitant quidam de definitionibus Mathematicis, quoniam videntur simul esse nominis & rei. Alij tamen, vt Auer. 1. *po. com.* 2. & Zab. 1. *de Meth. ca.* 14. dicunt esse tantum Nominales Sed certè quicquid sit de definitionibus Mathematicis, quæ vere non sunt ita exactæ, tamen definitio quæcumque nominis potest dici esse etiã rei, quatenus in confuso saltem exponit nobis aliquem conceptum rei; vox enim & nomen est natura sua impositum ad rem significandam. Hinc dubitationem prosequitur Ocam *quodlib.* 5. *q* 20 Hinc sequitur male Bald. 1. *po.* dicere aliquam esse definitionem quæ explicet quid sit res, non autem quid nomen significet. Et Them. 2. *po. c.* 12. dicit esse quandam definitionem quæ vtrumque præstat; nam omnis definitio rei eadem opera nominis significationem explicat, si non in actu signato, saltem in actu exercito. Male etiam Zab. 4. *de Meth.* vult definitionem nominalem apud Aristotelem 2. *po* esse illam, quę est demonstrationis conclusio; nam Arist. 2. *po. com.* 23. dicit definitionem nominis esse posse hircocerui, non tamen esse definitionem rei. Imò hæc nominalis definitio esse potest de rebus omnibus fictitijs, de ente rationis, &c. cum tamen definitio realis non ad tam multa extendatur. Itaque definitio nominis distinguitur à definitione rei, etiamsi sit explicatio nominis, quod est de re reali, quoniam ex natura sua solum quendam conceptum confusum rei nobis exponit. Secundo: Differunt hæ definitiones, quia definitio quid nominis est prenotio, quæ omnem illam cognitionem antecedit. Et hinc sequitur per huiusmodi definitionem non haberi cognitionem rei, vnde Them. *po. c.* 2 Quid, inquit, voces significent, omnibus notum est, nullum;

lum enim tam stolidum mancipium est, modo eadem nob scum lingua si, quod audiens rogari hominem, equum adducat, aut arculam posci, caligam afferat, verum quid hæ res sint, & quod esse habeant, id solis exercitatissimis facile est. 3. Differunt. Definitio quid nom nis non est in vltima mente, hoc est, non generat in nobis vltimatum conceptum quia cum natura sua nomen sit relatum ad aliud, donec habeatur rei ipsius cognitio, adhuc hæret & suspensus tenetur conceptus noster Tertia Diuisio. Ex *Boet. lib. de definitione. c.2.* Definitio alia est Rhetorica, alia Dialectica, alia Physica, Rhetorica est, Rhetorum & Poetarum, qui tamen externis rebus vtuntur ad explicandas res. Dialectica est, in qua ponuntur genus & differentia. Physica Philosophorum propria est. Quarta Diuisio. In eam quæ à priori est, & in eam quæ à posteriori. A priori esset quæ contineret essentiales rei partes, à posteriori autem, vt D. Thom. *1. p. q. 1. art 7.* esset, quæ ab effectu aliquo traderetur, & hoc fieri potest vel tradendo effectus proprios, & passiones te. vel certe accidentia extrinseca.

Quinta Diuisio Si definitio sit à priori, vel traditur per prædicata maxime communia, vel per genus proprium & differentiam, vel per materiam & formam, vel per caussas extrinsecas, idque vel finalem & efficientem, vel subiectum & terminum, quo reuocantur eæ definitiones, quæ dicuntur per additamentum, de quibus Caiet. de ente & essentia, Et tres istas priores ponit Auer. *loco cit & in Epi. 2. po. c. 1.* Vltimam autem per terminum. Porp. in c. de specie, & Arist. *c. ad Relat.* Sexta diu sio. In caussalem, essentialē, caussalem & essentialem simul, in quidditatiuam & descriptiuam. Causalis est, quæ potissimum constat ex causis intrinsecis, efficiente & finali. Essentialis, & causalis, quæ ex vtroque genere partium. Quidditatiua est, quæ continet ea quæ pertinent ad essentiam rei. Descriptiua est, quā per aliqua extrinseca rei rem circumloquimur: *Septima Diuisio* In Physicam & Metaphysicam. Physica est, quæ constat ex materia & forma. Metaphysica, quæ ex gradibus Metaphysicis, genere & differentia, qui tamen gradus vt simul etiam habent rationem totius in confuso continentis quicquid in re est, constituere possunt definitionē Logicam, quæ est in qua genus & differentia prædicantur, sed vt tota quædam; nec enim prædicari possent, nisi haberent hanc rationem totorum.

Octaua Diuisio. In eam quæ constat ex materia sensibili, vel intelligibili, vel ex materia per indifferentiam. Ex sensibili constant omnes definitiones naturales & physicæ. Ex intelligibili definitiones Mathematicæ: id enim significat materia intelligibilis, quamuis aliquando forte apud Aristotelem materiæ intelligibilis nomine intelligatur genus quodcumque. Ex materia per indifferentiam constant Metaphysicæ, quæ sicut ipsamet Metaphysica, ita etiam versantur circa prædicata nulli neque sensibili, neque intelligibili materiæ alligata, sed abstrahētia ab vtraque. Quo reuocātur definitiones quæ sunt circà materiam positiuè & realiter abstrahentem, quales sunt quæ de Deo & intelligentijs assignari possunt. Et hæc diuisio petitur ex Aristo. *6. Met t 2.* vbi propter multiplicem hunc definiendi modum distinctionem ponere videtur inter Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam.

Nona Diuisio. In eam quæ dicitur esse aut principium, aut conclusio demonstrationis, aut tota ipsa demonstratio situ ac positione differens, Ex his omnibus diuisionibus quid sit dicendum de Nominali, satis sunt ea quæ diximus; nam hæc non facit proprie ad scientiam, aliæ omnes conueniunt rebus ipsis, quibus id commune est, vt rei ipsius notionem quandam simplicem generent in animis nostris, vt maxime probanda videatur illā definitio definitionis, quæ est *2. po. com. 44.* vt sit explicatio & oratio-

ipsius quod quid est. Si tamen comprehendimus ea omnia, quæ aliquo modo faciunt ad cognitionem quidditatis, etsi non sint partes essentiales; sic enim quod quid est, aliquando significare ea omnia, quibus in describendo vtimur, docet Mirand. *lib.10. sect.8.* Definitionem autem quid nominis Them. *2. po. c. 12.* indignam esse censet cui tribuatur nomen definitionis, est enim tantum notatio quædam nominis. Dicitur igitur definitio realis esse oratio explicans, quod quid est. Oratio quidem, vt significetur debere esse non compositam, quæ contineat affirmationem, vel negationem, sed simplex sine affirmatione, aut negatione, vt obseruat Am. *c 4. lib. Periherm.* & Arist. *ib. tum lib. de arte poetica* dicit definitionem esse oratione sine verbis. Dicitur etiam oratio, non orationis, quia exprimit al qu d vnum, vt Ar st *7 Met t 17. & to lib. 8. t. 10* & *1 perib c. 4.* ait debere definitionem esse vnam orationem, non tantum secundum prolationem, sed etiam secundum rem ipsam. Quo verò modo quæ in definitione ponuntur vnum qu d constituant, quæstio est Metaphysica. Dicitur etiam oratio, hoc est vocalis, vt nimirum explicat rei internum conceptum: nam vt inquit Arist. *4. Met. t. 28* definitio est ratio, cuius signum est nomen Quia verò si accipiatur quidditas vt vnum quid per se constituens, solum accommodari posse dicitur definitioni, vt etiam descriptionem comprehendamus: In vniuersum dici potest definitio esse oratio quâ aliquid vnum explicatur, id est cum res vna explicanda suscipitur, non disparata. Alia definitio & explicatio definitionis hæc esse potest: Est oratio, siue instrumentum intellectus ad d[illegible] dam primam operationem relatum, quâ rei quidditas & quæ ad eam quoquo modo pertinent, explicantur. vbi quadruplex causæ genus exponitur: nam efficiens causa definitionis est intellectus noster, idem est materialis causa, hoc est subiectum in quo recipitur definitio, finalis est referri ad dirigendã operationẽ, formalis est esse instrumentum, [illegible]. Cũ ergo tot sint diuisiones, ne longius quæstio protrahatur difficilem sequentẽ quæstionem exponemus, Vltimam autem vltima sect. Potissimæ autem sunt istæ: Definitio descriptiua, definitio Dialectica, Rhetorica, Physica, definitio Metaphysica, Physica, Mathematica, Definitio secundum partes quæ extra sunt, Denique definitio causalis quidditatiua, & quæ vtrumque habet, nam alia quædam diuisio, quæ addi posset, in analogam & vniuocam, tum explicabitur, cum conditiones legitimæ definitionis exponentur.

QVAESTIO SECVNDA

De examine quarundam diuisionum.

DEscriptiua definitio (quæ definitionis nomen non meretur) est, quæ cõtinet aut prædicata omninò accidentaria, ita vt ne ex essentia quidem rei promanant, aut propria, vel etiam communiora quædam prædicata, quamuis essentialia & quidditatiua. Vndè *Arist. 2. po.* docet, nisi à superiore aliquo gradu essentiali ad infimum rei adæquatum descendatur, non esse idoneam rei definitionem. Vel etiam descriptiua dicitur, cum est per prædicata propria, sed non id continet, quod facit ad constituendam totalem rei essentiam, quare descriptiua sic sumpta ferè comprehendit omnes alias, in quibus diximus non contineri essentialia prædicata: quia tamen solet passim descriptio tantum vsurpari pro ea oratione quæ complectitur accidentalia & extrinseca prædicata, ideo definitiones, vt quomodocunque continent prædicata essentialia, dicuntur esse plures. Denique descriptio in lata significatione sumitur pro omni ea ratione in qua à legitima definitione aliquo modo aberratur. Definitio Dialectica, Rhetorica &c. Partitio hæc definitionis si prima fronte accipiatur, satis videtur clara, sed vt de Philosophica & Rhetorica nihil dicatur, Dialectica apud Arist. *1. Animæ t. 6.* significat eam, quæ per causam formalem progred tur. dicit enim ibi Arist. hoc esse discrimen inter Dialecticum & naturalem, quod is per

per causam formalem, iste per materialem definiat, de qua re non est idem Interpretum explicandi modus: Auer. enim, ac pene omnes Latini dicunt ideirco definire Dialecticum per formam & physicum per materiam, quia Physicus considerat rem vt est contracta ad materiam, nam considerat res naturales & mobiles, Dialecticus autem circa formam versatur, quia non curat materiam. Addi potest ideirco Dialecticû versari circa formam, quia cum sit artifex vniuersalis, nulli certæ materiæ est alligatus, id autē quod est maximè vniuersale dicitur habere rationem formæ, multiplicatio enim numerica & indiuidualis solet ascribi materiæ, aut certe ex ea satis potest colligi. Aut etiam quia Dialectici est tradere formam & modum communem definiendi, dicitur definire per formam, quia illam suam formam ex officio proprio nulli materiæ applicat. Vel denique quia definitio per genus & differentiam tradi dicitur per partes formales, habēt enim se definitionis partes vt forma definiti; istum autem modum definiendi tradit Dialecticus. Græci tamen, vt Them. ibid. cum definitionem Dialecticam dici formalem, physicam materialē, non quod Physica nō vtatur vtroque genere caussæ, id enim testatur ib Ar & & *1 ph t. vlt.* & *2 ph t. 22* & *26.* addens etiam quod rationis loco esse potest, materiam & formam mutuo referri, relatiuorū autē conditio est vt simul explicentur, & simul in definitione ponantur. Sed quia peculiare est Physico versari circà materiam & formas materiales, quæ à materia ipsa denominationem sumunt, ipsa autē forma latius patet, nec enim omnis est materialis. Dialecticus autem dicitur versari circà formā, quia est per maxime communia. Addunt ijdem dici Dialecticam versari circà formam, quia sicut materia solet ex forma desumi, vndè dicitur definire Physicus per materiā, ita etiā definitio ex genere & differentia, ex caussa efficienti, aut finali, quæ quandam habent rationē formæ. Aliter *Iand. ib.* & A. bi. *Anotr. 1. 7. t 7.* & Am. *q. Log c. 5.* De definitione Physica, Metaphysica, & Mathematica. Non est hæc diuisio eadem cum illa, qua diximus definitionem aliam sumi ex natura intelligibili, sensibili, & ex materia per indifferentiam, & positiue abstr hentem ab vtraque, illa enim demonstratio spectabat abstrahendi modum proprium his tribus scientiis, ex qua abstractione 6. *Met. t. 2.* earundem distinctionem desumpsit Arist. Hæc autem diuisio id potissimum considerat, ex quibus partibus sint definitiones, nam physica est per materiam & formam, Metaphysica per genus & differentiam, Mathematica partim vno, partim autem altero modo. Physica ergo est per materiam & formā tanquam per partes reales ad realem cōpositi substantialis cōcurrentes, Vtraque enim pars, quicquid tandē Auer. contendat, est de intrinseca quidditate rei, vt do. et D. Th. *1 p. q. 75 art. 4 in corp.* Quod si Arist. sæpè & *2 ph. t.* formam solam appellat quod quid est, intelligendum est nō quod materia non pertineat ad quidditatē rei, sed quia forma est propria definiti pars, est definitiua pars, id est determinatiua, specificatiua & actuatiua, nec enim placet quod Zim. in tab. verbo materia, aliud esse dicit essentiā, aliud quidditatē, aliud compositionem rei, aliud quidditatem ipsam. Fatetur autem materiam, si de cōpositione & essentia loquamur, esse partem substantiæ, si autem de quidditate ipsa, nullo modo pertinere ad essentiam: nam rem esse compositam essentialiter physicè loquendo, quid est nisi essentialiter includere vtramque partem, sicut Metaphysice esse aliquid compositum est includere duos gradus, generis & differentiæ. Quare sicut quælibet res Metaphysicæ composita, essentialiter, & quidditatiuè, & compositiuè, habent vtrumque gradum tanquam partem quidditatis suæ, ita etiam res physicæ cōpositæ necessario vtrāque partē habent pertinentē nō modo ad cōpositionē & essentiam, sed etiam ad quidditatem intrinsecam rei. Vel etiam dicitur quod quid est esse forma, quia

Et Scot. 4. *f.d.* 1. q. 2 in init. exponens varios definitionis modos, inter alios hunc ponit, vt accidens per proprium suũ subiectum definiatur. Confirmatur. Quia genus proprium accidentis est aliquod ex notiem præd camentis dicẽs ord nem ad aliquod subiectum, differentia autem desumitur ex peculiari & determinata dependentia huius accidentis ad hoc diuersum & distinctum subiectum.

Obijcies. Creatura omnis à Deo pendet, multò etiam magis quam accidens à subiecto, potest enim accidens sine subiecto esse, non potest tamen creatura vel tantillum subsistere sine creatore, & tamen non est creatura necessariò definienda per Deum, ergo neque accidens. Resp. Quomodo creatura à Deo pendeat, alterius loci est, sed si verum est quod docet Arim, 1 *f.d.8 q.*1.*art* 2. solum in esse & conseruari pendere creaturam à Deo, non autem essentialiter & intrinsecè, dicendum est dispatem esse rationem; accidens enim essentialiter pendet à subiecto, & quamuis ab eo separetur, retinet tamen intrinsecum ordinem ad subiectum. Quæ autem relatiua sunt, siue secundum dici, siuè secundum esse, ista omnia necessariò definiri debẽt per ordinem non modo ad subiectum, si accidentia sunt, sed etiam ad terminum, quia sunt relatiua. Ex quo diximus *tract. de Relat.* Relationem esse minoris entitatis quam vllum ens, quoniam ipsius entitas nititur subiecto & termino, accidens autem tantum pendet à subiecto. Si autem sit relatio substantialis, adhuc dicit istum ordinem ad terminum, & hac ex parte est ignobilior relatio accidente absoluto, quamuis simplic ter sit perfectior, quia conuenit substantiç. Eadem ratio est organorum omnium & instrumẽtorum, siue naturalium, siue artificial um, quia istorum esse totum est ad aliud; & id patet ex definitionibus quas tradit Arist. *de part. Animal. De definitione causali essentialis, & quæ constat ex vtroque.* Definitio causalis est illa, quæ ex causis extrinsecis cõstat efficiente & finali; hæ enim duæ causæ quia magis sunt perspicuæ, & illarum effectus notior nobis est, absolutè loquendo solent appellari causæ. Definitio essentialis est ea, quæ ex intrinsecis constat, materia & forma, vel ex alijs quæ proportione quadam istis respondent, & sunt gradus Metaphysici, genus & differẽtiæ. Essentialis & causalis simul est, quæ præter causas extrinsecas habet etiam intrinsecas, & denique omnia genera causarum. Quamuis si attendatur in partibus intrinsecis ratione causarum, posset etiam essentialis dici causalis, vt tamen hæc distinguerentur, placuit per causalem intelligere eam, quç est ex causis solum intrinsecis. Habent autem se istæ definitiones sic, quod causalis per se imperfecta est, & potius est dicenda descriptio, nam continet causas extrinsecas, quæ sunt extra essentiam rei, & à quibus res non tam in esse suo, quam in fieri ac conseruari pendet. Essentialis omnium est perfectissima. Essentialis & causalis superat essentialem additione causarum extrinsecarũ, & facit exactiorem quandam cognitionem. Definitio causalis & essentialis videtur semper locum debere habere in accidentibus, accidens enim, vt diximus c. de proprio, ad subiectum suum habet ordinem tanquam ad causam materialem, efficientem, & finalem, & etiam formalem vt Arist. 8. *Met. t.* 7. Quare vt exactè accidens definiatur, cum subiectum poni in definitione debebit, etiam poni debebit quadruplex causæ genus, & ratione efficientis & finalis dicetur causalis ratione materialis & formalis dicetur essentialis. Substantia si sit perfecta, contenta est definitioni essentiali, quia illius esse non refertur ad aliud, si autem sit imperfecta & partialis, definiri debet per relationem ad aliud, tanquam ad finalem causam; sic enim docet Arist. *c. de Relat.* caput definiri debere per capitatum, & 2. *Anime. t.* 9. oculum mortui æquiuocè esse oculum, videlicet quia non potest amplius definiri per ordinem essentialem quem habet ad terminum proprium. Sic etiam materia est definenda in ordine ad formam & compositum, vt fecit Aristot. 1. *ph. t.* 80. & 81. Est autem quæstio an definitio

Nnnn

Auerr. non esse quietatiuam, cum per solum genus & differentiam traditur, quod tamen volebant Scotistæ. Cæterum si in definitione ponantur causæ extrinsecæ, vocari solet definitio Logica, propter sæpè dictam causam, quia Logicus est artifex communis, quod apertè docet Aristot. 2. *de generat. animal cap. vlt.* ante medium, dum ait: Sed fortasse verisimilior videbitur demonstratio Logica, logicam, inquit appello, quia quo vniuersalior, eo à principijs remotior est. Idem autem est iudicium de definitione. Lege Auerroem cum locis citatis, tum 2. *post. comm.* 42. *& quasi.* de definitione situ differente à Demonstratione. 8. *phys. com* 80. 1. *Cal. com* 70 12. *Met com.* 4. Philop. 2 *post. com.* 14. Boet. *tr. de definitione cap* 7. Pauls. *diss* 2. *Met. cap.* 6. Zim. *tom.* 9. 2. *post* 8. Peterium 3. *de princ. cap.* 5. Ex his igitur omnibus diuisionibus illa est perfectissima, quæ essentialis & quidditatiua dicitur, ex genere & differentia, vel ex materia & forma constans. Quæ autem causalis dicitur, potius vergit ad medium Demonstrationis, vt monet Them. 2 *post com.* 46 Quare cum agamus præsertim de definitione vt est instrumentum sciendi, superest vt huius definitionis conditiones proprias inuestigemus.

QVÆSTIO TERTIA.

De conditionibus Definitionis.

Conditiones assignari possunt vel quæ se teneant ex parte totius definitionis, vel sint respectu partium definitionis, vel attendantur penes id quod definitur. De his postremis dicemus quæstione sequenti.

De conditionibus totius Definitionis.

Prima conditio est, vt definitio huiusmodi sit, ex qua difficultates omnes & eluceant, & dissolui facilè possint. Ita Aristoteles 4. *phys. t.* 31. *&* 1. *Ethic. cap.* 7. dicit maximi esse faciendam definitionem, quoniam est plusquam dimidium totius disputat. seq. Et 6. *Met t.* 1. Qui non definit, nihil facit. Et 1. *Animæ t.* 4 *&* 5. difficillimum ait esse definire, ideoque esse reperiendam aliquam vnam methodum qua id fieri possit. Ratio autem est, quoniam difficultas quam quisque experitur in intelligendo, petitur aut ex natura rerum ipsarum, quæ alioquin valde perfectæ, sunt tamen sensibus remotiores, vt Aristoteles significat 2. *Met. t.* 1. Vel certè quia res ipsæ sunt exilis entitatis, quod idem indicat *in cap. de Relat.* vbi vltimis verbis; De relatiuis, inquit, sufficiat aliquid dixisse, videlicet, quia sunt valdè exilis entitatis. Porrò definitio cum explicet naturam rei, aperit etiam quid in re lateat, & cuiusmodi entitatis sit res illa. Ex quo etiam sequitur, vt ibid. docet Aristoteles, & 1. *Animæ t.* 11. debere esse talem definitionem, vt sit causa inhærentiæ accidentium in subiectis suis, & ideò solet definitio in Demonstratione sumi tanquam medium ad Demonstrationem. Ideoque Aristoteles 2 *post. cap.* 1. idem ait esse quid & propter quid, id est, idem est definitio & causa cur accidens insit subiecto, & *ibid.* Per omnem, inquit, quæstionem quærimus medium. De qua re lege Auer. *4.* 17. & Zim. *th* 80.

Secunda Conditio. Vt quoniam definitio est explicatio essentiæ, sit longè clarior quam id quod definitur. Id docet 1. *Top. cap.* 7. *& lib.* 6 *cap.* 1. *loc* 17. *&* 18 Quoniam, inquit, definitio assignatur rei cognoscendæ gratia. Ex quo deducitur cauendum esse in definitione ne Metaphoricis verbis vtamur, vt id monet *loco* 19. 6. *Top. &* 2. *post &* 3. *t.* & ideo carpit Aristoteles Platonem *loco* 19. 6. *Top.* quod in quibusdam rebus definiendis verba figurata & Metaphorica adhibuisset; quoniam, inquit, Metaphoricè loquentem facilè est calumniari tanquam impropriè dicentem, quo tamen definiendi genere vtuntur Rhetores & Poëtæ, imò etiam affectant. Præterea videndum est ne improprijs vocabulis vtamur, vt sunt illa Platonis, quæ Aristot. reprehendit, cum legem appella-

bat mensuram & imaginem eorum quæ sunt iusta, nam inquit Arist. hic definitionis modus etiam quam superior magis reprehendendus est, quia qui Metaphora vtitur, rei similitudinem nobis adfert, quod non facit qui improprijs vocabulis vtitur. Denique in definitione solum debeat poni quæ maximè sunt propria, & velut ex ipsa natura sunt eruta, sic enim id quod maximè quæritur, consequemur, hoc est, quidditatis ipsius cognitionem.

De conditionibus definitionis, ratione partium.

PRima Conditio est, vt definitio sit ex notioribus & prioribus & prioribus, hoc enim non iam tantum spectatur penes dictionem & orationem, sed penes ipsasmet partes quæ debent eo quod definiendum est, esse priores & notiores. Ita Arist. 6. *Top. loco* 17. & 18. Debent ergo partes, quoniam sunt veluti causa eius quod definitur, esse iam priores, quoniam causa prior est effectu; & notiores, si non nobis, certè secundum naturam, qua ratione id natura prius est, natura quoque notius est. Sed de hac conditione plura erunt dicenda, cum de legibus definitionis in ordine ad definitum agemus.

Secunda Conditio est, vt constet definitio ex genere & differentia, vel si physica definitio est, ex materia & forma. Hoc docet Arist. 1. *Top. cap. 7. 8. cap. 1. loco* 24. & 2 *po. à* 56. *vsq.* 69 & *deinceps* sed quod attinet ad genus, idem Arist. 6. *Top. cap. 1. loco* 24. monet debere poni omnia intermedia genera vsque ad vltimum. Et ratio est, quia sicut Demonstratio illa perfectissima censetur, quæ resoluit vsque ad prima principia; ita etiam illa censenda erit absolutissima definitio, quæ partes suas proximas vsque ad vltimas & primas resoluendo reuocabit. Est tamen notandum solere vt plurimum Philosophos omnes contentos esse definitione, in qua ponatur proximum genus & proxima differentia, quia genus proximum virtute quadam continet omnes gradus intermedios cæterorum generum, de quibus gradibus, an inter eos distinctio sit realis, solet esse quæstio Metaphysica, de qua Iand. 10. *Met. q.* 2. vbi præter omnium sententiam esse distinctionem esse realem, cum reliqui vel solam agnoscant distinctionem rationis ratiocinatæ, vel certè formalem. Id autem intelligi debet, si cognoscamus genus proximum rei alicuius alioqui aut describendum erit, vel certè tot accipienda intermedia genera, quæ coniunctione sua faciant, vt vni rei tribuatur; ignoratur enim à nobis quodnam sit genus proximum asini & equi, & quodnam eorum quæ cornua gerunt, vt Aristoteles inquit 2. *po. com.* 86. Quod attinet ad differentiam, idem fere iudicium est, nempe vt sit absoluta definitio, oportet omnes intermedias rei differentias in definitione poni. Sed sufficiet vt plurimum ponere proximam differentiam, quoniam non potest proxima differentia constitui, nisi res illa cui tribuatur habeat etiam omnes priores gradus. Quare vitium esset definitionis, si vna cum genere remoto acciperetur differentia proxima; nam proxima non contrahit genus remotum, sed proximum, & differentia vltima non continet virtute genus remotum, quia differentia & genus, si Metaphysicæ sumantur, sunt gradus distincti, quorum nullus potest sub alio contineri. Debebit ergo in definitione semper poni vna cum differentia proxima genus etiam proximum, inter quæ est hæc habitudo, quod genus habeat modũ significationis substantialis, quoniam vt ait Bo. *tract. de definitione.* & Arist. 6. *Top. loco* 25. Genus est rei cuiusq; substantia, & in substantia cuiusque rei est genus; non quod differentia, quæ etiam perfectior pars est, non etiam sit substantialis, sed quia non significat per modum substantiæ, seu per se subsistendi, sed per modum qualitatis & inhærendis vnde idem Bo. dicit esse substantialem illam definitionem, in qua ponitur genus aliquod, etiamsi non ponatur differentia

essen-

essentialis. Quod si absolutè accipiatur, falsum est; nam denominatio fieri debet à præcipua parte, est autem præcipua pars differentia, quare si accidentalis est differentia, accidentalis etiam erit definitio. Voluit ergo dicere Bo. esse substantialem definitionem, quia continet genus quod significat per modum substantiæ, & differentia essentialis in hoc imitatur accidentalem, quod significat per modum accidentis, & qualitatis. Iam vero quod differentia vltima poni debeat in definitione, tunc est intelligendum, cum est nota nobis definitio. Falsum enim est non dari vllam differentiam vltimam, cuius oppositum docet Aristoteles 7. *Met. t.* 43. Sed si quando est ignota, debent poni multæ differentiæ communes, quæ aggregatione sua efficiant aliquid proprium vni rei, vt Arist. 2. *post com* 7, *& ibid.* Ægid. *& in com.* 70 Quæ verò sint conditiones differentiarum, docet Arist. 1. *Top. c.* 4. *&* 6. *Top. loc.* 25. ait differentias primum suo generi esse debere, ad quod pertinet res quæ definitur. Secundo debent constituere speciem definiendam. Tertio. Non debent esse negatiuæ, sed positiuæ; vt enim 1. *de parte animal. c.* 3. non potest id quod priuatiuum est & negatiuũ vllam speciem constituere. id tamen intelligendum est vbi non ignoratur differentia positiua, tunc enim in definitione licet ponere differentias negatiuas, quomodo dicimus substantiam vnam corpoream, aliam incorpoream, ex animalibus vnum rationale, alterum irrationale. Deniq; inquit, debent esse essentiales. Alias plures conditiones vidimus *disputatione de differentia*. Lege Auer. 4 *Col tr.* 3. *c.* 1. Alb. 6. *Top.* Bo. *tr. de definitione*. Plat. *in Phil. & Sop.* Hinc sequitur primo. Definitionis plures esse partes. Docet hoc Aristoteles 1. *ph. t.* 5. vbi inquit, definitionem rem ipsam diuidere, *&* 2. *po. t.* 70. 75. 7. *Met. t.* 13. 14. 33. 73. *& in t.* 33. rationem huius rei dicens, definitionem esse orationem constantem ex multis partibus quando res quæ definitur plures habet partes. Huius & hæc ratio esse potest, quoniam omnes res, præter vnum Deum, habent aliquam compositionem, vel partium realiter distinctarum, materiæ & formæ, vel certè secundum aliquam formalitatem, id est, genus & differentiam. Ex quo etiam colligere est quidditatem non posse simplici aliquo conceptu a nobis apprehendi, quod nescio, an sit concessum angelis. Secundo. Sequitur definitionis partes definiti partibus respondere debere, quod docet Aristoteles 7. *Met. t.* 33. Et quemadmodum ex partibus definiti vna est communior, & prior, altera verò posterior, & propria, ita antecedere debet in definitione ea pars, quæ vniuersalior & prior est, nempè genus, postea adiungenda est differentia, alioqui necesse est in definitione nugationem committi, vt si dicas: Homo est animal rationale, nam rationale, quod est differentia hominis, natura sua, præsupponit genus, quod est animal, & propterea genus solet exponi per nomen substantiuum, differentia verò per adiectiuum, quamuis hæc lex est, vt præcedat antè adiectiuum substantiuum. Tertio. Sequitur istas definitionis partes de definito prædicari in quid, & in recto, nam sunt partes per modum totius, id est habent quidem rationem vniuersalitatis, & totalitatis, propter quam directè, & in recto possunt prædicari de definito, quod non fit in partibus realibus & physicis; nec enim materia & forma prædicantur de homine. Dicuntur verò in quid, quia vtraque pars attingit essentiam & quidditatem rei, cum hoc tamen discrimine, quod quia significare in quid arguit modum quendam substantiæ absolutè, hunc prædicandi modum habeat genus, cum addito autem habet differentia, nempe in quale quid. De qua re diximus *in prædicab.* vbi diximus causam, cur Arist. 2 *po.* supraq; tribuat tanquam illi quid peculiare, vt in quid prædicetur; id est enim intelligendum de totali & absoluta quidditate. Quarto. Sequitur, debere totam definitionem toti, definito respondere, quod etsi spectare videatur ad sectionem de definitione cũ definito

collata, tamen quia eorū, quæ iam diximus, est quoddam consectarium, non fuit hic omittendum. Ex quo etiam sequitur nihil in definitione esse debere quod sit mutilum, vel superuacaneum, vnde Arist. 6. *Top. loco* 17. Id inquit superfluum esse, quo ablato, nihilominus propria est rei explicatio & definitio. Et *loco* 13. 14. & 15. dicit maius esse vitiū, si propter id quod superfluum est, non conueniat toti rei definitio, siue contentis sub illa, quam si nihilominus adhuc conueniat, addito etiā eo quod est superuacaneū.

Sed nota primo. Poptcrea Aristoteles 1. *Top. cap* 4. & *Top.* 2. *post. t.* 4. appellare definitionem proprium, videlicet quia sicut illud proprium est, quod cum re conuertitur, & omni soli, &c. ita etiam definitionis potissima lex esse debet, vt commensuretur & adæquetur rei toti, nec latius pateat, nec omnia comprehendat, vt Aristoteles testatur 2. *post.* 69. 79. *t.* Nam si propriam acceptionem propriè vsurpare velimus, nemo dubitat non propriam sed descriptiuam esse. Disputat verò Domin. de Fland. 2. *post. quæst.* 13. cum ignoratur vltima rei differentia, vtrum præstet intermedias ponere differentias, quæ coniunctione sua rei vni soli conueniant, an verò adhibere proprietatem vnà cum proprio rei quæ definitur. Respondeo, satius esse differentias essentiales, quamuis intermedias ponere, videlicet quia & essentiales omnes sunt, & oēs simul vni rei conueniunt. Alij contendunt magis expedire vt ponatur propria affectio, quia ex huiusmodi affectione aliqua propria multò est facilius subsequentes de subiecto demonstrare. Sed cum differentiæ tam multæ sumuntur, nulla est ex qua tanquam ex propria causa profluat passio. Vtrumque probabiliter defendi potest, propendeo tamen magis in priorem partem, quia passio demonstranda potest habere pro medio totam illam definitionem constantem ex genere illo, & multis differentijs.

Notandum secundo. Ægid. Rom. 2. *post. t.* 4. colligit ex eo loco duplicem definitionem: Propriam, & impropriam. Propriam dicit eam, cuius conditiones exposuimus. Impropriam tres in partes distribuit. In superfluam, diminutam, & excellentem. Superfluam dicit esse illam, in qua redundans ponitur, propter quod nimis latè pateat illa definitio. Diminutam, eam quæ manca est, propter quā causam latius patet. Excellentem, in qua ponūtur termini transcendentales vt actus, potentia, ens, verū, &c. Reprehendit hac diuisionem P. Ven. Quia sæpè Arist. difinitionibus vtitur in quibus sunt termini transcendentales, vt patet ex definitione motus 3. *ph. t.* 5. & ex definitione animæ. 2. *de anima. t.* 7. Deinde quia rectius dicitur illa definitio esse superflua, in qua aliquid ita redundat, vt quia minimè necessarium est ad definitionem, facit vt definitio conueniat pluribus quā definito. Diminuta verò erit, in qua cum ponuntur alioquin quæ sunt de essentia, aliquid tamen necessarium desideratur.

Notandum vltimo. Hæc omnia quæ diximus, per se conueniunt definitioni constanti ex genere & differentia, sed possunt proportione quadam accommodari ad definitionem physicam ex materia & forma, nisi quod istæ partes ita sunt partes, vt tototum rationem inducere non possint, nisi cum accipiuntur tanquam denominatiua quædam, ideoque vergunt maximè ad gradus Metaphysicos, vt hominem esse corporeum & animatum; imò etiamsi accipiatur corpus vt gradus quidam, qui est species totalis sub substantia contenta, potest de homine prædicari.

SECTIO TERTIA.

De collatione definitionis cum definito.

TRia potissimum sunt circa hanc partem, Primo.. Quænam sint ea quæ definiri possunt. Secundo. Quænam sit habitudo definitionis ad definitum, siue de distinctione earundem. Tertio, An definitio sit notior definito?

QVÆSTIO

QVÆSTIO PRIMA.

Quænam definiri poßint.

DE hac re lege Interpretes, *in 2. post.* Scholast. 1 *f. d.* 1. & Scot. *quæst.* 2. Primo. Definitio debet esse vniuersalis. Hoc docet Arist. *1. post.com.* 62. 64. *2. post. comm.* 9. 19. 80 1. *Top cap* 4. *lib.* 6. *cap.* 1. 7. *Met. t.* 43. Et ratio est. Quoniam scientia est de vniuersalibus, & demonstratio vniuersalium tantum esse potest; maximè verò perfecta scientia est per definitionem, & demonstrationis medium est definitio. Imò hæc fuit causa Platoni, vt Ideas poneret, & rerum corruptibilium & singularium non posse esse scientiam, contra quem Arist. 1. *Met. t.* 6. & 26. 7. *Met. à t.* 50. quanquam ipsemet Plato definitionem primo conuenire Ideæ, & deinde singularibus per quandam participationem Ideæ, quæ Idea cum à Platone poneretur tanquam existens, non poterat non esse singularis, ac ideo non effugiebat illud incommodum, quod vitare cupiebat, vt rectè argumentatur Arist. 7. *Met. t.* 53. quia tamen non videtur vir tantus in tantum naufragiū errorum delapsus esse, diximus *tractatu de vniuersali* quomodo esset intelligendus Plato, nempe secundum eum modum, quem etiam fatentur Theologi, &c. Hoc repugnat Auerroi, qui volebat rerum singularium, sed incorruptibilium esse propriè scientiam & definitionem. Sed hoc Aristoteli aduersatur, qui locis dictis clarè testatur de Luna, Sole, alijsq; singularibus incorruptibilibus nihil posse per se demonstrari, nullam esse veram definitionem, &c. Et ratio est. Definitio & scientia est de natura rei secundum se; natura vero secundum se omnino præscindit à singularitate, & indiuiduatione. Non potest ergo dari scientia & definitio de re vt singularis est, & vt est etiā indiuidua. Confirmatur. Quia 2 *post. t.* 70. definitio dicitur debere esse ex genere & differentia, hæc autem sunt vniuersalia & prædicabilia. Lege Arist. *2. pr com.* 4. 9. 19. & 82. 1. *Top. cap.* 4. & *lib* 7. *c.* 2. 3. *Anima. t.* 26. 7. *Met. t.* 7. & *lib.* 7. *t.* 35.

Obijcies. 1. *post. com.* 81. dicit Arist. definitionem nec esse secundum totum, nec in parte, hoc est, nec rem vniuersalem, nec singularem. Et *lib.* 2. *com.* 82. facilius esse docetur definire singulare, quam vniuersale. Confirmatur. Quia singulare aliquo modo differt ab vniuersali, Ergo potest definiri, quia nihil differt ab alio, nisi propter propriam differentiam. Resp. ad 1. Arist. Etiamsi Auerr. ita legat, definitionem differre ab alijs generibus principiorum, quod semper definitio sit vniuersalium, cætera autem principia etiam particularium, repugnat tamen hoc lectioni Græcæ. Præterea causa est, quoniam suppositio aut est in parte, aut vniuersalis, definitiones autem neutrum istorum. Sensus ergo est, vt D. Thom. Phil. &c. cum definitio non sit secundum se propositio, in quo sensu locutus fuerat Aristoteles paulo antè, idcirco non esse etiam propositionem vel vniuersalem, vel particularem. Vel etiam cum definito sola spectet per se essentiam rei, non esset de te aliqua ratione vniuersalitatis, vel particularitatis. Ad secundum locum. Sine dubio Arist. per singulare non intelligit indiuiduum, sed id quod est minus vniuersale, quod diximus *tract. de vniuersalibus*, authoritate Aristotelis. Ad confirmationem. Singularia omnia & indiuidua, si spectetur illorum essentia, non differunt ab vniuersali, sed plures homines sunt vnus homo participatione, vt inquit Porphyrius *cap. de specie*. Differentia ergo est ratione singularitatis, propter quam definiri potest quodlibet singulare, quoniam singularibus conuenit quędam ratio communis singularitatis, quod docet D. Tho. 1. *p. q.* 29. *art.* 1. *ad primum argumentum*. Secundo, definitio debet esse vnius naturæ per se, nam definitio explicat essentiam rei, quæ necessario debet esse aliud vnum, contentum sub certo entis genere: ex entibus autem quæ sunt diuersorum, non potest vnum fieri, nisi per accidens, quare id quod definitur vel est vna natura vniuoca, vel certè debet esse analoga, quando autem definiuntur

habemus: *oportere iam individuum esse*, legunt: *Oportere esse speciem individuum*, quæ discrepantia lectionum facilè introduci potest propter affinitatem Græcorum dictionum, εἶδος, & ἄδος. Tertio, quamuis definitio esse potest & accidentis & substantiæ, tamen perfectior est substantiæ quam accidentis, ac ideò dicitur solum substantiam definiri. Quod accidens definiri posit, docet Arist. *1. top. c. 7.* vbi postquam enumerauit decē prædicamenta, subdit rationem generis & differentiæ in omnibus locum habent, iam verò in definitione nihil prætereà desideratur. Et ratio est, quia accidens habet suam essentiam planè distinctam à substātia, habet aliquid commune, & aliquid determinatum. Ergo. Sed definitio substantiæ sit perfectior, docet Arist. *4. Met. t. 15. 17. & 19. lib. 7. t. 14. & 35. 8. Met. t. 9. &* 19. Et ratio est, quia substantia est ens absolutum, & ad se quare quicquid pertinet ad essentiam suam, habet intra se, accidens autem, vt docet Arist. *12. Met. t. 2. & t.* 14. est entis ens, & essentialem ordinem dicit & substantiā & subiectum, & ideò non consistit definitio accidentis intrà proprios limites accidentis, sed necessariò de foris sumit substantiam, seu subiectum. Quæ causa est cur diximus definitionem accidentis appellari per additamentū. Est autem notandum quod in definitione accidentis, cum subiectum in illa ponitur, si accidens sit in concreto, solet accidens poni in recto: dicimus enim simum esse nasum nasum curuum, si accidens sit in abstracto, contrarium fit, vt simitas est nasi curuitas. Et ratio est apud D. Thomam. *1. secundæ quæst. 53. art. 1. ad 2.* Quoniam, inquit, cum accidens est in concreto, habitudo accidentis incipit à subiecto, & definit in accidens, cum autem est in abstracto, incipit ab accidente, & terminatur ad subiectum. Ex his sequitur falsum esse opinionem apud Zonf. *q. 6.* dicentium definitionem accidentis perfectam tradi posse per genus & differentiam, quia tamen vltimatas differentias non adeò perfectas habemus, nostri causa adingi solere subiectum, nam omne accidens ex natura sua dicit essentialem ordinem ad subiectum, vt ergo definiri posit, debet poni in definitione subiectum ipsum, quamuis differentia propria accidentis soleat desumi ex tali subiecto, sicut & genus ex tali. Secundo, Errant etiam qui apud Dom. de Fland. *7. Met. quæst. 9. art. 1.* aiunt definitionem quidem accidētium propriorum & passionum subiectum debere habere, non autem accidentium cōmunium, quod videlicet posito propria manat ex tali subiecto: nam vt diximus in communi quodlibet accidens habet essentialem ordinem ad substantiam. Confirmatur quod diximus: Quod enim definitio sit accidentis, ex eo patet, quoniam in demonstratione solet poni tanquam medium definitio passionis, Ergo passio definitur. Quod autem accidens & substantia definiatur, docet Arist. *7. Met. t. 14. 17. & 19. & 8. Met. t 9. & lib. 4. t. 15.* Sed quod substantiæ definitio absolutè dicenda sit definitio *in t. 7. Met. t. 17. & 18.* vbi vult Auer. *& 2. po. com.* 20. Quarè cū ex Arist. vulgò dicitur definitionem esse substantiæ, demonstrationē accidentis, debet nomine substantiæ intelligi non ea quæ est distinctum quid à nouem entis generibus, sed idem est quod essentia & quidditas rei, quæ nō minus locum habet in accidēte, quam in substantia. Definitio igitur versatur circà substantiam, hoc est circà essentiam & quidditatem cuiusuis rei, demonstratio autem, præsertim potissima & propter quid, occupatur circà accidens, quia illius est demonstrare passionem de subiecto suo. Deniq; si accipiatur definitionis nomē latius pro omni explicatione rei cuiusque, haud dubiè quia quicquid habet esse in rerum natura, definitione posit explicari, inter quæ tamen omnium minimè planè non propriè definiri Deus potest, quia omnes fines rerum prætergreditur. Ex his autem facilè est colligendum conditiones definitionis ex parte definiti, debet enim definitio

esse vniuersalium, esse entium realium, entium perfectorum & absolutorum, ac vnius alicuius naturæ.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quomodo definitio distinguatur à definito.

HÆc quæstio, si ratio habeatur partium definitionis, vt cũ toto quod definitur conferantur, potius est Metaphysica, si tamen spectamus definitionem vt est oratio explicans quidditatem ipsam, ne cum aliquid definimus, si idem omninò sit cum eo quod definitur nugari omninò videamur, videndum est quænam sit differentia inter definitionem & definitum, de qua re etiam disputant Interpretes 1. *Phys. t.* 7. vbi Arist. quærit distinctionem partiũ à toto integratiuo. Est autem notandũ si addeatur definitio ipsa, vt est operatio intellectus, sine dubio realiter distinguitur à definito, quia est operatio aliqua realis, quæ versatur circa obiectum extrinsecum. Secundo. Si sumatur definitio vt est accidentis propria, quoniam poni solet in illius definitione subiectum, etiam certum est distingui realiter cõceptum accidentis à subiecto ipso, idque vel realiter vel formaliter, prout accidens quod definitur à subiecto suo. Denique si spectetur in re quæ definitur præter naturam ipsam, existentia rei eiusdem, sic etiam definitio comprehendens solam quidditatem distinguitur à definito. Quæstio igitur est de quidditate ipsa præcisa; vt constante suis partibus, & vt per definitionem explicatur.

Prima Opinio. Caiet. 1. *po. Com.* 3. *q. de propositione per se nota.* & Augustini cuiusdam Demascearis *quæst. de med.* Definitionem & definitum planè idem esse, & distingui tantum quoad nos tanquã quid magis confusum. Ratio est, quia si diuersa essent, definitio aliquid contineret quod non est in definito, quare non prædicari de definito.

Secunda Opinio. Scot. 2. *f. d.* 2. *q.* 2 maiorem quandam esse distinctionem, ac etiam à parte rei, quamuis minimam ipse exigere videatur, etiam realem.

Tertia Propositio. Definitio & definitum non distinguuntur sola ratione ratiocinante, siue vt quid à nobis apprehensum sub sola ratione distinctionis, quemadmodum cùm idem de seipso prædicatur, vnum concipitur vt subiectum, alterum vt prædicatum. Ratio est, quoniam sicut se habent in composito naturali materia & forma ad id ꝙ ex illis constituitur, ita se habet in cõposito Metaphysico genus & differentia ad illud, sed maior distinctio est illatum partium à toto, quam rationis, ergo etiam harum, generis scilicet & differentiæ. Porrò definitio nihil aliud est quam partes definiti, quæ ratione explicantur Confirmatur; genus enim si cõferatur cum specie, & differentia etiam cum eadem specie, plusquam ratione differunt à specie, ergo & definitio quæ vtramque partem continet.

Secunda propositio. Nõ differunt & definitio & definitum realiter. Ratio est, quoniam non posset definitio de suo definito in recto prædicari, quia quælibet materia distingueretur realiter seorsim à suo toto, falsa est prædicatio. Et confirmatur. Arist. enim 6. *Met t.* 2 adicit idem esse aquam, & esse aquæ, & 3. *Anima. t.* 9. & c. 31.

Tertia Propositio. Hinc sequitur distingui tantum formaliter. Ratio, quia 2 *po. t.* 32. inquit Arist. esse hominis, & quid hominis non esse idem, dixerat autem alibi esse idẽ ergo secũ pugnat, non esse idem formaliter, dicendum est. Confirmatur. Quia diximus *in tract. de prop. per se,* passio quæ de subiecto probatur, probari probari potest per definitionem ipsius, ergo vt sit vera definitio, oportere aliquod esse discrimen inter definitũ & definitionẽ. Ad fundamentũ ergo contrariæ sententiæ Resp definitum vt est quoddam totum sic & totum physicum ratione illius totalitatis formaliter sumptæ distinguitur ab essentia & quiddi-

tate

tate, sed hæc formalitas est quidam modus superadditus essentiæ, non autem ipsa essentia.

QVÆSTIO TERTIA.

An Definitio sit notior quam definitum?

SVperiore sectione docuimus debere definitionem si spectetur partes, notiorem esse, quoniam definitio, vt inquit Arist. *6. Top. 17. & 18.* debet rei explicandæ, hic autem agimus de definitione tota, vt cum toto definito comparatur, vbi certum esse debet definitionem debere esse ex adeò notis & perspicuis, vt quod definitur, notum nobis fiat; vt enim inquit Arist. *1. ph. t 5.* patiuntur hoc idem quodammodo non iam ad rationem, id est, tota definita quæ nomine exprimuntur, totum enim quoddam & indistinctè significant, hoc est totum quod definitur, est veluti confusum quoddam in confuso significans partes suas, subdit idem, definitio autē ipsius diuidit in singula, hoc est definitionis officium est hoc totum partiri in ea ex quibus constat. Prætereà *4. ph. t. 31.* dicit definitionem huiusmodi esse debere, vt difficultates omnes quæ circa definitum exoriri possunt, statim elucescant & dissoluantur. 1. *vt de anima, t. 11. & 2 de Anima, t 26.* ait, definitionem debere esse totalem, vt singulos rei partes explicet, & medium sit ad demonstranda accidentia propria de subiecto, *6. etiam Met. t. 1. & 1. Anima, t. 4. & 5.* dicit definitionem debere esse talem, vt res tota quamprimum à nobis cognita habeatur, *& 1. Eth. c. 7,* vocat illam principium omnis cognitionis subsequentis, *& 5. Met. t. 22.* dicit esse finem omnis cognitionis & rei. Quare cōstat definitionem debere esse notificatiuam & expressiuam definiti ac partium eius. De qua re vide Auerr. *præsertim in 1. de Anima, t. 11. & 2 text. 26.* Alia tamen ex parte videri posset definitionem esse obscuriorem & ignotiorem ipso definito, sæpè enim Aristot. *1. lib com. 14 & 2. com. 48.* ait definitionem esse conclusionem Demonstrationis, at conclusio semper est ignotior, ideò enim ponitur in Syllogismo, vt per præmissas probetur. Hoc testatur etiam *4. ph. t. 12. & 2. Animæ, t. 12.* Si ignota est, inquit, definitio, per Syllogismum probari debet. Secundo. Quia experientia constat vt notum nobis sit definitum, definitionem tamen esse obscuram, quæ Aristoteles *1. Animæ, t. 4. & 5,* ait esse difficillimum definire. Signum ergo est esse ignotiorem definitionē ipso definito. Tertio. Solet, totum esse magis notum, quam suæ partes, vt Arist. *1. ph. t. 4. & 5.* At definitio se habet vt partes, definitum autem vt totum,. Ergo. Hanc quæstionem habet Auerr. *quæst. 7.* ait que, quadruplicem posse esse sensum quæstionis. Primus est, definitio notior sit definito; illa in conceptu confuso, hoc in confuso etiam confuso. Secundo. Definitio in conceptu distincto, quam definitum in distincto. Tertius. Definitio in conceptu confuso, quam definitio. Quartus. Definitio in conceptu distincto; quam definitum in confuso. Quid autem sint isti conceptus, facilè est intelligendum, est enim confusus quo rem totam intelligimus, non tamen distinctè; Distinctus contra. Iam Auerr. primum & secundum membrum reijcit. quia definitio non potest secundum confusum essentior, aut ignotior definito, non ex natura sua conceptus confusus circa eiusdem planè naturæ & quidditatem non potest esse confusus, ita vt conceptus illius de eadem sit magis minusuè notus. Secundo. Loco dicit comparari posse definitionem cum definito, quoad duos posteriores modos. Alia quoque multa dicit, quæ ab Auerroe istis maximi fiunt. Quod autem conceptus confusus definitionis notior sit quam distinctus definiti, probat, quoniam definitio continet partes definiti, sunt autem partes natura notiores toto, cuiusmodi est definitum, vt docet Arist. *1. ph. t. 4. &.* Multo verò magis sequitur definitionis conceptum distinctum esse notiorē quam confusum definiti. Supponēda sunt quæ de notioribus nobis & natura alibi diximus.

Et videndum est quomodo definitio à nobis vsurpetur, nam etiamsi secundum rem idem sit definitio, siue concipiatur vt proprium instrumentum, siue tantum ratione dictionis & orationis quæ explicat quidditatem, vt rectè contra Protag. notat Aristoteles *text*. 19. tamen definitio à nobis considerari debet vt formaliter est instrumentum sciendi, & in ordine ad intellectum nostrum cui inseruit.

Prima Propositio. Conceptus definitionis confusus notior esse potest, quā item confusus definiti. Probatur, quia ipsæ etiam partes definiti, quæ in definitione explicantur, possunt confusè nobis duntaxat esse cognitæ; sed partes definitionis sunt notiores natura sua quam definitum, Ergo conceptus confusus definitionis notior est quam sit conceptus confusus definiti. Confirmatur. Cùm enim sit tam difficile definire, vt plurium partium definitionis vix habeamus exactam cognitionem, sed confusam tantum, & tamen passim dicitur esse notiorem definitionem definito, Ergo conceptus confusus definitionis notior est quam confusus definiti.

Secunda Propositio. Conceptus confusus definitionis non potest esse notior quam distinctus definiti. Ratio. Quia conceptus distinctus definiti non est aliud realiter loquendo, quam distinctus definitionis, sed conceptus distinctus definitionis notior est quam eiusdem confusus. Ergo. Imò implicat cognosci distinctè definitum, & non per distinctum definitionis conceptū. Nec valet argumenum Auer. partes esse notiores toto; id enim intelligi debet cæteris paribus, hoc est notiores sunt partes in confuso cognitæ, quam totum in confuso cognitum. Quare etiam notiores sunt partes distinctæ cognitæ, quam totum ipsum distinctè etiam cognitum. Quare certè infert Auer. conceptum confusum definitionis esse ignotiorem quam distinctum definiti. Vnde Aristoteles *sect*. 18. *in probl*. 9. inquit id quod est definitum, solere notius esse, quo fit vt historiæ quæ rem vnam aliquam continent, nobis solent esse gratiores, quam quæ plures.

Tertia Propositio. Cùm dicitur definitio esse notior definito, non est sensus quod prius sit cognita quam definitū, nam fieri potest vt sæpè ante cognoscatur definitum quam definitio. Imò secundum Aristotelem 2. *prior. com* 37. ex definitione vnius rei in vno causæ genere colligere possumus aliam definitionem ex altero causæ genere. Et cum definitum sit semper aliquid totum, ac proinde magis sensatum, & cognitioni solet à nobis prius cognosci quam definitio, quamuis non sine aliquo conceptu respondente cognitioni definiti, qui erit confusus, aut quid nominis, aut descriptiuus. Dicitur ergo definitio notior esse definito, non quod præcedat distincta definitionis notitia distinctum conceptum definiti, id enim fieri non potest, nec quod reuera maior sit cognitio definitionis quam ipsius definiti, id enim etiam fieri nequit, cum realiter loquendo eadem sit notitia definitionis distincta, & definiti item distincta, sed quoniam nomine definiti vt plurimum intelligimus illam rem secundum se quæ sub hac ratione se habet in quiddam totum & confusum, aptum quod per definitionem distinctè cognoscatur, & eadem ferè ratio est passionis siue proprietatis quæ per demonstrationem probatur, illa enim vt probata per demonstrationem, est æquè nota atque Demonstratio siue præmissæ, per quas est probata, & tamen Demonstratio dicitur constare ex notioribus, nimirum quia tam Demonstratio quam Definitio obiectiuè sumuntur tanquam instrumenta ad producendam in nobis alicuius rei notitiam.

Obijcies. Propter quod vnumquodque tale, & illud magis, sed definitum distinctè cognoscitur propter distinctam definitionis cognitionem, Ergo illius conceptus notior est quam definiti.

niti. Respondeo. Illud magis in illa maxima Aristotelis non sumitur intensiuè, sed perfectiuè, & ratione independentiæ, hoc vel est propter quod aliquid illud magis cognoscitur, id est independenter ab alio, assumitur enim tanquam quid perfectiuum alterius, hoc autem fieri solet, vt quod alteri perfectionem communicat, ab eo fit independens. Vel accipi debet definitum secundum se, quomodo definitio quæ assumitur ad ipsum explicandum est notior, si tamen accipiatur definitum vt distinctè cognitum, non est definitio notior intensiuè loquendo. Atque ex his facilè occurrendum argumentis pro parte negatiua, quæ enim sunt pro parte affirmatiua, sunt pro nobis.

Ad primum dicimus. Definitum notius est cognitione confusa. *Ad secundum.* Conclusio nunquam est in Demonstratione continens definitionem nisi tantum materialiter, hoc est tanquam prædicatum quoddam quod de alio dicitur: quidditas enim est simplex & pertinens ad simplicem apprehensionem. *Ad tertium.* Patet ex dictis.

SECTIO QVARTA.

De modo inueniendæ definitionis.

Omniquaque & omnino difficillimũ est definitionem inuenire, quarè quærenda est illius certa aliqua methodus. Quia igitur valdè confert ad definitionis cognitionem scire eam reperire, operæ pretium erit, ecquid etiam poterimus in re tam difficili experiri, præsertim cum impossibilitate quidem omnem definitionem de medio sustulerunt. Primo dicemus causam difficultatis quæ inest in definiendo. Secundo An sit aliqua communis methodus & ratio definiendi. Tertio de particularibus modis.

QVÆSTIO PRIMA.

Cur sit difficilè definire?

Supponendum est in prima operatione intellectiua errorem esse posse, si cum vel non apprehendit rem, vel perturbato ordine quæ in re sunt considerãda. Præterea, communes quoque sunt difficultates definiendi ac demonstrandi, quæ tractatu de scientia sunt à nobis demonstratæ. Sed definitio peculiares quasdam causas habet, quoniam vltimam rei quidditatẽ, & id per quod vltimò constituitur, cognoscere difficillimum est, vt propterea existimarint quidam, si non tollendas, certè non posse à nobis cognosci vltimas earum differentias. Et huius ratio prima esse potest, quia res aliquando sunt valdè imperfectæ, & suum esse habent independens à multis alijs, quare Arist. 3 *ph t.* 15. quid sit motus intelligere ait esse difficile, quoniã, inquit, est ens ad aliquid, quam etiam dicit prædic. c. de Relatione. Secunda, Quoniam res ferè omnes à nobis intelliguntur tantum adminiculo sensuum, quo fit vt vix ac nè vix quidem purus & nudus substantiæ conceptus à nobis formari possit. Tertia, Quoniam, vt inquit Arist. 1 *Anima. t.* 4. est communis quidam modus definiendi, hoc est sunt multæ res quæ maxima sunt affinitate innexæ, ac propterea cum propriam cuiusque rei quidditatem definire volumus, semper dubitari potest, nũ omnia comprehendemus quæ pertineant ad illam. Quarta, Qoniam videmus multa esse in rebus quæ solis, semper & omnibus quæ continentur sub illis, ex quo etiam consurgit quædam suspicio ne illa ipsa pertineãt ad intrinsecam rei essentiam, & quia inter hæc est quidam ordo, fortè alicui in mentẽ veniet primam passionem esse vltimam rei differentiam. Quinta, Quoniam, vt colligitur ex Aristotele 1. *Anima t.* 4. & 5. sæpè vnus definiendi modus circa aliquod

aliquod particulare entis genus non est accomodatum ad definiendam aliam rem quare facilè est in illum incurrere vt definire volentes hanc rem, adhibeamus modum ad definiendam aliquam aliam rem distinctam; Vt enim inquit Arist. alia est definitio planorum, alia lineæ, &c. & alius est modus definiendi res materiales, alius spirituales. Sed prætereà particularis quædam difficultas est circa vnam eandemq; rem, an sit facilius definire vniuersale, an verò singulare, vel particulare. Cum dico particulare, non intelligo indiuiduum, sed minus vniuersale. Hoc tradit Arist. 2 *po. t.22.* dicens facilius esse definire singulare quam vniuersale, quod sine dubio habet difficultatem: nã 1 *ph. t.3.4.5.* dicit Arist. totum vniuersale esse nobis notius quam singulare. Ergo etiam facilius potest definiri vniuersale quam singulare. Ex hoc 3. *f. d. 2. quæst. 2.* colligit speciem infimam secundum proprium suum & distinctum conceptum esse nobis notiorem, quam genus. Flam. *q. Log. cap. 10.* refert quorundam sententia, qui aiunt facilius esse definire singulare quam vniuersale, definitione confusa, non autem distincta. Hanc sententiã refellit, quoniam genus & aliquid quod est magis commune, est natura prius quam species & id quod est magis commune, ergo non potest speciei tradi definitio, nisi genus antè essentiam explicetur. Distinguit autẽ ipse cognitionẽ tribus modis; est enim, inquit, quædam maximè confusa, alia maximè perfecta. Denique datur medius quidam status inter vtramque, si ergo loquamur de cognitione maximè confusa, sic, inquit, magis communia prius cognoscuntur, sunt enim vt plurimum quædam sensibilia, quæ in sensus nostros facilius incurrunt. Si autem loquamur de cognitione maximè perfecta, sic, inquit, etiam oportet prius cognosci magis commune, ob iam dictam causam, quia genus vt definiatur nõ eget explicatione specierum, at species nõ potest definiri nisi in eius definitione genus ponatur. Quid autem intelligat per suam mediam cognitionem, nõ satis intelligo, nisi quod tandem includat Arist. dum loquitur de definitione, loqui præcipuè de differentia quæ primatum tenet in definitione, sed quicquid sit de hac re, non potest id cum antecedentibus cohærere quod ille subdit, nempè facilius esse definire hac ratione minus vniuersale, quã magis vniuersale, seu commune, quia sicut cogeri debet genus, vt speciei, cognoscatur definitio, ita profectò cognosci debet constitutiua differentia generis, quia etiam impossibile est perfici definitionem speciei vt est ex genere, si etiã non cognoscatur ipsum genus in se, quod fieri non potest ignorata differentia. Retineatur ergo solutio illa, quã priore loco Flam. protulit, cognitione confusa facilius esse definire speciem quã genus, & id quod magis commune, quia minus vniuersalia magis etiam sunt coniuncta cum sensibus nostris: Si autem de distincta cognitione rerum sermo sit, necesse est ante cognoscamus magis vniuersale quam quod minus. Itaque facilius erit hac solum ratione definire minus vniuersale quam magis, si spectetur vnitas vtriusque, qua quæritur in definitione; cum enim qui rem aliquam minus communem definiendam accipit, non debeat per tam multa vagari, idcircò citius etiam absoluere potest definitionem rei minus vniuersalis: Est enim notandum loqui ibi Aristotelem de modo inuestigandæ definitionis per quandam compositionem. Fit autem hic modus compositionis, cum & singularibus & minus vniuersalibus gradatim ascendimus ad magis vniuersalia & communia, vt rectè ibi notat Caiet. Quarè cum incipiendo à singularibus pauciora sint nobis enumeranda, vt perueniatur ad partes rei definiendæ, & à paucioribus sit faciẽda abstractio, meritò hoc nomine dicitur facilius esse definire minus vniuersale quam magis vniuersale. Qua etiam de causa Arist. ibid. ait, in eo quod est magis vniuersale latere æquiuocationes, hoc

hoc est cum genus multa sub se contineat, quæ diuersarum sunt rationum & perfectionis, difficile est quodammodo effugere aliquam æquiuocationem, dum singula nobis longo dictu sunt enumeranda, sed hanc totã rem Them. *cap.22.2.po.* his verbis expressit: Ex ijs, inquit, deducet longè facilius speciem indiuiduam definiri quam genus, ea enim quæ singularibus insunt communia magis quam quæ speciebus perspicua sunt, definitio speciei ex singularibus definitio generibus ex speciebus colligitur. Præterea euidentior est speciei quam generis enominatio, homonimaque est, præterea dicitur species sensuum esse, & sensibilia sunt cognitu magis facilia, vbi duplicem rationem tradit. Prima, Quia species proximè à singularibus abstrahitur, genus à speciebus, quare operosius est & difficilius genus magis abstractum cognoscere, quã speciem minus. Secũda, Quoniam species propius accedit ad sensus, genus longius abest. Et hæc debent accipi secundum suos præcisos gradus, hoc est id quod commune est quatenus est magis commune, & id quod est singulare, vel minus vniuersale quatenus est huiusmodi, absolutè enim si de exacta speciei definitione loquamur, haud dubiè quin antecedere debeat generis cognitio. Lege Perer. *lib.3.c.12.* Et Fons. 1. *Met. c.2.p.2.f.5.*

QVÆSTIO SECVNDA.

An detur vna aliqua methodus definiendi?

ARist. 1. *Anima.t.5.* maximi facit hanc quæstionem, postquam enim dixit omninò difficillimum esse fidem aliquã accipere de definitione animæ, tantæ difficultatis hanc causam reddit, quoniã inquit, cõmunis quæstio est num sit aliqua cõmunis via definiendi. Quare videtur Arist. ibi supponere vnam esse aliquam viam definiendi, tamen dubitat ibid. Simpl. quoniam definitio ac definiendi ratio rebus ipsis debet esse accommodata, sunt autem res valdè distinctę. Respondet vnam esse definiendi viam, quoniam vna est substantia omniũ rerum definiendarum, esse autem plures secundum varietatem & multiplicitatẽ rerum quæ definiuntur, & tandem concludit esse vnam & plures. Quæ Simplicij responsio videtur hanc quæstionem expediri, quod tamen vt facilius intelligatur, nota cum Flãd. *1.q.7.* posse esse duplicem huius quæstionis sensum, Primo, Vtrum possit dari aliquis communis modus definiendi ratione præceptorum quæ eum nobis tradant, quo res omnes eadẽ ratione definire possumus. Secundo, An possit esse aliqua communis definiendi ratio, qua propria etiam cuiusq; rei principia nosse possumus. Et adde hunc modum vel spectari posse in se & seorsim à qualibet particular definitione, vel certè vt est applicatus ad res ipsas quæ definiuntur.

Prima Propositio. Certum est dari vnam definiendi methodum, qua res omnes propositas definire possumus, hic autem videtur contineri istis verbis Arist. 2 *po.com.70.1.t.17.* talia itaque accipienda sunt vsque ad hoc, quousq; tot accepta fuerunt primum, quorum vnumquodque in plus ierit, omnia verò non in plus sunt, hunc enim necesse est esse substantiam rei, hoc est vt res aliqua definienda debent accipi essentiales partes, & tam multæ, vt quamuis quælibet seorsim latius pateat, quam id quod definitur, omnes tamen coniunctæ conuertantur cum suo definito. Quod præceptum dat Arist. respiciens vel ad communem illam opinionem quod differentiæ vltimæ nullæ sint, vel certè cum nos lateant, vt præceptum sit magis amplum; tunc enim multæ differentiæ sunt ponendæ, quæ propter multum conuersum vni conueniant rei. Hoc quod diximus, cõfirmatur, nam datur vna cõmunis methodus probanda accidens de subiectõ, .i. demonstratio, ergo vna etiã dari debet, qua essẽtia cuiusuis rei explicetur.

Con-

Confirmatur etiam, quia veteres. Plato præsertim & Hipp. censuerunt vnicum etiam modum ac specialem esse definiendi modum.

Secunda Propositio. Possunt plures species modorum desiniendi assignari. Est Arist. 2. *post.* vbi tripiicem affert viam definiendi: Per compositionem, siue resolutionem, per diuisionem & demonstrationem. Imò etiam 1. *Anima. t.* 4 cum quærendum dixit communem illam viã definiendi dubium quoque esse monuit num illa sit diuisio, vel demonstratio, vel aliqua alia. Vbi Iand. has tres methodus apertè distinguit, & diuisionem Platoni asscribit in Soph. & Ciuili, Demonstrationem Hippocrati quod indicat Arist. 2. *post.* sed illam aliam methodum cuius Arist. nomen tacuit Iand. ex Aut. Auerr. putat esse compositam ex vtraque præcedenti, sed fallitur; Vt enim D. Tho. ibi obseruat, tertia methodus distincta est compositionis, siue resolutionis, quod etiam ipse Arist. testatur. Verum isti omnes methodus non habent sibi commune vniuocum valde enim sunt hæc inter se distincta Demonstratio, diuisio, compositio, vel resolulutio, si autem conferantur ad res ipsas quibus applicantur, videtur etiam non posse esse aliquid commune vniuocum, quemadmodum nec res ipsæ habent vnam rationem vniuocam, nisi fortasse placeat apprehendere omnes istas methodus tanquam accidentia abstracta, quæ rebus quæ definiuntur tanquam diuersis subiectis applicentur, vt sicut eadem albedo diuersis subiectis applicari potest, Vel sicut quantitas eadem esse potest & in materia cælesti, & in materia inferiorum, cum tamen istæ materiæ dicantur esse diuersarum rationum, & sic eadem generis notio potest accommdari ad substantiam, & ad omnia accidentium genera, ita etiam istæ methodi applicari possunt ad subiecta diuersa, retinentes tamen eandem planè rationem.

Tertia Propositio. Si accipiatur definitio ratione rerum ipsarum quæ definiuntur, tunc omnino plures sunt methodi & modi definiendi; Vt enim rectè docet Aristoteles *de part. animal. cap.* 1. in qualibet scientia est veluti duplex habitus: Vnus est scientiæ ipsius totalis, alter est methodi cuiusdam propriæ qua præscribitur vt res talis scientiæ propositæ, tali etiam ac determinata ratione definiatur, demonstrentur, ac pertractentur: aliam enim methodum requirit res materialis & sensibilis, aliam res composita ex materia & forma, aliam res spiritualis, aliam *substantia*, aliam accidens, denique vel illa generis species distinctam definitionis rationem postulat. Verum an hi omnes methodi particulares ad vnam scientiam totalem peruenire possint, diximus tractatu de scientia, & dicemus paulò post. Negat autem Iand. 1. *Animæ. quæst.* 7. pertinere has omnes definiendi rationes ad vnam sciẽtiam, quia, inquit, superfluæ essent omnes scientiæ, quemadmodum diximus de vna scientia quæ complecteretur rerum omnium cognitionem, quæ tamen sit commoditatis tantum causa distributa in plures partes, ita etiam omnes istæ definiendi rationes pertinere possint ad vnã scientiam, quam appellat 1. *de part. animal.* peritiam, nihilominus partes huius scientiæ quęlibet propriam sibi vindicat definiendi rationem, ex qua definiendi ratione collegit Aristoteles 6. *Metaph.* ternarium illum speculatiuarum scientiarum numerum.

QVÆSTIO. TERTIA.

De particularibus methodis definiendi.

TRiplicem Aristoteles 2. *post.* à com 69. definiendi methodum esse dixit: Diuisionis, compositionis, & demonstrationis. Diuisio prodest multum ad definiendum, quia illa efficitur vt assumantur definiti ordine quodam partes, vt videlicet ante accipiamus genus quam differentiã, & si proponatur verbi gratia definiendus homo, primo videri debet sub quo supremo genere collocetur, quod vt plurimum notum erit. Est ergo homo sub genere substantiæ, iam verò vt accipitur proximum hominis genus; est diuidenda substantia immediatè in duas differentias, quæ

quæ suo ambitu comprehendant quicquid pertinet ad illud genus, postea vbi vel per se constiterit, vel ratione aliqua leui probatum fuerit hominem contineri sub tali membro, pergendum est vlterius, donec eo deueniatur, vt talis sit reperta differentia, quæ vlterius diuidi non possit, vel si malumus, species constituta per illam, siue quod sit atoma species, siue certè quod peruentum est ad illam rem cuius quærebatur definitio, quæ potest esse & infima, & intermedia: Et idem est proportionaliter de differentia, cuius definitio quæritur. Dicit autem Aristoteles *com.* 75. *& seq.* debere omnes intermedias nulla omissa percenseri, vt ita fiat definitio definito adæquata & demum concludit optimam hanc esse definiendi rationem, quæ etiam vocari solet definiendi ratio per descensum, & per dissimilitudinem; definientes enim à supremo genere, vel superiore, descendimus vsque ad inferiora, & quia accipiuntur semper binæ differentiæ oppositæ, & inter se maximè dissimiles, idcirco dicitur hic definiendi modus tradi per dissimilitudinem. Hanc methodum Plato magni existimabat, vt ea vsus est in Soph. Phæd. &c. in Soph. ait *in fin.* hoc nomine peccasse antiquas, quod eam non haberent perspectam, in Phæd. autem eum qui hac methodo vtatur, se profitetur sequi velle, eiusque vestigia tanquam numinis diuini. Sic ergo solet diuisio quæ propria sunt alicuius rei separare ab ijs quæ sunt distincta. Verum existimo Platonem tanta de diuisione encomia protulisse, non vt propria est definitionis, sed etiam vt maximè facit ad omnem scientiam, de qua lege Interpretes omnes *in* 1. *pr. sect.* 2. *cap.* 1. Bo. *lib. de diuis.* Eust. 2. *po.* Auerr. 1. *Anima, comm.* 5. Ale. *cap.* 5. Aristot. cum *locis citatis*, tum 1. *de part. animal. cap.* & 2. & 24. & 5. *Top.* quia etiam scripsit Aristoteles librum de diuisione & definitione, vt refert Diogenes. Imò Aristoteles sæpissimè in definitione vtitur hac methodo, præsertim 3. *phys.* definiens motum, & 1. *Anima.* & *lib.* 2. definiens animam. Inquit Aristoteles. 1. *Anima.* t. 6. Primum autem fortassis necessarium est diuidere in quo generum & quid sit, dico autem vtrum hoc aliquid substantia sit an qualitas, vel quantitas, &c. quo loco præterea diuidit substantiam ad quam pertinere constabat: animam in actum & potentiam, in materiam & formam, & *lib.* 2. iterum rediens ad definitionem animæ *in t.* 3. diuidit iterum substantiam in materiam, formam, & compositum, quoniam constabat animam esse formam & actum; diuidit corpus, cuius anima erat actus, in naturalia & non naturalia, in organica & non organica, & *t.* 7. ex omnibus membris colligit definitionem animæ. Cæterum hæc ratio definiendi non facit vt probetur à nobis definitio de re quæ definienda proponitur, hac enim de causa Aristoteles 2. *post. in text.* 20. *comm.* 75. refellit diuisionem, nempè quoniam ostendit per syllogismum diuisiuum probari de re aliqua definitionem, reuera enim diuisio solum secat rem in suas partes, nec vllam continet probandi vim, quo etiam nomine 1. *pr. s.* 2. *cap.* 1. diuisionem reijcit, vt *ibid.* notant Interpretes, de qua re vide Domin de Fland. 2. *post. quæst.* 14. & Zab. 3. *de Meth. cap.* 10. Secunda Ratio definiendi est per compositionem, vel resolutionem, quamuis aliqui hæc duo velint distincta. Traditur ab Aristotele 2. *post. à comm.* 70. *vsque ad* 80. Fit autem hæc methodus altero horum modorum; Vel enim primo consideratur res definienda, quatenus in suis inferioribus spectatur, quod proprium illis est, & id in quo essentialiter omnia conueniunt, hæc posteriora ad rei definitionem pertinebunt, vel accipiuntur etiam inferiora vnius alicuius generis, vt comparantur cum alijs rebus quæ non sunt sub illo genere, & spectantur ea in quibus tam hæc quam illa inter se conueniunt; nam ex istis efficitur definitio illius superioris; verbi gratia, sit definiendus homo, debemus

mus considerate hunc & illum hominem. & reiectis ijs quibus hic homo ab alio, id quod superest, quoniam est de essentia singularium omnium, etiam pertinebit ad definitionem hominis. Vel etiam si comparetur homo cum rebus alijs non pertinentibus ad idem genus, tunc id quod erit proprium hominis dicetur etiam ad illius quidditatem pertinere; & si definiendum sit animal, potest conferri cum alijs quæ non sunt eodem genere, & consideranda sunt ea in quibus ista immediatè conueniunt, nam erunt quoddam genus superius ad ista duo. Si autem consideretur id quod proprium est hominis, & quod propriè bruti, scilicet esse substantiam, viuentem, sentientem, & rationis participem, bruti autem rationis expertem. Id quod restat, reiectis vtrique huic speciei proprijs, erit definitio animalis; est enim animal substantia viuens, sentiens. Solet autem hæc methodus appellari & compositionis, & resolutionis, quo vtroq; nomine Recentiores passim vtuntur hac methodo, Etsi Zab. 4. *de Methodis* sentiat rectius appellari absolutè *Resolutiuam* Ratio est, quia quatenus accipiuntur inferiora aliqua, & membratim secantur in suas partes superiores, dicitur esse resolutio, quoniã hæc nihil aliud est nisi reductio rei compositæ in suas partes superiores, & ideo etiam applicatur Methodus assensus atq; similitudinis, quia ab inferioribus ad superiora gradum facimus, & definitio tandem inuenitur per collationem earum rerum, in quibus est similitudo. Dicitur autem definitio compositionis, quatenus rem quæ definienda suscipitur, resoluta aliqua re inferiore, ex suis partibus proprijs componimus, & hanc præfert Arist. præcedenti diuisioni, quoniam continet aliquam vim probandi: solemus enim in ea inductione quadam vti, ex qua, quoniam videmus definitionem huic & illi inferiori conuenire, colligimus esse propriam illius rei definitionem, diuisio autem solam distributionem partium continet, nec tamen Aristoteles propterea vult per hanc methodũ probari per se quidditatem de subiecto. Tertia Ratio definiendi est per accidentia, id est vt ex multis accidentibus quæ in rem aliquam vnam conueniunt, colligamus à posteriori definitionem rei; sic enim inquit Aristoteles 1. *Anima* t. 11. Videtur autem non solum ipsum quid est cognoscere vtile esse ad cognoscendas causas accidentium, sed & è contrario accidentia conferunt secundum magnam partem ad cognoscendum ipsum quid est; cum enim habemus reddere rationem de accidentibus aut omnibus, aut pluribus, tunc de substantia habemus quid dicere optime, &c. Vbi hanc rationem reddit, quia maxima est connexio inter accidentia & ipsum quid est, vnde inquit, Qui accidentia rectè cognouerit, optimè se habere posse circa cognitionem quid est, vnde & in demonstratione accidentium medium ipsorum est vt de subiecto probentur ipsum quid est. *Vide Them. & Auerr. comm* 4. 4. *phys. comm* 33. 2. *eod. comm*. 4. 2. *Metaph. comm*. 21. Vocant quidam hæc accidentia essentialia, hoc est, quæ ex essentia manant, & sint rei propria, quoniam accidentia communia non sunt apta vt ex ijs in cognitionem quidditatis veniamus, in quo nonnulli aliter sentientes reprehenduntur nisi fortè intelligant concursum multorum accidentium communium quæ vni soli rei tantum conueniant. Verum dubium est quomodo possimus ex accidentium cognitione in substantiæ cognitionem venire; hæc enim pro eodem sunt sumendæ, vt testatur Simpl. *ibi*, cum tamen præterea rem plerique Interpretes moueant ibi quæstionem de substantia vt est genus entis distinctum ab accidente: nam vt sæpè diximus, potius quidditas ipsa facit nos venire in cognitionem accidentium, imo hæc sine illa non possunt intelligi. Confirmatur primo. Quia quod ad substantiam attinet, vt vult Aristoteles 7. *Metaph. text*. 4. prior est non modo tempore & perfectione, sed etiam cognitione,

tione, & idem est si accipiatur substantia pro quidditate in communi, quoniam est causa passionum. Confirmatur secundo. Nam nec substantia cognitionis alterius substantiæ causa esse potest, nec vnum accidens alterius, nec obiectum vnius alterius obiecti alterius. Multò ergo minus potest acciden esse causa cognitionis substantiæ. Hæc quæstio est propria tractatur de anima intellectiua, de qua rectè Iand. 1. *anima. quæst.* 10. Varij autem sunt dicendi modi quos habet Tolet. *quæst.* 6. 1. *Anima.* In his primus est Nicolai, qui, quoniam, inquit, accidentia sunt quæ iam similitudines substantiarum, inducunt nos in cognitionem ipsarum, quemadmodum cum primum ouis cernit lupum, concipit imaginem ac notiorem inimicitiarum. Secundus modus est Iand. *ibid.* disponi intellectum nostrum per accidentia sicut disponitur materia ad formas substantiales recipiendas, fieri autem vi intellectus agentis vt substantiæ ipsius in intellectu nostro cognitio imprimatur. Tertius Apol. 1. *Animæ q.* 7. ait primo à nobis cognosci concreta rerum sensitiuarum, id est non modo accidens ipsum abstractum, sed etiam subiectum ipsum in quo est accidens, verbi gratia album, postea autem opera intellectus nostri discurrentis secerni vtriusque rei huius proprios conceptus. Quartus Zouin. 7. *Metaph. quæst.* 14. dicit cognosci primum totum hoc, videlicet substantiam & quod sensibile est, sed postea vi intellectus agentis elicit quandam speciem à sensibilibus propriam ipsiusmet substantiæ. Denique Caietan. D. ennensis dicit percipi à nobis in potentia cogitatiua, quam dicit esse cognoscitiuam rerum singularium. & substantiam, & id quod sensibile est, sed postea singularem speciem rei substantialis producere vna cum intellectu in potentia intellectiua speciem vniuersalem. Hi sunt præcipui modi, ex quibus cuiuis liberum erit eligere quid magis placuerit. Id certè constare videtur proprium & adæquatum substantiæ conceptum, vt ait Herit. *quodlib.* 3. *quæst.* 12. vix posse vllum purum in hac vita haberi, semper enim admiscebitur cognitioni sensitiuæ & accidentali. Quod autem ad rem nostram facit, id nobis sufficit, accidentia ipsa plurimum conferre ad cognoscendam & substantiam ipsam, & quidditatem quamlibet in communi, vnde si de substantia loquamur, sicut accidens passim dicitur esse virtus propria substantiæ, qua substantia ipsa agat, ita mirum videri non debet si accidens sit veluti quoddam instrumentum ad substantiæ in nobis producendam cognitionem. Imò experimur cognitione accidentium vigiti nos plurimum ad inuestigandam notitiam quidditatis, quæ illorum est vera causa, sic enim Aristoteles 1. *Met. sum.* 1. *cap.* 2. ait natam esse Philosophiam ex admiratione quorundam effectuum propriorum, quorum homines causas nosse cupiebant. Quod si primo habeatur tantum cognitio effectuum ipsorum vt sunt sensibiles & accidentales, tamen progressu deinde temporis, & quadam intellectus perspicacitate efficitur vt vtrumque istum conceptum substantiæ & accidentis discernamus. Hinc ergo ad argumenta respondere facilè est: ad rationem enim dicimus substantiam quidem & quidditatem, esse medium quo à priori accidentia cur insint & necesse cognoscamus. Hoc tamen non prohibet quo minus accidentia ipsa te ant nos ad cognitionem essentiæ a posteriori, & ex effectis. Ad primam confirmationem, substantia quidem perfectior est absolutè quam accidens, accidens tamen partim est prius, partim posterius. Prius est ratione cognitionis sensibilis & confusæ posterius verò ratione cognitionis distinctæ & perfectæ, vt ait Phil. Accidens cognoscitur ante substantiam, quoad sit, cognoscitur posterius substantia, quoad quod sit, & propter quid sit. Vel etiam vt respondent Apoll. & Iand. dicetur substantiæ cognitio esse prior, quia perfectior. Vel vt alij respondent, dicitur prior cognitio substantiæ, quia semper est

cognoſcitur accidens, cognoſcitur vt affixum ſubſtantiæ, ac proinde cognoſcitur ſubſtantia vt affecta accidente, & idem eſt iudicium de ſubſtantia ſi pro quidditate accipiatur. Ad ſecundam confirmationē reſpondet Iand. diſparem eſſe rationem, quia accidentium cum ſubſtantia magna quædam eſt cognatio, prout videlicet hęc aut illa accidentia ex talis ſubiecti eſſentia manant, vnde ſunt ſibi quodammodo illa ſubordinata, ſic cognitio ſenſitiua cū intellectiua. Porrò hæc via inueſtigandæ definitionis eadem videtur eſſē cum Demonſtratione Quia, per quam ex effectis, ex ſignis, aut quomodolibet à poſteriori cognoſcimus quidditatem rei. Qui tamē methodum illam traditam ab Ariſtotele 2. *poſt.* reperiendæ definitionis expendunt, non exiſtimant Ariſtotelis ſermonē fuiſſe de hac Demonſtratione, præter vnum Zab. 4 *de Meth cap.* 3. Reuera enim Ariſtoteles 2 *poſt.* vult ex demonſtratione ipſa elici definitionem eſſentialem & perfectā rei, quod non niſi per Demonſtrationem à priori & propter quid effici poteſt.

Sit ergo quarta Methodus inueniendę Definitionis per Demonſtrationem propter quid: quam maximi facit Auerroes. Eſt autem, cum cognita prius definitione eſſentiali, quæ eſt per genus proprium, propriamque differentiam, tum vt oſtendamus proprium de re aliqua paſſionem, adhibemus tanquam medium definitionem cauſalem illius rei. Et quia definitio eſſentialis cum nondum eſt cognita definitio cauſalis rei, videtur non perfectam nobis de re parere cognitionem: ideo Auerr. *in Epit Log.* appellare ſolet Definitionem illam Nominalem, quod potiſſimū accipitur in rebus illis de quarum dubitatur exiſtentia, verbi gratia, ſi vacuum definiremus locum corpore deſtitutū: quomodo Ariſt. 2. *poſt. cap.* 11. *in fine.* vbi præmiſit glaciei definitionem, vt, Aqua quędam concreta; ſubdit poſtea, vt oſtendatur hæc paſſio congelationis ineſſe aquæ, vtendū hoc medio, quod omni ex parte aqua calore priuetur. Et alibi, poſtquā dixit, Eclipſin eſſe defectū luminis in luna, ſubijcit vt hęc paſſio demonſtretur, mediū eſſe debere interpoſitionem vmbræ terræ. Sed dubium eſt: Quare cum definitio per demonſtrationem hac ratione colligatur, vt a ſ eſſentialem definitionē appoſita cauſali reſultat quædam totalis definitio maximè perfecta, ex cauſali & eſſentiali, Ariſtot. 2 *poſt.* dicit, iſtam definitionē extandi & elici ex demonſtratione debere. Quomodo enim ante demonſtrationem ponitur eſſe à nobis cognita ipſa *definitio?* Euſt. 2 *poſt* 1.136. ait, Definitionem cauſalem eſſe in demonſtratione propoſitionē quandam indemōſtrabilem, & ante cognoſci quam efficiatur Demonſtratio. Sed ſi hoc ita eſt, cum dixerit ante demonſtrationem cognoſci definitionem eſſentialē, hic velit cognoſci etiam cauſalem: quid ſupereſt niſi vt dicamus definitionem cōſtantem ex vtraque cognoſci poſſe ante Demonſtrationem. Recentiores quidam dicunt, cognoſci definitionem cauſalem ante demonſtrationem non vt eſt definitio, ſed vt eſt cauſa. Sed nec hoc ſatis facit: quoniam propoſitiones *Demonſtrationis* debent omnes eſſe aut in primo vel ſecundo modo. Porrò primus modus eſt, cum prædicatum ponitur in definitione eſſentiæ rei, debet ergo cognoſci quod cauſa eſt etiam vt definitio eſt, etiamſi non per modum ſimplicis definitionis. Flamin. *quaſt Log cap.* 7. ait, Aliud eſſe cognoſci re definitionem ſecundum partem aliquam ſeorſim, aliud autem ſimul vt conflatam ex his vel illis partibus. Iam ergo poteſt Definitio ſiue Cauſalis ſiue Effectualis imperfectè cognoſci ante conſtitutā Demonſtrationem propter quid; tamen perfectè & ſimul non cognoſcitur, niſi vbi eſt conſtructa Demonſtratio propter quid: ſicut, inquit, quamlibet virtutem poteſt quis imperfectè poſſidere, ſed perfectè nullam, niſi eam comitentur reliquæ omnes. Cum ergo facta eſt Demonſtratio propter quid, à qua Definitio dicitur ſolo ſitu & poſitione differre, ſtatim in poteſtate noſtra eſt, definitionem perfectam elicere, conſtantem ex Eſſentiali & Cauſali. Hæc tamen res non poteſt planè intelligi, vſque dum de definitione ſitu differente dixerimus. Hoc autē conſtat, huiuſmodi

modi definitionem quæ ex Demonstratione elicieur esse tantum accidentis, non autem substantiæ: quia substantia non potest vllam habere causam; accidens autem habet substantiam & subiectum tanquam causam: nec credendum est, definitionem illam probatam fuisse per Demonstrationem.

SECTIO QVINTA.

De Definitione in ordine ad Demonstrationem.

IN hac vltima parte non pertinet Quæstio illa de Definitione vt est medium: nam de ea diximus *in tr de Demonstratione.* hic autem agemus de Definitione vti est instrumentum. Nec etiam conferre volumus Demonstrationem cum Definitione in ratione communi instrumenti sciendi, id enim, Sectione prima fecimus. Restat ergo vt videamus, An Definitio concludi possit vel probari per Demonstrationem: & quid sit definitio quæ solo situ ac positione differre dicitur à Demonstratione.

QVÆSTIO PRIMA.

An Definitio probari possit per Demonstrationem.

HAnc Quæstionem disputat Aristotel. *2. post à t.3* &c. & Auerr. *in t. post* Thomist *in argumento illius quæst. & t. 51. & 59. 2 post.* Zim.13. Thurif.10.2 *in fin.* Alb. *2 post. tr. 2. cap.* 8. Ægid. 4 *Met. q.* 14. Videntur autem tres esse de hac re sententiæ. Prima est Alphar *apud Aluar.* vnius eiusdemque rei plures definitiones æquè perfectas esse posse, & vnam ostendi per aliam. Secunda Hippocratis, qui dicit Demonstrationem in communi posse concludi de re Definitionem. Tertia Platonis, id fieri posse per diuisionem, quamuis reuera non constet Hippocratem vel Platonem aliud voluisse, quam quod dixi, Diuisionem ac Demonstrationem esse bonas vias reperiendæ Definitionis. Aristoteles verò perinde eas refutat ac si in ea fuissent sententia Auerr. *loco cit.* hæc dicit: prima, Definitionem in genere loquendo, non posse probari per Demonstrationem; quia, inquit, siue sit perfecta siue imperfecta Definitio, semper, vt probetur per demonstrationem, debet in ea poni mediū quod eiusdem rationis sit cum definitione quæ est probanda; ac ideo semper debere supponi aliquam definitionē, imo peti principium, cum, si definitiones istæ sint æquè perfectæ, oporteat vnam æquè probari posse per alteram. Sic enim argumentatur Aristor. 6. *Met t.* 1. probans non posse substantiam, id est, essentiā probari, quia, inquit, probaretur per substantiam ac proinde vel peteretur principium, vel in infinitum abiremus. Secundo. Dicit Auerr. posse definitionem ex demonstratione dedoci non concludi: quod etiam videtur Arist. asserere *2 post. com 42.* vbi Arist. ipse & Græci Interpretes, Auerr. & D. Thom. hoc discrimen esse volunt inter deducere & concludere, quod concludere sit aliquid inferre vi talis medij, ita vt propter argumentationem talem esse tem appareat; deducere autem solum est, posse materialiter ex eo quod continetur in conclusione aliqua alicuius argumentationis deduci hoc vel illud S e ergo potest definitio non concludi, sed deduci.

Quod si obijcias, etiam cum infertur passio de subiecto per demonstrationem, non continetur in conclusione, quod huiusmodi passio directo inferatur, sed id inde deducere possumus. Resp. pro Auerr. Est eo quod in syllogismo sumitur definitio tanquam medium, per se constat ex vi talis syllogismi probari talem passionem subiecto inesse, & cur insit, quod ante non supponebatur. Concludit ergo Auer. Definitionem posse aliquo syllogismo concludi, materialiter, & tanquam prædicatū.

Vt tamen hæc res clarior fiat, Nota, triplicem posse esse intelligentiam huius quæstionis. Primus est, an absolute loquēdo, id quod est definitio rei probari possit de subiecto tanquam quoddam prædicatum illius. Secundo. An probare possimus orationem aliquam, qua exprimi dicatur rei essentia esse veram illius definitionem.

Tertio. An ipsamet rei quidditas & definitio, quatenus est quidditas & essentia, possit concludi de subiecto.

Nota secūdo difficultas in hac quæstione oritur tum ex Arist. ipso, tum ex parte etiam rei: Arist. enim 1. *post. com.* 64 & *li.* 2 *com.* 46. ait, Definitionem esse aut principium demonstrationis, aut demonstrationem totam, aut conclusionem eiusdē. Ex quo sequi videtur, posse definitionē formalem reperiri in Cōclusione, ac ideò probari. Idem vero Arist. 1 *post. com.* 73. 75. 6 & 7 dicit, in scientia de cognitione cuiusuis rei sciendæ solum esse principia subiectum & passiones, quæ etiam 1. *post.* t. 2. dixit, à nobis debere præcognosci. Significat ergo Arist. id quod per demonstrationem concluditur solum esse *passionem*: quod nomen quamuis proprie significet passionē quæ accidens est, extenditur tamen etiam ad quoduis prædicatum. Definitio autem secundum se non est prædicatum. Ex parte autem rei, pro affirmatiua sententia sunt dubitationes; pro negatiua autem quæ sunt à nobis allatæ ex Auerr. Quod enim possit definitio probari per syllogismum, probatur primo. Nam rei vnius plures sunt definitiones; potest ergo vna de subiecto probari per aliam: quod etiam fecit Arist probans 1. *post. t.* 5. definitionem Demonstrationis finalem per materialem, & 1. *de Ani t* 12. & 24. idem facit. Et confirmatur: quia causæ sunt sibi mutuę causæ, vt dicitur 2 *phyt t.* 30 Secundo, ita probari potest definitio, verbi gratia, hæc, Animal rationale. Omnis oratio constans ex genere & differentia est vera definitio, hæc est eiusmodi. Ergo. Tertio. Per syllogismum diuisiuum ita probari potest. Omne animal aut est rationale aut irrationale. Homo est animal, & non irrationale. Ergo rationale, Ergo animal rationale. Quarto, per syllogismum à contrarijs. Albedo essentialiter est Qualitas disgregans visum. Ergo nigredo essentialiter est Qualitas congregans visum. Quinto, per syllogismum qui appellatur Duplās, vel Duplicatiuus, vel etia ex suppositione, hoc modo: Omne quod est aptum ad capessendam beatitudinem æternam, est animal rationale in quid. Sed homo est aptus &c. in quid. Ergo homo est animal rationale in quid. Appellatur hic syllogismus Duplans, quia ponitur illa reduplicatiua pars, *in quid*. Vltimas quatuor rationes ponit Arist. 2 *post*, aut certè occasionem præbet tum vt etui possint, tum etiam vt dissolui.

Prima Propositio. Definitio non potest probari de vlla re per syllogismum duplicatiuum. Ita Arist. 2 *post. com.* 21. 22. 23. *fine t.* 3 Ratio: quia cum debeat medium conuerti cum maiori extremo, vt fit perfecta Demonstratio, ac potissima de qua est quæstio: si definitio probaretur per illum syllogismum, necessario peteretur principium, quia in maiore ponitur prædicari maior extremitas de medio in quid, & in minori medium de minori extremo in quid: quod cum non prædicetur de maiori extremo in quid, quia idem est cum maiori, vel quoad rem, vel conuertibilitatem; ęquè dubium est prædicari maiorem extremitatem in quid de minori atque mediū de minori extremo in quid propter maiorē. Et confirmatur: quia in maiori propositione ponitur prædicari maior extremitas de medio in quid; quare supponitur esse illius definitio, eadem autem maior extremitas in conclusione prædicatur de minore in quid: Ergo eadem planè definitio duobus conuenit. At non potest perfecta definitio conuenire nisi vni rei. Confirmatur etiam: Quia in illo syllogismo supponitur id quod probandum est, nempe prædicatum dici in quid. Ergo quod concluditur, ex suppositione tantū cōcluditur. Et hinc soluta est vltima ratio.

Secunda Propositio. Non probatur definitio de definita per syllogismum diuisiuū. Id ait Arist. 2. *post. com.* 23. Ratio est. Quia diuisio ex se nullam habet vim probandi, sed tantum rem tribuit in suas partes: & si aliquid probat, solum per quandam inductionem, qua ipsamet, si non recensita fuerint omnia singularia, nihil probabitur. Et confirmatur: Quia in hoc syllogismo plerunque supponuntur quę maximè tamen essent probanda, vel istius rei quæ denotatur hoc esse genus, has differentias rei

rei isti conuenire hanc differentiam, non illam, differentiam istam esse essentialem, &c. Lege Arist. 2. *post. com.* 73. 4. &c. 1. *pr. sect.* 2. *cap.* 3. vbi syllogismum istum diuisiuum negatorium appellat ac nullum.

Tertia Propositio. Non potest definitio probari per syllogismum qui fit ex contrarijs. Ratio: quia etiam supponit vnum alteri esse contrarium contrarietate essentiali, cum tamen fortassis sola sit oppositio ratione qualitatum & accidentium. Deinde, ex contrarijs non est vnum per se magis notum quam alterum, & propterea æquè ambigi potest illius contrarij illam esse quidditatiuam definitionem, atque istius quod per aliud probatur.

Quarta Propositio. Non potest probari definitio de definito per syllogismum definitiuum, Ita Arist. 2 *post. com.* 27. Ratio. Quia etiam id supponitur, quod oratio ista contineat genus proprium propriamque differentiam. Confirmatur. Quia syllogismo inquit Arist. 2 *post.* non syllogizamus, id est, per definitionem syllogismi non solemus probare syllogismum. Ergo nec per definitionem definitionis probari poterit definitio. Iuuant tamen, inquit Arist. istæ definitiones tum definitionis tum syllogismi, si extra præmissas sumantur, vt potissimus tanquam ad normam quandam conformare definitionem vel syllogismū, quæ à nobis est construendus.

Quinta Propositio. Absolute loquendo, non potest probari definitio de definito. Ratio. Quia definitio ex natura sua est simplex quædā entitas: definitio ex natura sua neq; ait neq; negat: definitio ex natura sua spectat ad primam operationem intellectus. At id quod de aliqua probatur, debet in propositione aliqua poni, de eo debet ferri iudicium, pertinet ad secundam vel tertiam operationem. Ergo non potest Definitio vt definitio est vlla ratione probari. Vnde Arist. 2. *post com.* 41. ait, Definitionem nō posse fieri syllogismum vel demonstrationem; quod est dicere, definitionem per se non posse quidem directè probari per syllogismum vel demonstrationem, tamen cum assumitur tanquā medium, posse ex demonstratione ipsa elici; quod tandem est, definitionem probari posse per demonstrationem materialiter, & vt est prædicatum. Et in hoc rectè nobis videtur sensisse Auerroes, nisi quod longius digreditur in eam dubitationem de Definitione quæ solo situ differt à Demonstratione: & quia per substantiam, de qua loquitur Aristot. 6. *Met. t.* 1. intelligit prædicamentalem, & non essentiam in communi, Thomi. vt concilies dicta Auerrois, multa etiam affert præter rem. Vnde Arist. *com.* 37. & 38. ait, probari definitionem de definito, non vt definitio est, sed vt est quoddam prædicatum quod dicatur de subiecto. Quod etiam ait *com* 36. & 6. *Met t.* 1. absolutè dicit, Non posse substantiam probari. Vt ergo probetur definitioni de definito, debet assumere rationem cuiusdam quæstionis complexæ, vt dicamus, An homo sit animal rationale, & tunc fieri poterit quod primo argumento obijciebatur, vt per vnum causæ genus probetur aliud de aliqua re.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid sit Definitio solo situ differens à Demonstratione.

ARistoteles 1. *post. com.* 64. & *lib.* 2. *com.* 46. ait, Definitionem aut esse principium in Demonstratione, aut esse conclusionem, aut demonstrationem tantum situ differentem. 1. *verò post.* id de definitione dixit, vt ostenderet non posse esse definitionem vel scientiam rerum singularium vel corruptibilium; Quoniam, inquit, in Demonstratione semper est Definitio vel tanquam principium, vel conclusio, vel tanquam tota demonstratio: non potest autem definitio esse nisi rerū vniuersalium & incorruptibilium. In 2 *post.* vero definitionem situ solum differentem à demonstratione, appellat demonstrationē continuatam, id est, cum accipitur definitio tota, sine eo ordine & dispositione extremorū qui cernitur in demonstratione. Cū autē idem hic ordo seruatur, appellat discōtinuatā demonstrationē, quoniā demonstratio est veluti distributa in multas partes. Vocat autē situ tantum differentem,

que-

quoniam se habet definitio si cum demonstratione conferatur, velut denominatiua, in quibus sola est discrepantia casus. nam denominans ponitur in abstracto, denominatum in concreto. Sic etiam definitio differens situ à demonstratione, in abstracto exprimitur, ipsa autem demonstratio in concreto; vt si dicamus: Tonitru est extinctio ignis in nube, propter quid tonat? quia extinguitur ignis in nube. Quid autem sit definitio differens solo situ à demonstratione valdè dubium est, vt Auerr. 1. *post. comm.* 64. & 2. *post. comm.* 46. dicat, illa Aristotelis loca esse difficillimæ considerationis. De qua re etiam quæsitum scripsit Abitalcaris, in quæsito de notificatione generis apud Auerroem, dicit, accepisse à quodam Arabe qui diceret id se ex scriptis Albumazaris hausisse definitionem situ tantum differentem esse quæ ex genere esset & differentia, ita vt probaretur de re aliqua genus, per differentiam tanquam per medium; vel certè definitio generis per definitionem differentiæ, verbi gratia, Omne rationale est animal; omnis homo est rationalis, Ergo omnis homo est animal. Vel: omne aptum ad vtendum ratione est substantia corporea, viuens, sentiens. Sed homo est aptus ad vtendum ratione. Ergo est substantia corporea, viuens, sentiens. Refutat hanc sententiam Benudaris. Quia si differentia est medium; ergo maius extremum erit genus. Ergo de genere, maiori extremo prædicari debebit medium, quod est differentia. At innaturalis est prædicatio differentiæ de genere. Ergo non potest esse apta & vera demonstratio. Accidit quod non modo nulla est propria definitio differentiæ, sed & non potest esse prædicatum per se generis, nec in primo nec in secundo dicendi modo. Denique hoc prædicatum non est vniuersale & secundum quod ipsum. Porro demonstrationem à qua sola situ differt Aristoteles & omnes Interpretes maximi faciunt inter omnes demonstrationes. Et Auerr. *quæsito* 8. eam vocat commodissimam methodum & mensuram cæteratum omniũ & cum qua si cæteræ conferantur, fiunt æquiuocæ demonstrationes. Reliqui ferè Interpretes, Græci præsertim, per definitionem situ differentem intelligunt eam quæ est conflata ex materiali & formali: per definitionem quæ conclusio sit, intelligent materialem; per eam quæ sit principium, causalem, vel formalem, ita vt definitio materialis sit quæ constat ex genere & differentia tanquam partibus, cum partium, sit, imitati materiam. verbi gratia, Tonitru est sonus in nube: hæc definitio illis est materialis, hæc verò: Tonitru est extinctio ignis in nube est causalis vel formalis; quæ autem ex vtraque conficitur apellatur definitio solo situ differens à demonstratione. Vt enim probemus, Tonitru esse sonitum in nube, ita argumentabimur: Quod extinguitur in nube, sonum edit in eadem; sed tonitru fit per extinctionem nubis in igne. Ergo tonitru est sonus in nube. Auerr. *quæsito* 8. *in* 1. & 2. *post.* dicit, definitionem dici situ differre à demonstratione, quoniam cum definitio ipsa contineatur, solet priorem locum obtinere ea partialis definitio quæ posteriorem habebat in demonstratione, verbi gratia, vt definiamus Eclipsin lunæ, ita dicimus: Est priuatio luminis in luna, ob interpositionem terræ inter ipsum & nos. Vt autem per demonstrationem probemus lunam pati hanc Eclipsin, quoniam definitio causalis sumitur tanquam medium priorem quoque locum habebit in demonstratione. Dicit etiam, hanc definitionem esse cuius medium sit causa extra vel intra, id est, cum de re aliqua demonstratur causa extrinseca per intrinsecam, vel intrinseca per extrinsecam, verbi gratia, quod ordinatum est ad prohibendas imbres & cœli iniurias debet esse confectum ex cæmento, lapidibus, &c. Domus est ad id ordinata, Ergo debet constare ex illis. Nam in hac demonstratione ostenditur materialis per finalem. & dupli. em licet videre definitionem domus, vnam per causam materialem, alteram per finalem: ex qua vtraque si vna fiat dicetur

esse

esse definitio situ tantum differens à demonstratione: & quia vt dixi non potest in demonstratione medij locum tenere definitio vt definitio est, sed tantum vt causa; scire enim est rē per causam cognoscere, *&* 2. *post. cap.* 1. omnis quæstio medium quærit & causam: idcirco monet ibid. Auerroes, hoc ipsum videlicet definitionem, non debere accipi vt definitio est, sed vt est causa & medium. Quod dico propter aliquos, qui negant quæstionem institui debere, an medium sit definitio, sed an sit causa. Id enim adeo manifestum est vt non egeat quæstione. Dubitatur autem maxime, An definitio possit esse mediū, de qua re nulli disputent, *&* 4. *ph. t.* 31. *&* 1. *de Anima in* 11. nos etiam in tract. de Demonstratione. Remigius Mel. in tract. de medio demonstrationis dicit, Medium demonstrationis esse definitionem quæ ab Arist. appellatur principium demonstrationis, definitionem autem quæ ab eodem Arist. appellatur Conclusio esse eam quæ ex genere & differentia tantum constat; illam verò quæ principium est, continere causam ei extrinsecam; totam autem definitionem ex vtraque constantem, differre situ à demonstratione. Cuius etiam reddit causam. Quia in demonstratione in qua vtraque adhibetur definitio, solet fieri quædam permutatio casuum cum aliquorum inter se, tum obliqui in recto, tum recti in obliquo. Flam. *quæst. log. c.* 5. reprehendit hanc sententiam & concludit, eam definitionem quæ principium esse dicitur in demonstratione, esse tantum definitionem substantiæ omnino indemonstrabilem: quæ autem situ differre dicitur à demonstratione, ab ea non discrepare quæ vt passio de subiecto ostendatur, cum adhibetur definitio illius passionis, ponitur tanquam principium in demonstratione. V. g. Cum probare volumus Ecclipsin de Luna, hoc erit medium: Quoties fit interpositio vmbræ terræ, toties deficit Luna. In hac propositione continetur definitio quam alij dicebant situ differre à demonstratione. Nam constat ex definitione tam causali passionis, tum essentiali, ex genere & differentia. Vnde, inquit, nunquam solet solitariè accipi altera pars definitionis, vt patet in Eclipsi, quam non defines vel tantum interpositionem vmbræ terræ inter, &c. vel tantum, priuationem luminis in Luna, vt obseruat Alex. 3. *Met.* & colligitur ex Arist. 3 *Met in t.* 13. *&* 2. *ac* 2 *post.*

Notandum est. Definitio potest esse perfecta & imperfecta. Nimium perfecta erit si de accidente loquamur, cum ponitur genus differentia, & subiectum ipsum. Imperfecta, si alterum tantum fiat, id est, si genus solum & differentia, vel ordo tantum ad subiectum exprimatur in definitione. Sed sunt præterea accidentia quædam vt efficiantur, dicunt necessarium ordinem ad causas extrinsecas, quas Remigius & alij appellant passiones extrinsecas, quem tamē loquendi modum refutaui. Quia tamen solet demōstratio aliquādo esse de istis accidentibus vt fieri possunt, idcirco ponitur etiam in eorum definitione ordo hic ad causam extrinsecam. Et ita definitio quæ hanc quoque partem cōprehendit, dicitur omnium perfectissima.

Notandum Secundo. Definitio de qua Arist. loquitur, dicens, Esse principium, conclusionem, vel demonstrationem solo situ differentem, est tantum quæ accidentibus & passionibus tribuitur. Id docent ferè omnes, & ex Arist. elici potest. Et ratio est: quia dicitur definitio principium demonstrationis, quæ continet causam illius propriam. Porrò sola accidentia habent propriām & veram causam, & demonstrationē solum passio aliqua. Id testatur Eust. 2. *post. com.* 40.

Notandum Tertio. Definitio potest esse principium in demonstratione, vel incomplexum, vt est propositio quædam in qua definitio de maiori & minori extremo prædicatur. Conclusio autem esse potest quatenus maior extremitas

in conclusione prædicatur de minore. Hæc autem est definitio. Quam conclusionem absolutè videtur intelligere Arist. nomine maioris extremi, *1. post. com.* 57. Vel etiam prout in conclusione ponitur vtraque extremitas & maior & minor; sed vt definitio locum habere pôtest subiecti vel prædicati.

Prima Propositio. Si loquamur secundùm mentem Arist. id est, definitione accidentis quod solet demonstratione propria dicta concludi, ea definitio dicetur esse principium in demonstratione quæ continebit causam accidentis cur de subiecto ostendatur: definitio verò quæ constat ex genere & differentia, dicetur locum habere conclusionis. Denique definitio quæ ex vtraque constat definitione appellabitur solo situ ac positione differens definitio. Et vt incipiamus à definitione quæ dicitur esse conclusio, docet id Arist. 2. *de An. t.* 12. vbi ait, Rationes definitionum esse conclusiones, vt, inquit, tetragonismus est æquale altera parte longiore rectangulum æquilaterale esse: id enim solet demonstrari, & esse conclusio. Quod autem spectat ad principium demonstrationis, ista solet esse definitio quæ cōtineat causam passionis: quamquam Arist. de ea solum locutus est causa quæ accidenti planè est extrinseca, non est tamen omnino necessaria, vt illud accidens fiat: vt est interpositio terræ, si conferatur cum Ecclipsi. Hinc Arist. 2. *post. com.* 37. dicit, idem esse scire & quid sit & propter quid sit res, in his quæ causam habent: vbi tamen non vult Arist definitionem propriè probari per demonstrationem. Id enim negat *com.* 38 dicens, huiusmodi probationem & syllogismum Topicum esse, & in ea peti principium, si fortè intendat quis probare propriè quidditatem. Itaque si fiat iste syllogismus: Quoties interponitur vmbra terræ inter aspectum nostrum & Lunam, toties fit Ecclipsis: sed paulo post fiet illa interpositio. Ergo Ecclipsis. In hoc syllogismo si loco Ecclipsisponere libeat definitionem illius ex genere & differentia, id est, esse priuationem luminis in Luna; ista definitio erit conclusio syllogismi, principium causalis definitio, sc. Ecclypsin esse interpositionem, &c. tota autem sola situ differens definitio, Lunam pati priuationem luminis ob interpositionem terræ, siue Ecclipsin id esse quod dixi, &c. quanquā propr è medium in demonstratione solet esse definitio subiecti ipsius, ipsum enim sicut est id vnde essentialiter manat passio, ita etiam essentialis & propria definitio per quam ostendi debet, est subiecti definitio. Et in hac nobis probatur Flam. quamuis illud non videatur esse necessarium, semper debere definitionem quæ principium dicatur demonstrationis, solius subiecti & substantiæ esse definitionem. Hoc enim repugnat Arist. Ecclipsis enim quæ de Luna demonstratur, dicit esse medium interpositionem terræ.

Secunda Propositio. Potest hæc triplex definitionis ratio locum habere in substantia. Nam substantia, etiamsi illius quidditas non possit probari per aliam causam priorē: tamen potest de substantia ostendi vna causa per aliam. v. g. omne animal rationale est aptum ad beatitudinem. Homo est animal rationale. Ergo aptus ad beatitudinem. Tūc enim quia definitio partialis quæ continet vnam causam; quare ponitur tāquam medium in demonstratione, dici poterit principium illa causa quæ in conclusione infertur, dicetur conclusio; quæ demum ex vtraque elicitur, dici potest definitio situ differens, siue hæc sit perfecta definitio siue non. Imò in communi loquendo, quoties aliquid pertinens ad essentiam ostenditur per aliquid quod item sit de essentia totius, dici poslet triplicem hanc definitionem reperiri, quoniā eadem est causa. Quia tamen in maiore propositione demonstrationis solet poni maior extremitas tanquam prædicatum quoddam, quæ dicatur de medio, quodcumque sit, coniungun-

iunguntur simul ambæ istæ Definitiones: idcircò dicebat Flam. Definitionem quæ principium esse dicitur, esse ipsammet Definitionem solo situ differentem respiciens non ad Definitionem quæ est medium incomplexum, sed ad totam propositionem, & ratione subiecti & prædicati, verbi gatia, allatæ Demõstrationis hæc est maior: Animal rationale est aptum ad beatitudinem; hic cõtinetur vtraque definitio hominis partialis; dicitur enim homo esse & animal rationale, & aptus ad beatitudinẽ. Hoc autem non est propriè loqui, quia nunquam est definitio nisi includat id cuius est definitio, quod rectè non fit, nisi per genus ad minorem, in qua altera definitio prædicatur de subiecto, homine; & ad conclusionem, in qua alia, &c.

Nota. Præter causas dictas cur Definitio solo situ differre dicatur à Demonstratione, hæc etiam esse potest: quia Definitiones locũ habeat in Demonstratione certo quodam ordine in figura quadam collocatæ: in Definitione verò etsi habenda ratio ordinis priorum & posse maiorumpartiũ, non tamẽ debet definitio habere formã illã syllogisticam. Nota etiã, Definitionem quæ cõclusio dicitur, dici posse esse principiũ non modo quia inter terminos conuertibiles fieri potest reciprocus ordo, sed etiam, quia Conclusio est propositio quædam, quam prænosse oportet ante confectam Demonstrationem, saltem quoad quid nominis, ratione passionis & ratione subiecti.

Atque hæc de Definitione dicta sunt. Quę autem considerari possunt de alijs instrumentis Diuisione & Methodo, ea pete ex Compendio. Quæ autem tradit Arist. in Topicis & Elenchis, faciliora sunt & à nobis explicata dum de syllogismo Topico & Sophistico diximus.

FINIS.










IHS

